BIBLIOTHECA DOMUS
CONGR. ss. REDEMPT.
AD. NT. JACOBUM MA

2 volumes
100 09
T15

SANCTI ALPHONSI

OPERA DOGMATICA



S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

ECCLESIÆ DOCTORIS

OPERA DOGMATICA

EX ITALICO SERMONE IN LATINUM TRANSTULIT

AD ANTIQUAS EDITIONES CASTIGAVIT

NOTISQUE AUXIT

ALOYSIUS WALTER

CONGR. SS. REDEMPTORIS

TOMUS PRIMUS.

I. CONTRA ATHEOS ET DEISTAS. — II. CONTRA SECTAS DISSIDENTES.
III. DE FIDEI VERITATE CONTRA INCREDULOS ET HÆRETICOS.
IV. VINDICIÆ CONTRA FEBRONIUM.
V. DOCTRINÆ CATHOLICÆ
JUXTA CONCILII TRIDENTINI DECRETA
EXPOSITIO.

ROMÆ
TYPIS PHILIPPI CUGGIANI
Via *della Pace*, 35
1903

APPROBATIONES

LATINÆ HUJUS EDITIONIS

Quæ S. Alphonsus, Ecclesiæ Doctor, de rebus dogmaticis patrio sermone conscripsit, in theologorum et ipsius Ecclesiæ velut propriam linguam conversa divulgari, æquum prorsus et congruens videtur. Quapropter, quantum ad me pertinet, perquam libenter annuo, ut Latina hæc editio, quam accurato examini subjiciendam curavi, nunc publici juris fiat, si et ii ad quos spectat, ita faciendum esse judicaverint.

Romæ, Kal. Aug. MCMIII.

M. RAUS. C. SS. R.
Sup. Gen. et Rect. Maj.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi Ord. Præd.
S. P. Ap. Magister.

—

IMPRIMATUR
Josephus Ceppetelli Archiep. Myren.
Vicesgerens.

PROTESTATIO AUCTORIS

Ut Urbani VIII s. mem. decretis obsequar, hoc loco protestor, miraculis, revelationibus, gratiis et reliquis factis in hoc libro commemoratis, iisque titulis, quibus Dei servos, in Cælitum canonem nondum relatos, vel Sanctos vel Beatos nuncupo, mere humanam me tribuere auctoritatem; nisi ea confirmata sint a Romano-Catholicâ Ecclesiâ et S. Sede Apostolicâ, cujus judicio, ceu obsequiosus filius, meipsum et quidquid in hoc libro scripsi, subjicio.

PROŒMIUM INTERPRETIS

EXIMIIS ac plane mirificis laudibus Jesu Christi his in terris Vicarii opera et doctrinam S. Alphonsi Mariæ de Ligorio extollere nihil dubitarunt. De cælestibus rebus disserendi aut scribendi numquam finem eum adhibuisse [1]; sed plurimum ad plebem Christianam verbo scriptoque erudiendam laborasse [2]; atque illud quidem operibus, quibus utilitas ad Ecclesiam porrigitur universam [3]; porro sanâ eum et secundum Deum doctrinâ præfulsisse [4], quod in ejus libris præclarum pietatis studium cum sacrâ doctrinâ conjunctum eluceat [5]; eamque ob causam S. Alphonsi opera non solum Christianæ plebi, sed etiam ecclesiasticis viris maxime prodesse [6], nec sine amplissimo Christianæ rei emolumento universum orbem pervadere [7], una omnium est eorum sententia. Quocirca palam professi sunt, maxima inter Catholicæ Ecclesiæ lumina et ornamenta S. Alphonsum velut stellam lucidissimam refulgere [8].

Quibus et aliud accessit insigne clarissimum. Tricesimus enim nondum effluxerat annus, ex quo supremum Romani Pontificis oraculum Sanctorum numero Alphonsum adscripserat, quum a toto orbe Catholico EE. Cardinales et RR. Antistites quamplurimi

[1] *Pius VII,* Litt. Apostol. de Beatificat., 7 Maj. 1807. — [2] *Pius VIII,* Decret. XVII Kal. Jun. 1830. — [3] *Clemens XIII,* 4 Aug. 1767. — [4] *Pius VIII,* Litt. ad Ep. *Massil.* (Vide *Villecourt,* t. 4, p 250). — [5] *Pius VI,* Breve 19 Nov. 1775. — [6] *Pius IX,* Breve 25 Nov. 1846. — [7] *Leo XIII,* Litter. 28 Aug. 1879. — [8] *Gregor. XVI,* Decret. 10 Jan. 1840.

atque unà cum capitulis et collegiis theologicis generales religiosorum Ordinum præpositi urgentissimis denuo litteris Apostolicam Sedem adierunt, ut, quod jam prius efflagitaverant, fortissimus ille sacræ scientiæ propugnator in albo Doctorum Ecclesiæ accenseretur. Quibus autem præconiis supplices illæ litteræ eum prosequantur, hoc loco singulatim referre, jam non esset procœmium aliquod conscribere, sed integrum volumen conficere. Iis porro totius Ecclesiæ precibus obsecundare cupiens Pius IX, quum gravissimum illud negotium ad Cardinales sacrorum rituum Congregationis expendendum detulisset, tandem die 23 Martii 1871 eorum responsum confirmavit, suisque litteris Apostolicis (die 7 Julii ejusdem anni) solemne promulgavit decretum: *S. Alphonsus Maria de Ligorio in universali Catholica Ecclesia Doctor habeatur.*

Quam egregie autem Doctoris partes sustinuerit, ostendit communis ille summusque plausus, quo scholæ Catholicæ ejus scripta exceperunt; ostendit etiam universorum consensio, Alphonsi operibus fidei, religioni ac pietati maximum ubique accessisse incrementum, et velut renovatam cerni totius orbis faciem.

Quæ quidem non de iis tantum intelligenda sunt lucubrationibus, quibus morum doctrinam illustravit. Testis est, ut ex pluribus unum alterumve producam, præclarum illud Romani Pontificis Gregorii XVI judicium, quo monemur, neminem in Alphonsi operibus non demiratum esse « inusitatam vim, copiam » varietatemque doctrinæ; neque in iis tantum, quæ ad morum » doctrinam tuendam composuit, sed etiam in reliquis omnibus, » quæ sive ad plenam sacri Ordinis institutionem, sive ad con- » firmandam Catholicæ religionis veritatem, sive ad asserenda » S. Sedis Apostolicæ jura, sive ad pietatis sensum in Christia- » norum animis excitandum conscripsit »[1]. — Testis est locupletissimum illud Leonis XIII oraculum, quo ornatissimâ laudatione Alphonsum efferens pronuntiavit: « Firmissimis argumentis di- » vinam revelationem munivit contra Deistas; veritatem fidei » nostræ strenue defendit; nervosissime propugnavit Romani Ponti- » ficis primatum et infallibile magisterium; editis historiâ hæresum » et opere dogmatico acriter perstrinxit hæreses omnes »[2]. — Quid multa! Testes sunt gravissimi et doctissimi quique omnium gentium viri, qui « ingentem sacræ eruditionis supellectilem propugnandæ

[1] *Gregor. XVI,* Bulla Canoniz., 26 Maji 1839. — [2] *Leo XIII,* Litteræ 28 Aug. 1879.

» Catholicæ veritati, refutandis hæreticorum erroribus, pietati » apud Christianum populum fovendæ et sanctæ Sedis juribus » ac privilegiis contra Ecclesiæ hostes asserendis et propugnandis » a Sancto Alphonso fuisse adhibitam »[1]; « nullam veritatem non » invicte ab eo demonstratam »[2], « nullum errorem non radicitus » evulsum esse »[3], uno ore affirmant.

Et sane; si de theologiâ *fundamentali* quæras, en tibi adsunt quatuor primæ dissertationes, quibus omnia quæsita huc spectantia penitus exhauriuntur. A totius religionis fundamentis exorsus, in *Dissertatione contra incredulos* (anno 1756 publicatâ) Deum existere, Providentiâ suâ hunc mundum gubernare, et Christianam Ecclesiam, unicam salutis arcam, condidisse monstrat. Deinde, ut Ecclesia illa, a Christo instituta, inter varias sectas clare discerni possit, ejus notas et proprietates explicat in tractatu *de credibilitatis signis, quæ fidei veritatem evidentem reddunt* (a° 1762). Plenius tandem et abundantius utramque quæstionem pertractans, et *incredulos*, qui Christi doctrinam despiciunt, et *pseudoreformatos*, qui eam extra Romano-Catholicam Ecclesiam quærunt, aggreditur in majori opere: *de fidei veritate* (a° 1767). Sic omnibus commonstrato, quænam sit vera Dei Ecclesia, intimam ejus describit constitutionem, et in *Vindiciis contra Febronium* (a° 1768) monarchicum esse probat Ecclesiæ sub *infallibili Pontifice* regimen, quadam tamen *Episcoporum* velut aristocratiâ admixtum. — Si de theologiâ, quam *specialem* vocant, inquiras, præsto tibi sunt ceteri ejus tractatus, qui mirificâ claritate integram edisserunt Ecclesiæ doctrinam. Et primum quidem in *Opere dogmatico* (a° 1769), Concilii Tridentini vestigiis insistens, totam percursat sacræ scientiæ palæstram, cunctisque prostratis adversariis, pura atque incorrupta fidelibus exhibet veritatis documenta. Tunc ad Ecclesiæ primordia regressus, in *Historiâ et Confutatione hæresum* (a° 1772) ex ipsis hæreticorum deliramentis ansam sibi arripit ad reliqua dogmata copiose explananda et invictis demonstranda rationibus. Denique, ne cui revelata illa dogmata vitæ jucunditati quidquam officere viderentur, idoneas nonnullas adjecit *de Revelatione considerationes* (a° 1773), ut planum fieret, a solâ Jesu Christi Ecclesiâ et individuis et universæ societati hominum justæ ac ge-

[1] Suppl. Libell. Præpos. General. Soc. Jesu, 27 Aug. 1867. — [2] Cfr. Litt. Ministri general. Ordin. Minor., 15 Aug. 1867. — [3] Cfr. Litt. Magistri general. Ordin. Prædicat., 7 Aug. 1867.

nuinæ felicitatis poculum propinari. Postremo, quæ de vitâ futurâ vel Ecclesia docet vel disputant theologi, novem et ille dissertationibus *de Novissimis* (a° 1776) dilucide exponere voluit; ut quos ita veris fidei instituisset disciplinis, simul in amore recti confirmaret [1].

Quos quidem tractatus rursum editurus, lectorem monitum volo, aliam præterea anno 1748 a S. Alphonso conscriptam fuisse dissertationem de condemnatâ ab Alexandro VIII propositione 29ª, quæ affirmabat: *Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.* Sed quoniam S. Doctor eam in moralibus suis operibus constanter reposuit, initio quidem ad calcem totius operis, tum vero post absolutam de naturâ *legis* et *præcepti* quæstionem [2], quo melius pateret, quisnam esset in Ecclesiâ Dei supremus legum custos, quis primus fons legiferæ auctoritatis; non expedire visum est, eam a loco, quem auctor ipse adeo considerate elegerat, velut inconsulte huc transferre. Neque a suo loco amovendam censui aliam dissertationem *super Censuris circa immaculatam beatæ Virginis Mariæ conceptionem,* quam S. Alphonsus similiter morali operi inserere voluit, et ad tractatum *de Censuris* [3] velut appendiculam adjecit. Quodsi tacitus prætereo aliud quoddam opusculum *super Auctoritate et Infallibilitate Romani Pontificis*, nec tibi, lector amice, obtulero *Considerationes de declaratione cleri Gallicani*, hæc una silentii ratio est, quod apud historicos quidem et in operum catalogo tituli commemorantur, ipsi vero libri in abdito latent, neque usquam reperiri potuerunt.

Præterea nonnihil de consuetâ horum operum serie mutare placuit. Hactenus illa totius religionis historiæ consideratio, quam S. Doctor inscripserat: *De Viâ mirabili, quâ divina Providentia humanum genus per Jesum Christum ad salutem perducit,* inter opera dogmatica numerabatur; asceticis autem operibus vulgo adscripta erat disputatio *de magno Orationis medio.* Quum vero hæc pro dogmaticâ potius [4], illa pro historicâ habenda esse videretur, priorem auferre, alteram coronidis instar adjungere libuit. Insuper duas in appendice addidi dissertatiunculas, numquam a S. Alphonso

[1] Cfr. *S. Alph.* Epist. ad typograph. 12 Febr. et 15 Nov. 1776. — [2] Lib. I, Tract. 2, n. 110-135. — [3] Lib. VII, Cap. 2, n. 244-263. — [4] Cfr. *S. Alph.* Epist. ad typographum, 5 Apr. 1759.

typis excusas, sed quæ in tabulario nostro religiose asservantur. Una, *de Spe Christianâ*, primitus nunc Latine prodit; altera, *de Jesu Christi Prædestinatione*, paucis abhinc annis cum theologico proœmio et Latinâ versione a Reverendissimo P. *Gulielmo Van Rossum*, C. SS. R. et S. Officii consultore, edita est, eamque ad verbum exscribo.

Ad linguam quod attinet, S. Alphonsus, Patres Ecclesiæ atque ipsos hagiographos imitatus, in tractandis dogmaticis argumentis ut plurimum vernaculo sermone usus est. Quod nisi fecisset, *numquam tam late Christianæ doctrinæ documenta diffundere potuisset* [1]. Quum enim gregi, suis curis concredito, suæque nationi, tunc quidem pestiferorum librorum velut diluvie lacessitæ, consulere vellet, ea profecto adhibenda erat lingua, quam populus vulgo usurpabat. Postmodum, quod ejus doctrinæ et sanctimoniæ fama Italiæ fines jam esset egressa, et præsertim quum ejus nomen irrefragabili Apostolicæ Sedis judicio in Sanctorum canonem relatum esset, plurimi in reliquis etiam regionibus litterarum periti viri præclara illa opera in suam quisque linguam transferenda curarunt. Hac vero ætate, cui S. Alphonsum universalis Ecclesiæ Doctorem consalutare licet, illud deesse videbatur, ut eadem opera in illam etiam linguam converterentur, quæ utpote pristinis illis Ecclesiæ Patribus vulgaris, velut « clavis sacrarum » disciplinarum »[2] et « divinæ Sapientiæ ab Ecclesiæ primordiis » interpres » [3] non immerito habetur. Si enim ex supremâ Jesu Christi Vicarii sententiâ, Doctoris Ecclesiæ *opera omnia, non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis Christianisque exercitationibus citari, proferri atque, quum res postulaverit, adhiberi* debent [4], decet profecto, ea quæ de rebus dogmaticis tractant, in ipsâ Romanæ Ecclesiæ linguâ prodire et Latinam induere majestatem. Ita et theologicæ scientiæ studiosi libentiori animo illos libros evolvent, et qui de iisdem argumentis opera texere instituunt, facilius impellentur ad eos crebro adeundos, ut ex copioso illo saluberrimæ doctrinæ thesauro præcepta plurima et documenta sibi hauriant.

[1] Suppl. libell. *Neapol.* colleg., 18 Jan. 1868. — [2] *Leo XIII. Encyclique aux Archev., Evêques et au clergé de France*, 8 Sept. 1899. — [3] Cfr. *Lucid. M. Card. Parocchi*, Epist. ad Comment. *Vox Urbis*, Idib. Octobr. 1898. — [4] *Pius IX*, Decret. 7 Jul. 1871.

Postulabat etiam observantia, tanto Doctori habenda, ut nova, quæ Latine prodiret, editio non prius divulgaretur, quam diligens facta esset ipsius Italici textûs recognitio, ut quæ typographorum incuriâ vel omissa vel vitiata reperirentur, ad emendatam formam revocari possent. Quam ob causam antiquas illas editiones, quas S. Alphonsus ipse correxit et probavit, sedulo inspexi, et ad eas Latinam versionem omni curâ castigavi. Nec facere possum, quin omnibus, qui in molesto hoc negotio me adjuverunt, maximas gratias habeam et ex animo persolvam.

Postulabat similiter summum ipsius materiæ momentum, de auctorum testimoniis, quæ apud S. Alphonsum, totius traditionis velut præconem, sæpenumero occurrunt, in incerto ne quid relinqueretur. Quocirca denuo ad ipsos fontes redire oportuit, et quidquid S. Doctor vel ipse quidem ex iis desumpserat, sed editorum diligentiæ debuerat committere, vel etiam suorum temporum consuetudinem secutus, ex aliis auctoribus erat mutuatus, iteratæ disquisitioni subjicere. Quodsi arduum hoc et ingratum opus felici tandem exitu confectum est, maximâ ex parte aliorum invictæ patientiæ et officiosæ sedulitati acceptum illud refero. Quorum singula quidem nomina grato animo prosequor, gratissimo autem, pro meritis, carissimorum mihi sodalium *Jacobi Langenberg* et *Alphonsi Hermans*.

Si nonnulla adhuc desint, vel siquid in translatione vel adnotationibus claudicet, jucundissimum, benevole lector, mihi feceris, quum, quæ tu potueris cognoscere, et mihi vicissim renuntiaveris.

Quas notulas ad marginem apposui, in priscis editionibus non inveni, sed ex ipso contextu erui, quo expeditius rerum series et apta atque connexa argumentandi ratio appareret.

Romæ, Prid. Kal. Aug. MCMIII.

A. Walter, C. SS. R.

INDEX TRACTATUUM

TRACTATUS I.

BREVIS DISSERTATIO
ADVERSUS ERRORES RECENTIUM INCREDULORUM
QUI HODIE MATERIALISTÆ ET DEISTÆ VOCANTUR.
1756.

PAG.

PROŒMIUM 5

PRIMA PARS.

ADVERSUS MATERIALISTAS.

CAPUT I. Probatur, necessarium esse primum principium, a quo creata sint omnia. Confutantur falsa systemata, quæ asserunt vel infinitam causarum seriem, vel materiam increatam atque æternam, fortuito atomorum concursu dispositam. 7

» II. Paucis confutatur monstruosum *Benedicti Spinosæ* systema 10

» III. Existere Deum independentem, omnium rerum primam Causam, et in omnibus perfectionibus Infinitum 12

ALTERA PARS.

ADVERSUS DEISTAS.

CAPUT I. Probatur revelatæ Christianæ Religionis veritas 17

» II. Sacras Scripturas revera esse divinas 21

» III. De erroribus, quos nonnulli recentiores proferunt adversus corporis materialitatem et spiritualitatem animæ. Utraque probatur 25

» IV. Probatur animæ immortalitas 28

» V. Æternum esse futuræ vitæ et præmium et supplicium 31

TRACTATUS II.

DE FIDEI EVIDENTIA SIVE DE VERITATE FIDEI QUAM EVIDENTEM REDDUNT CREDIBILITATIS SIGNA.

1762.

PAG.

Operis Institutum. 43
CAPUT I. De primo signo, quæ est doctrinæ sanctitas 45
» II. De altero signo, quæ est mundi ad fidem conversio 49
» III. De tertio signo, quæ est semper sibi constans dogmatum stabilitas . . . 53
» IV. De eodem argumento 58
» V. De quarto signo, quod est vaticinationum testimonium 65
» VI. De quinto signo, quod est miraculorum testimonium 70
» VII. De sexto signo, quæ est martyrum constantia 75
» VIII. Operis conclusio 77
» IX. De fidei praxi 79
» X. Fidei sententiæ ob oculos semper habendæ 81
» XI. Practicæ considerationes, ex fide desumptæ, ad percipiendam utilitatem ex iis rebus, quæ hac in vita oculis se offerunt 83
CAPUT ULTIMUM. Infidelem ad sanctam nostram fidem convertendi modus paucis attingitur. — Dialogus sacerdotem Christianum inter et ethnicum 84

TRACTATUS III.

DE FIDEI VERITATE.

1767.

Operis Dedicatio: divinæ Matri Mariæ. 99
Operis Institutum. — Nonnulla de eximio Christianæ fidei pretio 101

PRIMA PARS.

ADVERSUS MATERIALISTAS, QUI DEUM ESSE NEGANT.

CAPUT I. Deum esse probatur ex eo, quod existunt res creatæ, quæ nisi habuissent primum aliquod principium, existere non possent 109
» II. Deum esse probatur ex structura mundi, tam distincto stabilique ordine dispositi. 114
» III Deum esse probatur ex contingentia creaturarum, quæ ab Ente necessario suum esse recipere debuerunt 118
» IV. Deum esse probatur ex corporum sive materiæ motu 120
» V. Deum esse probatur ex eo, quod existunt animæ 125
§ I. Materia cogitantem mentem habere nequit . . . . . »
§ II. Tres confutantur sententiæ, quibus Materialistæ fieri posse contendunt, ut materia cogitet 130
§ III. Nominatim refelluntur quæ scribit *Hobbes* de eodem cogitantis materiæ argumento 131
§ IV. De iis, quæ dicit *Locke* circa idem argumentum 133
§ V. Refellitur impium *Spinosæ* systema 137

ALTERA PARS.

ADVERSUS DEISTAS, QUI REVELATAM RELIGIONEM NEGANT.

		PAG.
CAPUT I.	De revelationis necessitate in iis, quæ ad Religionem pertinent	143
» II.	Divinarum Scripturarum veteris Testamenti probatur veritas	149
» III.	Veteris Testamenti Scripturarum divinitas probatur ex miraculis . . .	154
» IV.	Scripturarum divinitas item probatur ex prophetiis de Messiæ adventu .	156
	§ I. Messiam venisse probatur ex iis, quæ David et Jacob prædixerunt	157
	§ II. Messiam venisse probatur ex prophetia Danielis	158
	§ III. Messiam venisse item probatur ex prophetia Aggæi	163
» V.	Scripturarum veritatem et adventum Messiæ clare demonstrant prophetiæ, quæ eversionem templi et Hebræorum dispersionem, cæcitatem et conversionem respiciunt	166
	§ I. De eversione templi	»
	§ II. De Hebræorum dispersione	168
	§ III. De prænuntiata Hebræis cæcitate	169
	§ IV. De Hebræorum conservatione	171
» VI.	De Hebræorum errore circa Messiæ regnum	172
» VII.	Vaticinia de statu paupertatis et humilitatis, in quo his in terris victurus esset Messias	174
» VIII.	De Prophetiis, summos dolores et ignominias, cum quibus Messias moreretur, prænuntiantibus	176
	§ I. De Figuris antiquæ Legis, eam Messiæ mortem exhibentibus . .	»
	§ II. De Messiæ passione, ab Isaia (cap. LIII) aperte prædicta . . .	177
» IX.	Gentilium conversio probat, veras esse Scripturas, et Jesum Christum verum Messiam promissum	182
» X.	Gentilium conversio valde confirmat Messiæ adventum et Christianæ religionis veritatem	184
» XI.	Scripturarum novi Testamenti demonstratur veritas	192
» XII.	De incredulorum objectionibus contra librorum Evangelicorum veritatem.	200
» XIII.	De sancta et divina Jesu Christi doctrina	206
» XIV.	De Jesu Christi miraculis, ejus doctrinam confirmantibus	210
» XV.	Jesu Christi resurrectio, gloriosa ejus ascensio et Spiritus-Sancti adventus sanctæ fidei nostræ veritatem evidenter demonstrant	214
	§ I. De Jesu Christi resurrectione	»
	§ II. De Jesu Christi ascensione	217
	§ III. De Spiritus-Sancti adventu	218
» XVI.	Quantopere Christianam religionem item confirment Apostolorum miracula.	219
» XVII.	De Dei erga creaturas Providentia, ab incredulis negata	223
» XVIII.	De animæ immortalitate.	230
» XIX.	De vitæ futuræ præmii ac pœnæ æternitate	241

TERTIA PARS.

ADVERSUS HÆRETICOS, QUI ECCLESIAM CATHOLICAM UNICE VERAM ESSE NEGANT.

CAPUT I.	De Ecclesiæ Catholicæ veritate	249
	§ I. Ex Catholicæ Ecclesiæ notis manifesto demonstratur, eam esse veram Dei Ecclesiam	»

PAG.

§ II. Ecclesiæ Catholicæ veritas item probatur ex ejus miraculis . . . 254
§ III. Ecclesiæ Catholicæ veritas item comprobatur ex constantiâ martyrum 258
CAPUT II. De gentilium religione 261
§ I. Vera esse nequit gentilium religio . . . . . »
§ II. De gentilium divinationum et oraculorum vanitate. 266
§ III. De falsâ Manichæorum sectâ 268
» III. Vera esse nequit religio Judaica 269
» IV. Vera esse nequit religio Mahumedana 271
» V. Probatur, unice veram esse Romano-Catholicam Ecclesiam; ceteras omnes falsas atque hæreticas 275
» VI. Falsam esse pseudoreformatam religionem. 282
§ I. Eam falsam esse probatur primum ex eo, quod ejus duces non sunt a Deo missi . . . . . »
§ II. Item falsa est religio reformata, quod fidei regulâ caret 285
§ III. Regula fidei est Ecclesiæ definitio 289
§ IV. De infallibilitate Traditionum, quas Ecclesia approbavit. 292
» VII. Demonstratur, ad servandam doctrinæ unitatem, necessarium esse in Ecclesiâ supremum aliquod caput; illudque caput fuisse S. Petrum . . . 295
» VIII. Probatur, Romanos Pontifices S. Petri esse successores cum eâdem potestate, quæ S. Petro erat concessa 300
» IX. Romanum Pontificem præstare Conciliis. 303
§ I. Probatur sententia . . . . . »
§ II. Respondetur adversariorum difficultatibus 319
§ III. Refelluntur argumenta ex Pisano et Constantiensi Conciliis allata . 322
§ IV. Refellitur argumentum ex Concilio Basileensi desumptum 329
§ V. Respondetur ad reliqua argumenta, a Natali Alexandro collecta, quibus adversarii probare nituntur, Concilium esse supra Pontificem . . 333
» X. Probatur, in fidei et morum quæstionibus definiendis Pontificem Romanum esse infallibilem. 344
» XI. Operis conclusio 360
Appendix I. Confutatur liber Gallice conscriptus sub titulo: *de Spiritu (de l'Esprit)*, anno 1759 a regnante Pontifice Clemente XIII condemnatus 363
Appendix II. Confutatur alius liber Gallice conscriptus, cui titulus: *De la Prédication, par l'Auteur du Dictionnaire Philosophique*. 373
Exhortatio ad eos, qui Jesu fidei studio tenentur 378
Oratio pro Ecclesiæ bono . . . . . »

TRACTATUS IV.

VINDICIÆ PRO SUPREMA PONTIFICIS POTESTATE ADVERSUS JUSTINUM FEBRONIUM.

1768

Tractatus a S. Alphonso latine editus.

Finis Operis 385
CAPITULUM I. Probatur suprema Romani Pontificis potestas Scripturis sacris, et præsertim textu sancti Matthæi: *Tu es Petrus et super hanc petram, cet.* 389
» II. Probatur potestas suprema Pontificis duobus aliis textibus: *Et tibi dabo claves, cet.*; et: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, cet.* . . . 397
» III. Probatur suprema Papæ potestas alio textu: *Pasce oves meas* . . . 401

PAG.

CAPITULUM IV. Probatur suprema sive monarchica Pontificis potestas ab ipsis Conciliis Œcumenicis 405
» V. Probatur suprema Pontificis potestas, et consequenter infallibilitas, communi sanctorum Patrum auctoritate 415
» VI. Probatur ratione, Pontificis Romani potestatem in Ecclesia esse supremam. 421
» VII. Pergitur demonstrari, auctoritatem Pontificis esse supremam; et falsum esse, Episcopos æqualem ac Papam in Ecclesia potestatem habere. 429
» VIII. Respondetur objectionibus, quas Febronius opponit adversus Pontificis potestatem 441
» IX. Febronius plura asserit, quæ deinde non probat; immo a nobis probatur oppositum 446

TRACTATUS V.

OPUS DOGMATICUM CONTRA HÆRETICOS PSEUDOREFORMATOS.

CONCILII TRIDENTINI DECRETA ET CANONES.

1769.

Operis Dedicatio 465
Monitum 467
Operis Propositum . . . . . »

Disputatio I.

SESSIO IV. De Scriptura et Traditionibus 468
§ I. De sacrorum Librorum et Traditionum approbatione . . . . . »
§ II. De editione et usu sacrorum Voluminum 472
§ III. Variæ notiones lectoribus utiles super canonicis Scripturæ libris . . 475
§ IV. Adversariorum difficultates contra libros sacros, præsertim Deuterocanonicos 476
§ V. Sintne Scripturæ sacræ a Deo inspiratæ et quod ad res et quod ad verba attinet 478
Diluuntur nonnullæ ex præcipuis difficultatibus . . . . . »
§ VI. De sacræ Scripturæ sensu 479
§ VII. De diversis Scripturæ translationibus 480
§ VIII. Hic tandem præcipuæ de Traditionibus notitiæ adjiciuntur 482
§ IX. Regulæ, quibus dignoscitur, traditionem aliquam esse humanam, non vero divinam 485
§ X. Regulæ, quibus dignoscitur, traditionem aliquam esse divinam, non vero humanam . . . . . »

Disputatio II.

SESSIO V. De peccato originali 487

Disputatio III.

SESSIO VI. De justificatione 498

Adjicitur Disputatio IV.

PAG.

De modo, quo gratia operatur 517
§ I. De Thomistarum systemate . . . . . »
Exponitur difficultas, in quam Thomistarum systema incurrit . . 518
§ II. De Molinæ systemate 519
Exponitur difficultas, in quam Molinæ systema incurrit. 520
§ III. Exponitur Congruistarum systema 522
Exponuntur difficultates, in quas Congruistarum systema incurrit. . »
§ IV. De Thomassini systemate 523
Exponitur difficultas, in quam Thomassini systema incurrit . . . »
§ V. De Augustinianorum systemate, seu de delectatione absolute victrici. »
Exponitur difficultas, in quam Augustinianorum systema incurrit. »
§ VI. De systemate P. Berti aliorumque ejus fautorum; i. e. de delectatione victrici relativa seu per gradus superiores 524
Exponitur difficultas, in quam Patris Berti systema incurrit . . »
§ VII. Statuitur nostra sententia, ad servanda præcepta necessariam esse gratiam efficacem *ab intrinseco;* eam autem gratiam obtineri sufficienti orationis gratiâ 528

Disputatio V.

Sessio VII. Decretum de Sacramentis 536
De Sacramentis in genere . . . . . »
De Baptismo 542
De Confirmatione sive Unctione Chrismatis 548

Disputatio VI.

Sessio XIII. De Eucharistiæ sacramento 554

Disputatio VII.

Sessio XIV. De Pœnitentiæ sacramento 566
Caput I. De ejus necessitate et institutione . . . . . »
» II. De Pœnitentiæ atque Baptismi differentia 570
» III. De Pœnitentiæ partibus . . . . . »
» IV. De contritione 576
» V. De confessione 581
» VI. De ministro et de absolutione 590
» VII. De jurisdictione et casuum reservatione 591
» VIII. De satisfactione 592
» IX. De satisfactionis operibus 594

Disputatio VIII.

Eadem sessio XIV. De sacramento extremæ Unctionis 598
Caput I. De institutione sacramenti extremæ Unctionis . . . . . »
» II. De hujus Sacramenti effectu 601
» III. De ministro extremæ Unctionis et de tempore, quo conferri debet 602

Disputatio IX.

Sessio XXI. De Communione sub utraque specie, et de Communione parvulorum. . . 607

Disputatio X.

» XXII. De Sacrificio Missæ 616

Disputatio XI.

PAG.

SESSIO XXIII. De sacramento Ordinis 633
CAPUT I. De novæ Legis sacerdotii institutione 635
» II. De septem Ordinibus 636
» III. Ordinem vere esse Sacramentum 637
» IV. De ecclesiastica Hierarchia et de Ordinatione 639
Appendix.
§ I. De cælibatu, in Ecclesia servato ab iis, qui majores Ordines susceperunt 644
§ II. De ecclesiasticorum continentiæ voto 650
§ III. Nonnullæ ex antiquitate notitiæ circa Ordinis sacramentum 651

Disputatio XII.

» XXIV. De sacramento Matrimonii 652

Disputatio XIII.

» XXV. Decretum de Purgatorio 671
De suffragiis, quæ a fidelibus pro animabus in purgatorio deferuntur . 678

Disputatio XIV.

EADEM SESSIO XXV. De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus 679
§ I. De cultu Sanctis exhibendo 681
§ II. De Sanctorum invocatione 683
§ III. De veneratione Sanctorum reliquiis debita 689
§ IV. De veneratione sacrarum imaginum. 691

Disputatio XV.

EADEM SESSIO XXV. De Indulgentiis 697

Accedit Disputatio XVI et ultima.

De Obedientia præstanda definitionibus Concilii, atque adeo Ecclesiæ Romano-Catholicæ, extra quam non est salus 703
Oratio ad gratias Deo agendas pro sanctæ fidei dono nobis præstito, et ad ejusdem s. fidei dilatationem ab Eo petendam 717

I.

BREVIS DISSERTATIO

ADVERSUS ERRORES

RECENTIUM INCREDULORUM

QUI HODIE

MATERIALISTÆ ET DEISTÆ

VOCANTUR

1756

Totam eorum, quæ ad vindicandam Catholicæ Religionis veritatem conscripsit, operum seriem S. Doctor exorditur ab hac Dissertatione, anno 1756 contra Atheos et Deistas publici juris facta. Eximiam quippe illam Domum, ab Incarnata Dei Sapientia ædificatam, omnibus hominibus demonstraturus, ante omnia fallaces adversariorum ædiculas a fundamentis evertere statuit.

Quam quidem elucubrationem, vix divulgatam, quum Benedicto XIV, Summo Pontifici, obtulisset, gratulatoriam (die 17 Jul. 1756) ab eo recepit epistolam. Item biennio post (10 Dec. 1758) Clemens XIII Brevi Apostolico de hoc eodem opere ei gratulatus est.

Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant Te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum (Joann. XVII, 3).

Confiteantur Tibi populi, Deus: confiteantur Tibi, populi omnes (Psalm. LXVI, 4).

PROŒMIUM

Finis Operis. Materialistæ et Deistæ refelluntur.

1. Quoniam his temporibus tam multi serpunt incredulorum errores, quorum alii Deo vel divinitatem vel aliquod ex ejus attributis derogant; alii animæ denegant spiritualitatem et immortalitatem; alii respuunt vel divinam Revelationem vel veritates Christianæ nostræ, unice veræ, Religionis; ideo plures mihi comparandos curavi libros, qui de iis argumentis tractant, ut *P. Moniglia* [1], *P. Du Tertre* [2], *P. Concina* [3], *P. Vestrini* [4], *P. Del Giudice* [5], Metaphysicam docti *Genuensis* [6], *Dorell* [7], Epistolas *Magalotti* Comitis [8] et alios. Sed quum ea opera prolixiora esse, nec singula iisdem rationibus illos errores impugnare animadvertissem, quantum imbecillitati meæ licuit, in hac brevi Dissertatione, ad usum nostrorum adolescentium, colligere conatus sum et præcipuas rationes, quæ pro religionis nostræ veritate militant, et firmissima quæque responsa ad ea, quæ objiciunt adversarii. Quodsi materiam uberius exploratam voluerit lector, libros quos suprà commemoravi, evolvere poterit. Interim spero, eum non esse dedignaturum hoc opusculum, in quo præcipuas res explicavi paucis et facillimis quam potui verbis, ut ab omnibus intelligerer. Ceterum, quod articuli controversi plerique metaphysici sunt et abstrusi, et per ipsam materiam et per obscura et confusa adversariorum systemata, in nonnullis rebus mihi concessum non fuit etiam clarius loqui.

Quinam sint præcipui.

2. Priori parte enitar confutare Materialistas, qui Divinitatem negant; alterâ

[1] *Dissertazione contro i materialisti e altri increduli.* — [2] *Trattenimenti sovra la Religione (trad. dal Francese).* — [3] *Della religione rivelata contro gli ateisti, deisti, ecc.* — [4] *Lettere teologiche.* — [5] *De Judice (Frideric. Ord. Cælest.), Romae, 1754.* Institutiones theologiæ dogmaticæ. — [6] Elementa metaphysicæ. — [7] *Il gentiluomo istruito nella condotta d'una virtuosa e felice vita (trad. dall'Inglese).* — [8] *Lettere familiari contro l'Ateismo.*

Deistas, qui Divinitatem quidem admittunt, sed negant revelatæ nostræ Christianæ Religionis veritatem atque unitatem. Quo veneno quinam infecti sint auctores, scire expedit; sunt autem: *Spinosa*, *Hobbes*, *Bayle*, *Collins*, *Toland*, *Saint-Evremont*, *Voltaire*, *Shaftesbury*, *Locke*, *Woolston*, *Tindall*, *Montaigne*. Hisce multi alii addi debent; refert enim *Le Moine* (*a*) Pastoralem quamdam epistolam Pseudo-episcopi Londinensis, in quâ lamentatur, hac ultimâ ætate tam multa Materialismo vel Deismo imbuta volumina prodiisse in Angliâ, præter ea, quæ in Hollandiâ excusa sint; ad me tamen illorum auctorum notitia nondum pervenit.

Olim latebant. Nunc palam grassantur.

3. Queritur *Dorell* [1], natione Anglus (sed religione Catholicus), olim quidem Atheos incognitos latitasse, ne pro impiis stolidisve haberentur; et si Atheismo essent infecti, saltem tales apparere non esse ausos: hodiernos vero incredulos palam se tales profiteri; et quum se nominari velint *spiritus fortes et a præjudicatis opinionibus immunes*, gloriari, de Deo et Religione se judicare. Quod quum asserunt, revera non aliud contendunt, quam ut omnem legem omnemque recte vivendi rationem tollant; ablato enim Deo, boni remuneratore et ultore mali, atque deletis Christianæ Religionis veritatibus, remotum est omne peccati frenum et abolita omnis lex et quælibet morum regula. Quæ ita si se haberent, bestiis similis iisque pejor evaderet homo; rationi imperaret sensus; de jure decernerent vires, de honesto delectamentum, emolumentum de justitiâ, vindicatio de honore. Consequens esset, ut omnes suarum libidinum servi fierent, nullumque non amplecterentur vitium, dummodo se exhiberet cum utilitatis vel delectationis specie.

Perversos libros diffundunt.

4. Et quemadmodum hodierni illi increduli non erubescunt in Christianam Religionem palam invehi, ita quoque (ut testatur *Dorell* [2]) libros suis erroribus infectos sine ullâ intermissione in vulgus emittere jam audent. Atque utinam ejusmodi libri venenati solis probarentur hæreticis, quibus, quum veræ Ecclesiæ credere desierint, nihil omnino credere non est difficile! Illud vero lugendum, hodie in hac nostrâ Italiâ illos libros summo desiderio comparari nec sine aliquo plausu evolvi ab ipsis Catholicis, qui talia legentes aliquantum certe non inquinari nequeunt. Quapropter hoc opusculum divulgandum curavi, ut ii, qui confessiones audiunt, et reliqui omnes, qui Dei zelo ardent, sed opportunitatem fortasse non habent perlegendi majora illa opera suprà commemorata, summatim saltem cognoscant horum temporum errores et rationes, quibus confutantur.

Eorum errores detegam et refutabo.

[1] *Gentiluomo istr., P. 2ª, prefaz.*

[2] L. c.

(*a*) *Abraham Le Moine*, Pseudoreformatus, ex Anglica lingua in Gallicam plures transtulit *Edmundi Gibson*, primo Lincolniensis (1715) deinde Londinensis (1723) Episcopi Anglicani, litteras pastorales, in quibus incredulos eorumque scripta increpat (Nota edit.).

PRIMA PARS.

ADVERSUS MATERIALISTAS.

CAPUT I.

PROBATUR, NECESSARIUM ESSE PRIMUM PRINCIPIUM, A QUO CREATA SINT OMNIA.
CONFUTANTUR FALSA SYSTEMATA
QUÆ ASSERUNT VEL INFINITAM CAUSARUM SERIEM
VEL MATERIAM INCREATAM ATQUE ÆTERNAM, FORTUITO ATOMORUM CONCURSU DISPOSITAM.

Deum non existere, nemo persuasum habet.

1. Sintne aliqui mentis persuasione vere athei, quæstio est; at constat, multos voluntate esse atheos, eos dico infelices, qui ne immoderatas libidines refrenare cogantur, vellent quidem Deum ultorem non existere, atque ideo, ut talem formidinem et conscientiæ stimulos repellant, in dubium vocare nituntur, num Deus existat. Quos equidem non credo neque umquam credere potero, illud plene sibi persuadere posse, non existere omnium rerum factorem gubernatoremque Deum. *Nulla*, inquit Cicero, *gens tam fera, nemo omnium tam... immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt;... omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur* [1]. Homines, bestiæ, plantæ, cæli, sidera, maria et quæcumque præter hæc videmus, id clare demonstrant, esse Deum, a quo condita sint, ut his verbis monent Scripturæ: *A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri* [2]. — *Loquere terræ, et respondebit tibi... Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* [3] — *Invisibilia enim Ipsius a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et Divinitas: ita ut sint inexcusabiles* [4].

Nulla res seipsam producere potest.

2. Certum est, fieri non posse, ut aliquid a nihilo « esse suum » habeat; nihilum enim dare nequit illud « esse », quod sibimetipsi deest: *Nemo dat quod non habet.* Ergo quidquid est productum, aut a semetipso existere, aut ab aliâ causâ existentiam recepisse necesse est. A se autem existere non potest; nam res, quæ prius non est, illud esse quod non habet, sibi dare nequit: secus, inevitabilis sequeretur repugnantia, unam eamdemque rem simul et productam esse et non productam; productam, quia existeret postquam non exstitisset; non productam, quia suum esse non recepisset ab aliis sed a semetipso. — Præterea res, quæ esse a semetipsâ sibi dare posset, foret perfectissima; etenim, quoniam sibi dare poterat esse independens (quæ est maxima perfectio), reliquas omnes perfectiones sibi dare potuisset. Videmus autem omnes illas creaturas imperfectas, mortales et corruptibiles; ergo perspicuum est, non potuisse eas a semetipsis sibi

[1] Tusc. quæst., lib. I, cap. 13. — [2] Sap., XIII, 5. [3] *Job*, XII, 8 et 9. — [4] Ep. ad *Rom.*, I, 20.

dare, ut essent; sed illud recipere debuisse a primâ aliquâ Causâ perfectâ et independenti, cujusmodi Deus noster est.

Rejicienda est infinita causarum series.

3. At, inquiunt, quidquid existit, ideo non habuit principium, quia est infinita series causarum, quarum una ab alterâ dependet. — Ad quod paucis respondemus: Si res illæ dependentes sunt omnes, necessario admittendum est primum principium independens, a quo omnes illæ dependent; secus hæc alia exstaret repugnantia, easdem videlicet illas res ex unâ parte omnes esse dependentes, quod una ab alterâ penderet; at simul esse independentes, quod non ab aliâ penderent causâ nisi a semetipsis.

4. Neque attinet dicere, eas esse infinitas; nam, quum earum infinitio iis sit extrinseca, non mutat naturam, quâ sunt dependentes; ergo si non admitteretur causa prima, a quâ originem habeant, earum nulla existeret. Itaque etiamsi daremus infinitam illam causarum seriem; nihilominus, quum earum nulla (ut vidimus) virtutem habeat seipsam producendi, necessario omnibus iis assignanda est prima causa, sive admittendus est Creator, qui et existentiam ex semetipso habeat et eam cunctis impertiverit rebus.

Admitti nequit æterna et increata materia.

5. Alii increduli reponunt, ad negandam primæ causæ necessitatem non requiri, ut ad infinitum causarum processum recurratur: ipsam videlicet materiam æternam esse et increatam. — Nos vero dicimus, dari non posse æternam illam et increatam materiam: plura enim valde absurda sequerentur.

Probatur ex absurdis.

1. Unum infinitum alio majus existeret.

Primum absurdum hoc est: haberetur infinitum, quod majus esset alio infinito. Et hac quidem ratione: Æterna illa et increata materia, quæ necessario a seipsâ existeret, illimitata foret et infinita, quum nemo fuisset, qui terminos ei potuisset assignare. Tum vero infinitum alio infinito esset majus; quandoquidem infinita esset diametrus, sive linea, quæ ab unâ parte physicæ illius et infinitæ materiæ ad alteram ducitur; ac simul singulæ partes illius lineæ materialis essent infinitæ, quum et ipsæ nullum haberent terminum. Sic autem prius illud infinitum, quod totam contineret lineam, majus esset altero infinito, quod partem complecteretur.

2. Aut nihil esset productum;

6. Secundum absurdum hoc est: Si æterna esset materia, nihil omnino fuisset productum. Quælibet materialis procreatio per motum efficitur; quapropter æternæ materiæ æternus quoque fuisset motus, et cujuslibet procreationis motus processisset ab antecedenti æternitate. Quum autem æternitas transiri nequeat, si per ejusmodi motum omnia produci debuissent, numquam ille motus ad ipsum procreationis terminum potuisset pervenire, neque existerent homines nec bestiæ nec plantæ nec quidquam eorum, quæ his in terris existere videmus. — In majorem lucem absurdum illud proferamus. — Si *ab æterno* fuisset mundus, nullus homo nasci potuisset: nemo quippe prius potuisset nasci, quam transiisset infinitus generationum numerus; at fieri nequit, ut infinitus numerus transeat, quum ad transeundum opus sit principio, quo quidem caret infinitum. Nec solum ei deest principium, sed etiam terminus; at uniuscujusque nativitatem statuendo, infinito statuimus terminum. Ex quibus manifesto liquet, fieri non potuisse, ut quisquam nasceretur, si mundus *ab æterno* fuisset.

3. aut infinitus verum numerus existeret.

7. Tertium absurdum hoc est: Etiamsi daretur, ejusmodi materiæ motum transire potuisse ad præsentes procreationes, si tamen materia illa esset æterna, consequens esset, ut hoc nostro tempore infinitus in hoc mundo foret et hominum et bestiarum et plantarum numerus, utpote ab æternitate procedens; ac simul, ut infinita illa objecta materialia contineret, infinita esse deberet terra, quam tamen terminis circumscriptam et finitam esse constat.

4. Nihil posset existentiam amittere.

8. Quartum absurdum, si mundus fuisset *ab æterno*, hoc est, quod item in æternum durare deberet unà cum omnibus iis rebus, ex quibus constat; quod evidenter falsum est. Et sic illud probamus: Si mundus est a semetipso et æternus *a parte ante*, in-

trinsece necessarius est et independens; tum vero æternus esse debet *a parte post*, quia ejus existentia eadem esset ac ejus natura, quo fieret, ut non existere non posset, ne simul necessarius esset et non necessarius. Quo posito, non aliter ac mundus, necessario æternæ essent ejus partes, quum ex partibus suis sit compositus. Patet autem, eas partes non esse necessarias; nam fieri posset, ut (exempli gratiâ) nemo hominum jam posset aut vellet generare, et sic una ex præcipuis mundi partibus exstingueretur; atque idem dici potest de reliquis rerum generibus. Si ergo exstingui possunt singulæ mundi partes, manifestum est, mundum non posse a semetipso esse æternum.

At nonne affirmat S. Thomas [1], Deum *ab æterno* mundum creare potuisse? Si ergo Deus, inquiunt, ab æterno eas mundi partes creasset, hoc ipso forent æternæ. — Illud vero nihil obstat; nam posito, mundum a Deo esse conditum, quantumvis *ab æterno*, quemadmodum libere ab æterno eum creavisset, ita libere eum posset destruere. Eamque ob causam diximus, non posse mundum æternum esse a seipso.

5. Eadem res et necessaria esset et contingens.

9. Ad hæc, æternus mundus simul esset et necessarius et contingens. *Necessarius*, quia ut increatus et independens, necessario existeret; *contingens* (id est, talis naturæ, ut non existere. possit; et hæc reverâ est ejus conditio), quia (ut oculis nostris cernimus) compositus est ex diversis et distinctis partibus, quæ singulæ (ut suprà probavimus) ideo contingentes sunt, quod nulla materialis res producta potuit a semetipsâ habere existentiam, sed. eam debuit recipere a primo aliquo principio. Quapropter eæ partes, singulæ contingentes, non possunt componere totum necessarium. Nec prodest, ad vitandum illud absurdum, ad infinitam causarum seriem confugere; quum enim una ab aliâ pendeat, et hoc ipso singulæ contingentes esse debeant, non potest una alterius esse principium.

[1] Opusc. 27, De Æternitate Mundi.

10. At, inquient, non valet argumentum a particularibus ad universale; fieri enim potest, ut aliquod attributum non congruat cum particularibus, congruat tamen cum universali; quocirca asserunt, partes quidem esse contingentes, totum vero necessarium. — Respondeo, illud accidere, quum attributum, cum toto congruens, non essentialiter de partibus prædicetur; verbi gratiâ, nomen exercitûs non cum singulis militibus, sed cum solâ omnium militum turbâ convenit; ubi contra essentialiter particularium unicuique congruit attributum, a particularibus ad universale recta est argumentatio; sic, quod singuli homines essentialiter sint mortales, quum mortalitas ad humanam naturam pertineat, mortalitas essentialiter cum omnibus in universum hominibus convenit. Ac similiter in casu nostro, si *contingens esse* essentialiter convenit cum hujus materialis universi partibus, item cum toto convenit. — Itaque, si totum non necessarium sed contingens est, non potest (ut suprà diximus) esse æternum vel increatum, neque a semetipso habere existentiam.

Objectio.

Responsio.

11. Reponunt tamen adversarii, nos frustra asserere, hoc universum, si materia foret æterna, simul esse et necessarium et contingens, nec posse totum necessarium constare ex partibus contingentibus; etenim, inquiunt, licet contingentes sint partes, quod attinet ad formam, quam non a seipsis habent, sed ab alio recipiunt; sunt tamen necessariæ, quod spectat ad materiam sive substantiam, quam non recipiunt ab aliâ causâ. — Nos vero rogamus: a quo illam formam acceperunt? Dicent, ab infinitis causis, quarum una alteram producit; sed ejusmodi infinitarum causarum processum jam suprà improbavimus, quod, quum singulæ sint dependentes, eas primum aliquod independens principium habuisse oporteat. Vel etiam respondebunt, eas formam suam esse consecutas fortuitâ conjunctione atomorum, quæ casu coalescentes effecissent quidquid in hoc mundo existit. Ad quod

Alia objectio.

Responsio.

respondemus, ridiculum illud fortuiti atomorum concursûs systema, præterquam quod ab omnibus rejicitur, pluribus de causis non posse subsistere. Et primum quidem constat (ut infrà videbimus [1]), in hoc mundo esse spirituales substantias; hæ autem certo non potuerunt oriri ab illis atomis materialibus; nequit enim dare materia illud esse spirituale, quod in se non continet nec formaliter nec eminenter; sic nempe confitemur, materiam creatam esse a Deo, qui ut purus spiritus eam non juxta propriam ejus formam et naturam in se continet, sed tantum eminenter, quia omnes materialis essentiæ perfectiones in Semetipso habet. — Ac deinde, ecquis umquam adeo stultus est, ut credere possit, cæcum casum, ordinis rationisque expertem, ordine, eoque tam stabili, hunc mundum componere potuisse? Solem, ut singulis annis singulisque diebus cursum suum constanter perficiat? Homines et bestias, ut semper ejusdem speciei generent prolem? Arbores, ut eosdem semper fructus, idque eodem semper anni tempore progignant? Cicero, stultos illos, qui ab atomis mundum casu compositum volunt, irridens: *Si mundum efficere potest concursus atomorum*, inquit, *cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt... multo... faciliora?* [2] Quapropter de mirabili ordine, quo cælos et astra constituta videmus, idem ipse quamvis paganus: *Quid... potest esse tam apertum...*, inquit, *quum cælum suspeximus,... quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?* [3]

Tertia objectio.

12. Dicunt increduli: Fatemur quidem, admirabilem esse hunc ordinem; sed constitutus est ab ipsâ naturâ. — Ego vero: Quid, quæso, hoc verbo intelligunt? Estne hæc natura intelligentiâ prædita, annon? Si primum, eja vero, jam consentimus; nam intelligentem naturam illam nos Deum esse dicimus. Sin autem rationis est expers, eadem redit responsio: Ecquis umquam sibi persuadeat, ejusmodi naturam, rationis et intelligentiæ expertem, condere potuisse ordinem adeo bene dispositum, ad quem condendum certo opus fuerit præstantissima sapientia? Fateri cogor, rudis tugurii structuram ab aliquâ mente fuisse confectam; totius mundi fabricam casu exstructam ejusque conditorem intelligentiæ expertem existimem?

Responsio.

CAPUT II.

PAUCIS CONFUTATUR MONSTRUOSUM BENEDICTI SPINOSÆ SYSTEMA.

Quis fuerit Spinosa.

1. Primo cognoscere expedit impii hujus viri personam. Natus est Amstelodami anno 1632. Nullam professus est religionem; nam licet Judæis parentibus ortus, Judæorum tamen doctrinam adeo respuit et ludibrio habuit, ut ipsi ex suo eum cœtu excluserint. Neque fuit Christianus, ut nonnulli opinati sunt; numquam enim Baptismum recepit; et ideo tantum appellabatur *Benedictus*, quia *Baruch* (nomen a parentibus ei inditum) benedictum significat. Ceterum accommodatius ei nomen fuisset *Maledictus*, utpote viro prorsus atheo, qui suo arbitratu Deum religionemque sibi finxit. Quum fere semper errabundus vixisset, miser ille phthisis morbo correptus anno 1677, ætatis quadragesimo quinto, mortem obiit. — Scribit ceteroquin *Bayle* [4], ejus doctrinam paucos tantum, nèque eos certos, habuisse sectatores.

[1] Cap. III, alterius Partis. — [2] De Nat. deorum, lib. II, cap. 37. — [3] Ibid., lib. II, cap. 2.

[4] *Dictionnaire histor. et critique*, art. *Spinoza*. En ejus verba: *Il n'est pas vrai, que ses sec-*

Quodnam ejus systema.

2. En tibi exsecrandum *Spinosæ* systema [1]. Totius universi substantiam unam esse ait et simplicem, sed omnino materialem. Eam substantiam ponit esse Deum; eamque vocat activam et passivam: *passivam*, quatenus est extensa, *activam* quatenus est cogitans. Porro quidquid in hoc mundo existit, non aliud esse ait nisi ejusdem substantiæ modificationem; res materiales modificationes materiæ passivæ extensæ, spirituales materiæ activæ cogitantis; ejus tamen judicio non sunt reverâ spirituales, quia non habetur nisi materia.

Quam impie in hoc systemate de Deo foret loquendum.

3. Quum ergo, ejus sententiâ, totum hoc universum, ex unâ solâ materiali substantiâ constans, Deus sit, et singuli homines ac reliqua omnia, animalia, arbores, sidera, aquæ et montes, illius Dei sint modificationes; quilibet homo (*Spinosæ* judicio), Deus est, quælibet musca Deus, Deus quoque singulæ herbulæ, singulæ stillæ singulique lapides. Ejusmodi Deus igitur libertate caret, quia quæcumque accidunt, ex necessitate fiunt. Ille Deus modo herba est, modo frumentum, modo panis. In uno ligno generatur, in alio corrumpitur. In hoc homine se diligit, in illo semetipsum odio habet. In uno se laudat, in alio se blasphemat. In uno præclare se tractat, in alio semet interficit. Modo sacerdos est ad altare, modo viarum latro, adulter et fur. Mirum sane, hominem ratione præditum adeo delirare potuisse; sed magis etiam mirandum, nonnullos alios fuisse, qui non summe stultum, sed summum philosophum eum dixerint. Et quidam ex ejus discipulis [2] (impietate magistro superior), qui ejus opera excudenda curavit, non erubuit hanc proferre blasphemiam, *Spinosam*, licet vivendi normam tradiderit, Jesu Christi et Apostolorum legi contrariam, suâ tamen sententiâ a Jesu Christi doctrinâ nihil discrepare.

Paucis confutatur.

4. Plures auctores ad impium illud systema confutandum multa scripserunt, ut *Durrius* [3], *Thomasius* [4], *Musæus* [5], *Morus* [6], *Huetius* [7], *Bayle* [8] et alii; ego vero, ut paucis rem expediam, duo hic manifesto absurda in ridiculo illo systemate ostendam. Quid ait *Spinosa?* Hoc universum (quod ipse Deum facit) non esse aliud quam eamdem et simplicem substantiam materialem cum diversis modificationibus. — Dico autem primum, haberi non posse unicam illam et simplicem substantiam materialem; quum enim simplex sit eique (quod consequens est) desint partes, non potest habere diversas figuras sive modificationes, ut trianguli et circuli: quandoquidem figurarum varietas pendet ex varie compositis partibus, quas simplex substantia non habet. Videmus autem in hoc mundo plurimas inter se diversas figuras et modificationes; ergo hic mundus non est una sola substantia simplex, sed compositus est ex substantiis materialibus inter se distinctis (præter spirituales, quas in hoc mundo existere, infrà probabimus [9]); eæque substantiæ, quamvis ejusdem materiæ sint in genere materiæ, non sunt tamen ejusdem materiæ, si particulatim de speciebus materialibus agatur, et multo minus, si de individuis: nam singula individua, quæ ad aliquam speciem materialem pertinent, similem quidem habent materiam, eamdem vero materiam non habent.

5. Dico præterea, eam universi substantiam (quam *Spinosa* unam esse fingit), etiamsi ex partibus compositam nec sim-

tateurs soient en grand nombre. Très-peu de personnes sont soupçonnées d'adhérer à sa doctrine; et parmi ceux, que l'on en soupçonne, il y en a peu, qui l'aient étudiée; et entre ceux-ci il y en a peu, qui l'aient comprise... Mais voici ce que c'est: à vue de pays on appelle Spinozistes tous ceux, qui n'ont guère de religion, et qui ne s'en cachent pas beaucoup (Nota edit.).

[1] Ethica, Ordine Geometrico demonstrata, pars I, passim.

[2] Discip. *Spinosæ*. Opera posthuma. Præfat. *Non inconsultum videtur*, inquit,... *ostendere, eam (Auctoris sententiam) nullâ in re a Doctrinâ Christi et Apostolorum discrepare* (Nota edit.).

[3] Oratio adversus *Spinosam*. — [4] Historia Atheismi. — [5] Examen Tractatûs theologico-politici. — [6] Confutatio Tract. theol.-polit. — [7] De Concordia Rationis et Fidei. — [8] *Diction.*, art. *Spinoza*. — [9] Cap. III, alterius Partis.

plicem eam diceret, non posse diversas simul habere figuras (quum tamen multa simul in hoc mundo videmus, aliis atque aliis formis figurata): alia figura enim aliam delet, ut circulus triangulum. Quapropter, si composita materia non potest diversas simul habere figuras et modificationes, multo minus eas recipere potest materia simplex.

6. Ad hæc, si hoc universum, — compositum (ut demonstravimus) ex diversis partibus, quæ et dividi possunt et obnoxiæ sunt variis mutationibus, — foret Deus (ut quidem blasphemat *Spinosa*), sequeretur, ut Deus esset divisibilis et mutabilis. Illud vero nefas est asserere de ente infinitæ perfectionis, qualis est Deus noster, quamquam *Spinosa*, singula Deum esse contendens, adeo Eum deprimit, ut etiam bufo, lapis vel fimus evadat.

O summe vereque Deus, quid Te efficiunt homines, quos tantopere diligis et supra reliquas creaturas extulisti!

CAPUT III.

EXISTERE DEUM INDEPENDENTEM, OMNIUM RERUM PRIMAM CAUSAM ET IN OMNIBUS PERFECTIONIBUS INFINITUM.

Prima causa existit.

1. Itaque omisso et vano illo *Spinosæ* systemate et altero suprà confutato, quod æternam et increatam fingit materiam; atque pro certo positis iis, quæ jam demonstravimus: 1^um^ nullam rem a nihilo posse existentiam recipere, quia nihilum nihil efficere possit; 2° nullam rem posse sibimetipsi dare existentiam, quoniam existentiam sibi tribuens priusquam existeret, existeret priusquam esset; 3° res productas omnes, quantumvis earum numerus pro infinito haberetur, existere non posse sine primâ quâdam Causâ, quæ eas produxerit, quod, quum singulæ sint dependentes, a primo principio independenti provenerint necesse sit; — iis, inquam, pro certo positis, et in hoc mundo tam multa jam producta esse videntes, fateri cogimur, esse Deum, omnium rerum primam Causam et Creatorem.

Ostenditur naturæ lumine.

2. Ad ea omnia accedit internum illud lumen, ipsâ naturâ hominibus insitum, quo Deum esse declaratur. Illud porro naturæ lumen existere ex eo patet, quod omnes nationes agnoverunt supremam aliquam divinitatem eamque adorarunt. Et siquis umquam eam esse negavit, quo tempore magis immersus erat in libidine et vitiis, alio tempore tamen credidit: *Mentiuntur*, inquit Seneca, *qui dicunt, se non sentire esse Deum* [1]. Eam autem Dei notionem ecquis præter ipsum Deum hominibus adeo generaliter imprimere potuit? Num forte ad oblectamenta propensio? Non ita profecto; nam amor sui potius induceret hominem ad credendum, neminem se habere superiorem, a quo libertate suâ ad arbitrium uti impediretur. Aut cæcus quidam timor mali impendentis? Sed quisnam Deum timere potest, priusquam Dei notionem habeat? Numquis fulmina timeret, si fulminis non haberet notionem? Quapropter timorem necessario præcedit Divinitatis notio, Deumque homo prius cognovit quam timuit.

Non oritur ex educatione.

3. Forsitan Dei notionem impressit educatio, ut stulte nonnulli contendunt? Sed eadem hic valet responsio, non potuisse educatione propagari ejusmodi notionem, antequam ipsa notio his in terris haberetur. Si porro dicerent, eam notionem fuisse *ab æterno*, et ab æterno educatione propagatam, prius demonstrare deberent

[1] Apud *Hooke*, Religionis nat. et revel. Principia, pars I, sect. 1, argum. 3.

(id quod falso fingunt), *ab æterno* exstitisse homines; sed etiamsi ita esset, quomodo potuerunt *ab æterno* habere illam (quam *falsam* vocant increduli) Dei, omnium rerum Creatoris et Domini, notionem? — Si dicant, eam *in tempore* fuisse introductam, respondemus, eam incepisse aut unà cum homine aut postea. Si primum, Creator ipse Suipsius notionem in hominis animâ impressit; si alterum, dicant nobis, quandonam orta sit, aut saltem, quando nondum adesset illa notio. — Quis porro non videt, quantum ab educatione differat natura? Educatione impressæ opiniones pro temporibus et regnis variant: stabilia sunt et perpetua naturæ judicia; atque ejusmodi est Divinitatis notio, quæ quibusvis temporibus omnibusque, etiam barbarorum in regnis viguit. Fateor equidem, educatione depravari posse qualitatem adorationis Deo exhibendæ, quum parentum ignorantia et regnantium auctoritas falsam aliquam introduxerint religionem; quo factum est, ut a Japoniis Amida [1], et sol ab aliis idololatris coleretur. Verum alicujus Dei impressam notionem, utpote non ab hominibus traditam sed naturâ insitam, ipsâ naturâ duce significatam et exploratam habemus. Si ergo natura ipsa, quæ *nihil agit frustra*, in animis nostris impressit Divinitatis notionem, quare falso hoc fecisset nosque voluisset decipere? Et cur non infixit potius, omnia (quod quidem Democritus [2] asserebat) casu esse condita? Aut etiam (ut alii contendunt), mundum fuisse *ab æterno*, si reapse omnia vel casu facta sint vel subsistant ab æterno, nec reverâ ille Deus, totius universi Creator, existat?

Non est effectus artis politicæ.

4. Forsitan (ut alii somniant) Dei notionem inseruit ars politica principum, ut subditi timore retinerentur et pacati viverent legibusque obedientes? — Si ergo ejusmodi fraus ad pacem communem et tumultus vitandos tantopere conducit, etiamsi non esset Deus, nobis optandum esset, ut existeret. Verum, nimis absonum est contendere, homini, ad societatem nato adeo defuisse adjumenta, quibus recte constitutum commercium servaret, ut ad eum in officio retinendum opus esset fraudibus. Præterea, quis umquam crediderit, artis politicæ fallaciam fuisse Dei existentis notionem, nisi prius designetur tempus, quo natus sit princeps, ejusmodi fabulæ inventor? Ac postremo, ecquis umquam credere possit, tantum valuisse unum vel paucos reges, ut suâ auctoritate sineque alio fundamento tale commentum universo generi humano imponerent eique suam adimerent libertatem? Sola auctoritas rationibus non confirmata, fallaciam pro veritate adeo constanter persuadere non potuisset omnibus hominibus, in quibus plurimi sunt, neque umquam defuerunt, sapientes et prudentes, qui lumine et duce utuntur ratione.

Polytheismus non est naturæ vox.

5. Negari quidem nequit, plebis ignorantiâ morumque corruptelâ factum esse, ut longo spatio Polytheismus oppletam teneret majorem orbis partem; verumtamen totum orbem numquam obruit, quum plura decies centena millia Hebræorum (et, ut nonnulli asserunt, per duo millia annorum etiam *Sinenses*) unum Deum adorarent. Ceteroquin notum est, impium illum cultum incepisse, quum Babylonica exstrueretur turris, ibique primus imperator pro Deo primitus adoraretur. Nec quemquam latet, non durasse Polytheismum, sed vim suam deperdidisse post Christianam Religionem ortam; eumque in præsenti illic tantum vigere, ubi unà cum vitio ignorantia vigeat; quo fit, ut ii soli eum amplectantur, qui in errore versari velint. Constat præterea, plurium deorum fidem antea valuisse apud solam plebem, quæ velut pecorum grex receptam consuetudinem sequitur; minime vero apud eruditos. Philosophi, ut Socrates [3], Plato [4], Tullius [5], Seneca [6], et poetæ deo-

[1] Apud *Kircher, China illustrata*, pars 3, cap. 2. — [2] Apud *Cic.*, de Nat. Deorum, lib. I, cap. 24. — [3] Apud *Tertul.*, Apologetic., cap. 14. — [4] *Timæus*. — [5] De Nat. deor., lib. I, cap. 29 et 30. — [6] De Superstitione, apud *S. Aug.*, De Civit. Dei, lib. VI, cap. 10.

rum multitudinem deridebant, quamquam externe eos se venerari simulabant, ne in plebis vituperationem incurrerent. Quin etiam ipsum vulgus, subito pavore correptum, non plures deos, sed unum Deum invocare solitum ait Tertullianus [1]; quod indicium est, notionem unius tantum veri Dei naturâ iis fuisse insitam. Denique, quod gentiles plures deos colerent, proposito nostro non obstat: nisi naturâ ipsâ persuasum habuissent populi, aliquem verum Deum existere, numquam coluissent falsos. Hoc certum est, credidisse omnes homines, Divinitatem existere.

Item res externæ Deum manifestant.

6. Jamvero si stultum esset negare, fuisse Alexandrum vel Neronem, etsi illud minori hominum parti notum est, quam temerarium erit negare, Deum existere, id quod cognitum est universo generi humano!

At Alexandrum, Neronem fuisse, oculati testes confirmarunt; Deum existere, non ita.

Ergone (respondeo) sensuum plus valet quam rationis argumentum?

Si porro sensibile aliquod argumentum postulent, en adest in Libro Exodi [2]; Seipsum enim sub igneâ formâ ostendit, ejusque vocem tricies centena millia hominum audierunt. Adest quoque in mundi fabricâ, quâ, quum ipse coram apparere non possit, Se existere declarat. Vilissima quæque bestiola, agrorum quævis herbula certo majori cum sapientiâ conformata est quam quælibet machina, humanâ arte confecta. Si autem tugurii structura intelligentem opificem arguit, nonne fateri necesse est, a summâ Sapientiâ summâque Potentiâ magnam hujus mundi fabricam fuisse confectam? Itaque si increduli amiserunt lucem, quâ (cum omnibus nationibus) Deum existere cognoscerent, hoc persuasum habeant, ignorantiam illam non esse argumento, Deum non existere, sed justam pœnam luxuriosæ vitæ et obstinationis, quâ in vitiorum lutum se immergere voluerint, quantumvis divinum lumen ad talia vitanda hortaretur.

Deus est immensus.

7. Ergo negari nequit, existere omnium rerum primam Causam et Creatorem, Deum. Si autem est omnium rerum prima causa, item est *immensus*, ubique et semper singulis rebus præsens; nam quatenus prima omnium rerum causa non tantum eas debuit creare, sed iis etiam, ut conserventur, assidue et in præsenti existentiam impertire debet: conservatio siquidem, ut communiter ajunt Theologi, est continua creatio, eâque conservatione sublatâ, omnes creaturæ esse desinerent.

Deus est sapiens.

8. Ad hæc, si est prima Causa, summe *intelligentem* Eum confiteamur oportet: nam quum in effectu nulla possit esse perfectio, quæ prius non adsit in causâ, nisi esset intelligens Deus, intelligentiam homini tribuere non potuisset. Præterea, ex ordine quo partes hujus mundi coagmentantur, profecto constat, mentem aliquam sapientiâ infinitâ præditam, hunc ordinem disposuisse; quandoquidem nec summus humanæ artis vel ingenii conatus ad ea præstanda valet, quæ præstat natura. Ecquis umquam fragrantem florem, formicam ambulantem, volantem apem conficere potuit?

Deus est independens et æternus.

Præterea, si Deus prima causa est, item est *independens;* quodsi independens, item *æternus;* quia enim nec potuit esse ex nihilo, neque ab alio suum esse accepit, nec destrui potest ab aliquâ superiori potentiâ (quum sit omnipotens); ideo necesse est, Eum sine principio sineque fine esse æternum.

Deus est infinite perfectus.

Porro, si et independens est et a Semetipso existens, in omnibus perfectionibus est *infinitus*, quod nemo umquam potuerit terminos Ei statuere. Est ergo infinitæ Sapientiæ, infinitæ Potentiæ, infinitæ Bonitatis, infinitæ Justitiæ.

Deus est unus.

Et si infinitus est, omnibusque præditus perfectionibus, est necessario *unus;* quandoquidem si plures dii essent, eorum nemo ex toto esset perfectus, sed unius perfectiones deessent alteri; nec quisquam, v. g., infinitæ esset Potentiæ, quod evertere non

[1] Apologetic., cap. 17. — [2] Cap. XIX.

potuisset unus, quæ alter statuisset; neque infinitæ Sapientiæ, quum quid cogitaret alter, alter nesciret.

Deus est incomprehensibilis.

Denique, si Deus bonum infinitum est, est *incomprehensibilis*. Quocirca nemo non videt, quantâ Eum lædant injustitiâ, qui idcirco Eum negent, quod ad Eum intelligendum non perveniant. Deum illum, ita perditissimi nonnulli loquuntur, quomodo Eum esse credamus, si mente non possimus Eum comprehendere? — Eheu! Quî umquam adeo circumscriptæ et finitæ nostræ mentes ad bonum infinitum comprehendendum valerent! Nos ne exiguæ muscæ quidem nec floris naturam intelligere possumus; Deum autem mente comprehendere volumus? Si cogitatione Eum comprehenderemus, aut Deus non esset illud (quod reverâ est) bonum infinitum, aut nosmetipsi essemus dii.

9. Ita vero, Deus est. *Est Deus in Israel*[1]. Et quum in præsenti infelices illi et ingrati increduli sanctis ejus legibus obsequi nolint, eamque ob causam Eum esse negent, tum sane Eum agnoscent, quum æternitatem ingressi, æternum Eum et scelerum suorum et iniquæ suæ incredulitatis habebunt punitorem.

[1] 1 Reg., XVII, 46.

ALTERA PARS.

ADVERSUS DEISTAS.

CAPUT I.

PROBATUR REVELATÆ CHRISTIANÆ RELIGIONIS VERITAS.

Christus est Magister hominum.

1. Christiana Religio originem habet a Jesu Christo, qui mundum redempturus advenit. Jam in Veteri Testamento, non solum ut Redemptor hominum, sed etiam ut Magister prænuntiatus erat; quare promissus ille Messias, quum in hunc mundum venisset, non tantum Antiqui Testamenti doctrinam confirmavit, sed insuper nova tradidit documenta, quæ in Novo Testamento perscripta reperiuntur. Itaque omnem revelatam doctrinam tam Veteris quam Novi Testamenti amplectitur Christiana Religio. Eam autem religionem hic defendendam suscipimus adversus Deistas; qui tamen nullum definitum condiderunt Religionis systema, neque omnes eamdem doctrinæ formulam sequuntur, sed, quum eorum nemo neget Deum existere, pro suo quisque arbitrio alii alium in scriptis suis jactarunt errorem. Nonnulli, ut *Spinosistæ* (juxta ea, quæ suprà vidimus), Deum materialem sibi fingunt; alii animæ immortalitatem infitiantur; alii negant, æternum esse infernum: uno tamen ore repellunt divinam Revelationem, quam nec fieri posse nec prodesse ajunt, quod solâ naturali religione ad salutem possit perveniri. Quapropter eorum multi dicunt, *Hebræos, Mahumedanos* et vel ipsos idololatras, omnes denique salutem consequi posse in suâ uniuscujusque religione, si Deo eum exhibeant cultum, quem naturalis ratio dictet. Et hi proprie vocantur *Naturalistæ*, quum reliqui Deistæ dicantur *Latitudinarii*, *Indifferentistæ* vel *Politici;* qui quidem docent, velle Deum ut sua Divinitas agnoscatur; sed Eum satis atque etiam acceptum habere, diverso in diversis locis Se honorari cultu, quem cujusvis religionis principes et regni magistratus imposuerint: illud nimirum ad communem pacem conducere.

Deistæ nec certam nec omnes eamdem doctrinæ formulam profitentur.

Deistæ non ab omnibus eamdem fidem exigunt.

2. Itaque egregium illud systema asserit, statuisse Deum, ut diversæ et inter se contrariæ fidei formulæ teneantur. Juxta illud admitti debet, Hierosolymis S. Stephanum haud immerito lapidibus fuisse obrutum, quod Judæorum religionem improbasset; atque idem dici deberet de Jesu Christo. Juxta illud, in Europâ profiteri necesse est, Jesum Christum esse Deum; pro mero homine Constantinopoli Eum habeamus oportet. Juxta illud, Deus in Italiâ nos jubet realem Jesu Christi in Altaris Sacramento præsentiam credere, in Angliâ vero eam negare: et sic necessario præcipit, ut falsum admittamus; si enim illa præsentia in Italiâ est vera, falsa est in Angliâ; et si in Angliâ verum est, non haberi realem præsentiam, idem falsum est in Italiâ. Si ergo in Angliâ jurarem, regem esse Ecclesiæ Caput, Deus paradisi præmio di-

Illa doctrina absurda est.

gnum haberet illud jusjurandum; si illud in Italiâ præstarem, inferni pœnâ me afficeret, quum apud nos pro hæresi habeatur. En igitur egregio illo systemate eversa quælibet religio omnisque Divinitas, quæ in diversis locis Secum Ipsa discordaret, et alibi remuneraretur quod alibi puniret. En quo procedat mentis caligo, quum licentiâ homines corrumpuntur!

Illud a Deo permitti non potest.

3. Ad hæc — si verum esset, Deum satis habere, quâlibet Se religione adorari — quî umquam Deus in hoc acquiescere potest, vel etiam permittere (id quod *Latitudinarii* saltem docent), ut adoretur falsâ adoratione, quæ adversetur divino illi honori, cui renuntiare nequit, permittendo idololatriam, quâ nulla magis sacrilega est actio? Deum infinite sanctum esse, sapientem, æternum et independentem, non negant *Latitudinarii:* quomodo ergo permittere potuit, ut in paganorum religione Ipse adoraretur in Jove parricidâ, Junone incestâ, Mercurio fure, inhonesto Apolline, qui omnes, quod et pater et mater iis assignaretur, pro mere creaturis habebantur? Quî umquam permittere potuit, ut Ipse, sanctus, æternus et independens adoraretur in diis, quibus tot adscribebantur vitia? Illud Gentilibus his verbis objiciebat Athenagoras: *Dii non fuerunt ab æterno* [al. *ab initio*]; *sed ita eorum quisque natus est, ut nos nascimur* [1]. Et similiter Minucius Felix, paganos irridens: *Manifestum est,* inquit, *homines illos fuisse, quos et natos legimus et mortuos scimus* [2]. Et licet philosophi in corde suo pro falsis haberent ejusmodi deos, quos haud ignorarent a poetis excogitatos, tum in theatra atque inde in templa fuisse translatos; nihilominus, quod in Romano Imperio eorum cultus præscriberetur, unà cum aliis eos venerabantur externâ religione. Sacrilegam autem illam adorationem quî umquam Deus ratam habere potuit?

Non sufficit religio naturalis.

4. Reponunt alii Deistæ (qui proprie *Naturalistæ* vocantur), ad salutem consequendam satis esse, siquis naturalem, ipsâ naturâ impressam, sequatur religionem: ipsam autem monere, unum esse Deum, omnium rerum Creatorem, vitii ultorem et remuneratorem virtutis, et hoc solum a nobis postulantem, ut Ipsius Majestatem veneremur, neve alteri faciamus, quæ nobis fieri nolimus. Eamque ob causam posse hominem ad salutem pervenire in iis omnibus religionibus, quæ duo illa dogmata et duo præcepta illa amplectantur, cujusmodi est *Christianorum*, *Hebræorum* et *Mahumedanorum* Religio.

Ego vero *Naturalistis* illis respondeo: Ergone Christianus Jesum Christum ut vere Deum adorare poterit; postea vero, si ad Hebræorum religionem transierit, licite credat, Jesum Christum mere hominem fuisse, quin etiam virum maleficum, haud immerito cruci affixum? Si utraque religio, Christianorum et Hebræorum, pro verâ habeatur, quî quæso Deus ratum habere potest, hominem pro suo arbitrio ad alterutram vicissim abire? Si Jesus Christus est Deus, quî possit permittere, ut pro mero homine et viro facinoroso habeatur? Sin vero purus homo, quî possit annuere Deus, hominem illum ut Deum adorari? Permitteret enim, ut adoratio Sibi debita transferretur ad creaturam, cui (etiamsi vellet) divinum Sibi debitum cedere non posset honorem. Quodsi Deus (ut ipsi *Naturalistæ* concedunt) permittere nequit offensiones illas, quas ipsa natura condemnat, numquid ab ullâ offensione magis abhorret natura, quam ut creaturæ tribuatur adoratio, soli Creatori debita? Si ergo alterutra religio falsa est, alterutram sane prohibitam esse oportet.

Idem valet de Christianorum et *Mahumedanorum* religione. Hæc enim non solum Jesu Christo divinitatem divinamque adorationem denegat, sed plurima etiam admittit et præcipit superstitione et impietate plena, quæ ab illâ prohibentur.

Non sufficit hac in re probabilitas.

5. At, inquit hæreticus quidam auctor, vos nonne dicitis, salutem consequi posse eum, qui probabilem sequatur opinionem? Cur igitur salvus esse nequit, qui suam

[1] Legatio pro Christianis, n. 18. — [2] *Octavius,* cap. 23.

religionem probabiliter veram esse existimet?

Respondetur, quod ad obscura legis præcepta attinet, salutem eum consequi posse, qui probabilem opinionem sequatur, quum dictamen practicum, in suâ conscientiâ certum, sibi faciat, se licite operari: quod vero spectat ad fidei dogmata et res ad salutem necessarias, omnes Theologi cum S. Augustino [1] docent, nos sequi debere certas et tutiores sententias; quia siquis fallatur in mediis, ad salutem consequendam necessariis, ad eam pervenire nequeat. Præterquam quod adversus fidei nostræ veritatem numquam haberi potest vera probabilitas; eam duntaxat sibi fingere, non habere poterunt ii, qui, ne veram fidem cernant, ad lucem oculos claudere volunt.

Revelatio est possibilis.

6. Sed ad propositum nobis argumentum revertentes, revelatæ nostræ religionis veritatem demonstrandam suscipiamus. Ajunt adversarii, et impossibilem et inutilem esse revelationem. Eam esse possibilem, nihil opus est multis verbis probare; namque ex unâ parte homo ad eam recipiendam non est inhabilis; ex alterâ parte Deus certo eam nobis communicare potest; et sic etiamsi homo naturaliter ad eam non esset idoneus, suâ tamen omnipotentiâ Deus efficere posset ut eam intelligeret. Hac in re nihil attinet tempus ultra conterere.

Revelatio est necessaria.

7. Porro revelationem etiam esse necessariam homini, ut ipse, tum credendo quæ Deo digna sint, tum verâ virtutis exercitatione Eum honorando, debitum Deo cultum exhibeat, patebit cuilibet consideranti, quantopere populi antiqui sine illâ Deum, virtutes et salutem æternam ignoraverint. Quod ad Divinitatem pertinet, constat, multos pro diis coluisse homines infames, adulteros, direptores et crudeles; alios fortunam, febrim et timorem; alios, sidera, bestias, lapides et vel ipsas hortorum plantas. In Mongoliâ adorabantur vaccæ, in Thessaliâ ciconiæ, in Assyriâ columbæ, simiæ dens in Taprobanâ *(Ceylan)* insulâ. Syri colebant pisces, simias Afri, Indi elephantos, Phrygi mures, arbores Lithuani.

8. Et quod ad virtutes spectat, multi populi deos suos placari iisque gratum fieri putarunt maleficiis patrandis, quibus fœdiora vel crudeliora nulla fingi possunt. Hominibus vivis devorandis Thraces deos suos colebant. Mexicani quodam die viginti millia hominum jugularunt in numinum suorum altaribus. Carthaginienses in candentes Saturni statuas includebant infantes, et Ægyptii vel eo procedebant, ut suos etiam Saturno immolarent filios. Spartiates furta licita esse ajebant. Alii populi, quod diis suis raptus, adulteria et homicidia adscriberent, talia delicta inter heroicas virtutes numerabant.

Sine revelatione doctissimi quique erraverunt.

9. Quis non videt, in miserâ illâ ignorantiâ rerumque confusione, quâ vel ipsam naturalem rationem deletam cernimus, hominibus prorsus necessariam fuisse divinam aliquam revelationem, quâ docerentur, quisnam reverâ Deus esset adorandus, quisnam Ei exhibendus cultus et quæ denique exercitandæ essent virtutes ad æternam salutem sibi consequendam; hominibus, inquam, quos Deus idcirco rationis usu donavit, ut rerum veritate agnitâ, fidem suam moresque recte constituerent.

Objicitur.

10. At, opponunt Deistæ, cur idem fieri non potest solo naturalis rationis lumine? Si Deus, inquiunt, homini non tribuisset naturæ illud lumen, quod satis esset ad ei monstrandum, quænam sit vera religio et quas præterea virtutes exercere debeat, ut salutem consequatur, injustum Se præbuisset, quod sine ejus culpâ defraudasset hominem adjumentis necessariis ad æternam felicitatem obtinendam et declinandam infelicitatem.

Respondetur.

11. Ad quod ita respondemus: Si Deus post peccatum originale homini non dedisset revelationem, sed solum tale naturæ lumen, quale hodie in hominibus inesse videmus, illud ad recte credendum recteque vivendum satis non fuisset; nam

[1] De Baptismo contra *Donatistas*, lib. I, cap. 3.

propter inordinatas cupiditates, quæ in homine dominantur, propter sensuum propensionem ad malum et exiguam cognitionem, quam de æternis veritatibus habet, in suâ pariter ignorantiâ rerumque confusione remansisset. Quo fit, ut antiquorum philosophorum vel celeberrimi, qui divinas veritates verasque virtutes et maximo studio investigabant et se cognoscere gloriabantur, tot falsa de fide bonisque moribus tradiderint. Anaximander [1] infinitos ajebat esse mundos, alios ex aliorum corruptione ortos, eosque veros esse Deos. Anaximenes [2] vero deos ex aëre natos docebat. Zeno [3], Deum esse animal immortale, ex aëre et igne compositum. Plato [4] materiam ponebat infinitam. Socrates [5] asserebat, animas ante corpora existere, eas deinde recordari, quæ cognovissent priusquam corporibus fuissent insertæ. Aristippus [6], in sequendis sensuum delectationibus, etiamsi turpibus, virtutem consistere. Plato [7], rectum esse, communes haberi mulieres. Aristoteles [8] et Cicero [9] vindicationem in virtutibus numerabant. Quibus erroribus sexcentos alios addiderunt illi hujus mundi sapientes; qui tamen ipsi (quam rem diligenter notari oportet), ut Socrates [10], Plato [11] et Cicero [12], magnam hominis cæcitatem cognitam habentes, exspectandum esse ajebant virum aliquem, a Deo missum, qui veras virtutes divinasque nobis traderet veritates. Plato quidem, omnem hominem in rerum confusione hærere, *si nequeat firmiori quodam vehiculo vel divino aliquo verbo tutius... (hæc) tranare* [13]. Et alio loco: *Nemo... docebit (pietatem), nisi Deus adjuverit* [14].

Non Deus, sed peccatum hanc invexit miseriam.

12. Sed, inquient Deistæ, nonne igitur injustus fuit Deus, quod in tantis tenebris et cum tanto libidinum impetu condiderit hominem, neque adjecerit sufficiens naturæ lumen, quo credendas veritates exercitandasque virtutes cognosceret suamque consequeretur salutem? — Respondemus, hominem a Deo rectum fuisse creatum; sed per peccatum tantis tenebris circumfusum et ad malum tantopere propensum remansisse. — Sed, reponunt, undenam constat, per peccatum hominem in tantam incidisse miseriam? — Constat ex divinâ revelatione; et sic quidem argumentamur: Justus est Deus; quod profecto, si reverâ pro Deo Eum habemus, in dubium vocari nequit. Hominem autem videmus adeo obscuratum et ad prava vergentem. Ex vobis requirimus: Quæ tandem ejus rei causa fuit? — Atvero causam gravissimæ illius perturbationis vestrarum religionum nulla indicare potest. Ergo credere oportet revelationi, quæ in divinis Scripturis nos docet, ejus rei originem et causam peccatum fuisse; Deum vero, ut tanto malo afferret remedium, in mundum misisse Filium Suum, qui homo fieret, et pro nobis satisfaciendo nobisque monstrando salutis viam, a peccati damnis nos redimeret.

Sed, inquient, quis nobis præstabit, eas Scripturas certo esse divinas? — Jam illud ipsum proximo Capite demonstraturi sumus.

[1] Apud *Euseb.*, Præparat. Evangelica, lib. I, cap. 8. — [2] Apud *S. Aug.*, De Civ. Dei, lib. VIII, cap. 2. — [3] Apud *Tertul.*, Adv. *Marcionem*, lib. I, cap. 13. — [4] Apud *Laertium*, de Vitis eorum, qui in philosophia claruerunt; lib. III, *Plato*. — [5] Apud *Platonem*, Phædo. — [6] Apud *Laertium*, de Vitis, lib. II, *Aristippus*. — [7] De Republica, Dial. V. — [8] Ethica, lib. IV, cap. 5. — [9] Partitiones oratoriæ, cap. 37; Oratio pro Milone, cap. 3. — [10] Apud *Platonem*, *Alcibiades*, 2. — [11] Phædo, Epinomis. — [12] Tusculanæ disputationes, lib. I, cap. 11. — [13] Phædo. — [14] Epinomis.

CAPUT II.

SACRAS SCRIPTURAS REVERA ESSE DIVINAS.

Sola Religio Christiana integram Revelationem habet.

1. Posito igitur, divinam revelationem esse necessariam et ad credendum, quæ credi debent, et ad veras virtutes exercitandas, videamus, cuinam ex diversis religionibus revelatio facta sit. Nos quidem asserimus, eam esse factam soli Christianæ Religioni; et primum quia integram et perfectam revelationem non alia nisi Christiana Religio habet.

Eam non habent Gentiles.

2. Eam certo non habent Gentiles, apud quos (ut vidimus) ipsius naturalis religionis vix umbra remansit; quum contra naturalem rationem plures deos adorent, eorumque cultus nefandis superstitionibus abundet.

Eam non habent Mahumedani.

3. Neque eam habent *Mahumedani*, quorum vana, ridicula et inter se contraria sunt dogmata. Ea, ut nemo ignorat, complectitur *Alcoranus*, ubi *Mahumedes*, impius vir, inter alios errores paradisi felicitatem in belluinis corporis voluptatibus fruendis reponit. Seipsum profitetur magistrum, a Deo ad Israelitas missum, qui si ipsi non crediderint, ad gravissima ab Eo destinandi sint supplicia. Camelum suum revicturum ait, ut in cælum evectus regnet secum. Porro plurimis locis secum ipse pugnat; nam quum uno loco dixisset, eos qui a recto tramite deflexerint, veniam a Deo numquam esse impetraturos; alio ait, dæmones *Alcorani* sui ope ad Deum se esse conversuros. Quodam loco omnes mortuos ad vitam revocandos esse docet; alio, neminem umquam esse revicturum. Uno loco affirmat, pro incredulis preces esse adhibendas; alio idem negat. Sed potissimum a seipso dissidet, quum ait, Jesum Christum vere prophetam esse et ipsum a Deo promissum Messiam, ejusque Evangelium esse lumen et Testamenti confirmationem, Eum tamen nequaquam esse Dei Filium; quibus verbis reverâ Eum deceptorem reddit, quum sæpius et aperte Jesus Christus Dei Filium se esse dixerit, ut testantur sacri Evangelistæ, quos item *Mahumedes* sanctos vocat [1].

Eam non habent Judæi.

4. Eam denique non habent Judæi, qui adhuc exspectant Messiam, quem (ut mox videbimus) jam venisse demonstrat Christiana Religio. Ad hæc Hebræi, licet quondam veram habuerint religionem, post adventum tamen Messiæ, quem perversâ obstinatione repudiarunt, in tantam cæcitatem prolapsi sunt, ut in præsenti eorum religio, magis forsitan quam reliquæ omnes, plena sit erroribus, superstitionibus et blasphemiis adversus Deum. *Talmudistæ* enim (quales hodierni Hebræi se esse profitentur) inter alias ineptias dicunt, aliquando nonnullos rabbinos, indigne ferentes, quod in quâdam disputatione Deus causam adjudicasset ipsorum æmulo, excommunicationis in Eum pronuntiasse sententiam; Deum porro, ac si errorem suum agnosceret, blande subridentem respondisse: *Filii mei Me vicerunt* [2]. Item ajunt, Deum identidem in locum desertum recedere, ut largos illic fletus effundat, quod templum everterit dissjeceritque Hierosolymitanum populum; et quoties illud meminerit, ambabus manibus pectus percutere, duasque in oceanum fundere lacrimas. Item, tres diei horas in Mosaicæ Legis studio Eum insumere; tres ultimas autem horas cum pisce quodam, *Leviathan* nomine, ludibundum Se oblectare; atque ideo, dum Ipse ita Se oblecta-

[1] Conf. Alcoran., *Sur.* 2, a. 87; *Sur.* 4, a. 169; 5, a. 16, 19 et 81; 6, a. 30; 18, a. 32; 19, a. 28; 37, a. 41-49; 57, a. 13; 72, a. 1.

[2] *Gaulterius*, S. J., Tabula chronographica status Eccl. Catholicæ, cap. I, De *Talmudistis*, n. 9.

ret, deceptum fuisse a quodam Rabbino; hic enim in vitæ exitu a diabolo se transportandum curasset ad paradisi januam, atque eo furtim irrepsisset. Item, graviter deliquisse Deum, quod lucis partem lunæ injuste detractam, ad solem detulerit; et idcirco quod peccatum suum agnovisset, in Lege præscripsisse Judæis, ut ad illud expiandum, quoties nova inchoaretur luna, Ipsius nomine peculiare offerrent sacrificium [1].

Si nulla alia, Christiana Religio eam habere debet.

5. Si ergo (ut suprà probavimus) hominibus necessaria fuit revelatio; eamque, integram saltem, nulla Religio extra Christianam recepit; hæc sola ergo veram et integram revelationem habet, quam ei esse traditam liquet ex Veteris Novique Testamenti libris.

6. Quod tamen argumentum, etsi firmissimum, negativum duntaxat est; nunc ad positiva argumenta veniamus.

Sola Christiana Religio omnino recta est et sancta.

Et primum quidem, quod prorsus rectæ et sanctæ sunt Christianæ Religionis leges, jam indicat, eam esse divinam. Ceteræ religiones omnes (ut vidimus) erroribus abundant; sola Christiana omnino recta est et rationi consentanea. Et re quidem verâ; quod ad fidei dogmata spectat, quamquam tradit mysteria, quæ rationem superant, nihil tamen in iis reperitur, quod cum ratione pugnet; quum ceteroquin juste a nobis postulet Deus, ut divino suo verbo fidem adjungentes, intellectum subjiciamus et credamus ea, quæ exiguâ nostrâ mente capere non possimus. Quodsi de moribus agamus, percipimus, æqua esse et legitima omnia, quæ vel ad Deum, vel ad proximum vel ad nosmetipsos pertinent; cuncta porro tam apte et tali ordine disposita, ut nihil melius excogitari vel desiderari possit. Quis non videt, quam justum sit, Deo nos venerationem exhibere, colendo et diligendo præ ceteris bonis Eum, qui bonum infinitum est? Quam justum, unumquemque proximum suum amare et tractare sicut seipsum et sicut ab aliis amari et tractari cupiat? Ita profecto injuriæ et dissensiones omnes vitantur, et cum caritate communis omnium servatur concordia. Quam justum denique, nos, in nobismetipsis animi tranquillitatem rectumque ordinem conservaturos, abstinere intemperantiâ, turpitudine, superbiâ, iracundiâ, pravisque et desideriis et delectationibus?

Ejus Divinitas ex Prophetiis elucet.

7. Deinde probatur Christianæ Religionis et divinarum Scripturarum veritas ex Prophetiis, quæ in ipsis Scripturis reperiuntur et deinde prædicto tempore et modo comprobatæ fuerunt eventu. Atvero certum est, prophetiam, utpote præcognitionem et prædictionem futurorum eventuum atque etiam liberarum actionum et cogitationum, non posse nisi a Deo esse, qui infinitæ est sapientiæ, qui omnium effectuum causas cognoscit et cuncta tempora in suâ continet æternitate.

8. Innumerabiles sunt prophetiæ, quæ nominatim in Veteri Testamento perscriptæ sunt et suo quæque tempore eventu confirmatæ. Hic vero breviter eas tantum notabimus, quæ ad Messiæ adventum spectant; quoniam dubitari non potest, quin eæ in Veteri Testamento reverâ enuntiatæ fuerint: si enim (quod quis forsitan opponere velit) a Christianis fraudulenter adjectæ suisque insertæ fuissent libris, Hebræi, qui Messiam venisse negant et a quibus ad nos pervenerunt sacra illa volumina, eas prophetias rejicerent, et mutationes ac commenticia Christianorum additamenta denuntiarent. At eas non rejiciunt Hebræi; quamquam ad suum arbitrium perperam de aliis personis, non vero de Messiâ, eas interpretantur; quâ in re dissentiunt a Rabbinis, qui ante Jesum Christum vixerunt. Hi enim (ut demonstrant *Huetius* [2] et *Calmet* [3]) illas omnes Prophetias, eodem modo quo Christiani id faciunt, sine ullâ dubitatione de Messiâ exponebant.

Jacob.

9. Habetur primum prophetia Jacob: *Non auferetur sceptrum de Judâ et dux*

[1] Conf. Ibid., n. 2, 5, 6, 7, 10.

[2] Demonstr. Evangel., Prop. VII. — [3] Dissertatio de characteribus *Messiæ*.

de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est; et Ipse erit exspectatio gentium [1]. Illic prædicitur, Messiam tunc esse venturum, quum Juda, sive ii qui de tribu Judâ essent, amisissent regnum seu supremum dominium, quod *sceptro* designatur. Et illud reverâ factum est, quum venit Jesus Nazarenus Imperatoris Octaviani ætate; nam usque ad quadragesimum annum ante Messiæ nativitatem tribus Juda semper habuit et principes et judices, qui cum summo regiminis imperio erant: tum vero Senatus Romanus regem iis constituit Herodem, natione alienigenam; postea autem Imperator, relegato Archelao, Herodis filio, Judæam in provinciam Romanam redegit, et ad procuratorem, a se missum, civilem potestatem transtulit. Denique quum Titus Hierosolyma evertisset, et dispersus esset Hebræorum populus, item ablata est ecclesiastica potestas.

Daniel. **10.** Habetur deinde prophetia Danielis: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt* (quibus si adjunguntur septem, proxime commemoratæ, et una, quæ infrà annuntiabitur, septuaginta habentur hebdomades, quæ vaticinationis initio prædictæ sunt), *et rursum ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui Eum negaturus est. Et Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* [2].

11. Itaque hac prophetiâ prædicitur, venturum et moriturum esse Messiam intra septuaginta hebdomades. Quum autem communi interpretum et theologorum sententiâ (quidquid pauci nonnulli dicunt) singulæ hebdomades septem annis constent, ex annorum summâ efficiuntur quadringenti nonaginta anni. Porro prophetia indicat, eos esse computandos a tempore, quo Persarum Imperator promulgato Decreto Nehemiæ permisit reficere Hierosolymorum templum et civitatem. Atque illud Decretum nonnulli quidem concessum fuisse dicunt a Dario, Hystaspis filio, nonnulli ab Artaxerxe Longimano; et alii septimo, alii vicesimo Artaxerxis regni anno. Juxta hanc ultimam opinionem, quæ communior est (ut videri potest apud Natalem Alexandrum [3] et *Calmet* [4]), Jesu Christi obitus incidit in finem ultimæ hebdomadis. Nam Artaxerxis Edictum (ut indicatur apud Esdram [5]) ad effectum adductum est anno vicesimo ejus regni: ille autem annus (juxta Eusebii [6], Thucydidis [7] aliorumque chronologiam) est ducentesimus septuagesimus ab Urbe condita (*a*), sive annus quadringentesimus octogesimus septimus ante vicesimum nonum æræ vulgaris. Ceterum, concedunt omnes, diversas opiniones de computandarum hebdomadum initio inter se a septem ad decem

[1] Genes., XLIX, 10. — [2] *Dan.*, IX, 24-27. — [3] Hist. Eccl., V. T., in 6am mundi ætatem, diss. 2. — [4] Dissertatio de 70 septimanis *Danielis*. — — [5] 2 *Esdr.*, II, 1. — [6] Cfr. Chronic., lib. 2, Olymp. 75, ann. 2 et Olymp. 77, ann. 2 (*Migne*, Patr. Gr., 19, col. 473). — [7] Cfr. De Bello *Pelopon.*, lib. 1, cap. 137.

(*a*) Aliqua verba deesse videntur. Quum enim annus 270us Urbis Romæ sit potius 487us ante 1um annum æræ vulgaris; annus 487us ante annum 29um æræ vulgaris erit annus 299 Urbis Romæ (Nota edit.).

tantum annos differre; parum enim vel nihil forsitan dissentiunt auctores, quum qui septimum Artaxerxis annum assignant, de eo tempore loquantur, quo solus regnare incepisset; qui vero vicesimum, de eo, quo unà cum Xerxe, patre suo, regnaret. Quo fit, ut quantumvis diversæ sint auctorum opiniones, omnes tamen consentiant, septuaginta hebdomades finem habere ad ea tempora, quibus Jesus Christus mortem obierit. Et hoc nobis satis esse debet; quandoquidem impletam esse prophetiam non solum dignosci oportet ex computatione annorum, sed etiam ex reliquis signis nominatim prænuntiatis, ut ex eversione Hierosolymorum Judæorumque dispersione, quæ, sicut prædictum erat, post Messiæ mortem reverâ evenerunt, et in quibus vaticinationis summa continetur, et quæ potissimum respicit; quapropter, quum ea jam evenisse constet, dubitationem afferre non debet illud, quod alii aliud sentiant Chronologistæ, quos in varias abire sententias minime mirum est, ubi de temporibus adeo remotis agatur et de tot annis computandis. Tanto magis, quod propter magnam auctorum dissensionem nec certo statui potest, quonam anno Jesus Christus mortem obierit. Concludamus igitur, in eâ re pro verâ sequendam esse solam opinionem congruentem cum factis, quæ jam evenerunt, et quæ evenisse nemo dubitat.

Aggæus. **12.** Item habetur Aggæi vaticinatio, quâ propheta excitat Hebræos, ut reficiant templum, ad quod glorificandum accederet Messias: *Confortare, Zorobabel... veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domûs istius novissimæ, plus quam primæ... et in loco isto dabo pacem* [1]. Prædicitur ergo, illud ultimum quidem templum esse futurum, sed gloriosius quam primum; neque id propter aurum vel argentum, sed quia eo veniret desideratus Messias, qui præsentiâ suâ illud clarificaret, ibique cunctis gentibus pacem tribueret. Atqui jam eversum est templum illud post Jesu Christi mortem: si ergo exstante illo templo talia evenire debebant, quandonam ea evenisse existimandum erit nisi quo tempore mortuus est Jesus Christus?

[1] *Aggæus*, II, 5, 8 et 10.

Genuinæ sunt illæ prophetiæ. **13.** Reliquas multas tam Veteris quam Novi Testamenti vaticinationes omitto; admissis nimirum iis, quas commemoravimus et quarum probavimus veritatem, ex supervacuo demonstraretur, alias quoque existere et impletas esse.

Porro in dubium vocare, num illæ prophetiæ ante vel post facta litteris mandatæ sint, vel sintne reverâ conscriptæ a Prophetis (ut in Sacrâ Scripturâ legitur), permagnæ esset temeritatis: quum enim eorum libri semper tamquam genuini ab omnibus recepti fuerint, ut antiquâ illâ et certâ possessione spoliarentur, adversarii perspicuis certisque rationibus demonstrare deberent, eos esse apocryphos. Ne acerrimi quidem Christianæ Religionis inimici, ut Celsus, Porphyrius, Julianus cet., eos genuinos esse infitiati sunt. Ad hæc, qui umquam, quæso, præter Prophetas a scripturis commemoratos, earum auctores esse poterant? Non Gentiles sane. Non Hebræi; nam in iis libris plurima reperiuntur, quæ ipsis dedecori sunt; et præterea vaticinationes, quas suprà attulimus, aperte demonstrant jam venisse Messiam, quem illi quidem recusant: quapropter non illud ipsum conficere potuerunt, quod tam pertinaciter repudiant. Non Christiani, propter rationem suprà allatam, quod eas adulterinas esse certo ostendissent Judæi, ut repellerent argumenta, a Christianis ex Prophetarum libris repetita.

Christianæ Religionis divinitas probatur ex miraculis. **14.** Præterea probatur Christianæ Religionis divinitas miraculis, quæ in ipsis Scripturis consignata leguntur. Vera miracula sunt ea, quæ, quum naturæ vires superent, a solo Deo patrari possunt; Deus autem falsam doctrinam miraculis confirmare nequit. Quocirca eam certo pro verâ haberi oportet religionem, in quâ vera habeantur miracula, maxime si in ejus doctrinæ confirmationem sint patrata.

At, inquiunt adversarii, nobis compertum non est, quo procedant naturæ vires vel potestas dæmonum.

Respondemus: Quod ad naturam spectat, fatendum quidem, non omnes ejus effectus nobis esse cognitos; nihilominus nonnulli habentur, quos et ipso rationis lumine et ex constanti rerum experientiâ exploratum est, non posse nisi divinâ virtute evenire; ut si bipartiantur aquæ maris et pro parietibus adstent, liberamque itineri patefaciant terram, id quod contigit Israëlitis; vel si gradum sistat sol ad hominis jussum, id quod perfecit Josue; si ad virgæ tactum e lapide erumpat torrens, id quod evenit Moysi; si reviviscat mortuus, a quatriduo corruptus, id quod contigit Lazaro; si quinque millia hominum quinque panibus et duobus piscibus saturentur, id quod in Palestinâ accidit; siquis post tres dies a mortuis resurgat, ex sepulchro clauso et a multis custodito egrediatur, ac deinde coram magno hominum numero in cælum ascendat, id quod fecit Jesus Christus. Ejusmodi miracula naturæ viribus patrata esse, ecquis asserere aut fingere possit?

Deus non permittit dæmonum fraudes in erroris confirmationem.

15. Quod porro ad dæmonum potestatem attinet, concedimus, Deum nonnumquam permittere, ut aliquas præstigias perficiant (quales per Pharaonis magos eos edidisse constat); quæ ceteroquin non reverâ miracula sunt, sed vana oculorum ludibria sine illâ stabilitate vel diuturnitate, quam miracula suprà allata præ se ferunt. Verum illud Deus numquam permittit, eas præstigias a dæmonibus fieri in falsæ alicujus doctrinæ confirmationem, unde inducerentur homines ad credendos errores contra veram fidem. Quapropter, quum ad Christianæ Religionis doctrinam confirmandam patrata reperiamus tot vera miracula, neque ullum in confirmationem doctrinæ, quam ceteræ religiones profitentur, veram esse solam Christianam fateri oportet.

Genuina sunt miracula in Scripturis relata.

16. Ea autem miracula, quæ suprà commemoravimus (præter alia numero plurima, hic vero brevitatis causâ prætermissa) vera esse minimeque dubia, probatur ex ipsis divinis Scripturis, in quibus relata leguntur. Alia enim habentur in Veteri Testamento, cujus veritatem suprà demonstravimus; alia in Novo, ubi referuntur a Jesu Christi discipulis, qui quidem, ob fidei veritatem et tormentis et morti se objicientes, velle non poterant ob humanas quasdam rationes decipere populos: aut certe non poterant arbitrari, deceptum iri Judæos, qui, si ea vera non fuissent, et fraudem fecissent manifestam, nec tam multi se convertissent ad fidem. Atque adeo Christianorum adversarii, ut Suetonius [1], Celsus [2], Julianus [3], Porphyrius [4], Lucianus [5], Jesu Christi miracula dæmoniorum quidem virtuti adscribere conati sunt, non tamen ausi sunt negare, ea reverâ fuisse perpetrata.

CAPUT III.

DE ERRORIBUS, QUOS NONNULLI RECENTIORES PROFERUNT ADVERSUS CORPORIS MATERIALITATEM ET SPIRITUALITATEM ANIMAE. UTRAQUE PROBATUR.

Materia existit. *Berclaeus.*

1. Non defuerunt, qui ullum corpus reverâ materiale esse, negaverint. *Berclaeus* (*Berkeley*) [6], natione Anglus, novum aliquod *Idealismi* systema constituere volens, asseruit, homines omnes, cælos, montes, urbes, maria et quidquid sensu per-

[1] *Nero*, n. 16. — [2] Apud *Origenem*; contra *Celsum*, lib. 1, n. 6; lib. II, n. 48. — [3] Apud *S. Cyrill. Alex.*, contra *Julianum*, lib. VI. — [4] Apud *Euseb.*, Præpar. Evang., lib. V, cap. 1. — [5] Dialogus *Philopatris*. — [6] *Berkeley, Principles of Human Knowledge. — Hilas and Philonoüs; dialogue.*

cipitur, non esse corpora, sed mentis tantum ideam, meram speciem sensuumque hallucinationem. Quod systema quam ineptum sit et ridiculum, nemo non videt; quapropter, ad illud refellendum incumbere, nihil opus est. Hoc tantum ab eximio illo philosopho quærere velim: Si homines omnes mentis tantum notio sunt et hallucinatio, tu ipse Berclæe, qui, utpote omnium hallucinationum subjectum, hallucinatio esse non potes, undenam ortus es? Tune quæso ex aliis hominibus natus es? An ex nihilo oriundus? Esne æternus? An forte Deus es? — Profecto Deus esses nimis absurdus, utpote hallucinationum plenus. — Ad reliqua veniamus.

Leibnitius. Wolfius. **2.** Alii, ut *Leibnitius* [1] et *Wolfius* [2], illud somniarunt, substantias, quibus corpora constant (et quas *monades* vocant), esse indivisibiles, eamque ob causam immateriales. Qui quidem error inde exortus est, quod dicerent, omne corpus, utpote divisibile, infinitis constare partibus: corporis videlicet quamlibet partem, quum sit materialis, *in infinitum* dividi posse. Infinitas autem illas partes physice indivisibiles esse, neque posse naturæ vires infinitam illam efficere realem partium divisionem; atque ita eam esse divisionem mere mentalem. Quum ergo illæ partes non physice, sed ratione tantum separari possint, dicendum esse ajunt, omne corpus immaterialibus constare partibus.

Corporum partes sunt materiales. **3.** Ad quod ita respondetur: Dato, verum esse systema Aristotelicum, corpora esse composita ex partibus *in infinitum* divisibilibus, et falsum esse systema Atomistarum, qui ajunt, simplices partes esse indivisibiles (quod item probabile est); non idcirco, quod ex naturæ viribus partes realiter sunt indivisibiles, eas quoque immateriales esse dicimus; nam, licet natura id efficere nequeat, suâ Omnipotentiâ certo Deus eas dividere potest: semper tamen (id quod reverâ sunt) materiales remanerent; quum secus non possent, ut nunc faciunt, materiale corpus constituere: quandoquidem res immaterialis materiam, quam non habet, aliis dare nequit.

Anima est spiritualis. **4.** Alii autem, ut animæ immortalitatem auferrent, spiritualitatem ei auferre conati sunt. Atque in iis *Benedictus Spinosa*, impius vir, qui docuit (ut suprà vidimus), unam tantum in mundo, eamque materialem esse substantiam, passivam quatenus extensam, activam ut cogitantem; omnesque res sensibiles esse modificationes passivæ materiæ extensæ, omnesque cogitationes cogitantis materiæ activæ modificationes. — Neque ab eo errore multum abfuit *Joannes Locke*, philosophus, quum fraudulenter saltem in dubium vocavit, num cogitare et ratiocinari materiæ congruat: *Fortasse*, inquit, *haud manifesto comperiemus umquam, utrum ens aliquod pure materiale cogitet necne* [3]. Et in ejus sententiam abiit *Voltaire*, quum in Epistolâ 17ª dixit: *Et corpus equidem sum et cogito. Ultra nihil scio* [4]. Tum vero addit, nos cognitum non habere, num materiæ proprietates cum cogitatione reverâ pugnent. — At falsi illius systematis de materiâ cogitante caput fuit impius ille, *Thomas Hobbes* [5].

Spinosa. Locke. Voltaire. Hobbes.

Res extensa inextensam cogitandi vim habere nequit. **5.** Quod quidem systema nostri auctores longis riteque elaboratis explanationibus refellunt, illudque subsistere non posse commonstrant. Ego vero paucis ita respondeo: In nobismetipsis duo esse cernimus proprietatum genera: motum et cogitationem, extensionem et ratiocinium. Eas autem proprietates numquam in eâdem substantiâ ita conjungi posse dico, quin una destruat alteram. — Sed quid ita, inquiunt adversarii? Nonne suâ Omnipotentiâ Deus soli materiali substantiæ

[1] *Système nouveau de la nature et de la communication des substances.* Item: *Ecrits de Métaphysique*, passim.
[2] Cosmol. generalis, sect. 2, cap. 2, § 185-187; cap. 3, § 223, cet. — [3] De Intellectu humano, lib. 4, cap. 3, § 6.

[4] *Lettres philosophiques. Lettre 17e, sur l'âme.* Alii has litteras inseruerunt in *Diction. Philosoph.* Art. « *Ame* », Sectio VIII. « *Vous ne saurez jamais autre chose*, inquit, *sinon que vous êtes corps et que vous pensez* » (Nota edit.).
— [5] Leviathan, cap. 1 et alibi passim.

duas illas proprietates tribuere potest? Extensionis et motûs proprietatem ei præbet, cur item proprietatem cogitandi et ratiocinandi præbere non potest? — Minime vero, respondemus; non potest Deus in materiâ (ut saltem nunc constituta est) ad proprietatem extensionis et motûs adjicere cogitandi ratiocinandique proprietatem, quâ posset judicia elicere et argumentari, ut in præsenti ab hominibus fieri constat. Cujus quidem rei perspicua est ratio. Ut fiat judicium, plures simul ideæ concipiantur necesse est; ut autem fiat ratiocinatio, diversa quoque simul jungi debent judicia. Illæ autem diversæ notiones diversaque judicia, quomodo possunt in materiali substantiâ simul concipi et conjungi? — Respondent illi, ejusmodi judicia et ratiocinationes perfici diversis materiæ sive cerebri motibus, impellendo nempe et repellendo partes materiales; quos motus propterea *actiones* et *reactiones* vocant; cerebrumque eo moveri modo quo funis, manu tensus, elastico motu cedit, mox vero resilit. Sic igitur singulis motibus suam quamque notionem exhiberi, et ita deinde judicia fieri et ratiocinationes.

Extensio cogitationem excludit.

Sed, dico, ut fiat judicium, et magis etiam ut fiat ratiocinatio, notiones simul concipiantur, necesse est; si ergo ejusmodi materiæ motibus conficiendum esset judicium, nullum umquam judicium confici posset; nam prior motus tempore distinguitur ab altero, quin etiam quum inter se contrarii essent, prior ab altero destrueretur; et quum eliciendum esset judicium (qui tertius foret motus), jam desiissent priores ambo. — Reponent: Cerebrum eodem temporis momento unoque et eodem motu diversas propellit atomos, diversis figuris præditas, quæ figuræ diversas ideas constituunt, et sic conficitur judicium. — At etiamsi ponatur, diversas simul notiones diversis figurari atomis, illæ tamen, quum materiales et (quod consequens est) cæcæ sint, non possunt altera alterius cognoscere figuram, neque umquam inter se conjungi ad conficiendum judicium. Alia igitur requireretur substantia, non materialis nec cæca, sed videns et rationabilis, quæ notiones, iis atomis exhibitas, et conjungeret et intelligeret, ut ita conficeret judicium.

6. Ad aliud veniamus itemque firmissimum responsum. — Materia non aliam dare potest nisi materiæ notionem. Si ergo non spiritualem, sed materialem tantum homo haberet animam, quî posset sola materia ei injicere notionem justitiæ, bonitatis vel prudentiæ? Quî notionem æternitatis, relationis numerorum, rerum inter se proportionis, cognitionis universalium? Quî notionem proprietatum et naturæ rerum aliorumque similium, quæ singula profecto spiritualia sunt?

Ex materia notio immaterialis oriri non potest.

7. Nec valet responsio, cogitationes illas ex eo oriri, quod res materiales sensus nostros afficiant, atque inde proveniant phantasmata in vi imaginativâ, id est, in phantasiâ pure materiali.

Primum enim non semper illud accidit, sed solum quum cogitatur de rebus materialibus, non vero de veritatibus, quæ mere spirituales sunt, ut axiomata, vel notiones justitiæ, bonitatis et reliquarum rerum, quas suprà commemoravimus. — Ad hæc, etiamsi de rebus materialibus cogitemus et cogitatio a phantasmate proveniat, ipsum quidem phantasma materiale est, cogitatio vero prorsus spiritualis, utpote nec colorata nec quadrati vel trianguli figurâ quâdam conformata, id quod fieri deberet, si esset materialis. — Porro cogitationem sive judicium ex hominis spirituali mente procedere, manifesto apparet ex eo, quod quum vis imaginativa rem nonnumquam præpostere exhibeat, ratione suâ mens eam corrigit. Sic remus, ex dimidiâ parte in aquâ demersus, phantasiæ quidem fractus videtur; scit vero spiritualis intellectus, eum esse integrum, talemque fallacem speciem oriri ex refractis et reflexis radiis. Atqui judicium illud certo non provenit ex materiali phantasia, ex quâ pro fracto habendus esset remus. Ergo manat ex spiritu, qui ratione suâ phantasiæ errorem corrigit: qui enim

corrigit, utique sapientior est eo, qui corrigitur.

Materia de re immateriali gaudere nequit.

8. Præterea, si materialis esset anima, nihil umquam ei afferre posset delectationem, nisi quod sensum ipsum commovisset. Constat vero, delectari posse animam iis rebus, quæ a sensu non pendeant; ut si doctus suavitatem percipit, quum vel veritatem speculativam deprehendit vel rationem aliquam responsionemve invenit vel denique mathematicam excogitavit machinam horumque similia. Ejusmodi autem delectatio certo non provenit ex sensu tactûs, visûs vel auditûs; ergo fateri oportet, animam materiâ esse superiorem, atque in eâ spiritualem adesse intellectum, ad spirituales illas oblectationes percipiendas idoneum. — Item libertas, quâ nos uti certo scimus, quum rem aliquam aut volumus aut nolumus, vel donum aliquod aut accipimus aut recusamus, planum facit, spiritualem in nobis esse animam; si enim materialis esset libertas, externa vis eam impedire posset: sic, oculos mihi cooperiendo aliquis impedire posset ne viderem, vel obstruendo mihi aures ne audirem; at volendi vel nolendi cogitationem nemo mihi auferre potest. Ergo cogitatio non est materialis.

Materia non potest esse libera a coactione.

Nequit habere libertatem indifferentiæ.

9. Insuper, si materialis esset anima, necessario determinaretur ad perficienda ea omnia, ad quæ suo instinctu materia eam inclinaret, suoque motu impelleret. Hominem vero nonnumquam abstinere videmus iis actionibus, quæ delectationem ei afferrent, et quas jam appetit sensus. Et quid ita? Quia ei dictat ratio, actionem illam vel noxiam sibi vel indecoram esse. Quin etiam sæpius accidit, ut aliquis ea, quæ cruciatum afferunt, amplectatur, quod ratio ei proponat ejusmodi cruciatûs emolumentum. Ecquis materiæ instinctus inducere potuisset sanctos Martyres ad amplectenda tormenta ipsamque mortem, nisi eos perpulisset ratio? — Quapropter (ita concludamus) si homini liberum est, suas aut peragere aut intermittere actiones, non est ille materia, sed spiritus; sin aliter, necessario a materia penderet, et cogeretur perficere ea, ad quæ suo motu eum determinaret materia.

CAPUT IV.

PROBATUR ANIMAE IMMORTALITAS.

Probatur 1m ex omnium consensu.

1. Immortalem esse animam probatur primum ex communi omnium hominum consensu. *Omni autem in re*, inquit Cicero, *consensio omnium gentium lex naturæ putanda est... Atque hæc ita sentimus naturâ duce, nullâ ratione nullâque doctrinâ* [1]. Et deinde ad animæ immortalitatem demonstrandam maximum argumentum esse ait, ita semper et in universum omnes gentes sensisse: *Maximum vero argumentum est... naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare* [2]. Et ante eum Plato: *Quicumque poetarum divini sunt..., ferunt... hominis animum esse immortalem* [3].

2o ex eo, quod omnes immortalem apud posteros memoriam appetunt.

2. Deinde probatur ex eo, quod singuli aut scriptis aut factis gloriosis æternam apud posteros sui memoriam relinquere cupiunt. Ille autem animi sensus, utpote communis omnium, naturâ ipsâ (ut suprà vidimus) insitus esse debet. Quodsi ita est, pro veridico est habendus; natura enim nec frustra agit, nec fallaces injicit sensus.

3o ex divina justitia.

3. Tertio, jam demonstrato, existere Deum perfectissimum, infinitæ et boni-

[1] Tuscul. Disp., lib. I, cap. 13 et 14. — [2] Ibid. [3] Mæno.

tatis et justitiæ (quod fecimus Parte I^a, cap. III), inde manifeste colligitur, immortales esse animas. In hoc mundo tot justos depressos et ærumnis conflictatos, elatos contrà tot impios videmus; si ergo justus est Deus, altera vita sit oportet, in quâ præmio justi, impii pœnâ afficiantur. Jeremias Dominum interrogans: *Justus quidem Tu es, Domine,* inquit;... *quare via impiorum prosperatur?*[1] Et respondet, hac in vitâ impios quidem a Deo tolerari; sed sicut hædi, rete clausi, serventur ad occisionem, ita sceleratos homines ab Eo, ut infinitæ suæ justitiæ victimas, ad æternam in alterâ vitâ pœnam servari. Neque illud Christianæ tantum Religionis dogma est, sed etiam communis antiquorum Gentilium sententia. Ita prorsus apud Græcos existimarunt Homerus[2], Hesiodus[3], Pythagoras[4], Zeno[5], Plato[6] cum Musæo[7] et Orpheo[8]; apud Latinos Virgilius[9], Horatius[10], Propertius[11], Seneca[12] et Cicero, qui refert, Socratem, quum ad venenum sumendum esset condemnatus, et mortiferum poculum manibus teneret, ad hunc modum esse locutum: *Qui se humanis vitiis contaminavissent,... iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum; qui autem se integros castosque servavissent, his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere*[13].

Objectio cum responsione.

Neque hic responderi potest, bonorum præmium in dulcedine, quam secum ferat ipsa virtus, et pœnam malorum in angore, quem vitium afferat, consistere. — Nam præmium et pœna, quum pertineant ad Justitiam Dei, virtutem præcipientis et prohibentis vitium, tum virtuti tum vitio extrinseca sunt; non ergo a nobismetipsis, sed ab ipso Deo distribui debent. Præterquam quod in bonis ægritudines hujus vitæ, ut timor culpæ, dubium de æternâ salute, res adversæ, quibus quotidie affligimur, tam multæ sunt, ut longe superent dulcedinem, quam secum affert virtus; quapropter, si vita æterna non existeret, sine præmio manerent boni. Nec similiter satis magna pœna improbis esset conscientiæ angor; idque eo magis, quod quo ulterius in iniquitate progrediuntur, eo minor fit conscientiæ stimulus; quapropter, nisi in alterâ vitâ iis servaretur pœna, tanto minus punirentur, quanto magis delinquerent.

4° ex perfectæ felicitatis desiderio.

4. Quarto, apud omnes philosophos certa sunt hæc duo: primum, propriæ perfectæque felicitatis desiderium naturâ ipsâ insitum esse omnibus hominibus; alterum, nihil frustra agere naturam. Si ergo ad perfectam suam felicitatem consequendam homo non valeret, natura frustra injecisset illud desiderium. Constat autem, neminem posse his in terris perfectam assequi felicitatem. Ergo, nisi injustitiæ et fraudis accusare velimus naturam, credere oportet, certo dari alteram vitam, et eam quidem æternam (secus enim absoluta non esset felicitas, quin potius amara foret, quod secum cogitaret homo, aliquando eam esse desituram), quâ ad ultimum perfectæ illius beatitudinis finem perveniatur.

5° ex spirituali animæ natura.

5. Quinto, et hæc est ratio intrinseca, anima est immortalis, quia, quum spiritualis sit sineque materiâ, non habet partes, quæ dividi vel corrumpi possint: *Quum simplex animi natura esset,* inquit Cicero, *neque haberet in se quidquam admixtum... dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire*[14]. Anima igitur, naturâ suâ spiritualis, item immortalis sit necesse est, utpote carens omni corruptionis principio, quo destruatur. Non negamus, Deum omnipotentiâ suâ eam destruere posse et

[1] *Jerem.*, XII, 1. — [2] *Ilias*, III, v. 276 seq. — [3] Dies et opera, v. 121 seq. — [4] Apud *Laertium*, de Vitis eorum, qui in Philosophia claruerunt; lib. VIII, *Pythagoras.* — [5] Apud *Lactantium*, Divinæ Institutiones, lib. VII, cap. 7. — [6] Dial. II, de Republ. — [7] Apud *Platonem*, l. c. — [8] Apud *Plat.*, l. c. — [9] *Æn.*, lib. VI, v. 617 seq. — [10] Carm., lib. IV. 7. — [11] Carm., lib. IV, Eleg. 11. — [12] *Hippolytus*, act. 1; *Hercules furens*, act. 3. — [13] Tusc. Disp., lib. I, cap. 30. — [14] De Senectute, cap. 21.

ad nihilum redigere; sed tunc ut supremus Dominus ageret, non ut auctor naturæ: quandoquidem ut auctor illud conservare non omittit, quod naturâ suâ est immortale.

6° ex sacra Scriptura.

6. Nobis vero, Christianis, præ ceteris argumentis satis est fides, quæ credendum proponit, animam esse immortalem. Ita tradunt divinæ Scripturæ. In libro Machabæorum legimus, jussisse Judam Machabæum pro animis eorum, qui in prælio decessissent, sacrificia Deo offerri [1]. Apud S. Matthæum autem: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete Eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* [2]. Et item apud S. Matthæum, adstantibus Petro, Jacobo et Joanne, in monte Thabor apparuisse Moysen et Eliam [3].

7° ex Conciliis.

7. Ita quoque tradunt Concilia, ut Synodus VI [4] et VII [5], et magis expresse Concilium Lateranense V, Leone X Summo Pontifice, ubi dicitur: *Damnamus... omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse,... et hæc in dubium vertentes; quum illa non solum vere per se et essentialiter humani corporis forma existat,... verum et immortalis... sit* [6].

Objectio.

8. Neque obstat hic Ecclesiastæ textus: *Idcirco unus est interitus hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio* [7]. Ex quo aliquis dicere posset: Eadem est bestiarum et hominis conditio; si ergo mortales sunt bestiæ, homo quoque est mortalis. — Sed notari oportet, Sapientem postmodum explicare, quæ sit eadem illa conditio: *Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur* [8]. Ergo illud tantum indicat, et jumentum pariter et hominem morti esse obnoxium; nequaquam vero ait, hominis animam mori.

Responsio.

Altera objectio.

9. Difficiliora videntur hæc alia Salomonis verba: *Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum* [9], id est, ut sub humo corrumpatur? — Alii interpretes volunt, impios hic loquentes induci; alii, ut *Calmet* [10], Sapientem hic proponere dubium, sitne hominis anima immortalis an vero mortalis ut belluarum, illudque deinde in Capite XII resolvere. Sed utcumque ea verba intelliguntur, certum est, in eo Capite XII Salomonem profiteri: *Et revertatur pulvis in terram suam,... et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* [11]. Quibus verbis aperte declarat, spiritum non interire.

Responsio.

Tertia objectio.

10. Objiciunt vero increduli, bestias quoque plurium rerum particularium habere cognitionem, ac nominatim eas recordari beneficia et maleficia accepta: unde patet, immateriale aliquod in iis adesse principium; ac nihilominus mortales sunt bestiæ. — Ad quod nonnulli respondent, eas mere materiales esse machinas sine ullo spirituali principio. Alii, eas constare substantiâ sanguineâ, spiritibus plena, at spiritibus materialibus. Alii (et hodie quidem hoc videtur systema communius receptum), ideo eas esse mortales (quamquam immateriale habent principium, id vero valde imperfectum), quia Deus in hominis servitium neque ratione præditas eas creaverit; itaque, quum nec præmii nec pœnæ sint capaces, ubi munus suum perfecerint, Deum ultra eas non conservare, easque ita ad nihilum recidere. Hominem vero ad æterni Dei gloriam creatum, et ab Eo ratione præditum (quo fit, ut merito et demerito dignus sit) pro immortali esse habendum, non tantum propter sacræ Scripturæ auctoritatem, sed etiam ex sanæ philosophiæ præceptis, quia his in terris nec sat magno præmio nec satis idoneâ pœnâ eum affici videamus.

O præclaram *spirituum fortium* sapientiam! Immortales quum sint, mortales fieri cupiunt, bestiarum similes, ut sine lege sineque ratione, bestiarum more, vivant!

[1] 2. *Mach.*, XII, 43-46. — [2] X, 28. — [3] XVII, 1-4. — [4] *Constantin.* III, Act. 18, *Contra negantes æternitatem pœnarum.* — [5] *Nicæn.* II, Act. 1. — [6] Sess. VIII, Bulla «*Apostolici regiminis*». — [7] III, 19. — [8] Ibid. — [9] v. 21. — [10] Comment. in l. c. — [11] v. 7.

CAPUT V.

ÆTERNUM ESSE FUTURÆ VITÆ ET PRÆMIUM ET SUPPLICIUM.

Omnes vel mercedem vel pœnam æternam hac in vita sibi præparant.

1. Non immerito lacrimarum vallis hæc terra vocatur, in quâ ad molestias subeundas singuli homines sint collocati: *Homo natus...*, inquit Job, *brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* [1]. Fatendum quidem, omnium infelicissimos hac in terrâ esse improbos, qui præter externas vitæ humanæ ægritudines internum etiam conscientiæ tormentum patiantur, et divinæ gratiæ expertes, nullum percipiant internum solatium; quum bonos licet externe ærumnis conflictatos, divina gratia interne consoletur. Verumtamen et boni tot passionibus et timoribus vexantur, ut angores longe superent animi pacem; nec perversi hac in vitâ pro meritis puniuntur, quin etiam haud raro præ justis cernuntur externis bonis florere. Inde colligitur, hanc terram locum esse meritis tantum acquirendis destinatum, et alteram haberi vitam, in quâ Deus fideles remuneratur, legumque suarum violatores castigat.

Probatur ex Scripturis.

2. Illud autem confirmatur divinis Scripturis, quæ promissionibus et minis, ad æternam vitam spectantibus, abundant; atque ita in consummatione sæculorum justi quidem ab æterno Judice audituri sunt: *Venite, benedicti..., possidete... regnum, cet.;* reprobi vero: *Discedite a Me, maledicti, in ignem æternum* [2].

Non solum locus pœnarum, sed ipsa pœna in æternum durabit.

3. Nec dici potest (cum iis, qui reprobos pœnâ æternâ eximere volunt), ignem quidem æternum esse futurum, non vero æternam eorum pœnam. — Nam respondetur primum, si non aliam ob causam a Deo creatus est ille ignis nisi ad puniendos maleficos, ut ajunt Scripturæ: *Ignis succensus est in furore meo* [3]. *Si quis in Me non manserit..., colligent eum et in ignem mittent* [4]; cur creatus esset æternus, si non deberet æternum esse instrumentum, quo castigarentur peccatores? Respondetur secundo, si eo textu non exprimatur, pœnam esse æternam, ex multis aliis textibus illud constare: *Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam* [5]. (Itaque sicut in præmium justis datur vita æterna, sic æternum supplicium reprobis in pœnam). *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini* [6]. *Vermis eorum non morietur* [7]. *Dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum* [8]. *Missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi... cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum* [9]. *Quærent homines mortem, et non invenient eam; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis* [10].

Idem declaravit Synodus V [11], in quâ (ut referunt Evagrius [12], Nicephorus [13], Theophanes [14], Photius [15] aliique apud Tournely [16], Vigilio Summo Pontifice, damnatus est Origenes, qui asserebat: *Omnium impiorum hominum et etiam dæmonum tormenta finem habitura* [17]. Idem quoque Synodus VI (Act. 18) et VII (Act. 1). Et Concilium Lateranense IV: *Resurgent... ut recipiant... illi* (i. e. reprobi) *cum diabolo pœnam perpetuam* [18]. Idem quoque Tridentinum [19].

[1] XIV, 1. — [2] *Matth.*, XXV, 34 et 41. — [3] *Jerem.*, XV, 14 — [4] *Joan.*, XV, 6. — [5] *Matth.*, XXV, 46. — [6] 2. *Thess.*, I, 9. — [7] *Isai.*, LXVI, 24. — [8] *Judith*, XVI, 21. — [9] Apoc., XX, 9 et 10. — [10] Apoc., IX, 6. — [11] *Constantin. II*, adversus *Origen.*, Can. 12 et 13. — [12] Hist. Eccl., lib. IV, cap. 38. — [13] Hist. Eccl., lib, XVII, cap. 27. — [14] Chronographia, a° 545. — [15] Syntagma Canonum, tit. I, cap. 1. — Epist. I. — [16] Comp. Theol., De Angelis, qu. XI, art. IV. — [17] *Origen.*, Comment. in Epist. ad *Rom.*, lib. V, n. 7, et lib. VIII, n. 11. — [18] Cap. I, de Fide Catholicâ. — [19] Sess. VI, can. 25; sess. XIV, can. 5.

Malitiæ infinitæ infinita pœna respondet.

4. At, inquit unus ex nostræ ætatis incredulis, ecquæ justitia est, æternam constituere pœnam culpæ momentaneæ? — Respondemus, divinam Justitiam offensionis Deo illatæ æternam illam pœnam merito expetere, idque ob plures easque evidentes rationes. Et primum quidem, quum sit delictum malitiæ quodammodo infinitæ (ut ait S. Thomas [1]) ob despectum Deum infinitæ Majestatis, ei deberetur pœna infinita: quod autem pœnæ *intensive* infinitæ capax non sit creatura, juste ei irrogatur pœna *extensive* infinita. Et, inquit S. Augustinus [2], directe ad adversarios respondens, quæ umquam condita lex est, ut tempus pœnæ æquale esse debeat culpæ tempori? Etiam humanæ leges perpetuas in totam vitam pœnas gravissimis delictis constituunt.

Animæ mors, irreparabile damnum.

5. Alia autem ratio hæc est: Sicut anima est corporis vita, sic gratia est vita animæ; quo fit, ut grave peccatum dicatur mortale, quod animæ tollat gratiæ vitam. Porro quemadmodum occiso homine, corporis mors sine divinæ Potentiæ miraculo est irreparabilis, ita certo irreparabilis est mors animæ, quum peccator animam suam peccato occiderit. Et quamquam pro suâ misericordiâ Deus hac in vitâ multis animis veniam dare et amissam gratiæ vitam restituere solet, non ita in alterâ vitâ agit; quandoquidem hanc legem statuit ejus Providentia, ut in præsenti vitâ temporali, non vero in æternâ vita misericordiam cuiquam tribuat.

Anima damnata in malo obstinata est.

6. Tertia ratio: Hac in vitâ Deus peccatori ignoscit, at ei tantum peccatori, quem deliquisse pœnitet; secus ne Deus quidem veniam ei tribuere posset. Atqui peccatorem in peccato morientem gratia deserit; quin etiam ejus voluntas adeo remanet in peccato et in Dei odio obstinata, ut etiamsi Deus peccatum condonare vellet, ille tamen veniam ejusque gratiam respueret. Damnatus omne mali remedium recusat; quo fit, ut desperata sit curatio: *Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari?* [3] Itaque quum æterna sit anima (ut suprà probavimus) et æternum ejus delictum, pœna quoque debet esse æterna; quod his verbis declarat S. Marcus: *Non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti* [4].

Post mortem non applicantur Christi merita.

7. Præterea peccator ex semetipso Deum non potest placare, neque ejus pœnitentia divinæ Justitiæ offensæ dignam exhibere satisfactionem: hac in vitâ Deus ei ignoscit, quatenus ei applicantur Jesu Christi merita, quorum quidem hac in vitâ capax est, et per quæ satisfit divinæ Justitiæ. At in inferno, ubi *nulla est redemptio,* Deum placare jam nequit, utpote non amplius idoneus, cui applicentur Redemptoris merita; et sic recipiendæ veniæ remanet inhabilis.

Prima objectio: Vox: *æternum.*

8. Objiciunt *Sociniani* primum, in divinis Scripturis vocem *æternum* non semper æternitatem, sed sæpe longum temporis spatium designare; idque ex pluribus textibus colligunt. — Respondetur, naturâ suâ vocem *æternum* sine ullâ dubitatione significare *sine fine.* Est autem theologorum certa regula, divinas Scripturas proprio et naturali sensu esse interpretandas, quoties ad aliam interpretationem non cogant sermonis adjuncta; id quod hic certo non accidit; sed ex iis, quæ suprà diximus, prorsus contrarium inferri debet.

Responsio.

Altera objectio: ex S. Paulo.

9. Objiciunt secundo hæc S. Pauli verba: *Conclusit... Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur* [5]; ex quibus colligere volunt, damnatorum pœnam non esse in æternum duraturam. — At S. Augustinus [6] exponit, ea verba non esse dicta de misericordiâ damnatis tribuendâ; sed significare, Deum Hebræos ad fidem vocando, iis exhibiturum esse eam misericordiam, quam Gentilibus tribuit.

Responsio.

Tertia objectio: ex fine, cui homo creatus est.

10. Objiciunt tertio, Deo quidem dignum esse, æternam salutem afferre ho-

[1] Opusc. 2, Compendium Theologiæ, cap. 183. [2] De Civit. Dei, lib. XXI, cap. 11. — [3] *Jerem.*, XV, 18. — [4] III, 29. — [5] *Rom.*, XI, 32. — [6] De Civit. Dei, lib. XXI, cap. 24, n. 6.

minibus, quum ad eum finem eos creaverit; sed ob eamdem rationem divinæ Bonitati non convenire, in æternum eos

Responsio. damnare. — Respondetur cum S. Thomâ [1], Deum licet homines æternæ felicitati creaverit, voluisse tamen, ut non solius gratiæ viribus, sed suâ quoque cooperatione eam sibi acquirerent. Quapropter tota solius hominis culpa est, quum ad salutem cooperari renuens in perniciem incurrit. Deus porro justis de causis peccatum permittit, et ut rectus universi ordo servetur, et ut magis resplendeat justorum fidelitas: *Oportet et hæreses esse*, inquit Apostolus, *ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis* [2].

Quarta objectio: ex pœnarum natura, quæ juxta Scripturam hominem ad nihilum redigent.

11. Objiciunt quarto, æternam illam damnatorum pœnam non consistere in æternis cruciatibus, sed in eo, quod post temporariam et delictis consentaneam pœnam a Deo ad nihilum redigantur; illudque commentum inniti ajunt divinis Scripturis, quæ declarant, perditionem et interitum reprobis servari: *Nullum est operimentum perditioni* [3]. — *Vasa iræ apta in interitum* [4]. Voces illæ *perditionis* et *interitûs* (inquiunt) consummationem et fi-

Responsio. nem designant. — At respondetur, declarare ipsum Apostolum, idcirco reprobos vocari mortuos, quatenus in perpetuum Dei Visione privati sint et æternis pœnis addicti: *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini* [5].

Quinta objectio: ex fine pœnis constituto, ut scl. reus corrigatur et reliqui timeant.

12. At, inquit impius ille *Bayle* [6], pœnæ constituuntur vel ad correctionem delinquentium vel etiam ad reliquorum exemplum. Quid ergo proderit, damnatos in æternum cruciari, quum nulla remanserit spes neque eorum correctionis neque exempli aliis ponendi? — Respondetur primum, nonnullas quidem pœnas esse in medicamentum, alias vero in vindicationem et

Responsio. punitionem ipsius culpæ. — Respondetur secundo, allatam regulam in judiciis hominum, non autem in Dei judiciis valere: puniendo humanus judex respicit tantum reipublicæ bonum, eamque ob causam non aliud quærit nisi aut correctionem delinquentis aut ceterorum exemplum; Deus vero damnatos puniens non tantum consulit correctioni vel exemplo, sed hoc potissimum spectat, ut sua manifestentur attributa; quocirca æternæ reproborum pœnæ, quamvis in consummatione sæculi neque iis neque aliis profuturæ sint, valebunt tamen, ut divinæ Justitiæ ordo resplendeat.

Sexta objectio: Ex divinis Attributis.

13. Postremo objiciunt cum eodem *Bayle*: At peccata et damnationem tot miserorum permittere, quomodo congruit cum Dei Bonitate? [7] Tot mala aut impedire non potest, neque est omnipotens; aut impedire non vult, et est crudelis. —

Responsio. Respondetur: Deus primum hominem Adamum rectum creavit ejusque sensum rationi rationemque Deo obsequentem; sed eum ita creavit liberum, ut pro suo arbitratu vel ad bonum vel ad malum se convertere posset. Adamus autem peccando Deoque non obtemperando male usus est eâ libertate; suoque peccato et sibi et posteris immanem attraxit perniciem: ex eo enim prorsus inordinata remansit humana natura, intellectus obscuratus, sensus rationi contrarius et ratio ad malum propensa. Huic calamitati Deus pro infinitâ suâ Bonitate occurrere non omisit, suumque misit Filium, qui satisfaceret pro hominum peccatis, iisque per talis tantique Redemptoris merita gratias ad recte vivendum et salutem consequendam acquireret. Sic autem Deus patefecit et suum erga hominem amorem, et infinitam suam Justitiam, quod pro culpis hominum Filium suum morti addixerit; et infinitam quoque Sapientiam, quâ modum repererit adeo mirabilem suæ plane satisfaciendi Justitiæ, planeque subveniendi ruinæ, quam homo suo peccato sibi importasset.

14. Quibus positis, quomodo asserere possunt increduli, non congruere cum di-

[1] Contra Gent., lib. III, cap. 1. — [2] 1. *Cor.*, XI, 19. — [3] *Job*, XXVI, 6. — [4] *Rom.*, IX, 22. — [5] 2. *Thess.*, I, 9. — [6] *Diction. histor. Art. Socin*, dicta referens *Socinian.*, Not. L. — [7] Ibid.

vinâ Bonitate, ut tam multa peccata et tot hominum damnationem permittat? Sed quomodo Deus (respondeo) suam erga homines bonitatem melius ostendere poterat? Ecquod majus misericordiæ et amoris testimonium nobis dare potuisset Verbum æternum, quam ut in terras descenderet, homo fieret sicut unus e nobis, et post vitam adeo humilem et incommodam a carnificibus occideretur ad salutem nobis afferendam? Si ipsum divinum Patrem a morte redimere debuisset, quid amplius potuisset facere? Immo, si homo Jesu Christi dominus fuisset, Ille autem hominis servus, quid ultra facere potuisset, ad suum ei demonstrandum amorem, quam ut ejus causâ sanguinem vitamque profunderet? O ingratos homines! Postquam eorum amore Deus vitam posuit, reperiuntur, qui illud factum esse ne credere quidem velint, et vel eo progrediantur, ut etiam negent Eum existere!

Adversarii instant.

15. Sed (inquiunt) cur fit, ut tot infideles, tot hæretici et tot etiam Catholici pereant? — Respondeo: Sciant oportet, ingentia fuisse damna peccato illata: peccato obscuratus remansit hominis intellectus ad æternas veritates cognoscendas, voluntas inordinata atque infestata fomite sensuum rebellium, qui ad malum eam inclinare non desinunt. Quapropter summa unicuique adhibenda est diligentia, ut et in fidei et in morum rebus veras sententias cognoscat easque discernat a falsis; ac præterea summopere curare debet, ut iis utatur adjumentis (Sacramentis potissimum et oratione), quæ ad recte vivendum nobis promeruit et reliquit Jesus Christus: secus enim homo suis ipsius viribus relictus, carnis dæmonisque suasionibus resistere nequit. Atvero homines, ne belluinis vetitisque delectationibus careant, ad lucem oculos claudunt; adjumenta, quibus ad salutem pervenirent, adhibere negligunt; atque ita peccant et in perniciem incurrunt: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem* [1]. Infideles quidem oculos claudunt ad gratiam et ad naturale rationis lumen; eamque ob causam tam multi suâ culpâ fidei luminis expertes remanent. Hæretici oculos claudunt ad lumen Evangelii veræque Ecclesiæ, quam veritatis columnam Jesus Christus nobis reliquit. Peccatores denique, etsi Catholici, claudunt oculos ad regulas fidei gratiæque stimulos. En, cur tam multi pereant.—Verum, quamquam adeo perversi sunt homines, quis umquam animo comprehendere potest, quam misericordem assidue iis se præbeat Dominus? Quam multos excitat fideles servos animumque iis addit, ut spretis tot incommodis et periculis, se conferant ad infideles et hæreticos, a quibus Verbi Dei prædicatione mentis tenebras dispellant? Quoties misericordiam cum peccatoribus exercet? Quamdiu eos exspectat? Quam sæpe ad pœnitentiam eos vocat? Quoties relapsis denuo ignoscit? Numquam repertus est, nec certo reperietur homo magis misericors erga homines, quam erga nos se præbet Deus. Ah, infinita nisi esset divina misericordia, ad salutem quis umquam perveniret? Ad hæc, quis umquam verbis explicare possit amorem, quo animam Se diligentem diligat Deus, et quam innumerabiles gratias ei largiatur? — Increduli ergo immensam Dei nostri Bonitatem (eam si renuunt amare) negare saltem desinant.

Respondetur.

Eamdem difficultatem urgen.

16. At reponere non omittunt, posse tamen Deum, si vellet, tot hominum peccata et damnationem impedire. Cur ergo illud non præstat? — Quia (respondeo) libertatem, quam hominibus concessit, non vult auferre. Si peccata impediret, increduli conqueri possent, quod Deus, postquam ipsis libertatem peccandi suoque genio indulgendi dedisset, postmodum eamdem voluisset adimere.

Respondetur.

Dicent: Sed, etiamsi non auferretur libertas, nonne Deus majorem illam lucis gratiæque abundantiam, multis aliis concessam, singulis quoque largiri posset? Eccur Judæ negavit gratiam, S. Petro præstitam? Eccur gratiam, bono latroni

[1] *Joan.*, III, 19.

datam, perverso latroni dare renuit? Cur denique gratias efficaces, quas nonnullis tribuit, non tribuit omnibus?

Atvero (ita respondemus) numquid tenetur Deus abundantes illas gratias, nonnullis quidem concessas, omnibus concedere? Si gratiæ sunt, debitæ non sunt, nec Deus eas dispensare tenetur. Ad vindicandam Dei bonitatem satis est, si unicuique sufficiens præbeat auxilium, quo, si velit, ad salutem possit pervenire.

Cur autem plus uni quam alteri? Siquis pater (inquit impius ille *Bayle*) omnes filios ex morte eripere posset, nonne crudelis esset, si alios vellet, alios nollet servare?

Discrimen inter bonitatem increatam et creatam.

Sed tali comparatione oh quot diversas notiones inter se permiscet *Bayle!* Longe alia est bonitas creata ac finita, alia increata atque infinita. Bonitas creata necessario est dependens; quapropter semet diffundendo aliquâ inniti debet ratione, et præsertim Creatoris amore et gloriâ Illius, qui est omnium bonorum auctor. Quod si ita est, pater, bonitatem cum filiis exerciturus, si ex morte omnes eripere potest, ad illud præstandum tenetur: justitia enim, cui subjecta est ejusmodi bonitas, dictat, ut omnibus pariter optet illius mali fugam, quam eorum unicuique velit: vult autem Deus, in diligendo patrem ad talem modum esse justum. — Contrà vero infinita Bonitas necessario est independens, atque in Semetipsâ reperit omnes Sui diffundendi rationes. In distribuendis beneficiis nihil Ei præscribit justitia: nam nihilo nihil debetur. Priusquam autem cum hominibus Se communicasset divina Bonitas, extra Eam, quum sit causa universalis, nihil omnino concipi poterat. Omnes res intelligentiâ præditæ, et reliqui omnes perfectionum gradus eam causam supponunt; ipsa vero, utpote a Semetipsâ, nihil habet, quod supponat. Siquis ergo Dei Bonitatem cum bonitate hominis comparare velit, non reperit quid dicat; quandoquidem, si in aliquo conveniant, illud est, quod sicut Dei Bonitas aliis benefacit, ita ad eam imitandam homo aliis benefacere debet; verumtamen cum hoc discrimine: homo bonum operari debet ad Dei gloriam et juxta ordinem, ab Eo sibi præscriptum; Dei vero Bonitas non tenetur Semet *ad extra* communicare; quodsi illud præstat, ita facit, quia sic facere voluit et eo modo quo voluerit; siquis aliter de Eâ judicet, imperfectam Eam reddit. Itaque pater ille tenetur lege divinâ omnium filiorum servare vitam, quoties illud præstare potest; Deus vero nulli legi subjectus est, nec ceteroquin tenetur, eamdem singulis exhibere misericordiam; eam exhibet quatenus suæ gloriæ magis convenit pro inscrutabilibus infinitæ suæ Sapientiæ judiciis; et quis adeo temerarius erit, ut Ejus judiciorum rationem a Deo reposcere velit?

De notione infinitæ Bonitatis.

17. Verum si in inscrutabilia illa Dei judicia penetrare liceat, mihi respondeat impius: Quæ tandem est entis infinite potentis notio? Hæc proprie, ut illud concipiatur tamquam ens, quod rei nondum existenti existentiam dare possit. Atqui, sicut ejusmodi recta notio potentiæ, quæ nullis terminis circumscripta, omnia perficere potest, nequaquam exigit, ut quæcumque efficere possit, reverâ efficiat, quum satis sit, in minimo quoque effectu integram eam se ostendere; ita et notio infinitæ Bonitatis non requirit, ut omnia illa conferat beneficia, quæ conferre possit, quum in minimis quibusque donis Se præbeat infinitam. — Similitudinem illam clarius explicemus. Potestne novarum rerum creatio ad notionem infinitæ divinæ Potentiæ quidquam adjicere? Certe non potest. Sic quoque donum illud, quo Deus hominem constanti erga virtutem amore afficeret, nihil adjicere posset ad notionem, quâ infinite bonum Eum cognoscimus. Ejus Bonitatem infinitam agnoscimus citra illud bonum, quemadmodum pro infinitâ percipimus ejus Potentiam sine ullâ comparatione ad novarum rerum creationem. Denique divinæ Bonitatis notio non requirit, ut dominantem in homine erga rectum virtutis ordinem conservet amorem; sicut non exigit notio

potentiæ, ut existentiam conservet creaturarum. Infinitæ Bonitatis notio nihil aliud exigit, nisi ut communicetur, quia communicari velit et quantum voluerit; sicut notio infinitæ potentiæ hoc tantum exigit, ut ideo solum operetur, quod operari velit et quantum operari voluerit. — Patet igitur, propter suam Bonitatem non teneri Deum præpedire, quominus libero suo arbitrio homo abutatur.

De peccati permissione.

18. Ad hæc, vel nobis perspicere licet, quam juste a Deo peccatum permittatur; sic enim (ut suprà innuimus) divina manifestantur attributa: ejus misericordia, quâ veniam tribuit, ejusque justitia, quâ pœnas repetit ab iis, qui gratiæ suæ respondere renuant. Nisi permitteret rebellis concupiscentiæ pugnam, deesset victoria tam multorum fidelium. Nisi perversos toleraret, non splenderet bonorum virtus, eorum patientia, mansuetudo, caritas: *Neque enim Deus... quum summe bonus sit*, inquit S. Augustinus, *ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo* [1]. Deus igitur permittit peccatorum malum, ut inde gloriæ suæ bonum colligat, atque ita rectum universi ordinem conservet.

Divina mysteria adoranda.

19. Porro inter multos delinquentes aliis Dominum exhibere misericordiam, aliis eam negare, divinæ est Sapientiæ mysterium, quod nos neque intelligere valemus, neque ut intelligamus contendere oportet. Divina mysteria adorare, non intelligere debemus. Deum justissimum esse novimus; hoc satis esse debet ad reverenda omnia ejus divina judicia. Humanæ quoque scientiæ et certa sua principia et difficultates implicatas habent; neque idcirco, quod identidem nonnullas difficultates resolvere non possumus, scientiam ipsam vel ejus principia negare licet. Num ergo, quod nonnullarum rerum, quæ infinitâ mente disposuit divina Providentia, rationem cognoscere non valemus, ideo negare licet principia, jam evidenter cognita, Dei existentiam dico, revelatam religionem, immortalitatem animæ et mercedem pœnamque in alterâ vitâ æternam?

Dei consilia justa.

20. Si Deus, utpote infinitus, animo comprehendi non potest, similiter comprehendi nequeunt infinita ejus Sapientia et æquitas; et (quod consequens est) intelligi non possunt ejus consilia in gubernandâ rerum universitate. Siquis imperitus (inquit S. Augustinus [2]) intraret in officinam, ubi ferrum elaboratur, certo non auderet fabro objicere, quod frustra illic asservet malleos, incudes et folles. Homo vero non verebitur a Deo rationem reposcere eorum, quæ ab æterno statuit? — Itaque paucis hoc argumentum concludamus: Deus ex unâ parte odit prohibetque peccatum; ex alterâ vult omnes homines salutem consequi, eamque ob causam adjumenta singulis tribuit et suæ gratiæ auxilia, quibus peccata declinare et ad salutem pervenire possint; verumtamen peccandi atque in perniciem ruendi, si voluerint, hominibus relinquit libertatem. Quibus positis, nemo non videt, eos qui damnentur, ideo damnari, quia damnari voluerint; quodsi damnari velint, æquum est, pœnâ eos affici; illudque omne eorum culpâ, non culpâ Dei accidit.

Dissertationis Conclusio: Ratio et prudentia exigunt, ut omnes Christianam Religionem sequantur.

21. Sed eheu! quanta incredulorum cæcitas! Etiamsi probabiles haberent rationes pro suis opinionibus, non esse Deum, animam unà cum corpore mori, posse unumquemque in qualibet religione salutem consequi, neque æternum esse infernum, ad summum dubiæ forent eorum opiniones; et si fidei nostræ veritates ideo negent, quod eas evidentes sibi non esse dicant, profecto tamen hoc numquam credere poterunt, fidem nostram evidenter esse falsam. Ex alterâ parte negari nequit, Christianam nostram religionem et propter auctoritatem tot hominum, qui omni doctrinâ eruditi omnique pravo sensuum affectu liberi, eam amplexi sint, et propter rationes, quæ pro eâ militent,

[1] Enchiridion de fide, spe et caritate, cap. 11.

[2] De Genesi contra *Manich.*, lib. I, cap. 16, n. 25.

saltem (illâ voce hic utamur) saltem probabilem esse et verisimilem. Vel ipsi increduli, quantumvis sibi persuadere conentur, rem non ita se habere, nequeunt tamen excutere formidinem, quâ in ipsâ incredulitate anguntur, tum potissime quum mentis aciem minus obscuratam habent libidinum impetu et belluino sensuum fomite.

Incante agunt increduli.

22. Atqui etiamsi dubia essent fidei nostræ dogmata, omnis tamen ratio et prudentia expostularent, ut ea sequeremur. Nonne stultus esset mercator, qui ut unius nummi lucrum faceret, totius patrimonii amittendi adiret periculum? Nonne stultus rex, qui ad viculum quemdam adipiscendum, totum regnum in aleam daret? Nec pro stulto id habebitur, cum incredulis sequi sententiam, quæ si vera sit, exiguum vel nullum utilitatis fructum præbeat: sin falsa, æternam afferat perniciem? Ex uno eorum, qui ut ad suum arbitrium vivere possint, omnia in dubium vocant, quod nostræ religionis veritates certas non esse contendant, equidem quærere vellem: Numquid de opinionum tuarum veritate eam sponsionem facere velles, ut in discrimen dares vitam? Minime quidem. Atqui æternam vitam in discrimen dare non renuis? — Nonne vides, cæco impetu amplecti quidquid placet, sine ullo vel legis vel rationis respectu, non esse hominis sed pecudis, ratione carentis? Non ad animi cupiditates, sed ad rationem dirigenda est religio. Fidei nostræ mysteria, si nobis evidentia non sunt, sunt tamen evidenter credibilia. Religionis veritates speculativæ, intellectu credendæ, non physicis nec geometricis argumentationibus probari possunt, sed rationibus, ad fidem menti faciendam accommodatis.

Objectio cum responsione.

23. At, inquiet, regula est, pro incerto certum relinqui non debere. — Respondeo primum, eam esse non posse communem cujuscumque rerum generis regulam. Quodsi ita esset, nemo ad lucrum percipiendum mercaturas facere deberet, nemo laborem vel pecuniam impendere, ut honoribus vel fortunis augeretur; nam incerta sunt et lucra et fortunæ; idque eo magis, siquis lucro non percepto, perderet omnia; quod revera hîc accideret, quum non solum agatur de æterno regno et gaudiorum pleno bonâ vitâ acquirendo, sed etiam de æternâ calamitate malâ vitâ sibi attrahendâ.

Præterea respondeo, item incerta esse oblectamenta. Quis nobis pollicetur facultatem ea consequendi? Ecquis ut iis frui possimus, valetudinem nobis certo sustentabit, maxime si immoderate ea quæsiverimus, quum talibus oblectamentis necessario profligetur valetudo? Aut quis saltem nobis præstabit, ad ea perfruenda vitam et tempus non esse defutura, quum adeo incerta sit vita nostra? Quodsi incerta sunt omnia, nonne stultus esset, qui incertum nummum se consecuturum sperans, spem abjiceret comparandi sibi decies centena millia nummorum? Nec stultus erit, qui et boni æterni abjiciat spem, et simul periculum adeat in æternum malum incurrendi, quod speret, pauca et brevia se adepturum esse oblectamenta, eaque etiam venenata? Quandoquidem illicitum delectamentum plus doloris quam gaudii affert ob angoris formidinisque venenum, quod culpa secum importat. — Si duas homo haberet animas, earum unam (licet et tum inconsulte ageret) in aleam dare posset: quum vero unam tantum habeat, eam si perdiderit, æterna est et irreparabilis ejus pernicies. Quapropter, etiamsi incerta esset nostra fides, prorsus expostularet ratio, ut unusquisque paucis illis et exiguis bonis, quibus his in terris frui possit, abstineret ad comparandam sibi immensam atque æternam felicitatem, et declinandum periculum in æternam miseriam ruendi.

Increduli non sunt felices.

24. Præterquam quod, si verum fateri velimus, in præsenti etiam vitâ dulcedinem reverâ afferunt sola licita oblectamenta: hæc quippe pura sunt et ab omni culpâ remota neque obnoxia dolori, angoribus et formidini, quibus se subtrahere nequeunt dissoluti homines. Et fru-

stra quidem omnibus modis sibi persuadere conabuntur, falsas esse æternas veritates; funesti enim illi peccatorum effectus non oriuntur ex præjudicatâ educationis opinione, ut somniant increduli, sed ipsâ naturâ imprimuntur. Quod nisi ita esset, cur timeret incredulus, si nullam se admisisse culpam arbitraretur? Cur libere et aperte exercitatur virtus, vitium timide et cum rubore? Qui autem et recte credit et bene vivit, ætatem quietam traducit nec timet, quum culpæ sit immunis. Accedit, quod virtutes, ut castitas, justitia, temperantia eæ sunt qualitates, quæ non solum animæ tranquillitatem servent, sed etiam improborum venerationem habeant. Antiqui philosophi omnibus sensuum delectationibus anteponebant virtutes, quamvis, utpote ex gloriæ cupidine oriundæ, virtutis non esset in iis nisi vana quædam species. Oh, quantopere oblectamenta animi sensuum oblectamentis antecellunt! — Quæ omnia argumento sunt, bonum et malum non esse tantum humanæ mentis commenta, sed reverâ etiam existere: Deus enim infinitæ Bonitatis in naturâ impressit virtutis amorem et horrorem vitii.

Vera incredulitatis ratio.

25. Sed quid est, inquiunt increduli, quod eædem illæ veritates manifestæ sint vobis, nobis vero abditæ? Idcirco ita accidit, respondeo, quia mentem obscurant vitia. Videt quidem oculus; at fasciâ contectus jam non videt, quantumvis magna lux resplendeat. Qui vitiis abstinet, haud difficulter recte credit; numquam vero recte credere potest, qui vult perperam vivere. Siquis male vivit, sua interesse opinatur, omnem fidem abjicere, ut sine conscientiæ angore peccare sibi liceat; sic autem ad utilitatem, non ad rationem se dirigi sinit. Nec quisquam Deum ejusque veritates umquam negavit, quin prius Eum offendisset. Cogitatio pœnæ, quæ culpam sequitur, impedit quominus homo illicitis hujus vitæ oblectamentis libere fruatur; eamque ob causam qui vitiis est deditus, facile exoptat, ut vitiose viventibus nulla constituta sit pœna; qui autem talia exoptat, eo facile procedit, ut idem vel credat vel certe in dubium revocet, quo peccata minus remordeant. Siquis statuerit dubium habere ultimum Symboli articulum: *Credo in vitam æternam*, jam in eo est, ut in dubio ponat et primum articulum: *Credo in Deum.*

Practica conclusio.

Si probabilia tantum vel dubia essent fidei nostræ dogmata, existere nempe Deum remuneratorem, corpus quidem mori, immortalem vero esse animam, pœnas dari æternas; tutiorem sane religionem sequi deberemus, quum de æternâ salute agatur; quâ in re siquis erraverit et ea vera sint, quæ Christiana Religio tradat, error in æternum corrigi nequit. Minime vero; dogmata illa non dubia, sed certa sunt et evidentia: quamquam enim ipsa religionis nostræ mysteria nobis non evidentia sunt sed obscura (in hoc quippe consistit fidei meritum, quod ea credimus, quæ non intelligimus); hoc est tamen evidens, fidem nostram esse veram fidem, et certa quæcumque credenda nobis proponit. Miseri illi increduli, qui dum flagitiose vivunt, ut se expediant conscientiæ angore pœnæque formidine, omnia in dubium et controversiam vocant, jamjam morituri percupient sane, fidem se habuisse vitamque egisse vere Christianam; sed illud iis accidet, quod cuidam incredulo, quem morti vicinum horrenda illa protulisse verba legimus: *Tandem equidem credo, quæcumque antea negavi; sed jam serius est, quam ut gratiam resipiscendi sperare possim.* Quibus dictis, animam efflavit [1].

[1] Apud *Nieuwentijt: Het recht gebruik der wereltbeschouwingen, ter overtuiging van ongodisten en ongelovigen* (*Amsterdam*, 1730). Præfat.

II.

DE FIDEI EVIDENTIA

SIVE

DE VERITATE FIDEI

QUAM EVIDENTEM REDDUNT

CREDIBILITATIS SIGNA

1762

Christianam Revelationem, tot tantisque argumentis confirmatam, ultro, nisi per summam injuriam, repelli non posse, S. Doctor primâ Dissertatione liquido monstravit. Quoniam vero non una, sed plures religiosæ Societates revelatam Jesu Christi doctrinam se tradere gloriantur, hoc tandem supererat, ut aliâ rursum disputatione ostenderet, quænam ex illis integrum custodiat Fidei depositum. Quod quidem anno 1762 præstitit, hoc de Fidei Evidentia divulgato opusculo, quo (ut *Joannis Baptistæ Gori*, Censoris Neapolitani, verbis utar) *rem tanti momenti adeo eximie, licet per compendia, absolvit, ut nihil reliqui incredulis supersit.*

OPERIS INSTITUTUM

Fides simul clara est et obscura.

1. Fidem definiens Apostolus: *Est autem fides,* inquit, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* [1]. Ideo vocatur substantia earum rerum, quas speramus, quia fides spei nostræ est fundamentum: sine fide spes non esset. Est porro earum rerum, quæ non apparent, argumentum, quia fides clara est ex unâ parte, obscura ex alterâ. Clara est propter signa, quæ (ut videbimus) nobis credentibus prorsus certam eam reddunt; obscura vero, quia veritates, ab eâ traditæ, oculis nostris sunt absconditæ.

Hæc obscuritas congruit divino honori.

2. Illud autem congruebat et divino honori et utilitati nostræ. Divino honori congruebat, per fidem ad æternam salutem nos conduci; quum valde æquum sit, hominem non solum voluntatem, Dei præceptis obediendo, sed etiam intellectum dictis ejus credendo, Deo subjicere. Quem tandem honorem homo præstaret Deo, si ea tantum crederet, quæ vel videt vel intelligit? Honorem vero, neque eum exiguum, Deo præstat, quum ea, quæ nec videt neque intelligit, non aliam ob causam credit, nisi quia Deus ita esse dixit. Atque ita simul fit, ut fides sit scientia, aliam quamlibet scientiam exsuperans: *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram* [2]. Est quippe scientia nobis infusa ipsâ luce divinâ, quæ omni humanæ et angelicæ luci antecellit. Quapropter, quamquam hac in vitâ nobis occulta sunt objecta fidei, sunt nihilominus adeo certa, ut certitudine omnia superent quæ vel oculis videmus, vel mente novimus: quum hæc percipiamus aut sensibus, qui haud raro nos decipiunt, aut intellectu, quo sæpenumero in errorem inducimur; fidei veritates contrà a Deo, falli et fallere nescio, nobis manifestentur.

Item congruit nostræ utilitati.

3. Item nostræ utilitati congruebat, obscura nobis esse fidei objecta; quæ si perspicua forent, jam non haberetur fides, sed evidentia, nosque sine ullo delectu ad eam agnoscendam cogeremur, nec locus esset merito. In hoc enim meritum consistit, quod ea, quæ haud intelligimus, non necessitate, sed voluntate credimus. *Nec fides habet meritum,* inquit S. Gregorius, *cui humana ratio præbet experimentum* [3]. Quocirca Dominus: *Beati,* inquit, *qui non viderunt et crediderunt* [4].

Claritas fidei inexcusabiles reddit incredulos.

4. Ex altera parte adeo perspicua sunt fidei nostræ veritatis signa, ut magnus ille *Picus Mirandula* [5] diceret, nolle eam amplecti, desipientis esse, non imprudentis tantum. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* [6]. Sic ergo egregie statuit divina Providentia, ut quum ex unâ parte ipsæ fidei veritates obscuræ nobis sint, credendo meritum habeamus; quum vero ex alterâ parte evidentia sint motiva credendi, fidem nostram unice veram esse, non credendo nulla incredulis excusatio supersit. *Qui vero non crediderit, conde-*

[1] *Hebr.,* XI, 1. — [2] *Job,* XXXVI, 26. — [3] *S. Greg. M.,* In Evang. Hom. 26, n. 1. — [4] *Joan.,* XX, 29.

[5] Epistolar. lib. 1, Epist. ad Nepotem, 15 Maji 1492. *Magna enim profecto insania,* inquit, *Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, dæmones confitentur* (Nota edit.).

[6] Psalm. XCII, 5.

mnabitur[1]. Recte igitur Hugo a S. Victore: *Juste*, inquit, *et fidelibus pro fide datur præmium, et infidelibus pro infidelitate supplicium*[2].

Deo gratiæ agendæ.

5. Proinde nos Catholici ex unâ parte assiduas Deo gratias agere debemus, quod in S. Catholicæ Ecclesiæ filios cooptatos, eximio illo veræ fidei munere nos donavit; ex alterâ autem, velut submissi et simplices parvuli, mentem nostram fidei veritatibus cum humilitate subjicere: *Sicut modo geniti infantes*, ita nos monet S. Petrus, *rationabile sine dolo lac concupiscite*[3]. Fidei mysteria, licet humanæ rationi non sint contraria, eam tamen superant: ne ergo ratiocinando ea intelligere nitamur; quod quum perficere conantur superbi, multis imbecillam mentem implicant difficultatibus, quibus expedire se ipsi non possunt. *Fides non est superborum*, inquit S. Augustinus, *sed humilium*[4]. Quam ob causam S. Teresia, quanto minus divina mysteria intelligeret, tanto majori devotionis sensu ea se credere ajebat; quin etiam singulariter se delectari, quod ea intelligere non posset[5]. Et morti vicina non cessabat Deo gratias agere, quod Ecclesiæ filia, fidei donum accepisset: *In summâ* (sic eam morientem iterum atque iterum dicere audiebant) *ego, Domine, filia sum Ecclesiæ, Ecclesiæ sum filia*[6].

Fides ut vitæ norma assumenda.

6. Item asserebat sancta illa virgo, omnia fidelium peccata ex fidei defectu oriri[7]. Et re quidem verâ; si cui semper ob oculos versentur fidei veritates: Dei Majestas, ejus erga homines amor, beneficia ab Eo nobis collata, atque imprimis humanæ Redemptionis opus, ejus Passio, donum SS. Sacramenti; siquis frequenter intueatur destinatam sibi mortem, divinum judicium, ubi aliquando sisti debebit, se manentem aut felicem aut infelicem æternitatem; fieri nequit, ut a Deo procul vivat. Sæpius igitur, memoriâ repetendis novissimis, redintegranda fides est. Huc incumbentes Sancti æternam sibi adepti sunt coronam. Ad id ipsum equidem in vulgus emissum volui hoc opusculum, in quo paucis exponam, quæ signa certam nobis reddant fidei nostræ veritatem. Quamquam hic notari expedit, non ob ea motiva nobis credenda esse, quæ fides tradat: fides enim cujuscumque revelatæ veritatis inniti debet solâ infallibili veracitate Dei, qui per S. Ecclesiam Catholicam talia nobis aperuit; signa vero credibilitatis, quæ hic expositurі sumus, hoc solum nobis prodesse debent, ut perspiciamus et judicemus, fidem a Catholicâ illâ Ecclesiâ nobis traditam, unice esse veram.

Finis Operis. Demonstratur Ecclesiæ Catholicæ veritas.

7. Deum esse adversus atheos hic demonstrandum non suscipio, quod argumentum illud in opere adversus materialistas attigi[8]; hæc tantum contra impios illos statuo: certum est ac necessarium, existere Deum, principium æternum, a quo quidquid in tempore creatum est, « esse » suum accepit; deficiente enim hoc principio æterno, nulla res creata in hoc mundo existeret. Falso autem recurrunt athei ad æternam materiam, et ab eâ creaturas « esse » suum recepisse contendunt; illud quippe ineptum esse systema in eodem opere liquido probavimus; et pauca quædam de eo argumento dicentur in Dialogo, huic disputationi adjecto. Item frustra ad ipsam naturam confugitur, quâ omnes res forent confectæ. Quandoquidem, natura illa aut mente caret, ac proinde tam egregie compositum et adeo stabilem ordinem, quem in hoc mundo adesse videmus, constituere non potuit: talis ordo nimirum mentem requirit summâ sapientiâ præditam; — aut pura mens est; et tunc illam naturam Deum esse dicimus.

[1] *Marc.*, XVI, 16.

[2] Apud *Paul. Segneri. L'Incredulo senza scusa, Parte II, cap. 3, n. 3.* Huic sententiæ, sic expressæ, ansam dedisse videntur ea, quæ apud Hugonem leguntur *de Sacramentis, lib. I, parte 10, cap. 4* [*Migne*, Patr. Lat. 176, col. 333] (Nota edit.).

[3] 1 *Petr.*, II, 2. — [4] Serm. 115, cap. 2. — [5] Vita ab ipsâ conscripta, cap. 19, n. 4. — [6] Vita scripta ab *Yepes*, lib. 2, cap. 38. — [7] Cfr. *Opere (tradotte in Italiano). Castello interiore; mansioni prime, cap. II.* — [8] Legatur Brevis Dissertatio adversus Materialistas et Deistas, pars I.

Porro si Deus est, item religio sit oportet; merito enim ille Deus, utpote supremus Dominus et Creator omnium, a suis creaturis agnosci vult et coli. Jamvero videamus, ex omnibus religionibus quæ sit vera, et quænam ex iis tot signa credibilitatis præ se ferat, quot nostra Romano-Catholica Ecclesia. Ea igitur perpendamus signa sive motiva, quæ sanctæ nostræ fidei veritatem demonstrant.

CAPUT I.

DE PRIMO SIGNO QUÆ EST DOCTRINÆ SANCTITAS.

Genus humanum prorsus inordinatum.

1. Prima ratio, quæ nobis ostendit fidei nostræ veritatem, est doctrinæ, a Catholicâ Ecclesiâ traditæ, sanctitas et in mysteriis credendis et in exercitandis virtutibus. Et hic quidem, quomodo res ab initio se habuerint, considerare necesse est. Genus humanum ita inordinatum conspicimus: præsertim ante Jesu Christi adventum homines (præter paucos eos, qui incolebant Judæam, terræ angulum quemdam) Creatorem suum ignorabant. Alii pro diis venerabantur sidera, alii clementa, alii bestias et vel ipsos serpentes et mures, alii hortorum gramina, ut cæpas et allia. Defunctos alii adorabant, quos hâc in vitâ impios vitiisque deditos fuisse nemo non noverat. Pro diis colebantur Jupiter et Mars adulteri, impudica Venus, Apollo incestuosus, vindicandi cupidus Vulcanus. Item inter deos adscripti erant Nero, Caligula, Domitianus, qui dum vivebant, impudicitiæ et crudelitatis monstra existimabantur. Eo progressus est Senatus Romanus, ut in dearum numerum reponeret Floram, publicam quamdam meretricem, quum ipsi reliquisset hæreditatem ignominiosâ arte comparatam. Iis porro fictis diis sacrificia immolabantur, quibus crudelius vel tetrius excogitari nihil potest. Narrat Philo[1], Aristomenem regem uno die trecentos homines mactasse Jovi. Vel eo procedebant, ut ipsam filiorum vitam dæmoniis sacrificarent. Nec referam sacrificia eorum turpia, quorum vel mentionem facere me pudet. Hoc diabolus excogitavit effecitque, ut pro diis haberentur nequissimi homines, quorum vitia deinde sine ullo fastidio, immo cum honore imitarentur alii! *Ipsa vitia*, inquit Lactantius, *religiosa sunt; eaque non modo non vitantur, verum etiam coluntur*[2].

Adami lapsus ordinem turbavit.

2. Atque etiam in præsenti totum genus humanum propensum cernimus ad perversas libidines, vindicationem, invidiam, ambitionem et impudicitiam, quæ omnia rectæ rationi adversantur. Quum autem Dei perfecta sint opera, hominem ita inordinatum condere non potuit. Unde ergo tanta exorta est perturbatio? En, quænam ejus sit origo. Adam, primus homo, a Deo creatus est cum originali rectitudine, id est, sensibus rationi subjectis et ipsâ ratione subjectâ Deo. Sed Dei jussis non obediens, vetitum fructum comedit; atque ideo unà cum posteris divinâ gratiâ privatus et inordinatus remansit, quum sensus adversus rationem, ratio adversus Deum rebellet.

Christi Ecclesia remedium affert.

3. Cui maximo malo maxima adhibenda erat medicina; Deus autem quid fecit? Humani generis, ne periret misertus, suum Filium mittere constituit, ad eos a tanto exitio redimendos, decrevitque, ut Red-

[1] Seu potius *Clemens Alexandrinus* (Cohortatio ad Gentes, cap. 3), cujus verba citat *Eusebius* (Præpar. Evang., lib. 4, cap. 16), postquam ex *Philonis* historiâ pauca quædam retulit (Nota edit.).

[2] Divin. Instit. lib. 1, cap. 20.

emptor ille suis meritis suâque morte salutem iis obtineret. Inde priusquam Salvator in mundum veniret, Prophetas misit a quibus annuntiaretur, ut homines, ejus meritis freti, salutem sibi assequendam curarent. Ne autem post adventum ejus ullum hominibus remaneret dubium, omnes prophetarum vaticinationes, singillatim enarratis, quæ ad Redemptoris adventum, opera, vitam et mortem spectarent, in Sacris Scripturis consignavit. Tum suam in Judæâ condidit Ecclesiam, ibique suas leges promulgavit, ut homines non solo lumine naturæ, sed his etiam legibus adjuti, melius intelligerent, quid sibi faciendum, quibus vero sibi abstinendum esset. En tandem in terras venit Verbum æternum; humanâ carne assumptâ, nascitur, ac suam gratiæ promulgat legem, postmodum in Evangeliis perscriptam, quæ non destruit antiquam sed adimplet. Inde, ne errarent fideles in dubiis, quæ de divinâ hac lege oritura essent, novam suam stabilivit Ecclesiam, quæ ab ipso Deo illuminata fideles doceret, quidquid et credere et agere deberent. Quam Ecclesiam statuit veritatis columen et fundamentum, eique promisit, numquam futurum esse, ut inferorum viribus superari possit: *Ecclesia Dei vivi*, inquit Apostolus, *columna et firmamentum veritatis* [1]. Et Christus Petrum compellans: *Ædificabo Ecclesiam meam*, inquit, *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [2].

Verum docet.

4. Hæc porro Ecclesia cognoscendum nobis exhibet verum Deum; qui ultimum nostrum finem constituit. Divinam nos docet ejus naturam, nullamque Ei deesse perfectionem ostendit. Æternum præmium justis paratum commonstrat, et peccatoribus destinatam pœnam æternam. Et quod ad mores attinet, legem nobis tradit prorsus sanctam, plenam caritatis et rectissimam, quâ docemur inordinatos appetitus superare, proximum sicut nosmetipsos, Deum super omnia diligere. Ecclesia in summâ nobis proponit tam divinas quam humanas leges, quas debemus et, divinâ gratiâ opitulante, utique possumus servare. Proponit quoque divina consilia, quæ præceptorum observantiam faciliorem nosque Deo gratiores reddunt. Præterea nos docet, quibusnam adjumentis divinam gratiam servare debeamus, et quomodo sit recuperanda, si forte misere eam amiserimus: quæ quidem adjumenta Sacramenta sunt, a Jesu Christo instituta, quibus et peccata nobis remittit, et gratias per passionis suæ merita nobis comparatas, impertitur. Ad hæc nos monet, imbecilliores nos esse, quam ut divina præcepta nostris viribus servemus, deque inimicis, ad ea violanda incitantibus, reportemus victoriam; atque idcirco precibus assidue ad Deum esse recurrendum, ut ad ea servanda ab Eo impetremus auxilium.

Mores dirigit.

Adjumenta suppeditat.

5. Numquid sanctiorem, rectiorem vel magis ordinatam ullam legem aut reperiri aut excogitari fas est? Quid vero reliquæ, eæque falsæ, religiones doceant, consideremus. — Judæorum religio recta quondam sanctaque fuit; ubi vero repudiarunt novam Legem gratiæ, obcæcati sunt et in sexcenta inepta atque impia prolapsi. Asserunt recentium temporum Hebræi (qui hodie *Talmudistæ* vocantur, utpote amplexi doctrinam libri cujusdam, *Talmud* nomine), legem in *Talmud* traditam (quæ tamen fabulis, erroribus et blasphemiis est referta) a scriptâ Moysis lege esse distinctam, eique vivâ voce tantum exhibitam fuisse. Itaque ejus inventores librum divulgantes præceperunt, ut singula illic injuncta, velut leges divinæ, servarentur; refragantibus etiam capitis pœnâ impositâ. Circa divina mysteria docent, Deum aliquâ noctis parte velut leonis rugitu edito exclamare: *Heu! Me domum meam evertisse, concremasse templum, atque in servitutem redegisse filios!* Diei vero unam partem Eum insumere in legis et ipsius *Talmud* studio, aliam in instruendis parvulis qui infantes mortui sunt, aliam in mundo judicando; tribus

Quæ sit Judæorum doctrina.

[1] 1. *Tim.*, III, 15. — [2] *Matth.*, XVI, 18.

autem ultimis horis Eum ludere cum dracone, *Leviathan* nomine. Item ante hunc mundum conditum, plures Eum mundos et fecisse et dissolvisse; nunc vero, post mundum conditum, noctu Cherub velut equo insidentem duodeviginti millia mundorum, quos creavit, visitare. Eum quoque, ut inter Abraham et Saram componeret pacem, mendacium aliquando dixisse. Denique Eum, quod præ lumine solis, lunæ lumen attenuavisset, Moysen jussisse bovem mactare ad errati illius veniam impetrandam.

6. Circa mores asserunt, non peccare eum, qui vel amore vel timore adactus idola veneretur. Neque eum admittere culpam, qui parentibus vel ipsi Deo maledicat, dummodo ne proferat Dei nomina, ut *Adonai, Elohim, Sabaoth.* Præterea siquis sodalem ligaverit et sic vel fame eum occiderit vel leoni objiciat, talem non esse capite puniendum; secus vero, si non ligatum eum inediâ interficiat vel objiciat muscis. Similiter nefas esse ad mortem mitti eum, qui ab omnibus judicibus condemnatus sit; secus si nonnulli, ceteris dissentientibus, eum condemnaverint. Eum porro ad salutem certo esse perventurum, qui singulis Sabbatis ter saltem cibum sumere non omiserit. — Alias recentiorum Judæorum ineptias et errores siquis cognoscere velit, adeat *Granatensem* [1] et *Segneri* [2].

Quae sit Mahumedanorum doctrina.

7. *Mahumedanorum* autem secta non quidem *Talmud,* sed *Alcoranum* tamquam legem fideique regulam sequitur. Huic probatur quæcumque religio Deum colit; quandoquidem iis omnibus salutem pollicetur, qui secundum legem ultro electam vivunt, etiamsi pro suo quisque arbitratu ab unâ ad aliam transiret. Inter alia dogmata hoc habet, etiam damnatos, dummodo *Alcorano* fidem adjungant, ex inferno ereptum iri. Atque illud est, cur *Mahumedani,* caput sibi radentes, unum nihilominus servent cirrum, quo *Mahumedes* ex inferno ipsos extrahere possit. Omnibus videlicet, qui ipsum secuti fuerint, die judicii saltem, precibus suis salutem eum impetraturum esse sperant. Reliquis damnatis *Alcoranus,* redintegrato Origenis [3] errore, non ultra mille annos duraturas esse ait inferni pœnas. — Paradisum porro promittit, cujus vel ipsas bestias puderet, si ratione essent præditæ: paradisum dico, corporis voluptatibus refertum. Quod adeo verum est, ut *Avicenna* [4], *Mahumedis* discipulus, tali promissione erubescens, eum allegorice locutum esse dixerit; quam tamen *Avicennæ* interpretationem nusquam admittit *Alcoranus.*

8. Quod ad mores spectat, permittit *Alcoranus,* ut ad suum quisque arbitrium furetur; tot habeat uxores, quot sustentare possit; suâ voluntate divortium faciat, omnique indulgeat libidini cum feminis, dummodo servæ sint vel subditæ. Bellum et vindicationem, ut gloriosa quædam, præcipit. Siquis *Alcorano* fidem adjungere renuat, interfici eum jubet. Cum dæmoniis haberi vult commercium, ut per incantamenta et sortes divinatio fiat [5].

Quae sit Reformatorum doctrina.

9. Prætermitto reliquas sectas hæreticas cum suis cujusque erroribus et nequitiis; sed paucis attingere opus est ultimas hæreses in Septentrionali Europâ exortas, quæ omnes Reformatæ Religionis nomine vocantur. Ea pseudoreformata religio (cujus capita fuerunt *Lutherus, Zwinglius* et *Calvinus*) inter alia duo velut fundamenta statuit impia dogmata, quæ bonis operibus omnem bonitatem et meritum auferunt, viamque aperiunt cunctis vitiis. Primum dogma est, nasci omnes homines peccato originali pariter infectos, sed eum in modum ut singula hominis opera, sive bona sive mala, etiam post

[1] *Ludov. Granat.,* Catechismus major, sive Introd. in Symbol., lib. 4, cap. 22. — [2] *L'Incredulo senza scusa, Part. 2, cap. 24, n. 12.* — [3] In libr. *Jesu Nave,* Hom. 8, n. 5; de Principiis, lib. 3, cap. 5, n. 7; et alibi passim. — [4] Lib. 9, de prim. phil. (apud *Segneri,* l. c., n. 7).

[5] Cfr. *Alcorani,* sura 2, a. 62, 229, 237; sura 9, a. 30; sura 18, a. 32; sura 37, a. 41-49; sura 42, a. 34; sura 47, a. 4; sura 70, a. 30.

susceptum Baptismum, perversa pœnisque æternis digna sint. Alterum est, solam fidem, nullâ aliâ virtute requisitâ, homini et justitiam et salutem afferre; non enim per caritatem sive gratiam homini peccata remitti; sed fiduciam, quâ per merita Jesu Christi divinâ misericordiâ innitatur, hoc efficere, ut jam non sua ei peccata, sed Redemptoris justitia imputetur; et sic justum eum fieri et salutem consequi. Præterea multos alios docent errores ex hisce duobus deductos: hominem post Adami peccatum amisisse liberum arbitrium, atque ita eum ad ea tantum volenda et nolenda cogi, quæ sunt a Deo prædeterminata; Deum nec homini præbere virtutem recte operandi nec solum permittere malum, sed Eum ipsum omnes in nobis operari tam bonas quam malas actiones; — nihil ad nos pertinere divina præcepta, quod ea servare non possimus; — Sacramenta ad obtinendam Dei gratiam nihil valere; — solis prædestinatis datam esse justificationis gratiam, ceteros omnes a Deo ad malum prædestinatos esse; — eum, qui Jesu Christi fidem habeat, infallibiliter in gratiâ perseverare et salutem certo consequi, etiamsi pessima quæque scelera committat. — En tibi egregia illa reformata religio, quæ hominem in inferni monstrum convertens, omnem ei abstulit legem, præbuitque facultatem, in immanissima etiam peccata, infidelitate exceptâ, sese immergendi. Audiamus, quid *Lutherus* dicat, neque erubescat litteris consignare: *Ita vides, quam dives sit homo Christianus... Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas. Cetera omnia, si... stet fides,... absorbentur per eamdem fidem*[1]. *Calvinus* autem, ulterius progressus, bona opera nedum prosint, fidei etiam adversari ait: *Tum fidei justitiæ locus est, ubi nulla sunt opera, quibus debeatur merces*[2].

Quid sequeretur.

10. Juxta eorum igitur fidei instituta tenendum esset, omnes Christianos, qui ante novos illos religionis magistros vixerint, fuisse damnatos; quandoquidem erravissent in fide omnes vere Christiani, atque imprimis Sancti et Martyres; omnibus enim erat persuasum, ad salutem sola Jesu Christi merita satis non esse, sed præter fidem, bona opera requiri. Præterea, licet Jesu Christi meritis confisi salutem sperarent, non tamen fide crediderunt, se esse prædestinatos, quin etiam ad mortem usque timuerunt; nec se peccare existimarunt, quum ad consequendum paradisum bonis operibus darent operam: quæ omnia cum novatorum fide pugnant. Atvero, ut recte ait *P. Segneri*[3], horum fides et doctrina atheismo pejor est; atheus enim numquam sine timore malum perpetrat; nam haud facile firmiter sibi persuadet, Deum non existere; quum reformati isti minore formidine afficiantur, quod fucum sibi faciant, secundum religionem a Deo impositam se agere.

Eximia Catholicae Ecclesiae doctrina.

11. Hoc contrà inter magna Catholicæ nostræ Religionis argumenta numerandum est, quod nullo, ne minimo quidem, errore teneatur. Mysteria, quæ credenda proponit, quamvis alta et rationem superantia (ut jam diximus) nihil tamen cum ratione pugnant. Sancta quoque et æqua sunt omnia præcepta, quæ servari jubet. Quid æquius quam Deum, summum bonum, plus diligere quam reliqua bona, quæ cum Deo collata, pro umbrâ sunt et fumo habenda? Quid æquius quam amare nosmetipsos, sed id amore recte ordinato, qui non fallaci brevique delectatione nos decipiat, sed ad felicitatem nos perducat, perpetuo duraturam? Quid æquius quam proximum amare sicut nosmetipsos, quoniam omnes vocati sumus ad convivendum his in terris, ut bonis exemplis et caritatis officiis tamquam comites in itinere ad æternitatem alii alios adjuvemus, et aliquando quum in paradisum simul pervenerimus, beatæ illius patriæ socii unàque æterni cives futuri simus?

[1] De Captiv. Babylonica Ecclesiæ, § De Sacram. Baptismi. — [2] Instit., lib. 3, cap. 11, n. 18. — [3] *L'Incredulo senza scusa, Parte 2, cap. 24, n. 10.*

Ecclesia sanctos produxit.

12. Fatendum quidem, divinæ legis præcepta in seipsis esse difficilia humanis viribus; at facilia tamen cum divino auxilio; quod quidem auxilium cuilibet petenti et promisit et concedit Deus; quum Ipse dixerit: *Petite et accipietis* [1]. Quapropter sacrum Concilium Tridentinum: *Deus impossibilia non jubet,* inquit; *sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat ut possis* [2]. Atque idcirco negari non potest, multos semper in Ecclesiâ Catholicâ sanctos fuisse homines, qui tot egregia præbuerunt exempla humilitatis, abnegationis, castitatis, justitiæ omniumque virtutum; recteque viventes nemini aut molesti fuerunt aut odiosi, nisi iis, qui odio habebant ipsam vitæ sanctitatem, quæ perditos ipsorum mores reprehendere videbatur. Certum est, neminem umquam Catholicum, qui honeste viveret, ad hæreticos vel infideles transiisse; multos contrà hæreticos et infideles, qui vitam si non bonam, saltem quam reliqui minus inordinatam agerent, salutis consequendæ causâ, nostram amplexos esse fidem: quod evidenti indicio est, in nostrâ tantum Ecclesiâ veram sanctitatem veramque salutem reperiri.

CAPUT II.

DE ALTERO SIGNO, QUAE EST MUNDI AD FIDEM CONVERSIO.

Fides mundum prorsus immutavit.

1. Alterum signum, quod fidei nostræ veritatem indicat, est conversio mundi a Jesu Christo ejusque Apostolis peracta. Mundus, ut vidimus, in omnibus demersus erat vitiis, ad quæ humana natura peccato corrupta inclinat; quocirca, ut prodigiosam ejus conversionem admiremur, consideranda est et Novæ Legis traditæ difficultas, et imbecillitas prædicantium, et principum virorum contentio, ne acciperetur.

Dogmata tradebat difficilia.

2. Et primum quidem nova illa lex proponebat dogmata ad credendum difficilia, mysteria dico, quæ humanâ mente intelligi non possunt: mysterium SS. Trinitatis, quo credere debemus, tres quidem esse divinas Personas, simul tamen eas esse unum Deum, quum unam tantum substantiam, unam essentiam unamque habeant voluntatem; mysterium Incarnationis, Dei Filium nempe hominem esse factum, et unam tantum esse personam, vere hominem et vere Deum, quæ ad salvandum genus humanum cruciatus et mortem subiit. O, quæ extrema, infinite inter se distantia! Deus et homo! Credere, ipsam magnitudinem ad nihilum Se redegisse! Altitudinem Semet humiliasse! Itaque ut Deum adorare debemus hominem condemnatum et in cruce mortuum. Quæ quidem initio scandalum audientibus et stultitia videbantur: *Prædicamus Christum crucifixum,* inquit Apostolus, *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* [3]. Mysterium SS. Sacramenti Altaris, quo credimus per consecrationis verba substantiam panis et vini reverâ in Christi Corpus et Sanguinem converti. Mortuorum resurrectionem, corpus videlicet in pulverem resolutum, finalis judicii die ita resurgere debere, sicut antea hâc in vitâ esset.

Præcepta ardua imponebat.

3. Præterea talia docebat illa lex, quæ haud facile peraguntur: abnegare semetipsum, cupiditates suas vincere, inimicos amore prosequi, mortificare carnem, quieto

[1] *Joan.*, XVI, 24. — [2] Sess. VI, cap. 11. [3] 1 *Cor.*, I, 23.

animo cruciatus perferre, cum omnibus demisse se gerere, contemptionem tolerare, et omne bonum in spe futuræ vitæ reponere. Et talia quidem proponebantur cæcis, omni nequitiæ assuetis atque iis, qui in præsentis vitæ deliciis omne bonum reponebant. Desinant ergo *Lutherus* et *Calvinus* gloriari, tam multos suam amplexos esse doctrinam. Si jejunium prædicassent, pœnitentiam, castitatem, rerum suarum abdicationem, abnegationem sui, tunc reverâ magni prodigii loco habendus esset sectatorum numerus; quod quidem factum esse conspicimus in nostrâ religione, quam prædicarunt et amplexi sunt quamplurimi. Quum vero lasciviam annuntiarent, omnisque mortificationis et obedientiæ, legibus præpositisque præstandæ abrogationem, prodigium fuisset, non quidem si sectatores plurimos, sed si paucos tantum habuissent. Mirum sane, si rivulus sursum in montem ascendat; ad vallem defluere, quid mirum?

Promulgatores humana ope carebant.

4. Deinde advertamus animum ad eos qui novam illam Jesu Christi legem promulgare atque idololatriam et tot vitia expellere debebant: pauci fuerunt iique rudes piscatores, viri illitterati, humili loco orti, nullo divitiarum vel optimatum præsidio commendati.

Principes obsistebant

5. Tandem miseris iis piscatoribus propaganda fides erat in oculis tot magistratuum, principum, imperatorum, qui totis viribus iis adversabantur, exsilio, bonorum spoliatione et teterrimâ nece omnes afficientes, qui eam amplectebantur fidem. Atque ejusmodi prædicatores gaudenti animo Christianam fidem per universum orbem intra paucos annos et promulgatam et admissam conspexerunt. Quare ad Romanos S. Paulus: *Fides vestra*, inquit, *annuntiatur in universo mundo* [1]. Et de eâdem fide agens, ad Colossenses scribit: *In universo mundo est, et fructificat,... sicut in vobis* [2]. S. Ignatius [3] autem secundo sæculo ineunte, et S. Irenæus [4] circa medium sæculum, Christianam Religionem per omnes habitatas provincias jam divulgatam esse testantur. Talibus igitur fidei nostræ promulgatoribus videre contigit, ab ipsis idololatris despectos et conculcatos deos, quos antea venerarentur; unà cum fide tot mysteria admissa, ad credendum adeo difficilia; radicitus evulsa tot sæculis inveterata vitia; jam detestata corporis oblectamenta, dimissas divitias et honores mundanos; susceptas vero molestias, ignominias, pauperatem, insectationes et mortem; quæ maxime quidem faustissimis illis novellæ Ecclesiæ acciderunt temporibus, quibus homines Angeli evasisse videbantur.

Nihilominus brevi conata perfecerunt.

6. Egregium sane tunc spectaculum, tot anachoretas, patriâ domibusque relictis, multitudine suâ solitudinem implere; tot martyres, ne fidei deessent, confectos cruciatibus, quibus acerbiores nec hominum crudelitas nec rabies dæmoniorum excogitare poterat, vitam profundere. Rejectis divitiis ac summis honoribus, quos imperatores proponebant, tormenta necemque amplectebantur. Jesu Christi amore adeo ardebant beati illi fideles, ut avidius contemptus, ærumnas ac mortem expeterent, quam hujus mundi amatores sibi cupiunt delicias et humana fastigia. Imperatoribus denuntiabant provinciarum Præfecti, sibi jam non suppetere patibula vel carnifices præ multitudine Christianorum, qui ad moriendum pro Jesu Christi fide se offerrent. Videbantur illi quidem humanam exuisse naturam, eumque deposuisse horrorem, quo a cruciatibus et morte refugit ipsa natura. Quis non videt, illud non naturæ, sed solius gratiæ fuisse opus? Et, quo nihil mirabilius, quanto magis ad præpediendam civium conversionem Præfecti et Imperatores Christianos insectabantur, tanto magis propagabatur fides: quo plures afficiebantur martyrio, eo plures prodibant; ac si defuncti, velut prospera semina, duplicatum afferrent fructum.

[1] *Rom.*, I, 8. — [2] *Col.*, I, 6. — [3] Epist. ad *Philadelphenses*, n. 4 (in interpolatis. Nota edit.).

[4] Advers. Hæreses, lib. I, cap. 10.

Mundi conversio divinam Religionis originem ostendit.

7. Nisi autem illi homines sancti fuissent et divinâ virtute corroborati, quî umquam tot potuissent sustinere tantasque persecutiones? Atqui inter eas persecutiones vidisses ubique terrarum susceptam fidem, Jesum Christum divino cultu honoratum, apud Judæos, Græcos, Romanos, Scythos, Persas aliasque in extremâ terrâ barbaras nationes plurima exstructa templa. Atque illud quanto temporis spatio? Refert Tertullianus[1], ineunte secundo sæculo, nullam fuisse terræ partem, ubi non reperirentur Christiani. Et quarto sæculo, imperatore Constantino regnante, ubique propagata erat fides nostra. S. Hieronymus, ex Palæstinâ de suis temporibus scribens: *Regum purpuras*, inquit, *et ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris* (i. e. crucis) *pictura condecorat... De Indiâ, Perside, Æthiopiâ monachorum quotidie turbas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei; Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria*[2]. Hæc S. Hieronymus. Palladius[3] porro narrat, ineunte quarto sæculo in Ægypto viginti millia virginum, quæ religiosam sanctamque vitam profitebantur, unius urbis territorium incoluisse.

Fides vera Catholica est.

8. In summâ, ab universis gentibus suscepta est sancta fides nostra, quæ eam ob causam Catholica, id est, universalis vocatur; non quod singuli eam homines amplexi sint, sed quod ab omnigenis nationibus suscepta est et toto orbe diffusa. Etenim his quoque temporibus, quamquam et *Mahumedani* et hæreticorum tam multæ societates a nostrâ religione defecerunt, vix tamen est terræ angulus, ubi eam non profiteantur veri fideles, nec reperiantur templa, in quibus, secreto saltem, sacrificio Altaris Deus non honoretur, secundum illud Malachiæ: *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda*[4]. Ea fuit S. Augustini[5] responsio ad Cresconium, qui objiciebat, nostram Ecclesiam, cujus fidem non omnino omnes essent amplexi, vocari non posse Catholicam vel universalem: satis enim esse reponebat S. Doctor, ubique terrarum veros haberi fideles; ad illud videlicet non requiri, ut omnes omnium nationum, sed ut in singulis nationibus nonnulli ejus fidem susceperint: *Oportet... non ut omnes... credant; omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium*[6]. Ah, nimis manifesto Ecclesia Catholica omnibus ut veram Ecclesiam se exhibet; quare item S. Augustinus[7], hanc ignorare, nemini licere ait. Is tantum eam cernere nequit, qui ultro oculos occludit, ne eam videat, utque suis indulgere possit appetentiis.

Fidei sanctitati non obstant peccata hominum.

9. Neque illud obstat, nostrorum Catholicorum multos vitam Christianis indignam vivere. Illud non negamus; atque etiam adjicimus, minus excusationis habere peccata talium Catholicorum, qui tot Sacramentorum, concionum bonorumque exemplorum subsidiis adjuti, pravam agant vitam et Deo inimicam. Hoc vero considerandum est, tantum abesse, ut fidei nostræ veritati et sanctitati noceant eorum culpæ, ut eam contra patefaciant. Valde injustum est, ob perversam vitam fidelium incusare ipsam fidem. Siquis veram fidem sequitur, non idcirco desinit fragilis esse homo et ad malum propensus, nec libertatem amittit cuilibet vitio obsequendi. Vult utique Deus, ut Sibi serviamus; minime vero ut id fiat per vim et more servorum, ac si nos cogat, ex necessitate ea velle, quæ nolumus. Pro-

[1] Ad Nationes, lib. I, n. 8; Advers. *Judæos*, cap. 7, cet. — [2] Epist. 107 ad *Lætam*.

[3] Apud *Rufinum*, Histor. Monachorum, cap. 5. Item in Appendice ad *Palladii* Historiam Lausiacam: Hist. Ægyptior. Monach. (*Migne*, Patr. Græc. Tom. 35).

[4] *Mal.*, I, 11. — [5] Contra *Cresconium*, lib. III, cap. 66. — [6] Epist. 199 ad *Hesychium*, cap. 12, n. 48.

[7] In Epist. 1 *Joan.* Tract. 2, n. 4. En ejus verba: *Audit stultus, vanus et quid amplius dicturus sum quam cæcus, qui tam magnum montem non videt; qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudit?* (Nota edit.)

pria nostra sunt errata omnia; non fidei neque Ecclesiæ, quæ eam fidem credendam proponit. Ex Evangeliis patet, in militanti Ecclesiâ adesse et prudentes et fatuas virgines, frumentum et zizania, justos et peccatores. Constat nihilominus, numquam Catholicum ad hæreticorum aliquam sectam transiisse, quin simul ejus mores in pejus abierint; neque umquam infidelem vel hæreticum cum rectâ voluntate nostram fidem esse amplexum, quin inceperit honestius vivere. Fatendum sane, multos in Ecclesiâ Catholicâ esse malos; at multi quoque boni adsunt: tot pii sacerdotes, tot religiosi, atque tot etiam sæculares, qui sanctam in medio mundo vitam vivunt. Sed in omnibus sectis hæreticis quemquam reperiri, qui recte viveret et procul a vitiis, prodigii loco esset habendum.

Quae fuerit origo Mahumedanorum.

10. Jam consideratâ Ecclesiæ nostræ Catholicæ origine, videamus, quomodo singulæ sectæ ortæ sint et propagatæ. Fatentur *Mahumedani*, ante *Mahumedem* legem Christianam viguisse, et vera tradidisse dogmata; sed, inquiunt, sicut legi Mosaicæ Christi lex successit, ita lex *Mahumedis* Christianæ legis vices suscepit. Atvero, si concedunt, aliquando veram fuisse Christi doctrinam, item fateri debent, doctrinam *Mahumedis* esse falsam. Jesus Christus docuit, eum qui baptisma non susceperit, salutem consequi non posse [1]; præterea, numquam futurum esse, ut adversus suam Ecclesiam inferorum vires prævaleant [2]. Si ergo, ut non dicam tot sæculis, sed uno temporis momento, vera fuit Jesu Christi doctrina, numquam vera esse potuit doctrina nec *Mahumedis* nec cujuscumque societatis a Jesu Christi doctrinâ dissidentis. Lex Mosaica quidem olim vera fuit, eique successit lex, a Messiâ promulgata; hæc vero, licet diversa, non fuit illi contraria, sed quæ eam adimpleret: sublatis enim cæremoniis et sacrificiis, quæ legis gratiæ erant figuræ, substituit Sacramenta, quæ gratiam actu producunt. Ceterum præcepta, ad bonam vitam spectantia, non immutavit, sed perfecit Redemptor noster. Quare S. Thomas Angelicus, Legem Evangelicam ait, non quod tempore, sed quod perfectione nova sit, novam vocari [3].

Quam originem habuerint Reformati.

11. Quodsi de recentioribus pseudo-reformatæ ecclesiæ hæreticis sermo fiat, ipsa novitas eos non reformatores (quo quidem nomine se vocari volunt) sed destructores declarat Christianæ Religionis. Eorum reformatio nequaquam spectabat morum correctionem; — quandoquidem falsis suis doctrinis omnem legibus vel humanis vel divinis obedientiam tollendo, nulli vitio non aperuerunt viam; — sed ipsa petebat Religionis dogmata; quod Romanam Ecclesiam, adulteratis Jesu Christi institutis, defecisse mentirentur. Verum Romana Ecclesia (ut suprà consideravimus), semel a Redemptore constituta, jam deficere non poterat, quum ipse Jesus promisisset, numquam futurum esse, ut inferorum vires adversus eam prævalerent. Si ergo aliquando vera fuit, fateri necesse est, eam semper et fuisse et futuram esse veram, ac certo falsam, quæcumque ab eâ dissentiat religio. Quapropter, si omnes hæresiarchæ, qui post Messiæ adventum prodierunt, Arius, Nestorius aliique, et nuper *Lutherus* et *Calvinus*, exierunt de Romanâ Ecclesiâ (quod profecto negari nequit); fatendum est, eam unice veram esse Ecclesiam, eamque ita permanere, sicut eam condidit Jesus Christus: *Hæreses omnes* (inquit S. Augustinus) *de illâ exierunt tamquam sarmenta inutilia, de vite præcisa; ipsa autem manet in radice suâ* [4]. At illud argumentum pluribus explanabitur Cap. IV.

Sectarum propagatio nihil probat.

12. Dicent: Si ex Catholicæ Religionis propagatione demonstretur ejus veritas, idem asseri oportet de sectâ *Mahumedanâ*, de schismate Græco ac similiter de Protestantium societatibus; nam iis quoque brevi temporis spatio multi po-

[1] *Joan.*, III, 5. — [2] *Matth.*, XVI, 18.

[3] 1ª 2æ qu. 107, art. 1. — [4] De Symbolo (Serm. 1 ad Catechumenos), cap. 6.

puli nomen dederunt. — Hic vero notandum, sectas illas ex solâ vel lasciviâ vel superbiâ esse ortas. Lex *Mahumedana* omnem hac in vitâ carnis libidinem permittit, nec nisi majorem ejusdem generis licentiam in alterâ vitâ futuram pollicetur. Græcorum schisma ex Arii, Nestorii, Macedonii aliorumque talium Luciferi ministrorum superbiâ exortum est. Superbia unà cum libidine et Ecclesiæ bona occupandi avidâ cupiditate ortum dederunt sectis *Lutheri*, *Zwinglii*, et *Calvini*; hi enim Romanæ Ecclesiæ rebelles omnique sceleri laxatis habenis, castitatem, obedientiam et reliquas virtutes tollere conati sunt; quod dicerent peccata nostra neutiquam impedire, quominus ad salutem nos perducat divina misericordia. *Quanto sceleratior es*, ita prædicabat *Lutherus, tanto citius ipse (Deus) gratiam infundit* [1]. Neque aliter *Calvinus: Sublatâ igitur legis mentione*, inquit, *et omni operum cogitatione sepositâ, unam Dei misericordiam amplecti convenit* [2]. Eamque ob causam impios illos fidei magistros secuti sunt tot miseri, qui veram fidem abjecerunt, ut ad suam libidinem sineque legis freno vivere liceret. Quodsi ita est, quis umquam credere potest, a Deo esse propagationem sectarum, quæ ex superbiâ tantum, impudicitiâ et cupiditate originem habuerunt; quum tamen in suis operibus non aliud Sibi proponat Deus, nisi ut et gloriam suam consequatur, et a nobis avertat omne vitium, utpote suo honori nostræque æternæ saluti contrarium?

CAPUT III.

DE TERTIO SIGNO, QUAE EST SEMPER SIBI CONSTANS DOGMATUM STABILITAS.

Vera Ecclesia deficere nequit.

1. Fidei nostræ, ab Apostolis jam promulgatæ, veritatem demonstrat tertio stabilitas semperque æquabilis constantia in iis, quæ Romana Ecclesia credenda proponit. Irrita esse non poterat Jesu Christi promissio, numquam videlicet futurum esse ut suam Ecclesiam, veritatis columnam ab Ipso constitutam, inferorum vires devincerent. Quod ne *Calvino* quidem dubium erat: *Undè sequitur*, inquit, *fieri non posse, ut diabolus cum toto mundi apparatu Ecclesiam umquam deleat, quæ in æterno Christi solio fundata est* [3]. — Jesu Christi Ecclesiam evertere conati sunt Tyranni; at sævitiis suis non modo propositum non peregerunt, sed fidelium etiam auxerunt et multiplicaverunt numerum. Hæresiarchæ quoque suis eam contaminare erroribus contenderunt; idque eo furiosius, quod non, ut tyranni, extrinsecus eam adorirentur, sed intestinum moverent bellum: nec tamen potuerunt eam exstinguere. Quodsi nonnumquam in unâ regione nonnihil detrimenti accepit, Deus in aliis illud compensavit; quod vel maxime his ultimis accidit temporibus, quibus, quum plagas Septentrionales inquinassent hæretici, Ecclesiam adeo recreavit, ut plurimis gentibus in Indiis tam Orientalibus quam Occidentalibus ad fidem perductis, jacturam superarit profectus. *Ipsa est Ecclesia.... vera*, inquit S. Augustinus, *Ecclesia Catholica; contra omnes hæreses pugnans:*

[1] De Piscatura *Petri*, Luc. V (Articuli CCCCC *M. Lutheri*, ex sermonibus ejus triginta sex; quibus singulatim responsum est a *Joanne Cochleo Wendelstino*, 1526, Sermo VII, art. 65). — [2] Instit., lib. III, cap. 19, n. 2. — [3] Instit., lib. II, cap. 15, n. 3.

pugnare potest, expugnari tamen non potest [1].

Sola diuturnitas non probat.

2. Opponunt hæretici, idololatriam quoque per tot annos stabilem permansisse; pariterque post promulgatum Evangelium perdurasse, et nunc etiam constanter durare schisma Græcorum, *Mahumedanorum* sectam et religionem Judæorum. — Respondetur, ut stabilitas alicujus religionis sit veræ fidei signum, satis non esse, diu eam mansisse; sed constare debet, oppositionibus eam insectationibusque se præbuisse invictam. Quod certe non præstitit idololatria, quæ priusquam Evangelio esset sublata, omnium potestatum præsidio tegebatur; nunc autem, si in remoto aliquo mundi angulo vivit, ideo illic vivit et permanet, quod nulli persecutioni obnoxia, imperantes ipsos asseclas habeat et defensores.

Veram stabilitatis notam non habet idoloiatria.

Nec Græcorum Schisma.

3. Græcorum schisma porro stabilitatem nequaquam habuit; namque antiqui Græci Romanum Pontificem totius Ecclesiæ Caput agnoscebant. Nominatim illud declaravit Concilium Ephesinum, in quo affirmarunt Episcopi, se damnare Nestorium propter sententiam, jam antea a Cælestino Papâ latam: *Adigente.... epistolâ SS. Patris et collegæ nostri Cælestini,* inquiunt, *Ecclesiæ Romanæ Episcopi, cet.* [2]. Neque aliter accidit in causâ Eutychetis. Is, quum a Flaviano in Concilio Constantinopolitano I condemnatus, confugisset ad S. Petrum Chrysologum, Ravennatem Episcopum, ut ipsum defenderet apud S. Leonem Pontificem, ei respondit Chrysologus, ut in omnibus se subjiceret Romano Pontifici: *Quoniam* (notetur hæc ratio) *B. Petrus, qui in propriâ Sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem: nos enim... extra consensum Romanæ civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus* [3]. Cui quod assentiri nollet Eutyches, indictum est Concilium Chalcedonense; atque illud, ipso Leone per legatos suos præside, condemnavit Eutychetem unà cum Dioscoro, qui ausus erat, pro Eutychete Ephesum congregare conciliabulum *sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod* (ut verbis utar ipsius Concilii Chalcedonensis) *numquam licuit, numquam factum est* [4]. Et hæc erat formula sententiæ, quâ Dioscorus ex officio amovebatur: *Idcirco Sanctissimus... Leo per... præsentem Synodum unà cum Beatissimo... Petro Apostolo, qui petra... est Ecclesiæ Catholicæ rectæque fidei fundamentum, Episcopali eum* (i. e. Dioscorum) *dignitate exuit, et ab omni sacerdotali officio alienum censuit* [5]. Tum rogatus S. Leo epistolâ: « *Repletum est* », ut Concilium confirmaret, illud confirmavit epistolâ: « *Omnem quidem fraternitatem* »[6]; excipiendo tamen primatum Constantinopolitano Patriarchæ supra Alexandrinum et Antiochenum, concessum. Alia horum similia tacitus prætereo; sed ex duobus iis factis utique apparet, et Summum Pontificem supra Concilia auctoritatem semper habuisse, et falsum esse, Græcos a Romani Episcopi obedientiâ discedentes, majorum suorum servare doctrinam. Accedit, quod inter se quoque Græci schismatici in rebus fidei multum dissident.

Nec Mahumedanorum secta.

4. Quod autem ad *Mahumedanos* et Judæos pertinet, sapienter *Segneri* [7]: Quid mirum, inquit, non restingui ignem, qui libidinum adipe assidue succendatur? Non est ea fides, sed morum corruptela. — Ad hæc, *Mahumedanorum* religio ad semet sustinendam, numquid subiit vexationes, quales Catholica Religio experta est? Multo magis, quod nostra fides per multas diffusa est provincias, Summo Pontifici non subjectas; quum non vigeat *Mahumedis* religio, nisi in regionibus, in quibus dominetur Turcarum *Sultan*, ubi nemo eam impugnat, eamque falsam esse ostendit. *Mahumedani* præterea, licet omnes *Mahumedem* sequantur, in fide tamen ita

[1] De Symbolo, cap. 6. — [2] *Evagrius Schol.*, Histor. Eccl., lib. I, cap. 4. — [3] *S. Petr. Chrysol.*, Epist. ad *Eutychetem* (Ep. 25 inter ep. *S. Leonis M.*). — [4] Conc. *Chalced.*, act. I. — [5] *Evagr.*, Hist. Eccl., lib. II, cap. 4. — [6] *S. Leo*, ep. 114; ad Episcopos, qui in Synodo *Chalced.* congregati fuerunt. — [7] *L'incredulo senza scusa, Parte II, cap. 16, n. 20* (de *Mahumedanis*).

inter se discordant, ut ad sexaginta eorum sectæ numerentur. Nec mirum, quum in suo *Alcorano* aperte secum ipse pugnet *Mahumedes*. Affirmat uno loco, in suâ quemque lege salutem consequi posse; alio loco negat. Christianos uno loco veram ait legem habere; alio illud negat. Alicubi ipsum Christum asserit cruci fuisse affixum; alibi alterum quemdam in cruce Sibi substituisse. Alia ejusmodi sexcenta addere possum; quæ tamen, ne longus sim, prætermitto.

Neque Judaei.

5. Judæos porro, etsi ubique despectos et conculcatos, ecquis non videt obstinatione, non constantiâ, insignitos? Quam quidem obstinationem nonne pluribus ante sæculis prænuntiaverant divinæ Scripturæ pœnam esse futuram, quod gratiæ legem respuissent, suoque Redemptori injuste ademissent vitam? Heu miseros! Denuntiatas pœnas sibi jam accidisse vident; templum, sacerdotes et sacrificia sibi vident ablata; vident, semet patriâ expulsos et exsecrabiles apud omnes nationes. Atque ea numquid constantia dici potest? — Ac præterea, quæ stabilis vel firma his temporibus esse potest fides Judæorum, quorum doctrina (ut suprà vidimus) impietate et erroribus jam abundet?

Nec Reformatorum societates.

6. Si tandem ad reliquas sectas, ab Ecclesiâ Catholicâ separatas, animum advertamus, trecentæ quinque hæreses, ab eâ egressæ numerantur; quarum multæ, quamquam principum et imperatorum præsidio tectæ, atque a litteratis ac dignitate conspicuis viris tam voce quam scriptis defensæ, vix sui memoriam reliquerunt vel miseras quasdam reliquias apud perditæ conscientiæ homines. Viget sane pluribus hactenus locis reformata *Lutheri* et *Calvini* religio; sed inspicias velim, quænam illic stabilitas in rebus fidei et unitas adsit. *Lutherani* intra quinquaginta annos in tres sectas abierunt, *Lutheranorum, Semi-lutheranorum* et *Anti-lutheranorum*. Tum *Lutherani* rursus in undecim alias, item in alias undecim *Semi-lutherani*, et *Anti-lutherani* in sexaginta quinque divisi sunt, ut refert *Lindanus* [1]. Similiter *Calvinistarum* schola mox in plures diffluxit sectas, quæ plus centum numerantur. Videre licet apud *Natalem Alexandrum* [2], quot nominatim in Angliâ dentur *Calvinistarum* sectæ: *Puritani*, qui puram *Calvini* doctrinam sequuntur; *Piscatoriani*, quos in Galliâ *Calvinistæ* hæreticos declararunt; *Anglo-calvinistæ*, qui (id quod reliqui *Calvinistæ* facere renuunt) et Episcopos consecrant et ordinant Sacerdotes; *Independentes*, qui neque in ecclesiasticis neque in politicis rebus Superiorem agnoscunt; *Anti-Scripturistæ*, qui divinas Scripturas omnes rejiciunt; *Quakeri*, qui se continuo et ecstases pati et revelationes habere gloriantur; *Rantheri*, qui pro licito habent quidquid natura corrupta appetit.

Hollandia porro aliquandiu in duas factiones, *Arminianorum et Gomaristarum*, scissa erat; postea vero in quodam eorum Conciliabulo, anno 1618 habito, tamquam schismaticus condemnatus est *Arminius*, prioris sectæ princeps; quam sententiam quum accipere noluissent *Grotius* et *Barnefeldius* Cancellarius, ille conjicitur in carcerem, hic capite plectitur.

En quâ eximiâ constantiâ fideique unitate emineant illæ Novatorum societates! Hoc efficit spiritus superbiæ, ut quemadmodum ab Ecclesiæ obedientiâ se divellunt hæresiarchæ, sic eorum discipuli ab ipso magistrorum obsequio divellantur et nova systemata novasque sectas constituant.

Ipsi Reformatorum Magistri sibi non constabant.

7. Sed quid mirum, *Lutheri* et *Calvini* discipulos tantopere inter se discordare, quum a seipsis etiam adeo dissentiant magistri? Adeatur historia mutationum Ecclesiarum Protestantium, a *Bossuet*, Meldensi *(Meaux)* Episcopo conscripta: illic reperies, quam diversa et secum ipsa pugnantia dogmata prædicaverint et litteris consignaverint *Lutherus* et *Calvinus*. Quæ identidem de fidei articulis inter se contraria et pronuntiavit et scripsit *Luthe-*

[1] Dubitantius... instructus, Dial. II, cap. 2. — [2] Hist. Eccl. sæc. 15 et 16, cap. 2, art. 12, § 3.

rus (*Lutherus*, inquam, quem omnes Protestantes primum puræ fidei fontem proclamant, et quem Apostolum vocabat *Calvinus*, qui hæc scribere non dubitavit: *Res ipsa clamat, non Lutherum initio locutum, sed Deum per os ejus*[1]), ex seipsis satis demonstrant, falsam esse ejus fidem. Quoad vixit, aliud nihil nisi pugnantia locutus est; semper a seipso dissentiens, suam ipse impugnabat doctrinam. Antea dixerat, bona opera ad salutem non esse necessaria; postmodum, necessario ea requiri fatetur. De justificatione, de fidei virtute et de numero Sacramentorum millies contraria asseruit. De solâ Eucharistiâ triginta, quæ sibi non constant, percenseri licet. Unde *Georgius*, Catholicus Saxoniæ princeps, ipsius Lutheri temporibus scite dicere solebat, nescire *Lutheranos* hodie, quid cras sibi esset credendum. — Porro *Calvinus* quot de Eucharistiâ mutavit sententias! Quæ quidem apud *Bossuet*[2] legi possunt. — Atvero non recte dixi, tam multa inter se contraria, satis demonstrare, impios illos fidei magistros falsam tradidisse doctrinam; nam vel semel sibi non constitisse, satis ostendit, divinò spiritu eos non fuisse imbutos: *Qui semel mentitur* (ut ipse *Lutherus* fatebatur), *ex Deo non est*[3]. Unus est Spiritus-Sanctus atque immutabilis; quare, ut scribit Apostolus, *negare Seipsum non potest*[4]. Itaque falso admodum *Lutherus*, superbiâ circumventus, Jesu Christi spiritu in doctrinâ suâ propagandâ ornatum se his verbis gloriabatur: *Certissimus sum, quod doctrina mea non sit mea, sed Christi*[5]; melius dixisset: « sed diaboli ».

Ecclesia Catholica semper sibi constitit.

8. Stabilitas vero et doctrinæ unitas in rebus fidei, quas Christiano-Catholica Ecclesia ab initio tenuit, ex quo a Jesu Christo condita est, veram sane Ecclesiam eam esse demonstrant. Numquam non eadem fuit quibuslibet temporibus; eædem illæ veritates, quas hodie credimus, primis quoque sæculis creditæ fuerunt; cujusmodi sunt: arbitrii libertas, virtus Sacramentorum, realis Jesu Christi in Eucharistiâ præsentia, sanctorum invocatio, reliquiarum et imaginum eorum cultus, purgatorium. Audent quidem Novatores, illas fidei veritates errores vocare et asserere (ut refert Bellarminus[6]), ejusmodi errores fuisse quosdam in nascentis Ecclesiæ vultu *nævos*. Ergone Jesum Christum in Eucharistiâ præsentem adorare, adorare crucem, sanctorum imagines colere, primis sæculis nihil aliud nisi *nævi* quidam erant? Et quomodo *nævi* illi hisce temporibus evaserunt impia idololatria (nam hoc nomine nunc quidem hæretici utuntur)? An forte non aliud nisi *nævus* quidam est idololatria? Ad hæc, quomodo per tot sæcula tam immanes errores Deus in suâ Ecclesiâ permittere potuit, donec ad eos dispellendos venirent novi illi magistri, *Lutherus, Zwinglius, Calvinus?*

Ecclesia Catholica ab Apostolis descendit.

9. At non ita res se habet; illa quippe Ecclesia, quæ ab initio fuit vera, vera erit omni tempore; et quemadmodum unus est verus Deus, ita et vera fides una est et una vera Jesu Christi Ecclesia, quæ illam fidem nobis tradit: *Una fides, unum Baptisma, unus Deus*[7]. Extra veram illam Ecclesiam, unicam salutis arcam, nemo (id quod ipse *Calvinus* confessus est[8]) salutem consequi potest.

Veræ porro Jesu Christi Ecclesiæ nota hæc est, ut ab ipso Redemptore sit condita, propagata deinde ab ejus Apostolis, ac tum regenda commissa sit pastoribus, qui legitimâ et continuatâ serie ab ipsis

[1] De libero Arbitrio contra *Pyghium*, lib. I. — [2] *Histoire des Variations des Eglises Protestantes, liv. IX, chap. 23* et seq. — [3] Apud *Segneri, Incredulo senza scusa, Part. II, cap. 21, n. 5.* — [4] 2 *Tim.*, II, 13.

[5] Ita *Segneri*, l. c. En ipsa *Lutheri* verba (contra regem *Angliæ*): *Certus enim sum, dogmata mea habere me de cælo;* et in CXXXII Articulis, quos ex libro *Lutheri* contra Ecclesiasticos excerpsit *Jo. Cochlæus*, Artic. VIII[us] est: *Ita ut qui doctrinam meam non acceptaverit, salvus fieri non possit, quia Dei est, non mea* (Nota edit.).

[6] De Conc. et Eccles., lib. IV, cap. 5. — [7] *Ephes.*, IV, 5 et 6.

[8] Instit., lib. IV, cap. 1, n. 4. *Extra ejus (i. e. Ecclesiæ) gremium*, inquit, *nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus* (Nota edit.).

Apostolis descendant. Illud sane declaravit S. Paulus, quum ad Ephesios scriberet: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* [1]. Jamvero nota illa eaque signa reperiri non possunt nisi in Romanâ Ecclesiâ, ubi sine ullâ dubitatione pastores originem suam immediate ab Apostolis repetunt, ut testantur S. Cyprianus [2], S. Hieronymus [3], S. Augustinus [4] et ante eos his quidem verbis S. Irenæus: *Romæ fundatæ... Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem et... fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui... per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet, colligunt* [5]. Eodem modo Tertullianus [6] eam Christianam Societatem ait, quæ primam se fuisse non posset ostendere, si veram et legitimam se declarare velit, saltem monstrare debere, ab aliquo Apostolorum originem se ducere. Atque idem illud S. Augustino persuadebat, Romanam esse veram Jesu Christi Ecclesiam: *Tenet (me)* [in Ecclesiâ], inquiebat, *ab ipsâ sede Petri... usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum* [7]. Itaque constans et perpetua a S. Petro ad hæc usque tempora Pontificum series, Romanam Ecclesiam veram Jesu Christi Ecclesiam esse evidenter probat.

Objectio. **10.** At, inquiunt, Romana Ecclesia plura subinde credenda definivit, quæ antea de fide non erant; ergo in rebus fidei semper sibi similis non fuit. — Respondetur, ex eo quod Ecclesia temporis decursu identidem plura definivit dogmata, quæ antea non erant definita, non sequi, eam in fidei articulis non semper sibi fuisse æqualem; illud enim non probat, Ecclesiam mutavisse dogmata, sed demonstrat tantum, eam Scripturis et Traditione innixam identidem declarasse fidei esse articulos plures veritates, quæ antea quidem ut tales declaratæ non essent, licet reverâ de fide fuerint, priusquam ab Ecclesiâ definirentur. Responsio.

11. Certum est contrà, Romanam Ecclesiam primam esse et unicam, a Jesu Christo fundatam. Quod si quis negare velit, dicat tandem quænam fuerit prima illa Ecclesia. Verum liquido illud apparet ex ipsâ separatione, quâ sectæ hæreticæ a Romanâ Ecclesiâ discesserunt; quandoquidem non aliam ob causam ab eâ sunt digressæ, nisi quod Ecclesia admittere nolit nova dogmata et diversa ab iis, quæ semper docuit. Omnes ergo societates, a Romanâ Ecclesiâ sejunctæ, ut Ariana, Nestoriana, aliæque hujusmodi ac nominatim Reformata, certo ab illâ exierunt. Ergo sola Romana est vera Jesu Christi Ecclesia; reliquæ omnes falsæ: *Ex hoc enim ipso*, inquit S. Hieronymus, *quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit* [8], Pseudo-prophetas nempe et doctores. Conclusio

[1] *Ephes.*, IV, 11 et 12. — [2] Ep. 52 ad *Antonianum*; Epist. 76 ad *Magnum*. — [3] Dialogus adversus *Luciferianos*, n. 28. — [4] Contra Adversarium Legis et Prophetarum, lib. I, cap. 20. — [5] Contra Hæreses, lib. III, cap. 3. — [6] De Præscriptionibus, cap. 20. — [7] Contra Epistolam *Manichæi*, cap. 4. — [8] Dialogus adv. *Luciferianos*, in fin.

CAPUT IV.

DE EODEM ARGUMENTO.

Reformatis defuit divina missio.

1. Quibus igitur verbis Tertullianus suæ ætatis novatores, iisdem hos novos fidei magistros interrogemus oportet: *Qui estis? Quando et unde venistis?* [1] Dic nobis, *Luthere*, *Zwingli*, *Calvine*, *Socine*, qui estis et unde venistis? Olim et vos Romanam Ecclesiam sequebamini; quis ex eâ vos misit, ut, novas illas prædicaretis doctrinas, quas disseminastis? Opus esse ait Apostolus, quamlibet prædicationem legitimâ missione approbari: *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* [2]

Non habuerunt missionem extraordinariam.

2. Est quidem duplex missio: ordinaria et extraordinaria. Esse potest extraordinaria, qualis fuit S. Pauli missio; ea vero numquam habebitur pro legitimâ, nisi et rarâ vitæ sanctitate et miraculis simul comprobetur; quare de suâ S. Paulus: *Tametsi nihil sum: signa tamen apostolatûs mei facta sunt super vos in omni patientiâ, in signis et prodigiis et virtutibus* [3]. Talem quoque habere missionem debuerant auctores sectarum, quæ a Romanâ Ecclesiâ dissentiunt; missionem dico, et vitâ eximie sanctâ et miraculis suffultam. Sed quod ad vitæ sanctitatem pertinet, hæresiarchas et nominatim Septentrionales illos ultimos vitam egisse constat, non christiano solum, sed etiam homine indignam; atque ad eamdem vitam alios quoque instituerunt. Quodsi de miraculis quæras, ita (in suo tractatu: *De libero arbitrio*) de iis loquebatur *Erasmus: Nullus illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit* [4].

Famosum aliquod *Lutheri* miraculum, Wittenbergæ factum, exponit *Fridericus Staphylus* [5], qui antea *Lutheranus*, postea vero ad Catholicam fidem conversus est; miraculo ipse adfuit suisque illud oculis vidit. In *Responsione contra Jac. Smidelinum* ita legimus: «A Misniâ puella quædam dæmoniaca ad *Lutherum* adducta est, ut dæmonem ab eâ ejiceret. Ille in sacrarium Parochianæ Ecclesiæ eam introduci jussit, et diabolum, non more Catholicæ Ecclesiæ, sed suo quodam modo, exorcismis adjurare cœpit. At malus dæmon, ejus voluntati nequaquam obtemperans, magnum etiam ei incussit terrorem; unde *Lutherus* illico inde se proripere conatus est. Quum vero diabolus obstruxisset ostium, ad fenestram cucurrit, per eam erupturus; sed eam ferreis cancellis occlusam invenit. Tandem securi immissâ ego, utpote junior et robustior, ostium perfregi, sicque effugimus ».

Calvini quoque miraculum, at illud funestius, narrat *Hieronymus Bolsecus* [6]. *Bruleus* quidam, quum inopiâ laborans, ad *Calvinum* confugisset, hic operam suam pollicitus est, dummodo et ille præstaret aliquid, quod ab eo factum vellet: mortuum se fingeret, ut ad *Calvini* vocem posset resurgere. Miser ille non recusat. Quid vero accidit? *Calvino* exclamante: « Jesu Christi nomine, surge », *Bruleus* se non movet; et quamvis idem repetat *Calvinus*, immotus jacet. Tandem uxor manu eum concutit, at reverâ mortuum reperit. Tum plorans et vociferans, coram omnibus, quid factum esset, exponit.

Non habuerunt missionem ordinariam.

3. Quoniam ergo novi illi religionis conditores extraordinariam non habuerunt missionem, utpote nec vitæ sanctimoniâ nec miraculis innixam, probare deberent, saltem ordinariam fuisse suam missionem. Hæc quidem in eo consistit, ut vel per

[1] De Præscript., cap. 37. — [2] *Rom.*, X, 15. — [3] 2 *Cor.*, XII, 11 et 12. — [4] De libero Arb. non proc. ab init. — [5] Absoluta Responsio... adversus *Jacob. Smidelinum*, interprete *Surio* (*Coloniæ*, 1563); Pars prima, pag. 693. — [6] *Bolzec. Histoire de Calvin, chap. 13.*

totum orbem Summus Pontifex, vel per suas diœceses Episcopi ad fidem apud populos propagandam Sacerdotes dimittant. Sed quomodo eam sibi vindicare possunt novatores, qui et ab Episcopis et a Summo Pontifice, Romanæ Ecclesiæ capite, dissociati, prædicandam constituendamque susceperunt religionem, Romanæ Ecclesiæ religioni prorsus contrariam?

Itaque (ut repetam quod suprà dixi) si Romana Ecclesia a Jesu Christo prima fundata et ab Apostolis constituta est, reliquæ autem societates ab eâ divulsæ sunt et ex eâ digressæ; hæ omnes falsæ sunt et schismaticæ, solaque Romana vera Jesu Christi est Ecclesia.

Romana Ecclesia numquam defecit.

4. Ita sane, inquiunt Protestantes, aliquando vera fuit Romana Ecclesia; sed post tres quatuorve vel, ut dicunt alii, post quinque sæcula, in errores lapsa defecit; atque ita exstinctam redintegravit *Lutherus*. En verba *Gerardi* hæretici: *Certum quidem est, antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse et apostolicam doctrinam tenuisse* [1]. Nos vero respondemus, fieri non posse, ut vera Ecclesia deficiat; quod quidem pluribus locis asseverant Scripturæ. Divinus Redemptor S. Petrum compellans: *Et Ego dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [2]. Et alias: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* [3]. Et omnes discipulos alloquens: *Et ecce Ego vobiscum sum*, inquit, *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* [4]. Apostolus quoque, Dei Ecclesiam *columen* esse ait et *fundamentum* veritatis: *Scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* [5]. Jamvero si ex ipsis Jesu Christi promissis ejus Ecclesia ab inferorum viribus numquam evertetur; si Redemptor ei adest aderitque usque ad finem temporum; si ipsa est veritatis *columna* et *firmamentum;* si denique fieri non potest ut deficiat: Romana Ecclesia, quum sine ullâ dubitatione a Jesu Christo prima condita et aliquando vera fuerit, necessario semper fuit vera neque umquam vera esse desinet. Quo quidem argumento S. Augustinus [6] confutavit Donatistas, qui item suis temporibus Ecclesiam defecisse ajebant.

5. Neque attinet objicere, defecisse Ecclesiam, quum Ariminense et Sirmiense celebrarentur Concilia, ubi Episcopi et Liberius, Summus Pontifex, subscribendo Arianorum formulæ, in Arianam hæresim incidissent. — Falso enim asseritur, in hæresim eos prolapsos. Rem sic accidisse referunt S. Athanasius [7], S. Hilarius [8], S. Hieronymus [9], Sulpicius Severus [10] et Theodoretus [11]: porrecta est Catholicis Episcopis et Liberio formula fidei Sirmiensis, cui subscriberent. Quamvis errorem non contineret (Filium quippe non esse creaturam sicut reliqua, agnoscebat), deerat tamen vocabulum, a Nicæno Concilio adhibitum, Patri nempe Filium esse consubstantialem veramque Deum, sicut Deus est Pater. Et hic quidem latuit fraus, quâ Valens, Arianorum caput, ad subscribendum induxit Pontificem et reliquos Catholicorum Episcopos, dolose promittens, postea adjectum iri quidquid opportunum judicassent; quâ promissione inducti, ac præterea ut se subtraherent sævitiis, quibus Arimini ab Arianis et maxime ab imperatore Constantio afficerentur, subscripserunt formulæ. Negligentiæ ergo et debilitatis culpam reverâ admiserunt, minime tamen in Arii prolapsi sunt errorem. Quod adeo verum est, ut ipsi, quum se non recte egisse postea agnoscerent, libello publico sint protestati, numquam se a fide Nicænâ recedere voluisse; ipse

Objectio.

Responsio.

[1] *Johannis Gerhardi* Loci Theologici, tom. V; de Ecclesia, cap. XI, sect. VI, n. 204. — [2] *Matth*, XVI, 18. — [3] *Luc.*, XXII, 32. — [4] *Matth.*, XXVIII, 20. — [5] 1 *Tim*, III, 15. — [6] In Psalm. CI, Sermo 2, n. 8 et 9. — [7] Historia *Arianorum* ad Monachos, n. 41. — [8] Advers. *Constant.* - Fragment. 6, n. 6. — [9] Dial. adv. *Luciferian.*, n. 17-20. — [10] Historia sacra, lib. 2, n. 40 seq. — [11] Hist. Ecclesiast., lib. 2, cap. 14 seq.

Liberius porro quæcumque consignaverat, diserte revocavit.

6. Quidquid dicunt recentes hæretici, hoc sane negare nequeunt, fieri non posse, ut Catholica Ecclesia, si aliquando vera fuerit, juxta Jesu Christi promissiones, umquam desinat esse vera.

Primum effugium: de invisibili Ecclesia.

7. Quo argumento quum nimis premerentur, hoc aliud excogitarunt effugium, visibilem Ecclesiam, non invisibilem, defecisse; constare videlicet Ecclesiam solis prædestinatis (ut ajunt *Calvinistæ*) vel solis justis (ut *Confessionistæ* asserunt). Illud vero cum Evangeliis pugnat, quæ Ecclesiam militantem ex justis et peccatoribus constare docent; quamobcausam modo comparatur areæ, ubi et frumentum et palea adest; modo reti omnigenos pisces continenti; modo agro, in quo unà cum tritico zizania reperiuntur.

At, inquiunt Novatores, saltem non requiritur, ut semper sit visibilis Ecclesia. — Sed primum respondetur, eos illud probare debere; neque illud probant. Refert *Pichler* [1], *Joh. Bapt. Crophium* in aliquo scripto, anno 1695 edito, declaravisse, se sæpius rogasse Prædicantes, ut aliquem scripturæ textum afferrent, quo invisibilis illa Ecclesia designaretur; se vero nihil umquam impetrasse. — Verum ex Evangelio constat, non posse Ecclesiam esse invisibilem: *Non potest civitas abscondi supra montem posita* [2]. Sicut urbs, in monte constituta, inquit Dominus, transeuntium oculis abscondita esse nequit; ita neque Ecclesia latere potest eos, qui his in terris vivunt. Quid potest esse clarius iis Jesu Christi verbis? Præterea Redemptor S. Petrum ita alloquitur: *Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* [3]. Quidquid sibi volunt *ligare* illud et *solvere*, sive Sacramentalem absolutionem significant (ut dicunt Catholici) sive censuras vel

Christus dixit, Ecclesiam esse visibilem.

prædicationem (ut ajunt hæretici), sunt tamen visibilia et patentia Ecclesiæ externa ministeria; quo fit (inquit *Bossuet* [4] in suâ cum *Claudio* collocutione, postmodum typis editâ), ut ea declarata fuerit vera Jesu Christi Ecclesia, quæ extrinsecus Jesum Christum confiteatur, et externum clavium ministerium exerceat.

Visibilis esse debet, ut fideles dirigi possint.

8. Porro quovis tempore Ecclesiam visibilem se præbuisse, necesse fuit eritque semper, ut nempe unusquisque ab Ecclesiæ pastoribus et veram doctrinam semper addiscere et suscipere Sacramenta possit, et, si quando erraverit, ad recti tramitem revocari. Si enim umquam occulta et invisibilis esset Ecclesia, a quo acciperent homines, quid credendum et agendum sit, ut ad æternam salutem perveniatur? *Quomodo credent ei*, inquit S. Paulus, *quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* [5] Et ad Hebræos idem Apostolus: *Obedite præpositis vestris*, inquit, *et subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* [6]. Si autem lateret Ecclesia, neque præpositos suos agnoscere possent fideles, quomodo iis obedientiam præstarent? Quapropter S. Paulus, Dominum in propatulo posuisse ait et pastores et doctores, ne a falsis magistris atque errorem docentibus deciperemur: *Et Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores et doctores..., ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris* [7].

Visibilis esse debet, ut Scripturae dignoscantur.

9. Reponunt Protestantes, nihil opus esse Ecclesiæ ministris per quos vera fidei dogmata accipiamus, quum omnes veritates, quas credere debemus, in divinis Scripturis reperiantur. — At primum, sublatâ Ecclesiæ auctoritate, quisnam veras nobis indicabit Scripturas? Quam multæ scripturæ falsæ et apocryphæ declaratæ fuerunt? Evangelia S. Pauli, S. Petri, S. Thomæ, S. Mathiæ; Psalmus CLI, ter-

[1] Theol. polemica, De Eccles., cap. 1, art. 3. — [2] *Matth.*, V, 14. — [3] *Matth.*, XVI, 19. — [4] *Conférence avec M. Claude*, n. 3. — [5] *Rom.*, X, 14. — [6] *Hebr.*, XIII, 17. — [7] *Ephes.*, IV, 11 et 14.

tius et quartus liber Machabæorum, Oratio regis Manassæ et aliæ. Ad hæc librum Job, Ecclesiasten, Epistolam S. Pauli ad Hebræos et Epistolam S. Jacobi *Lutherus* quidem rejicit, pro genuinis vero et divinis Scripturis habet *Calvinus*.

Et etiamsi de veris Scripturis agatur, de vero earum sensu quis certos nos reddat? Eucharistiæ Sacramenti verba: *Hoc est Corpus meum*, *Lutherus* reverâ de Jesu Christi Corpore; *Zwinglius* contrà et *Calvinus* figurate intelligunt; et similiter, licet novæ fidei magistri illi, omnes sententias suas divinis Scripturis fulciri glorientur, aliis multis in rebus (ut suprà vidimus) inter se dissentiunt. Quomodo ergo fiet, ut ex solis Scripturis, in quibus multa sunt obscura, omnes cognoscantur fidei veritates, nisi verum Scripturæ sensum nos doceat Ecclesia?

Non sufficit lumen internum.

10. Ad quod rursum hæretici reponunt, singulos homines a Spiritu-Sancto illuminari, ut Scripturæ verum sensum intelligant. — Sed nos denuo respondemus: Si primæva Ecclesia (id quod illi accidisse contendunt) tota errare potuerit, male intelligendo Scripturas, quanto magis, quæso, errare poterunt singuli homines? Ac præterea quâ ratione homini erit exploratum, se non decipi, quum aliquem Scripturæ sensum pro vero habeat? Suprà notavimus, *Lutherum* ex verbis: *Hoc est Corpus meum*, ut fidei dogma tenuisse, ipsum Jesu Christi Corpus adesse in Eucharistiâ; illud vero pro idololatriâ habuisse *Calvinum* et *Zwinglium*. Quæritur, uter a Spiritu-Sancto illuminatus fuerit, *Lutherus* an *Calvinus;* quum unum idemque alteri dogma, alteri idololatria esse videretur? Certum est, omnes hæreticos divinis Scripturis, perperam explicatis, errores suos stabilire voluisse; iis vero sancta Ecclesia, vera fidei magistra, a Spiritu-Sancto illuminata, hæresis notam inussit. Quare S. Augustinus: *Evangelio non crederem*, inquit, *nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas* [1].

Requiritur judex visibilis.

11. Certa esse debent fidei dogmata; quum ergo plurima de iis dubia orirentur, infallibilem Dominus in Ecclesiâ suâ constituit judicem, Vicarium suum, Romanæ Ecclesiæ Pontificem, qui vel ipse vel per Concilia, a se approbata, infallibili certitudine definiret vera dogmata credenda et reprobandos errores, ut fidelibus certa esset regula, quam sequerentur. Quæ quidem adeo facilis et tuta regula deest hæreticis; non enim habent judicem infallibilem, cui suum quisque subjicere debet judicium de sensu ipsius Scripturæ, quam sibi judicem esse proclamant. Quo fit, ut in ipsâ provinciali vel nationali eorum Synodo (cujus quidem esset, omnem dubitationem tollere) discordes et dissidentes maneant. Refert *Bossuet* (in eâdem illâ collocutione, cum *Claudio* habitâ), in libro de Disciplinâ Pseudoreformatæ Religionis hæc duo reperiri Acta: *Quæstiones, quæ ad doctrinam spectant* (ita in priore legitur) *Verbo Dei esse dirimendas; idque, si fieri poterit, in Consistorio; sin aliter, rem deferendam esse ad Colloquium, inde ad Synodum Provincialem, ac tandem ad Nationalem, ubi Verbi Dei ope ultima et decretoria pronuntietur sententia; in quâ siquis per omnia et errores suos expresse ejurando acquiescere renuisset, ab Ecclesiæ membris abscinderetur* [2]. Alterum condemnat Independentes, qui singulas ecclesias ita sui juris esse volebant, ut nemini omnino essent subjectæ. Quam propositionem Synodus Charentonensis damnavit ut veræ Ecclesiæ perniciosam et *quæ libertatem daret totidem condendi religiones, quot essent parochiæ* [3]. Itaque ipsi Protestantes (quod recte adnotat *Bossuet*) illud agnoscunt, non posse solum Verbum Dei certam in fide cautionem ipsis afferre, sed requiri judicium Ecclesiæ, quæ verum Scripturæ sensum interpretetur; quod nisi fiat, patere viam tot condendis religionibus, quot non solum parochiæ, sed hominum capita sint.

[1] Contra Epistol. *Manichæi*, cap. 5.

[2] *Conférence avec M. Claude*, n. 1. — [3] Ibid.

Ideo inter se dissentiunt Protestantes.

12. Donec igitur hæretici stabilem repererint normam, quæ fidei certitudine verum Scripturarum sensum aperiat, certam fidei regulam habere non possunt. Atque ideo Evangelici Reformatores non cum ceteris tantum reformatis Ecclesiis, sed inter se quoque discordare non desinunt. Ad rem celeber ille *Pufendorf*, quamquam et ipse de Protestantium sectâ, fatetur: *Pontificiorum... melior est conditio quam Protestantium;... illi Pontificem... Antistitem Ecclesiæ et caput esse,... omnes agnoscunt;... Protestantes contrà... capite... destituti fluctuant,... fœde lacerati... et discerpti.... Ad suum unaquæque respublica arbitrium... omnia administrat et moderatur*[1]. Quapropter scite doctus quidam auctor[2]: nullam breviorem, ait, vel securiorem ad coarguendos hæreticos esse viam, quam si demonstretur, eos extra Ecclesiam versari, et in eorum religione non haberi neque haberi posse fidei regulam: quo videlicet demonstrato, jam pro errore habendum esse patet, quodcumque eorum dogma reprobaverit Catholica Ecclesia.

Ut autem concludamus, et arctius adstringamus argumentum: Ecclesia Catholica aut non potuit errare aut potuit; si non potuit, falso contendunt, eam errasse; sin errare potuit, designandus est infallibilis aliquis judex, qui credendas veritates et errores exsecrandos certo definiat. Talis judex esse nequit Scriptura, quippe quæ diversos sensus possit habere; quorum nisi verus ab aliquo infallibili judice statuatur, tot essent religiones, quot opiniones hominum. Nisi ergo datus esset omnibus infallibilis judex, quem nos quidem Romanum Pontificem esse dicimus, his in terris nec vera Ecclesia nec vera fides umquam posset haberi.

Alterum effugium: de articulis fundamentalibus.

13. *Jurieu*[3] Calvinista, quum illud compertum haberet, itemque perspiceret, veram Jesu Christi Ecclesiam sine ullâ dubitatione existere non posse apud societates divisas a Romanâ Ecclesiâ, quæ est omnium antiquissima, novum excogitavit systema, cui hodie præcipue *Calvinistarum* sectæ assentiuntur: eas nimirum societates, quæ in articulis fundamentalibus ab Ecclesiâ Romanâ non discordent, ab eâ non esse digressas, sed ipsam constituere Ecclesiam. Quemadmodum in Romanâ Ecclesiâ pro variis Thomistarum, Scotistarum, Augustinianorum aliorumque scholis variæ dantur sententiæ, quamvis eamdem fidem confiteantur omnes; ita inter nos (inquit) eadem est et fides et Ecclesia, quamquam variant Canones et disciplinæ.—Ad quod respondemus: Sunt quidem inter Catholicos diversæ scholæ et sententiæ; versantur tamen in nonnullis quæstionibus, ab Ecclesiâ non definitis; sed ad dogmata quod spectat, sive præcipuos et ab Ecclesiâ jam decisos fidei articulos, idem sentiunt omnes. Sic v. g. nulla Schola non fatetur, ad singulos actus bonos necessariam esse gratiam, et liberum esse hominis arbitrium: ea quippe pro fidei articulis habemus; quomodo porro efficax sit gratia, ex seipsâ an ex præviso libero hominis consensu; et in quo efficacia illa consistat, utrum in prædeterminatione physicâ an in delectatione victrice, et eâ quidem aut relativâ aut morali, controversiæ sunt nondum decisæ nec fidei contrariæ.

Quinam sint, a Reformatis statui nequit.

14. Attamen videamus, quosnam articulos pro solis fundamentalibus habeat *Jurieu*. Eos non singulatim aut certe nimis confuse exponit, quum ait: *Fundamentalis est articulus ille, a quo pendet divinæ gloriæ eversio et exitium ultimi finis hominis*[4]. Sed quantum ex ejus scriptis colligitur, quatuor sunt articuli fundamentales: Trinitatis et Incarnationis mysteria, æternum in alterâ vitâ præ-

[1] De Monarchia Pontificis Romani, § 41 (*Francofurti*, 1688), pag. 175. — [2] *Pichler*, Theol. polem. De Ecclesia, præfat.

[3] Scripsit: *Le Vrai Système de l'Eglise*; et postmodum: *Traité de l'Unité de l'Eglise et des Points fondamentaux contre Monsieur Nicole* (Nota edit.).

[4] L. c., passim; cfr. *Le vrai Système, livre III, chap. IX.*

mtum justorum et peccatorum pœna æterna [1].

Verum præter eos reliqui omnes articuli, quos Ecclesia ut *de fide* tenendos proposuit, firmiter et æquali assensu a fidelibus credi debent; eamque ob causam sectas, quæ in his quoque aliud sentiebant, a Catholicâ Ecclesiâ separatas semper judicarunt et Patres et Concilia, ac nominatim Nicænum I [2], Constantinopolitanum I [3] et II [4]. Non aliam ob causam sæculo II S. Victor Papa ab Ecclesiæ Romanæ Communione segregavit Asiaticos *quartadecimanos*, qui Pascha celebrari volebant quartâdecimâ die Lunæ Martiæ, non vero Dominicâ sequenti [5]. Carthaginiense III condemnavit Novatianos, qui in persecutione lapsis negabant veniam [6]. Constantinopolitanum II ab Ecclesiâ sejunxit eos, qui animas creatas dicebant, priusquam formarentur corpora [7], et qui cælos ac stellas animatas esse asserebant [8].

Præterea in Evangelio S. Matthæi legimus: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus* [9]. Siquis ergo Ecclesiæ definitiones audire renuat, jam vivit extra Ecclesiam, quæ (ut ait S. Paulus [10]) utpote unum corpus, unum tantum spiritum habere potest.

15. *Sed*, inquit *Jurieu, articulos fundamentales a reliquis distinguere, spinosum et difficile est* [11]. Et: *Definire, quinam sint articuli fundamentales, non pertinet ad Ecclesiam; sed tales sunt suapte naturâ* [12]. Penes quem ergo erit? An forte privatum cujusque judicium illud definiet? Si vero ita esset, nonne sexcentæ inter se contrariæ definitiones et totidem variæ Ecclesiæ haberentur?

Nequaquam, reponit *Jurieu;* nullius enim est illud definire, quinam articuli sint fundamentales; sunt enim fundamentales *suapte naturâ*. Quod si verum sit, cur eos articulos a ceteris distinguere, *spinosum* et *difficile* vocat? Et quis decernet, quinam sint illi articuli, suapte naturâ fundamentales? Aut sunt manifesti aut obscuri; si primum, non constituunt quæstionem *spinosam* et *difficilem;* sin alterum, definitione egent.

Ineptum est illud effugium.

16. Patet igitur, prorsus ineptum esse novum illud systema, a *Jurieu* excogitatum; novum, inquam, vel ipsis Protestantibus, qui ante eum adeo nihil cum Romanâ Ecclesiâ se conjunctos dicebant, ut contrà gloriarentur, ab eâ se esse digressos, quod post quartum vel quintum sæculum evasisset ecclesia adultera (sic eam vocabant), sedes Antichristi et erroribus atque idololatriâ infecta.

Sed præter hæc, quî potest asserere *Jurieu*, societates Protestantes unam constituere eamdemque Ecclesiam cum eâdem fidei professione, quum constet, anno 1578 in « Præfatione Apologeticâ ad reformatas ecclesias » fateri Tigurinos *(Zürich)* theologos, plures inter eas esse contentiones de rebus fundamentalibus, ut (quod quidem ad Jesu Christi Personam spectat) de utriusque, divinæ et humanæ, naturæ unione et distinctione, et de aliis hújusmodi? Ad quæ hæc alia etiam adjiciunt verba: *Tanto furore contenditur, ut non paucæ veterum hæreses, quæ olim damnatæ fuerant, quasi ab inferis revocatæ caput attollant* [13]. Et *Joannes Sturmius*, unus ex Protestantibus, de controversiis inter illas religiosas societates agens: *Præcipui articuli in dubium vocantur*, inquit, *multæ hæreses in Ecclesiam Christi invehuntur, plana ad Atheismum paratur via* [14]. Qui quidem auctor propheta dici potest; nam hodie, ut apparet ex libris, quos edere non cessant, bona pars Protestantium in Atheismum incidit. Re-

Sic paulatim ad Atheismum decidunt.

[1] L. c., *livre I, chap. XIX.* — [2] Can. 8. — [3] Can. 6. — [4] Collatio 3. — [5] *S. Victor P.* - Epist. ad *Theophilum.* Inter Decretales *Isidori Mercatoris.* — [6] Epist. *S. Cypriani.* — [7] Can. 1. — [8] Can. 3 adv. *Origenem.* — [9] *Matth.* XVIII, 17. — [10] *Ephes.*, IV, 4. — [11] *Vrai Système, livre II, chap. I. Question,* inquit, *si épineuse et si difficile à décider* (Nota Edit.). — [12] Cfr. *Vrai Système, livre II, chap. I, II, XIX; livre III, chap. IX et X*; item, *Traité de l'unité,* Tr. VI. — [13] *Prefazione Apologetica dei Teologi di Zurigo* (apud *Gotti: della Chiesa,* cap. 8, § 1, n 8). — [14] De Ratione ineundæ Concordiæ, fol. 2 (apud *Gotti,* l. c.).

bus quippe paulatim dilucidatis, jam ipsi Protestantes agnoverunt, systema suum et doctrinam subsistere non posse; quapropter, ut perditæ vitæ conscientiam comprimerent, in extremum atheismum sive materialismum sese abjicere conantes, quidquid ad fidem pertinet negarunt, omnia materiam esse contenderunt, nec dubitant asserere, Deum non existere neque animam, nec præter præsentem, aliam nobis dari vitam. Sed quidquid cogitant vel laborant ad illum animi angorem sibi evellendum, illud perficere numquam poterunt. Ad summum eo pervenient, ut in dubio ponant num Deus existat et vita æterna; illud vero reverâ persuasum habere non possunt neque umquam poterunt; quandoquidem Deum existere, Creatorem rerum omnium justumque remuneratorem, et animas nostras æternas esse atque immortales, ipsa ratio dictat. Ex dubio, num Deus sit, pacem sibi comparare nituntur miseri, ne quem scelerum censorem vel castigatorem habeant; non poterit tamen pacem iis conciliare dubium istud, hoc ipso quod illud ad certum deducere nequeunt; sed ipsum dubium non desinet incutere divinæ ultionis formidinem.

Nulla habetur inter Protestantes concordia.

17. Sed ad argumentum redeamus. Fatentur ergo ipsi Novatores, apud se in dubium vocari etiam præcipuos fidei articulos. Et re quidem verâ (ut in docto opere: *De verâ Ecclesiâ* refert *Gotti* Cardinalis [1]), Lutherani in Christo agnoscunt unam Personam; duas vero cum Nestorio *Calvinus* et *Beza* ponunt (*a*). Asserunt *Lutherus* aliique ejus discipuli, in Christo ipsam divinam naturam cruciatus et mortem subiisse [2]; quam exsecrandam blasphemiam merito reprobat *Beza* [3]. *Calvinus* Deum peccati auctorem facit [4]; illud vero Lutherani blasphemiam esse ajunt [5]. *Lutherus* docet, Christum etiam

[1] *La vera Chiesa di Cristo, tomo I, cap. 8, § 1, n. 9.*
[2] Cfr. Libr. de Conciliis et Confessionem majorem de Cœna Domini. - Quod ad discipulos spectat, conf. *Sylvest. Gzecanovium*, Dialog. de corruptis moribus utriusque partis, fol. 5. — [3] Epist. 61. — [4] Instit., lib. III, cap. 23, n. 4, 7, 8. — [5] Colloquium *Montis Belligardensis* (alii scribunt: *Montis Pelicardensis*; Gallice est *Montbéliard*).

(*a*) De Calvino Cardinalis *Gotti* (l. c.), in errorem inductus a *Jodoco Coccio* (Thesaurus Catholicus, lib. VIII, de signis Ecclesiæ, art. 9), quem hic sequitur, revera illud affirmat. Sed eo loco, quem post Coccium citat (Institut., lib. I, cap. 13, n. 9, 23 et 24) *Calvinus* hoc non docet, ut ex toto contextu perspicuum est; quin etiam paulo infrâ (Instit., lib. II, cap. XIV: *Quomodo duæ naturæ Mediatoris unicam efficiant personam*) doctrinam Catholicam accurate exponit: *Qui Filius erat Dei*, inquit (ibid., n. 1), *filius hominis factus est: non confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Item conferri potest ejus *Responsio ad primam Serveti Quæstionem* (Opera, vol. 8, pag. 517. *Amstelodami*, 1667) et *Altera Calvini Responsio* (ibid., p. 519). — Beza quidem (quem item Gotti cum Coccio allegat) minus accurate locutus est. In opusculo enim *Ad Joannis Brentii Argumenta de carnis Christi omnipræsentia*, quamquam Nestorium impugnat et in Christo personæ unitatem profitetur, asserit tamen « duas in Christo esse uniones hypostaticas: unam in corpore et anima simul personaliter unitis: alteram in Verbo et homine ad unum Christum personaliter constituendum coeuntibus ». Quum vero ei objecisset Jacobus Andreas, sic ex duabus personis Christum constitui videri, ita respondit in opusculo: *De hypostaticâ Unione adversus Jacobi Andreæ assertionem:* « Respondeo » ne hoc quidem ex illo meo dicto posse colligi. » Neque enim quidquid hypostaticâ unione coa» luit, est tamen hypostasis, nisi seorsim et per » se subsistat, sicut in reliquis humanæ naturæ » individuis evenit: in illo vero quod a Verbo » assumptum est, minime, utpote quod separa» tim et per se numquam, sed in alio, puta in » Verbi Dei hypostasi, semper subsistit, inef» fabili illâ unione eodem momento factâ, quo » individuum illud exstitit. Et hæc causa est » cur quod, si per se seorsim subsisteret, per» sona diceretur, in Christo non persona, sed » natura humana in Verbi personâ subsistens, » sit ac vocetur. Non recuso tamen, quod am» bigue scriptum fuit emendare, quod saltem » exemplum utinam Brentius ipse et Andreas » imitari malint, quam tot perperam scripta » pertinaciter tueri » (Nota edit.).

secundum humanitatem ubique adesse [1]; illud rejiciunt *Zwinglius* [2] et *Calvinus* [3]. *Calvini* judicio parvuli, licet sine baptismate mortui, ad salutem perveniunt [4]; sed illud negat *Lutherus* [5]. Tria tantum Sacramenta admittit *Lutherus*, Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam; *Calvinus*, Baptismo et Eucharistiâ admissis, Pœnitentiam rejicit; agnoscit tamen Ordinem, quem respuit *Lutherus; Zwinglius* contrà, tam Pœnitentiâ quam Ordine rejectis, unum agnoscit Baptismum. In Eucharistiâ porro *Lutherus* adorandam esse fatetur realem Jesu Christi præsentiam; sed illud *Calvinus* idololatriam vocat. *Melanchthon* (cui postea *Lutherus* quoque assensus est) [6], bona opera ad salutem æternam necessaria esse docet; quod quidem Calvinistæ prorsus negant.

Jam quæro, numquid articuli illi fundamentales non sunt, si ex iis vel admissis vel rejectis (ipsorum Reformatorum sententiâ) pendeat, simusne ad salutem perventuri an perituri in æternum? Fideles an idololatræ? — Quapropter fateri necesse est, evangelicas illas ecclesias, quum in iis articulis aliæ aliis adversentur, in fundamentis errare; quum errent in iis, quæ ad salutem sint necessaria et in præcipuis fidei argumentis. Et sane; *Calvinus* Lutheranos (ut suprà diximus) falsarios vocat, impios calumniatores atque etiam, quod Jesum Christum in Eucharistiâ adorent, idololatras. Et ob eamdem causam *Zwinglius* [7] *Lutherum* seductorem nuncupat et negatorem Jesu Christi. *Lutherus* vero Zwinglianis et reliquis Sacramentariis nomen addit damnatas sectas, blasphematores atque hæreticos: *Hæreticos... censemus...*, inquit, *omnes Sacramentarios, qui negant, corpus... Christi ore carnali sumi in venerabili Sacramento* [8].

CAPUT V.

DE QUARTO SIGNO, QUOD EST VATICINATIONUM TESTIMONIUM.

Solus Deus futura cognoscere potest.

1. Quartum signum credibilitatis constituunt prophetiæ, consignatæ in divinis Scripturis, et suo tempore per singula adjuncta eventu comprobatæ.

Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, inquiebat Isaias; *et sciemus, quia Dii estis vos* [9]. Et alio loco per eumdem Prophetam Dominus: *Quis similis Mei?... quæ futura sunt annuntient eis* [10]. Siquis Mei similis sit, dicit Dominus, futura dicat, si possit. Creata mens prævidere seu, ut melius dicam, conjectare potest effectus, quibus producendis destinata est naturalis aliqua causa; verbi gratiâ, fructus ex aliquâ arbore orituros, procellam ex certo quodam vento. Qui vero prorsus fortuiti sunt effectus, eos prævidere soli Deo competit, quod eorum causa est sola ejus Voluntas. Referunt quidem auctores plura gentilibus data idolorum oracula; sed vel mendacia erant eorum sacerdotum, vel quædam ambigue dicta, vel tandem nonnulla iis temporibus non ignota dæmoniis. Divinæ vero prophetiæ pluribus sæculis ipsum eventum præcedebant; tum autem adeo particulatim suum habuerunt exitum, ut talia non potuisset prænuntiare, nisi qui clare ea prævideret.

[1] *Von dem Sacramente des Leybs u. Blut Christi; wider die Schwarmgeyster* (i. e. contra fanaticos), et alibi passim. — [2] Contra confessionem Lutheri. - Responsio de Sacramentis. — [3] Instit., lib. IV, cap. 17, n. 30. — [4] Instit., lib. IV, cap. 16, n. 26. — [5] Confutatio rationis Latomianæ. — [6] Confessio Augustana *(Augsburg)*. — [7] Apud *Gotti*, l. c. § 2, n. 21. — [8] Apud *Hospinianum*, Historia Sacramentaria, pars II, anno 1545. — [9] *Is.*, XLI, 23. — [10] XLIV, 7.

Prophetiæ quæ in scripturis leguntur, genuinæ sunt.

2. Omnes illæ vaticinationes in sacris Voluminibus tam Veteris quam Novi Testamenti perscriptæ sunt. Fuit inter *Mahumedanos* qui diceret, eas a Christianis conflictas esse vel adulteratas. Sed primum, qui falsas dixit eas vaticinationes, assertum probare debuisset; quandoquidem ex tanto intervallo, etiam ante natum *Mahumedem*, pro veris vulgo fuerunt habitæ. Ac præterea dicimus, fieri non potuisse, ut divinæ Scripturæ adulterarentur. Quamvis enim multi fuerint scriptores, unus tamen Deus totius Scripturæ est auctor; quo fit, ut singulæ partes inter se respondeant; si ergo adulteratæ forent Scripturæ, aut inter se jam non congruerent partes, aut omnes omnino tam Veteris quam Novi Testamenti adulterari debuissent. Illud autem fieri non potuisse magis etiam patet, quod utriusque Testamenti exemplaria jam inde ab Ecclesiæ principio divulgata fuerunt per universum orbem, ac præterea in diversas linguas, Græcam, Latinam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Armeniacam, Æthiopicam et Slavonicam translata; ad hæc numquam non in publico recitata, quum Christiani ad pietatis exercitia convenirent. Quî ergo vitiari poterant tot exemplaria, quæ jam prius erant in manibus omnium? Præterquam quod nefas est opinari, permisisse divinam Providentiam, ut læderetur veritas eorum Voluminum, quibus ab ipso Deo docemur, quomodo Eum colere et ultimum finem consequi debeamus.

Non sunt conflictæ a Gentilibus.

3. Et quod ad vetus Testamentum attinet, cujusnam Religionis fuerunt ejusmodi falsarii? Certo non fuerunt Gentiles, quorum illud interesse non potuisset. Sed

Neque a Judæis.

neque Hebræi; nam plura, quæ iis sunt dedecori, in iis libris reperiuntur; et tam multæ in iis vaticinationes (de quibus hic sermo erit) clare demonstrant adventum Messiæ, quem pertinaciter rejiciunt; non ergo illud facere potuerunt, quod tam vehementer reprobant. Quâ de re S. Augustinus: *Si quando forte aliquis paganus dubitaverit, quum ei dixerimus prophetias de Christo, quarum evidentiam obstupescit, et admirans putaverit a nobis esse conscriptas; de codicibus Judæorum probamus, quia hoc tanto ante prædictum est. Videte quemadmodum de inimicis nostris alios confundimus inimicos* [1]. Propter illud adeo indubitabile Prophetarum testimonium, in Hebræorum libris asservatum, S. Justinus (ut ipse in *Dialogo cum Tryphone* testatur [2]) ex ethnico philosopho Christianus factus est. — Ad hæc, dispersis per totam Asiam Hebræorum tribubus, et Scripturâ Sacrâ in diversas linguas translatâ et velut in totidem conservatâ scriniis, quot essent Synagogæ, ipsi Hebræi, etiamsi voluissent, eam corrumpere non poterant.

Neque a Christianis.

Nec similiter Christiani vitiare potuerunt Scripturas; Hebræi enim, a quibus illæ ad nos pervenerunt, non omisissent patefacere talia Christianorum additamenta vel immutationes, ut sic responderent ad argumenta, quibus Messiam advenisse ex ipsis eorum libris demonstramus: ipsi autem neutiquam infitiantur, sed omnibus viribus defendunt, authenticas esse eas Scripturas. Atque ideo voluit Deus, ut recte advertit *P. Segneri* [3], Hebræos non omnino ex hoc mundo auferri, sed eorum satis magnum numerum remanere superstitem, ut ipsi confirmarent, genuina esse ea Volumina, quæ suam ostendant simul et condemnent obstinationem: quandoquidem eum rejiciunt Messiam, quem jam venisse declarant ipsa illa volumina.

Itaque recentes Hebræi non quidem respuunt Scripturas, sed ad suum arbitrium eas interpretantur de adventu non Messiæ sed aliorum quorumdam hominum; quâ in re ceteroquin dissentiunt ab iis Rabbinis, qui ante Jesum Christum vixerunt. Hi enim (ut demonstrant *Calmet* [4]

[1] In Psalm. 58, serm. 1, n. 22. — [2] Dial. c. *Tryph.*, n. 7 et 8. — [3] *L'Incred. senza scusa, parte II, cap. 17, n. 2.* — [4] Dissert. de Characteribus Messiæ.

et *Huetius* [1]) Veteris Testamenti omnes de Messiâ vaticinationes recte et eodem modo, quo Christiani, intellexerunt.

4. Posito igitur, sine manifestâ calumniâ divinas Scripturas falsas dici non posse, ad ipsas veniamus Veteris Testamenti de Christo et Ecclesiâ vaticinationes. Quæ quidem adeo perspicuæ sunt, ut referat S. Augustinus, persuasum habuisse Gentiles, eas postquam ipsæ res jam accidissent, a Christianis fuisse confectas: *Vidistis ita fieri*, inquiebant, *et tamquam prædicta sint, conscripsistis* [2]. Sed genuinas et vetustas esse divinas Scripturas, suprà probavimus.

Prædicitur adventus Messiæ.

Et primum quidem ibi prædictum est, quo tempore venturus esset Messias, quum videlicet Judæ ablatum esset sceptrum: *Non auferetur sceptrum de Judâ et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: et Ipse erit exspectatio gentium* [3]. Tum proprie advenit Messias, quum defecit Judæ regnum; postquam enim Pompejus tributum Judæis imposuit, et Senatus Romanus Herodem constituit regem Judæorum, eo ipso tempore venit Jesus Christus. Herodes autem, ut refert Josephus Hebræus [4], utpote Idumæus, peregrinus erat. Tum Herode ejusque filio Archelao defunctis, Judæam Cæsar Romani Imperii provinciam effecit. Et licet Judæi aliquam potestatem paulisper retinuerint, post Jesu Christi mortem nihilominus Hierosolyma urbs et totum regnum Judæorum a Vespasiano et Tito prorsus destructum est.

Sed magis etiam tempus illud definivit pluraque adjuncta singillatim enarravit Daniel [5]; idque adeo distincte, ut Porphyrius non dubitaverit negare, eam vaticinationem a Daniele fuisse conscriptam: *Cujus impugnatio*, inquit S. Hieronymus, *testimonium veritatis est; tanta enim doctorum fides fuit, ut propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narrasse præterita* [6].

Alia de Messia prædicuntur.

5. Prædictum est quoque, Messiam ex Virgine nasciturum: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* [7]. Item, quo loco nasceretur: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël; et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis* [8]. Quibus verbis prænuntiatur, Deum esse Messiam; quippe qui jam esset ab æterno.

Prædictum est, Eum adoraturos esse Magos: *Reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt Eum omnes reges terræ* [9].

Prænuntiatus est Præcursor: *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini* [10].

Prædicta est acerbissima Jesu Christi passio, et minima quæque ejus adjuncta: futurum esse, ut proderetur a discipulo et amico [11]; triginta denariis venumdaretur: *et appenderunt mercedem meam triginta argenteos* [12]; tam acriter cæderetur flagellis, ut carnibus dilaniatis, velut leprosus appareret: *et nos putavimus Eum quasi leprosum... Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra* [13]; clavis foraretur manus ejus ac pedes, atque adeo distenderetur in cruce, ut singula ossa possent numerari: *foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea* [14]; in facinorosis haberetur: *et cum sceleratis reputatus est* [15]; acetum et fel Ei præberetur in potum: *et dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto* [16]; inter carnifices dividerentur ejus vestimenta: *diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* [17]; tandem ad luenda peccata nostra Ipse victima immolaretur: *vere languores nostros Ipse tulit, et dolores nostros Ipse portavit.... et posuit*

[1] Demonstr. Evangel., Prop. 7. — [2] Sermo 374, n. 2. — [3] Genes., XLIX, 10. — [4] De Antiquitat. Judaicis, lib. XIV, cap. 2. - De bello Judaico, lib. I, cap. 5. — [5] IX, 24 seq. — [6] Explanatio in *Dan.* prolog. — [7] *Is.*, VII, 14. — [8] *Mich.*, V, 2. — [9] Ps. LXXI, 10 et 11. — [10] *Is.*, XL, 3. — [11] Ps. LIV, 14 seq. — [12] *Zach.*, XI, 12. — [13] *Is.*, LIII, 4 et 5. — [14] Ps. XXI, 17 et 18. — [15] *Is.*, LIII, 12. — [16] Ps. LXVIII, 22. — [17] Ps. XXI, 19.

Dominus in Eo iniquitatem omnium nostrum [1].

Prædicitur Judæorum post mortem Messiæ conditio.

Prædictum est, quæ post ejus mortem populi Hebræi futura esset conditio: *Sedebunt filii Israël sine rege... et sine sacrificio et sine altari et sine ephod* (i. e. sine sacerdotibus) *et sine teraphim* (sine prophetis) [2].

6. Hic autem satis mirari non possumus cæcitatem Judæorum, qui quum suarum Scripturarum singulas de Messiæ adventu prophetias tam accurate impletas videant, Eum tamen venisse pertinaciter negent.

Prædicitur, Messiam in secundo templo adfuturum.

Prænuntiavit Aggæus Propheta, secundi templi gloriam majorem esse futuram gloriâ prioris; quod Desideratus omnium gentium, Salvator noster, suâ præsentiâ alterum illud templum condecoraret: *Veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum;... magna erit gloria domûs istius novissimæ plusquam primæ,... et in loco isto dabo pacem* [3]. Si ergo alterum illud templum esse debebat ultimum et priore templo illustrius, quia a desiderato Messiâ visitaretur; liquet, illum Messiam jam advenisse, quum post Jesu Christi mortem jam destructum sit templum.

Prædicitur excidium templi et civitatis.

Porro templum unà cum urbe Hierusalem a Romanis eorumque duce Vespasiano esse evertendum; tum vero eam populi Hebraici vastationem eventuram, quam nos accidisse videmus, clare prædictum erat a Daniele: *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio* [4]. Similiter Isaias: *Posuisti*, inquit, *civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum: ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur* [5]. Quibus prophetiis probe consonat vaticinatio Jesu Christi, quum eminus urbem intuens, ejus sortem defleret: *Videns civitatem flevit super illam, dicens: quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo,... et ad terram prosternent te et filios tuos,... et non relinquent in te lapidem super lapidem* [6]; hodie quippe videmus miseros Judæos, templi patriæque expertes atque omnibus nationibus in odio et male acceptos, per orbem terrarum vagari. Attamen mordicus tenent, adhuc exspectandum esse Messiam; et quum duplex Christi adventus distingui debeat, alter Redemptoris, cruciatibus mortique obnoxii (cujus rei jam impletæ sunt vaticinationes), alter Judicis, gloriâ cumulati (quem adventum exspectamus); Judæi priorem ab altero adventu discernere nolunt, quod ea tantum attendentes, quæ gloriosa de Judice prædicta sint, considerare renuant, quæ scripta reperiuntur de paupertate, humilitate et vexationibus, quibus affici deberet Christus Redemptor.

Prædicitur novæ Ecclesiæ institutio.

7. Porro quamplurimæ vaticinationes de novâ condendâ Ecclesiâ, de repudiando populo Hebræo et Gentibus eligendis loquuntur: *Vos non populus meus, et Ego non ero vester* [7]. — *Populus, quem non cognovi, servivit Mihi* [8]. — *Convertentur ad Dominum universi fines terræ: et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium* [9]. — *Adorabunt Eum omnes reges terræ: omnes gentes servient Ei* [10]. — *Ecce dedi Te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ* [11].

Tacitus hic prætereo, quæ de Christi adventu et regno Sibyllæ ediderunt oracula, utpote a nonnullis rejecta; non tamen ea rejecerunt S. Augustinus [12], Clemens Alexandrinus [13], S. Justinus [14], Lactantius [15], Arnobius [16] et ante omnes S. Clemens Romanus [17]. Refert præterea S. Ju-

[1] *Is.*, LIII, 4 et 6. — [2] *Osee*, III, 4. — [3] *Agg.*, II, 8 et 10. — [4] *Dan.*, IX, 26. — [5] *Is.*, XXV, 2. — [6] *Luc.*, XIX, 41, 43 et 44. — [7] *Osee*, I, 9. — [8] Ps. XVII, 45. — [9] XXI, 28. — [10] LXXI, 11. — [11] *Is.*, XLIX, 6. — [12] De Civ. Dei, lib. XVIII, cap. 23. — [13] Stromata, lib. VI, cap. 5. — [14] Cohortatio ad *Græcos*, n. 37 et 38. — [15] Div. Institut., lib. IV, cap. 15. — [16] Adversus Gentes, lib. I, n. 62. — [17] Constitutiones Apostolicæ, lib. V, cap. 7. (opus dub. Nota edit.).

stinus [1], dæmones, veritos, ne Gentiles talium oraculorum ope ad cognitionem veri Dei et Jesu Christi pervenirent, hoc effecisse, ut comburerentur libri, qui ea continerent, et a magistratibus pœna mortis statueretur in eos, qui ea legerent vel asservarent.

Ipse Messias multa prædixit.

8. Item in Novo Testamento habentur prophetiæ a Jesu Christo factæ, et postea eventu comprobatæ, de suâ Resurrectione, de conversione Gentilium et de Apostolorum martyrio. Nec haberi potest suspicio, eas post ipsum rerum eventum fuisse compositas; quandoquidem jam inde ab Ecclesiæ principio Evangelia variis linguis conscripta et per orbem universum fuerunt dispersa, quum tamen res ipsæ plures post annos evenerint. Non potuit ergo fieri (ut suprà de Veteris Testamenti Scripturis diximus), ut corrumperentur tot exempla, per totum orbem diffusa.

Ex quibus omnibus concludi necesse est, ei qui vaticinationes tam Veteris quam Novi Testamenti consideret, majori opus esse mentis contentione ad rejiciendam quam ad admittendam religionis nostræ credibilitatem.

Spiritus prophetiæ in Ecclesia perdurat.

9. Neque ille prophetiæ spiritus defecit apud filios Ecclesiæ, a Jesu Christo conditæ; quod futurum esse his verbis prædixerat Joël: *Et erit post hæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ* [2]. Et sic reverâ accidit, ut testantur prudentes ac pii viri, et tales etiam, qui ab Ecclesiâ in Canonem Sanctorum sunt relati. Futura prædixisse S. Antonium Abbatem, testis est S. Athanasius [3]; S. Gregorium Thaumaturgum, S. Basilius [4]; S. Benedictum, S. Gregorius Magnus [5]; S. Malachiam, S. Bernardus [6]; S. Franciscum, S. Bonaventura [7]; S. Catharinam Senensem, S. Raymundus [8]. S. Birgitta [9] inter alia prædixit, Græcos hostium suorum ditioni esse subjiciendos; quæ prophetia, anno 1350 facta, post centum annos impleta est, quum *Mahumedes II* Constantinopolim expugnavit. Refert *Thaulerus* [10], S. Hildegardem jam duodecimo sæculo prænuntiasse perniciem illam, quæ sæculo sextodecimo impii *Lutheri* operâ Germaniæ accidit. Omitto innumeras illas vaticinationes, quæ in Vitis Sanctorum a probatæ pietatis scriptoribus ut reverâ impletæ memorantur, quum præterea auctores illi scriberent iisdem temporibus, quibus nominatæ personæ vivebant. Quodsi talia quis accidisse neget, item neget Carthaginem a Scipione eversam, Romam aliquandiu fuisse Rempublicam, et quibuslibet annalium monumentis ullam fidem esse adjungendam. Si autem talia, a Gentilium scriptoribus relata, sine temeritate negari nequeunt, majoris profecto temeritatis est, ea rejicere quæ litteris consignarunt viri sancti, ut Athanasius, Basilius, Augustinus, Bernardus, quos veridicos testes esse vel ipsi Novatores agnoscunt. Nimis difficile est, per longum temporis spatium omnes omnino populos illusos teneri.

Extra Ecclesiam nemo Propheta fuit.

Tentarunt quidem Apollonii discipuli, confictis ejus oraculis auctoritatem tribuere; populus vero Apollonium pro mago tantum et pseudoprophetâ habuit. *Mahumedes* quoque et *Lutherus* fatidicos se professi sunt; quorum tamen vaticinationes nimis infelicem habuerunt exitum. Futurum esse dixerat *Mahumedes*, ut corpus suum vix emortuum ad cælos portaretur; at reverâ vix tribus diebus supra terram asservari potuit ob intolerabilem cadaveris fœtorem. Prænuntiaverat *Lutherus*, Wittenbergæ se esse moriturum; at Eislebii, infausti illius inferorum monstri infaustâ patriâ, supremum diem obiit.

[1] Apologia, I, n. 44. — Cfr. *Salmeron*, Comment. in Evangelic. Histor., tract. 19; de Oracul. Sibyllarum. - *Segneri, L'Incredulo senza scusa, p. II, c. 17, n. 14.*

[2] II, 28. — [3] Vita *S. Antonii*, n. 82. — [4] Liber de Spiritu-Sancto, cap. 29. — [5] Dial., lib. II, cap. 15, 17 et 37. — [6] Vita *S. Malachiæ*, cap. 29. — [7] Legenda *S. Francisci*, cap. 11. — [8] *S. Raym. Capuanus*, Vita *S. Cath. Senen.*, pars 2, cap. 14. — [9] Revelationes, lib. VII, cap. 19. — [10] Prophetiæ de plagis nostri temporis.

Item prædixerat, anno 1583 futurum esse judicium universale, quo factum est, ut eo anno ex ejus sectâ multi ne semina quidem jacerent; sed eos pœnitere debuit tali mendacio fidem adjunxisse. In epitaphio quoque, quod sibi composuit, audacter vaticinatus est: *Pestis eram vivus; moriens tua mors ero, papa.* Nunc vero in inferno, ubi sepultus jacet, non ignorat, neque illud evenisse neque eventurum esse usque ad mundi exitum.

CAPUT VI.

DE QUINTO SIGNO, QUOD EST MIRACULORUM TESTIMONIUM.

Solus Deus miracula facit.

1. Fidem nostram esse veram, quinto demonstrant miracula, quæ non secus ac prophetiæ nisi virtute divinâ fieri non possunt. Verum miraculum, quum naturæ vires excedere debeat, ab eo tantum auctore, qui supra naturam est, proveniat oportet. Quapropter ea religio, quæ in doctrinæ suæ confirmationem vera edit miracula, non vera esse nequit; quandoquidem fieri non potest, ut Deus comprobet falsam doctrinam miraculorum suorum testificatione, dummodo angelicæ vel humanæ naturæ vires reverâ superent.

Vera fuerunt Jesu Christi miracula.

2. Vera autem fuisse Jesu Christi miracula, nec fallaciâ vel mendacio ullâ ratione contaminata, in dubium venire non potest, utpote quæ in publico et apud multa millia hominum perpetrata, et postmodum a Sacris Evangelistis particulatim et subtiliter descripta sint. Quibus miraculis annumerandum illud est, quo Dominus ad quatuor millia hominum septem panibus paucisque piscibus satiavit; vel quo Lazarum, jam quatriduo sepultum, in oculis plurium Judæorum, ad vitam revocavit; vel denique, quo in morte Redemptoris a sextâ usque ad nonam horam per universum orbem tenebræ obortæ sunt. Si ea miracula (ne de aliis dicam), quæ paucis annis postquam evenerunt, litteris consignata sunt ab Evangelistis, aut ficta fuissent aut adulterata, quomodo adduci potuissent Apostoli, ut patriâ, cognatione et rebus omnibus relictis, Jesum Christum sequerentur? Et quomodo fieri potuisset, ut ficta illa miracula ubique annuntiarentur ab Apostolis, et pro veris haberentur ab innumeris populis et ab ipsis Judæis, qui omnium rerum adfuerant testes? Nonne fallaciæ coarguissent Apostolos, eosque pro deceptoribus habuissent? Quin etiam principes sacerdotum his verbis ea miracula agnoverunt: *Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit*[1]. Atque idcirco plura millia Judæorum, quod compertum haberent, vera esse ea miracula, confessi sunt Deum esse virum illum, qui velut maleficus corruptor in cruce obiisset. Sed et ii Hebræi, qui ad fidem conversi non fuerunt, Jesu Christi miracula tamen agnoscere coacti sunt. En quid scriptum reliquerit Josephus Hebræus: *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, et doctor hominum eorum, qui libenter vera suscipiunt*[2]. Et paulo post, quum ejus obitum retulisset: *Apparuit enim eis tertiâ die iterum vivus, ita ut de eo vates hoc et alia multa miranda prædixerant*[3].

Gentiles vera miracula non habuerunt.

3. Procedant nunc singulæ sectæ suaque exhibeant miracula, ut exploremus, num eorum aliquod pro vero sit habendum. Gloriantur Gentiles, Vespasianum ad valetudinem restituisse duos ægrotos;

[1] *Joan.*, XI, 47. — [2] De Antiquit. Judaicis, lib. XVIII, cap. 6. — [3] Ibid.

sed refert idem ille Tacitus [1], qui totam rem narrat, medicorum judicio eos sanari potuisse ipsius naturæ viribus; quodsi natura illud efficere poterat, certo etiam poterant dæmones. — Scribit Marius Maximus [2], cæco visum reddidisse Hadrianum; alii vero, ex condictâ simulatione Marium ita scripsisse ajunt, ut Hadriano adularetur; confer Salmasium [3]. Item referunt, Virginem Vestalem in cribro aquam ita tenuisse, ut nihil effunderetur; sed etiamsi daretur, illud accidisse, non repugnat credere, Deum, quod illa virgo immerito impudicitiæ esset accusata, tali prodigio testatam voluisse ejus castitatem.

Nec Judæi post adventum Messiæ.

Procedant Judæi, apud quos sine ullâ dubitatione multa eaque vera patrata sunt miracula, dum viguit antiqua lex; tunc enim veram constituebant Ecclesiam. Redemptoris adventu repudiatâ antiquâ lege, omnino cessarunt eorum miracula.

Nec Mahumedani.

Procedant *Mahumedani*. At *Mahumedes*, eorum dux et magister, protestatur, miracula se Christo cedere; sibi videlicet satis valere gladium ad declarandam religionis veritatem. Quamquam et ipse in *Alcorano* [4] se jactat miraculum aliquod perpetrasse in lunâ, quam quum e cælis prolapsa in duas partes fracta esset, in integrum restitutam suo reposuisset loco; illud refert Bellarminus Card. [5], et Cornelius a Lapide [6] adnotat, Turcas ob eam rationem insigne sibi elegisse lunam. Sed credi nequit, esse quemquam sanæ mentis, qui fabulam adeo ridiculam pro vero miraculo accipere possit.

Nec Reformati.

Procedant reliquæ sectæ universæ, ut aliquod afferant miraculum. Quid vero? si illud ad plebem decipiendam misere aliquando simulare voluerunt, mox patuit commentum; quod nominatim *Luthero* et *Calvino* accidisse, suprà commemoravimus.

Objectio.

4. Itaque hæretici, quod suas sectas nullo miraculo a Deo confirmari vident, asseverant, *miracula non esse veræ religionis signa; nempe Pharaonis quoque magos ea perpetrasse, suaque etiam prodigia (ut scribit S. Joannes* [7]*) habiturum esse Antichristum.* Hæc *Piceninus* [8].

Responsio.

At respondetur primum, ex divinis Scripturis perspicuum esse, Deum in veræ doctrinæ indicium miracula fecisse. Moysi concessa potestas patrandi miracula, ut in Exodo legitur, Hebræis argumento esse debebat, Dei nomine ad ipsos eum loqui: *Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus.... Si non crediderint, inquit, tibi,... credent verbo signi sequentis* [9]. Quocirca ipse *Calvinus, Picenini* magister, de Moysi miraculis: *Tot ac tam insignia quæ refert miracula*, inquit, *totidem sunt legis ab ipso latæ proditæque* (a Moyse) *doctrinæ sanctiones* [10]. Et ut Baptista crederet, Jesum esse verum Messiam, idem illud miraculorum signum ipse Christus ejus discipulis proposuit: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis* [11]. Eodem quoque argumento Judæos de incredulitate objurgavit: *Si Mihi non vultis credere, operibus credite* [12]. Et postmodum eos dixit excusatione indignos, quod miraculis, quæ ipsi vidissent, fidem noluissent adjungere: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt et oderunt et Me et Patrem meum* [13]. Si miracula non essent veræ fidei signa, non dixisset Jesus Christus, eos futuros esse veros fideles, qui ejusmodi prodigia facerent: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent, cet.* [14]; atque immerito S. Paulus Apostolatûs sui signa esse miracula his verbis declarasset: *Signa tamen Apostolatûs mei facta sunt super vos in omni patientiâ, in signis et prodigiis* [15].

[1] Historia, lib. IV, n. 81. — [2] Apud *Ælium Spartianum: Hadrianus* Imp. — [3] Historiæ Augustæ. In *Ælii Spartiani Hadrianum.* — [4] Sura 4, a. 67 seq.; sur. 11, a. 14; sur. 54. — [5] De Concil. et Eccl., lib. IV, cap. 14. — [6] In Apoc., XIII, 11. — [7] Apoc. XIII, 13. — [8] *Apologia*, cap. 1, n. 13. — [9] Exod., IV, 5 et 8. — [10] Instit., lib. I, cap. 8, n. 5. — [11] *Matth.* XI, 4. — [12] *Joan.*, X, 38. — [13] *Joan.*, XV, 24. — [14] *Marc.*, XVI, 17 et 18. — [15] 2 *Cor.*, XII, 12.

Eja vero, quî potest asserere *Piceninus*, miracula non esse veræ religionis signa?

Vera miracula non fiunt in confirmationem erroris.

5. Quod porro ad prodigia attinet, a Pharaonis Magis perpetrata; non vera miracula erant, sed oculorum ludibria et vanæ imagines, quæ dæmoniorum virtutem non excedebant. Atque idem dicendum de prodigiis Antichristi. Ne autem homines propter ea prodigia fidem adjungerent nefando illi viro, in antecessum nos monuit Dominus, ea nihil aliud fore nisi præstigias et fallacias diaboli.

Ceterum Dominus miraculorum virtutem peccatori quoque vel etiam infideli concedere potest, quemadmodum et Balaam et Caiphæ spiritum prophetiæ concessit; sunt quippe gratiæ *gratis datæ*, quas pro divinis suis judiciis, cui vult, communicat. Sed, ut recte docet S. Thomas[1], ab impio viro tunc fieri possunt vera miracula, quum veram fidem prædicat et invocat nomen Christi; minime vero, si ad falsam fidem confirmandam ea vellet operari; Deus enim, præcipuus miraculorum auctor, permittere non potest miraculum ad errorem quemdam comprobandum. Quare, ut ait Tertullianus[2], gentilium miracula, seu potius præstigiæ, utpote destinatæ ad falsam fidem confirmandam, ubi vera Jesu Christi apparuit fides, ad quam vocati erant Gentiles, compertâ fraude, defecerunt. Sed vel unum verum miraculum, in confirmationem nostræ religionis factum, satis validum erat ejus veritatis argumentum.

Miracula in Ecclesia perdurant.

6. Atque innumera miracula per servos suos ad hæc usque tempora Deus in Catholicâ nostrâ Ecclesiâ perpetrare non cessavit; quod quidem futurum esse his verbis promiserat Jesus Christus: *Qui credit in Me, opera quæ Ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet*[3]. Erant quidem in primævâ Ecclesiâ quam postmodum frequentiora miracula, utpote ad propagandam fidem magis necessaria; noluit tamen Deus, in suâ Ecclesiâ umquam ea deficere. Miracula quippe fieri oportet, ut novæ gentes ad fidem convertantur; quapropter in Indiis S. Franciscus Xaverius, S. Ludovicus Bertrandus aliique Evangelii ministri his ultimis quoque sæculis quamplurima prodigia fecerunt. Præterea Christianos in fide rectoque vitæ instituto confirmant; et simul valent ad gloriam afferendam Sanctis, quos etiam his in terris Deus in honore vult haberi.

Genuina sunt et fide digna.

7. Siquis autem denegaret fidem rebus mirabilibus, quas numero plurimas referunt annales Ecclesiæ et Vitæ Sanctorum, ab eo quærere vellem: ergone credere debemus iis, quæ a Tacito, Suetonio vel Plinio narrantur; neque ullam fidem adjungere S. Athanasio, S. Basilio, S. Hieronymo, S. Gregorio, aliisque tam multis piisque auctoribus, qui miracula per Sanctos facta esse testantur? Qui si putassent, mendacium in tali materiâ aut nullam aut exiguam esse culpam, in dubium vocari possent quæ afferunt. Quoniam vero cum omnibus Catholicis pro certo tenuerunt (ut reverâ est), mendacium in tali materiâ esse morte æternâ dignum, non sine temeritate existimari potest, tam multos Sanctos vel pios scriptores non aliam ob causam adeo mentiri voluisse, nisi ut quibusdam adularentur vel plebem illusam tenerent. Idque eo magis, quod facillime ipsarum rerum testes, qui etiam vivebant, quum eorum libri in lucem prodirent, de mendacio eos potuissent coarguere.

Nonnulla miracula perpetua sunt.

8. Voluit præterea Deus, ad frangendam audaciam incredulorum, qui miraculorum decus Catholicæ nostræ Ecclesiæ denegant, ut mirabilia nonnulla perenni miraculo in eâ durarent. In solo Neapolitanorum regno quot ejusmodi prodigia per totum anni cursum habentur! Barii ex sacris S. Nicolai ossibus manna scaturire numquam desinit. Neapoli in mo-

S. Nicolaus.

[1] 2ª 2ae qu. 178, art. 2 ad 3um. — [2] Apologeticus, cap. 23. — [3] *Joan.*, XIV, 12.

nasteriis S. Liguori (*a*) et quod a Donnaromita (*b*) vocatur, sanguis S. Joannis Baptistæ singulis annis in festo Decollationis liquescit, quum in Missâ recitatur Evangelium. Item in monasterio S. Gaudiosi sanguis S. Stephani, et in urbe Ravello sanguis S. Pantaleonis, diebus eorum memoriæ sacris, ex concreto liquidus fieri cernitur.

S. Joannes Bapt.

S. Stephanus. S. Pantaleon.

S. Januarius.

9. Est porro per totum orbem Christianum celebre miraculum, quo singulis annis sæpius, per duas nempe integras octavas, sanguis S. Januarii, sacro ejus capiti admotus, coram ingenti multitudine deliquescit. Sed expedit, paulo diutius immorari in miraculo sancti meæ patriæ protectoris, quum rem adeo portentosam effrenatius impugnent hæretici. Et primum dico, ante reformatos hæreticos neminem umquam scriptorem miraculum illud in dubium vocasse a sæculo decimo, quo incepisse creditur; quamquam alii existimant, ejus initium repetendum esse a tertio sæculo, quo sanctus Martyr obiit. Soli ergo, ut jam innui, reformatæ ecclesiæ pseudomagistri totis viribus ad fidem huic miraculo derogandam incubuerunt; idque his innixi difficultatibus:

Prima difficultas.

Opponit *Petrus Molinæus*[1], Calvinista, ideo sanguinem ebullire, quod in lagenam nostri fraudulenter calcem injiciant.

Responsio.

— Sed (mirum dictu) non dubitavit hæreticus quidam Lutheranus, Calvinistam refellere, eumque stultum vocare et temerarium: scribit enim (quæ verba satis valent ad confutandum quidquid, ut infrà videbimus, opponunt adversarii): *Quî potuit in tam excultâ civitate fraus illa per tot annos abdita manere?* (*c*). — Sed præter hæc testatur Benedictus XIV[2], experientiâ comprobatum esse, calcem numquam efficere posse, ut ebulliat sanguis; et multo minus calce liquefieri posse concretum sanguinem.

10. Ibi quoque refert idem Pontifex, medicum quemdam hæreticum, *Gasparum Neumann* nomine, domi suæ coram amicis tres in mensâ posuisse phialas, quæ sanguinei coloris continerent liquorem; hunc autem antea concretum, in oculis omnium diffluxisse, atque ita hæreticum virum illudere voluisse S. Januarii nostri miraculum. — Sed præsto est eaque perspicua responsio. Et primum quidem, liquor ille non erat sanguis, sed (ut probabile est) admixtio quædam, quæ effervescendo postmodum liquesceret. Deinde mixtura illa semel tantum liquata est; quis vero eam, quum eadem maneret, sæpius concretam ac sæpius rursum liquefactam conspexit? Illud quippe proprium est sanguinis S. Januarii. — Accedit, quod credere debemus, mixturam ab illo præstigiatore confectam fuisse paulo

Altera difficultas.

Responsio.

[1] Vates, lib. V, cap. 14.

[2] De Beat. et Canon., lib. IV, pars 1, c. 31, n. 12.

(*a*) Neapoli habetur monasterium cum ecclesia, S. Gregorio Armenio dicata. Nomen autem Italicum *Gregorio* a popularibus sensim in *Liguoro* mutatum est. Cfr. *Carlo Celano, Notizie... della Città di Napoli, tomo II, Giornata terza, pag. 206.*.

(*b*) Neapoli monasterium, quod originem suam habuit a nonnullis sanctimonialibus, a Thracia oriundis *(Donne di Romania)* vulgo a plebecula vocatur: *il monastero di Donnaromita.* Cfr. *Celano* (*Napoli*, 1758), l. c., *pag. 141.*

(*c*) Confer *Acta Sanctor.* (Bolland.), edit. 1867, tom. 46, septemb. VI. Addenda de S. Januario, § XXX, pag. 857. Ibi legitur, n. 438: *Ad manum quoque est Dialogus Italice scriptus, Senisque anno 1749 recusus, in quo de miraculo sanguinis disseritur coram Guilielmo principe Saxone Gothano.* Et n. 441: *Hinc Lutheranus, qui in laudato Dialogo contra miraculum sanguinis disserit, pag. 24 candide edicit, objectionem illam esse* dignam Calvinista, qualis ipse erat, insignis stultitiæ, temeritatis ac insolentiæ in loquendo. — Ac tandem n. 442: ... *nisi fingeretur aliud æque incredibile, nimirum* per tanti temporis decursum fraudem numquam fuisse detectam in civitate, quæ barbarorum non est et stolidorum, sed abunde instructa hominibus doctis, sagacibus et expertis, ubi insuper plurimi semper sunt peregrini... *Hæc ille contra objectionem, viro honesto et sobrio prorsus indignam* (Nota edit.).

antequam amicorum eam subjiceret oculis; sed quum a tot sæculis asservetur sanguis S. Januarii, eodem semper modo miraculum evenit.

Tertia difficultas.

11. Ab aliis objicitur, illud vi sympathicâ naturæ fieri. Quemadmodum, inquiunt, per antipathiam occisi viri sanguis coram occisore ebullire solet; et sicut magnes sponte suâ convertitur ad polum, vel succinum attrahit paleam; ita quoque per sympathiam sanguis S. Januarii, capiti ipsius admotus, deliquescit. — At respondetur, omnem magnetem ad polum converti, et a quocumque succino paleam attrahi; cur ergo in solo S. Januarii sanguine, coram ipsius capite posito, liquatio illa contingit, quum reliquorum hominum sanguis semper concretus maneat? Præterea numquam non ad polum convertitur magnes, paleamque semper attrahit succinum; atvero sanguis S. Januarii interdum concretus manet, etiamsi coram capite sit positus, interdum procul a capite liquescit; modo diffluit post pauca momenta, modo post longum temporis spatium; alias tantopere liquatur, ut impleta appareat phiala, alias non ita; nunc totus dissolvitur, nunc partim duntaxat. — Et quod spectat ad sanguinem occisi, coram occisore bullientem, multi in fabularum numero illud reponunt; sed etiamsi verum sit, perraro certe accidit, quum sanguis S. Januarii ad caput admotus, sæpius in anno liquefiat. Ac tum forte ebulliit sanguis interfecti, quum etiam recentes essent plagæ et liquidus cruor; ecquis vero sanguinem interfecti, multis jam ab occisione elapsis annis, umquam ebullientem conspexit? Liquescit vero et ebullit sanguis S. Januarii, postquam obduruit et a sacro capite quatuordecim sæculis fuit sejunctus.

Responsio.

Mira res! S. Januarii et reliquorum Sanctorum, quos suprà commemoravimus, sanguinis liquationem vi sympathicâ naturæ fieri asserunt hæretici; at, quæso, quid est, quod apud solos Catholicos, minime vero apud eos, ejusmodi vis sympathica reperiatur?

Reliquæ difficultates cum responsionibus.

12. Opponit *Piceninus*[1] Calvinista, liquefieri S. Januarii sanguinem, quod candelæ accensæ et homines adstantes multum illic excitent caloris. — Sed respondetur: 1^um^ experientiâ constare, tali calore ampullas, quæ sanguinem continent, numquam calidas, sed vix tepidas fieri. 2° Si propter candelas vel hominum multitudinem illud fieret, æstate magis quam hieme deberet contingere; at sæpius contrarium accidit, ac nominatim anno 1662 summâ hieme delicuit sanguis, æstivo vero tempore anni 1702 non ante secundam Missam. 3° Ecquis umquam, igne adhibito, sanguinem liquefieri conspexit?

Alii dicunt, non adesse ibi sanguinem, sed congelatum quemdam liquorem, qui manibus contrectatus paulatim liquescat. — Sed numquid congelatum, quod hiberno tempore delicuerat, æstate umquam congelari rursus incepit?

Alii liquationem ideo sequi asserunt, quod phialæ artificio quodam teneantur manibus. — Sed quoties etiam in armario liquescit!

Alii tandem Vesuvii vaporibus illud adscribere volunt. — Sed vapores illi plura millia passuum distant; et sæpissime, quamvis non adsint, sanguis deliquescit.

In summâ, quo plus laborant hæretici, ut miraculo fidem auferant, eo magis illud confirmant.

[1] Apologia, *aggiunta* n. 6.

CAPUT VII.

DE SEXTO SIGNO, QUÆ EST MARTYRUM CONSTANTIA.

Martyrum constantia a Deo provenit.

1. Mirabilius quam ipsa miracula credibilitatis signum est martyrum constantia; illa enim ex omni parte sunt divina opera, et ab ipso Deo in creaturis perpetrantur; quum fortitudo et victoria martyrum a Deo fiat per imbecillos homines, teneras etiam virgines et pueros. Agnes et Prisca tredecim habebant annos, Venantius et Agapitus quindecim, pueri erant Vitus et Celsus, aliique multi, ferreis ungulis lacerati, assati in craticulis, discruciati ardentibus facibus ad latera admotis, ignitis galeis capiti impositis, aliisque haud minoribus tormentis, omnem hominum sævitiam dæmonumque rabiem superarunt. Per plures annos quindecim Imperatores Romani Jesu Christi fidem delere nitebantur; tantusque fuit Sanctorum Martyrum numerus, ut in persecutione Diocletiani (quæ nona fuit) uno mense septemdecim millia Christianorum occisi sint, in solâ Ægypto centum et quadraginta quatuor millia trucidati et septingenta millia in exsilium ejecti. Satis erit retulisse, per totum imperium prodiisse decretum, quo unicuique permitteretur, eo quo voluisset modo vitam Christianis eripere. Tam horrenda denique decem persecutionum spatio facta est Christianorum cædes, ut eorum (ut refert Genebrardus [1]) occubuerint centies et decies centena millia; cujus numeri si æqua partitio fiat, singulis diebus triginta millia numerantur. Verumtamen tanta interfectorum multitudo (identidem ad decem millia simul peribant) vivos adeo nihil conterrebat, ut iis etiam augeret desiderium pro fide moriendi. Imperatorem Trajanum certiorem fecit Tiberianus [2], Palestinæ præfectus, tam multos Christianos ad mortem pro Jesu Christo oppetendam ultro se offerre, ut omnes necari jam non possent. Quod quidem induxit Trajanum [3], ut decretum promulgaret, deinceps Christianos vexari non debere. Jamvero (ita quærimus), nisi vera fuisset sanctorum Martyrum fides (quæ eadem erat ac nostra), et nisi Deus auxilio suo tam ingentem servorum suorum multitudinem corroborasset, quomodo potuissent usque ad necem acerbissimam reluctari?

Ingens Martyrum numerus.

Extra Ecclesiam veri martyres non existunt.

2. Gloriantur nonnullæ sectæ, suos quoque sibi non deesse martyres; sed videamus, quale fuerit eorum martyrium. Consistit martyrium, ut docet Angelicus [4], in vitâ profundendâ in testimonium fidei vel justitiæ. *Martyres veros*, inquit S. Augustinus, *non facit pœna, sed causa* [5]. Martyrem constituere nequeunt asperrima quæque tormenta; causa tantum, siquis nempe moritur pro fidei veritate vel justitiâ, verum martyrem efficit. *Mahumedani* martyres prædicant suos milites, qui aliena occupaturi in prælio ceciderunt: præclaram sane justitiam! Novatores quoque martyrii laudem tribuunt iis, qui propter hæresim supplicium solverunt; ea vero non animi firmitas, sed obstinatio potius fuit. Ad hæc pauci fuerunt et plerique viles atque imperiti homines, fraudibus misere in errorem inducti. Inter suos contrà martyres Catholica Ecclesia exhibet complures nobiles, consules, patricios, duces militum, episcopos, Pontifices, senatores et reges. Horum præterea maxima pars adeo sancte

[1] In Psalm. LXXVIII, v. 4. — [2] Ad *Trajanum* Relatio (Append. ad Martyrium *S. Ignatii*). — [3] Apud *Suidam:* Historica; art. *Trajanus.* — [4] 2ª 2ªe, qu. 124, art. 1. — [5] Epist. 89 ad *Festum*, n. 2.

vixerant, ut non aliud crimen, nisi quod Christiani essent, inferre possent tyranni. Pseudomartyres hæreticorum vero, atque imprimis 'Anabaptistæ et Adamitæ, qui præ ceteris impavidos se mortem obire gloriantur, vitiis et turpitudini erant dediti, mulieribus promiscue habitis, aliisque ejusmodi sceleribus hominem contaminari negabant. Quapropter eorum perseverantia nequit vocari constantia, sed furor et pertinacia infusa a diabolo, qui eos invaserat: *Diabolo possidente, non persequente*, ut ajebat S. Augustinus [1] de suæ ætatis hæreticis, qui velut amentes in flumina vel ex abruptis locis præcipites se dabant. Atque ita factum est, ut quum sancti nostri martyres tranquillo lætoque animo, atque exsultantes etiam et Deo laudem canentes, mortem obirent; hæretici contrà, qui contumaciæ pœnas darent, cum furore et intolerandâ rabie occumberent: quod liquido monstrabat, mortem eos accipere, non Deo movente, sed impellente diabolo, qui audaciam ad mortem oppetendam suppeditare potest, virtutem præbere ad eam cum animi tranquillitate subeundam non potest. *Michael Servetus*, infelix Arianismi renovator, quum ad rogum condemnatus, Genevæ flammis injiceretur, tanto furore exarsit, ut velut rabidus taurus mugiret, et judicum misericordiam imploraus, cultrum exposceret, quo vitam sibi ipse posset eripere: quamquam suis eos precibus flectere non potuit (*a*).

Martyres gaudio exsultabant.

3. Numquid universæ illæ sectæ, a Catholicâ Ecclesiâ separatæ, umquam habuerunt martyrem, qui sicut S. Laurentius, quum in craticulâ combureretur, animi gestiret lætitiâ, et per ludibrium vel ipsum tyrannum invitaret, ut assatis suis carnibus vesceretur? Numquid martyrem, qui sicut S. Vincentius tanto cum gaudio pro Jesu Christo occumberet, ut alter Vincentius loqui (inquit S. Augustinus [2]) alter tormenta pati videretur? Numquid martyres, qui ut SS. Marcus et Marcellianus, quum clavis perforati essent pedes, tyranno exhortanti, ut se liberarent eo cruciatu, responderent: « Quid cruciatum commemoras? Majorem numquam percepimus delectationem, quam quum Jesu Christi amore talia nunc patimur ». Quibus dictis, divinas laudes cantare cœperunt, donec lanceis transfixi gloriosam obierunt mortem. Numquid martyres, qui ut SS. Processus et Martinianus, quum in equuleo membra ungulis dilaniarentur et candentibus laminis comburerentur carnes, nihil aliud facerent quam benedicerent Deo, cupidissime appetentes mortem, quam tandem obtinuerunt? Quid plura? Adeo alacres moriebantur martyres, ut ad tantam lætitiam ipsi inimici et vel ipsi carnifices ad fidem se converterent; quocirca Tertullianus, Christianorum sanguinem, pro fide sparsum, velut fecundum semen esse ajebat, quo Jesu Christi sectatores multiplicarentur: *Semen est sanguis Christianorum* [3].

Etiam his temporibus Martyrum constantia perdurat.

4. Priscis illis Martyribus gloriosos comites æmulosque his ultimis sæculis se adjunxerunt innumeri viri ac mulieres, qui in cruciatibus, quos humana crude-

[1] Serm. 275, n. 1.

[2] Serm. 276, n. 2. — [3] Apolog., cap. 50.

(*a*) Ita *P. Segneri, L'Incredulo senza scusa, parte II. cap. 11, n. 15*, quem S. Alphonsus ad verbum secutus est. Historici vero, quamquam satis unanimi consensu referunt, eum fuisse « plane conturbatum », — « Hispanico more reboasse: misericordia, misericordia! » — atque « ita exclamasse, ut populum perterrefecerit »; de cultro tamen, quo se ipse interimeret, non loquuntur; solum narrant, eum adeo reformidasse pœnam ignis, ut supplex flagitaverit, gladio, non igne, sibi mori liceret: judices vero nullam pœnæ commutationem concedere voluisse. Confer *Calvin.*, Opuscula, edit. *Genev.*, 1597; — *Petrum Hyperphrogenum*; — *Jo. Uytenbogaert, Kerckelicke Geschiedenissen* (Leyden, 1650); — et præsertim Hist. *Mich. Serreti*, quam præside *Jo. Laur. Moshemio* publice exponit *Henric. ab. Allwoerden*, a° 1727 *(Helmstadii)* (Nota edit.).

litas excogitare potuerat acerbissimos, pro Jesu Christo vitam profuderunt. In Japoniâ præsertim quot Christiani sæculo sextodecimo fidei causâ interempti sunt! Alii lento igne combusti perierunt; alii, cute detractâ forcipe; hi, frustatim discerptis carnibus; illi, totâ hebdomade collo arundine paulatim resecato, donec mors sequeretur; alii suspensi ac tum in ferventissimas aquas identidem demissi; alii summâ hieme nudati et sub dio expositi, ut frigore morerentur. Hæc omnia legi possunt apud *P. Bartoli* [1], qui in suâ Japoniæ historiâ, indicatis locorum personarumque nominibus, singula persequitur. Inter alia narrat, mulierem Christianam, nomine Theclam, quum jam igni combureretur, infantulam trium annorum ulnis gestasse, et ad moriendum confirmasse, spe paradisi propositâ. Alia mulier, quum esset pauper, cingulum vendidit, ut sibi emeret palum, ad quem alligata pro Jesu Christo igni posset cremari. Alia quædam insectatoribus suam indicavit filiolam, ut secum pro fide mori posset. Idem auctor refert, puerum novem annorum ultro accurrisse, ut caput sibi abscinderetur, ac suâ sponte ad ictum detexisse collum. Aliam quoque puellulam, octo annos natam, quæ oculis esset capta, ad matrem se adstrinxisse, ut cum eâ igni concremaretur; ac reverâ mortem illic obiisse. Alius puer tredecim annorum quindecim annos se habere simulavit, ut inter condemnatos numeraretur. Alius quinquennis, e somno excitatus ut veniret ad supplicium, nihil perturbatus festum cultum induit, et ab ipso carnifice ad locum destinatum portatus, cervicem ultro porrexit. Tum vero penitus commoto carnifici ad eum occidendum defuit animus; quapropter arcessitus alius, at ille parum exercitatus, falcato gladio bis eum percussit, neque confecit nisi tertio ictu. Quibus rebus ipsi hæretici Batavi, Ecclesiæ nostræ inimici, testes interfuerunt.

Minime vero, inquit hæreticus quidam [2]; non pro fide occisi sunt novelli illi martyres, sed ut rebelles et conjurati, qui principes regno expellere molirentur. Quod quidem hæretici non solis Japoniæ Martyribus, sed iis quoque objiciunt, qui *Elisabethæ* reginæ temporibus in Angliâ pro fide occubuerunt. — At, quæso, si Catholici nostri rebelles fuerint et conjurati, numquid pariter conjuraverant inermes mulieres, virgines et pueri, quos item supplicio afficiebant? Et si reverâ rebelles essent Catholici, cur omni pœnâ liberati discedebant, ubi cruciatuum metu adacti ejurabant fidem? In Angliâ *Elisabethæ* ministri Catholicis nostris sic pollicebantur: *Dummodo in templis nostris vel semel sacris interesse volueritis, omni pœnâ eritis exempti* [3]. Ex quo perspicuum est, mortis eorum non rebellionem vel conjurationem, sed unam fidem fuisse causam.

CAPUT VIII.

OPERIS CONCLUSIO.

Totius argumentationis summa.

1. Hic tandem quæcumque diximus breviter colligere juvat.

Deum existere compertum est; quodsi existit Deus, existere debet religio, quâ Eum colant Eique obediant homines. Jam vidimus, præter Catholicam Religionem, non posse sive infidelium sive hæreticorum ullam esse veram. Idolorum cultum impium esse et fallacem, nemo sanæ mentis ignorat; illudque olim vel ipsi Genti-

Reliquæ sectæ erroris signa præ se ferunt.

[1] *Istor. della Comp. di Gesù. Il Giappone, lib. III,* § *40, 76, 85; lib. IV,* § *21, 69, 96.* — [2] *Piceninus:* Apolog. *aggiunta,* n. 7. — [3] *Daniel Bartoli, S. J., Dell'Inghilterra, lib. II, cap. 12.*

lium philosophi cognoverunt. Hebræorum religio quondam vera fuit; sed ex quo advenit Jesus Christus, quis non videt, eam jam non esse religionem, sed obstinatorum impiorumque sectam, qui quidquid de Messiâ et de ipsis prædictum erat, quamquam evidenter impletum, infitiari statuerunt? Vel hoc tantum recolamus, quænam ex unâ parte vaticinationes habeantur in Scripturis, quas ipsi conservarunt nobisque transmiserunt Hebræi, et quomodo ex alterâ parte ea omnia evenerint, quæ prænuntiata essent et de Redemptore nostro et de pœnâ Hebræorum, quorum jam dispersa est natio et eversum templum, patria et regnum. Id autem magis etiam patet, postquam legem *Talmud*, erroribus rebusque nefandis plenam, amplexi sunt Judæi. Religionem *Mahumedanam* neminem latet ex Hebraismo et hæresibus esse conflatam; propagatorem habuisse *Mahumedem*, abjectum dico, crudelem turpemque virum, qui ipse prædo, cum ejusdem generis hominum turmâ populos ad legem fidemque pertraxit, quæ belluas potius quam ratione præditos homines deceat. Complures tandem religiones, seu ut melius dicam, sectas illas, inductas ab hæreticis, qui ab Ecclesiâ Catholicâ defecerunt, non aliunde quam ex superbiâ vel morum licentiâ exortas esse vidimus.

Catholica Ecclesia veritatis signa habet.

2. Itaque singulæ illæ religiones, seu potius sectæ, omnia fallaciæ indicia præ se ferunt. E contrario, sola Catholica Religio, ut vidimus, omnia veritatis suæ signa habet. Est enim fides omnino sancta, cujus credenda mysteria, quamquam obscura sunt et humanam intelligentiam superant (secus non esset fides), cum ratione tamen nihil pugnant; et cujus præcepta prorsus sancta sunt et rationi consona. A principio, ex quo ab Apostolis propagata est, in suis dogmatis semper stabilis mansit; et quum reliquæ sectæ omnes doctrinam identidem mutaverint, in fidei articulis numquam sibi non constitit Catholica Ecclesia. Eam porro comprobavit mundi conversio a Gentilium lege, quæ licentiæ plena quasi omnia vitia rata habebat, ad legem Jesu Christi, quæ omni pravâ actione et cogitatione abstinere jubet et omnem terrenam cupiditatem superare. Item eam confirmavit impletio vaticinationum, miraculorum testificatio et constantia martyrum, qui nisi supranaturali et divino auxilio confortati fuissent, certo tam multis insidiis et sævitiis tyrannorum non potuissent resistere. Tam perspicua denique sunt signa, quæ veram esse Catholicam nostram Ecclesiam, eamque unice veram Ecclesiam esse demonstrant, ut judicii sui die quilibet Catholicus (inquit Richardus a S. Victore) merito his verbis Deum compellare possit: *Domine, si error est, a Te ipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ nonnisi per Te fieri possunt*[1].

Omnes eam ingredi tenentur.

3. Itaque sicut Noë temporibus quicumque extra arcam degebat, mortem non poterat evadere, ita promulgatâ lege gratiæ, extra Catholicam Ecclesiam ad salutem perveniri nequit. Falso asseruit *Tamerlanus*, quemadmodum regibus honorificum sit, plures sibi subditas habere nationes, quæ inter se discrepent moribus; sic ad Dei gloriam pertinere, ut varias fide dispares servet religiones. Hæretici, si illud solum faterentur (id quod minime negant), in Catholicâ Ecclesiâ quoque ad salutem perveniri posse, jam tenerentur eam ingredi; si enim (quod constat) falsa est eorum religio, in perniciem incurrentes, nullam excusationem afferre possunt. Quandoquidem dato, veram esse nostram fidem et vera eam tradere, reliquæ omnes, utpote reprobatæ et condemnatæ ab eâ, falsæ sint necesse est. Fidem fecit illud argumentum non paucis ex *Mahumedanis* et hæreticis protestantibus, quod secum cogitarent, *Alcoranum* et reformatam religionem spem salutis quidem dare Catholicis; Ecclesiam Catholicam vero salutem, quam suis

[1] De Trinitate, lib. I, cap. 2.

pollicentur *Alcoranus* et reformata religio, iis denegare. Atque idcirco *Henricus IV*, quum in consessu, quo Catholicos et Protestantes convocaverat, illos quidem negare audivisset, in reformatâ Ecclesiâ salutem dari, hos vero asserere, in Ecclesiâ Catholicâ eam posse haberi, Catholicus esse constituit.

Pars tutior eligenda.

4. *Graviter peccaret*, inquit S. Augustinus contra suæ ætatis hæreticos, *in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret*[1]. In articulo mortis complures infideles et hæreticos nostram fidem amplecti vidimus; numquam vero accidit, ut morti vicinus Catholicus quisquam ad aliam sectam transiret. Quocirca *Melanchthon* matri interroganti, utra religio ad salutem consequendam melior esset, reformata an Catholica nostra: *Ad vivendum*, respondit, *illa quidem; hæc vero potior est ad moriendum* (*a*).

CAPUT IX.

DE FIDEI PRAXI.

Vita ad fidei normam dirigenda est.

1. Ad salutem assequendam satis non est, ea credere quæ fides docet; sed ad ejus præcepta quoque vitam dirigi oportet. *Magna enim profecto insania, Evangelio non credere*, inquit magnus ille vir, *Picus Mirandula;.... sed longe major insania, si de Evangelii veritate non dubitas, vivere tamen, quasi de ejus falsitate non dubitares*[2]. Quodsi infideles stulte claudunt oculos, ne præcipitium videant; stultius etiam fideles, præcipitium videntes, apertis oculis in illud se abjiciunt. Itaque dementis quidem est, nolle fidem adjungere Catholicæ religioni, cujus veritatis signa tam multa sint et adeo perspicua; multo magis tamen dementis est, ei credere, sed ita vivere, ac si nulla fides ei adjungeretur. *Quid proderit, fratres mei*, inquit S. Jacobus, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?*[3] Quare hortatur S. Bernardus: *Fidem tuam... probet actio*[4]. Fidelium proba vita monstrat, veram fidem eos habere. Secus enim, ut idem Sanctus ait, si *confiteris te nosse Deum, factis autem negas,... linguam Christo, animam dedisti diabolo*[5]. Fides illa, quam opera non comitantur, est velut mortuum fidei corpus: *Fides sine operibus mortua est*[6]. Sicut homo, quum vitales motus edere desiit, quum non cogitat, nec loquitur vel respirat, non vivus sed mortuus vocatur; sic mortua dicitur fides, quæ vitæ æternæ non producit opera. Et quemadmodum, ablatâ animâ, remanet corpus, sed vitæ operationes exercere nequit; ita sine caritate fides manet, sed elicere non potest opera æternæ salutis meritoria.

Credendæ etiam practicæ veritates.

2. Multi quidem credunt speculativas fidei veritates, quæ pertinent ad intellectum; at pauci ostendunt, fidem se adjungere practicis illis veritatibus, quæ ad

[1] De Baptism. contra *Donatistas*, lib. I, cap. 3. — [2] Epistol., lib. I; Epist. ad Nepotem, 15 Maji, 1492. — [3] II, 14. — [4] In Cantica, serm. 24, n. 8. — [5] Ibid. — [6] *Jac.*, II, 17.

---

a) « Scribunt nonnulli (ita *Gotti:* Verit. Relig. pars 5, cap. 109, § 3, n. 11), ei jamjam animam agenti matrem grandævam adstitisse, eumque his verbis fuisse allocutam: Mi fili,... nunc te per Deum vivum adjuro, ut quaenam melior sit, mihi dicas. Tum *Melanchthonem* clarâ voce, ut ab omnibus intelligi posset, dixisse: Haec plausibilior, illa (Catholica) securior » (Nota Edit.).

voluntatem moresque spectant. Sed illud intelligamus oportet, utrasque, utpote ab eodem Evangelio nobis traditas, certas esse atque infallibiles. Siquis, inquit doctus quidam auctor, fidei veritates voce suâ negat, verbis est hæreticus; qui vero ad fidei veritates non dirigit vitam, factis hæreticus vocari potest. Itaque ut mysteriis SS. Trinitatis, Verbi Incarnationis aliisque ejusmodi fidem adjungimus; ita similiter Jesu Christi dictis credere debemus. Quare ad suos scripsit S. Paulus: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate* [1].

Amanda est paupertas.

3. Jesus Christus: *Beati pauperes spiritu,* inquit; *quoniam ipsorum est regnum cælorum* [2]. Siquis ergo, quod inopiâ laboret, infelicem se existimat, et interdum etiam conqueritur de divinâ Providentiâ, pro vero fideli haberi nequit; veri fidelis est, divitias et felicitatem suam non in bonis hujus mundi, sed in divinâ gratiâ duntaxat et salute æternâ reponere. S. Clemens, quum ei a tyranno argentum, aurum et gemmæ essent oblatæ, ut Jesum Christum ejuraret, præ dolore ingemuit, quod luti pauxillulum pro Deo sibi offerretur [3].

Amandæ sunt molestiæ.

4. Jesus Christus: *Beati pacifici,* inquit; *beati qui lugent; beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* [4]. Idest, beati qui contumelias condonant, qui carnem mortificant et cum animi pace accipiunt infirmitates, damna et reliquas hujus vitæ ærumnas; beati qui idcirco vexantur, quod vel impedire peccata vel divinam promovere gloriam quærant. Dici ergo non potest, eum qui veniam dare dedecori sibi ducat; qui nihil cogitet nisi suavem vitam ducere, et quidquid sensus postulent, ultro iis concedens, infelices eos putet, qui terrenis deliciis abstinent et mortificant carnem; vel denique qui ob humanos respectus et ne ab aliis derideatur, omissis pietatis exercitiis, relictâ Sacramentorum frequentiâ et vitæ solitudine, animum colloquiis, conviviis, spectaculis dissipet; dici non potest, inquam, eum reverâ fidem habere.

Fide superanda sunt adversa.

5. Quid autem faciemus, ut superemus humanos illos respectus, pravos appetitus carnis et reliquas omnes diaboli tentationes? Audiamus, quid dicat S. Joannes Apostolus: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* [5]. Fides est, quæ nos corroborat ad superandum quidquid machinatur mundus, ut impediamur ad salutem pervenire et ad sanctitatem; quæ res unicus nobis propositus finis sit oportet, ad quem solum assequendum Deus nos creavit et his servat in terris: *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra* [6]. Sit sane validissimus diabolus, sint atrocissimæ ejus tentationes; fide armatus omnia vincit. Quod his verbis monet S. Petrus: *Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide* [7]. Et similiter S. Paulus: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere* [8]. Scuto ab omnibus hostium sagittis corpus defenditur; fide ab omnibus diaboli tentationibus defenditur anima. *Justus autem meus ex fide vivit* [9]. Fidei sententiis innixus justus divinæ gratiæ vitam tuetur. Certum est, fide decrescente, decrescere omnes virtutes; fide disperditâ, virtutes omnes deperire. Quapropter simulac superbia vel concupiscentia tentatione nos adoritur, fidei sententias in præsidium arripiamus, nobiscum cogitantes, modo Deum esse præsentem, modo qualem perniciem secum afferat peccatum, nunc rationem ad Dei tribunal esse reddendam, nunc peccatoribus æternam pœnam esse paratam, vel tandem quanta Jesu Christo debeamus. Et potissimum nos docet fides, irruente tentatione numquam vinci eum, qui ad Deum recurrat: *Laudans invocabo Dominum: et ab ini-*

[1] 2 *Cor.*, XIII, 5. — [2] *Matth.*, V, 3. — [3] *S. Clem. Ancyr.* Ep. et Mart. (23 Jan.), auctore *Simeone Metaphraste*, § 12-13. — [4] Ibid., v. 9, 5 et 10. — [5] 1 *Joan.*, V, 4. — [6] 1 *Thessal.*, IV, 3. — [7] 1 *Petr.*, V, 8 et 9. — [8] *Ephes.*, VI, 16. — [9] *Hebr.*, X, 38.

micis meis salvus ero [1]. Item fides est, quæ animum tranquillat, quum ærumnis vexamur; commonstrans videlicet, hujus vitæ molestias, patienter toleratas, majorem nobis afferre æternæ salutis securitatem: *Credentes autem exsultabitis lætitiâ inenarrabili et glorificatâ, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum* [2].

Quid faciendum si tentatio contra fidem insurgat.

6. Si porro contra ipsas veritates fidei tentationes suscitet diabolus, ne despondeamus animum; confundi tunc inimicum oportet eâdem viâ, quâ vincere conatur: dubiis illis, quæ diabolus injicere nititur, ne ullâ quidem responsione datâ, simpliciter renovari debet actus fidei, et ipsa offerri vita ad fidem conservandam. Narrat *S. Ludovicus*, rex Galliæ, doctum quemdam theologum, vehementer a diabolo sollicitatum adversus veritatem SS. Eucharistiæ Sacramenti, ad Parisiensem Episcopum confugisse, eique cum lacrimis suum exposuisse angorem. Quem quum interrogasset Episcopus, num quidvis rejicere et perpeti mallet quam fidem negare, ille vero respondisset, ita prorsus esse, ei patefecit, quam ingentes thesauros ei afferret tentationis illius molestia. — *S. Franciscus Salesius* quoque, quum aliquando ægrotaret, gravem subiit tentationem contra Eucharistiæ Sacramentum; at invocato tantum Jesu nomine, neque ullam disputationem ingressus, diabolum devicit. Itaque in ejusmodi tentationibus intellectum cum humilitate captivum detinere debemus, pro vero tunc credere quidquid de eâ re docet Ecclesia, et suis ipsius armis (ut monuimus) superare diabolum, dicentes: *Pro hac fide millies vitam dare paratus sum.* Sic autem, ubi adversarius magnum damnum nobis facere voluerit, magnum lucrum faciemus. Quapropter cum Apostolis Dominum precari numquam cessemus: *Adauge nobis fidem, adauge nobis fidem* [3].

CAPUT X.

FIDEI SENTENTIÆ, OB OCULOS SEMPER HABENDÆ.

Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis [4].

Sapientia... hujus mundi, stultitia est apud Deum [5].

Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? [6]

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis [7].

Momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis [8].

Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud [9].

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam [10].

Siquis vult post Me venire, abneget semetipsum [11].

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis [12].

Qui amat patrem aut matrem plus quam Me, non est Me dignus [13].

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem [14].

[1] Ps. XVII, 4. — [2] 1 *Petr.*, I, 8 et 9. — [3] *Luc.*, XVII, 5. — [4] Eccli., VII, 40. — [5] 1 *Cor.*, III, 19. — [6] *Matth.*, XVI, 26. — [7] *Rom.*, VIII, 18. — [8] 2 *Cor.*, IV, 17. — [9] *Matth.*, XI, 12. — [10] *Matth.*, XVI, 25. — [11] Ibid., v. 24. — [12] *Gal.*, V, 24. — [13] *Matth.*, X, 37. — [14] *Gal.*, I, 10.

Dimittite, et dimittemini [1].

Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit [2].

Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei [3].

Ex quibus Evangelii effatis hæc inferuntur effata Christiana:

Terrena cuncta finem habent: finem gaudia, finem ærumnæ. Numquam vero finem habet æternitas.

Omnium rerum fiat jactura, dummodo ne jactura fiat Dei.

Unum vere malum est peccatum.

Bonum est, quidquid vult Deus.

Qui sine Deo omnia hujus mundi bona possidet, nihil habet; omnia habet, qui solum Deum possidet sine ullis hujus mundi bonis.

Amor nostri est inimicus, quo majorem nullum habemus.

In morte ad candelæ lumen omnes hujus mundi celsitudines evanescunt.

Universa hujus mundi bona non explent hominis animum; eum explet solus Deus.

Fidelis est unus Deus; mundus est proditor, qui promittit, sed non stat promissis.

Solus Deus reverâ nos diligit; omnes homines nos diligunt suâ ipsorum causâ.

Ad salutem consequendam vivere oportet juxta Evangelii, non juxta mundi instituta.

Salutem operari nequit, qui vitam suam ad Jesu Christi vitam non accommodat.

Ad salutem pervenit non is, qui bonum facere incipit, sed qui ad mortem usque in eo perseverat.

Qui precatur, omnia impetrat.

Oratio mentalis et peccatum mortale simul esse nequeunt.

Nullum pietatis exercitium tantum displicet diabolo quantum oratio mentalis (*S. Philippus Nerius* [4]).

Siquis orationem deserat, non indiget dæmonibus, a quibus in infernum deducatur; ipse enim ultro eum ingreditur (*S. Teresia* [5]).

Siquis, quantumvis perditus, in oratione perseveret, ad salutis portum Deus eum perducturus est (*Eadem* [6]).

Tanti est momentum temporis, quanti ipse Deus (*S. Bernardinus Senensis* [7]).

Quanti sumus coram Deo, tanti reverâ sumus (*S. Franciscus Assisiensis* [8]).

Numquam periit, qui vere obediens est (*S. Franciscus Salesius* [9]).

Qui confessario obtemperat, certus est, actionum suarum se Deo non esse redditurum rationem (*S. Philippus Nerius* [10]).

Dementis est, ad animæ salutem non incumbere (*Idem* [11]).

In certamine adversus carnem vincunt ignavi, qui occasionem fugiunt (*Idem* [12]).

In patientiâ sita est viri Christiani perfectio (*S. Jacobus* [13]).

Terra hæc meritis comparandis, eamque ob causam perferendis ærumnis destinata est.

Qui Dei causâ pati secum statuit, nihil jam patitur (*S. Teresia* [14]).

Crucem non sentit, qui eam amplectitur; sentit vero, qui invitus eam trahit (*Eadem* [15]).

Crux navis est, quæ ad portum nos perducit.

In Beatorum coronis molestiæ, Dei causâ toleratæ, gemmæ sunt omnium pulcherrimæ.

Omnia potest, qui Deo confidit.

Diligenti Deum vel ipsæ molestiæ in delicias mutantur.

[1] *Luc.*, VI, 37. — [2] *Matth.*, X, 22. — [3] *Luc.*, IX, 62. — [4] *Bacci, Vita di S. Fil. Neri*, lib. II, cap. 5. — [5] *Vida escrita por la misma Santa*, cap. 19, n. 2. — [6] L. c., cap. 8, n. 2. — [7] Sermo pro Sab. post Dom. II quadrag., part. 1, v. fin.: « *Tantum valet tempus, quantum Deus* ». — [8] *S. Bonav.*, Legenda *S. Franc.*, cap. 6: « *Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, et non plus* ». — [9] *Gallizia, Vita di S. Franc. di Sales*, lib. VI. *Massime che riguardano noi stessi*, n. 27. — [10] *Bacci*, l. c., lib. I, cap. 20, n. 21. — [11] Ibid., lib. II, cap. 1, n. 8. *Chi vuol esser savio senza la vera sapienza, e salvo senza il Salvatore, costui, .. non è savio ma pazzo.* — [12] Ibid., lib. II, cap. 13. — [13] I, 4. « *Patientia autem opus perfectum habet* ». — [14] *Libro de las Fundaciones*, cap. 14, n. 3. — [15] *Conceptos del amor de Dios*, cap. 2, n. 23.

Unusquisque in hoc mundo velut in deserto loco vivat, ac si præter Deum alius nemo secum esset.

Qui opes expetit, ad sanctitatem numquam perveniet (*S. Philippus Nerius* [1]).

Qui terrena bona diligit, eorum servus evadit; qui ea contemnit, omnium rerum fit dominus; quandoquidem cuncta habet, qui nihil desiderat.

Siquis nihil aliud vult, nisi quod Deus voluerit, semper contentus est; quum semper omnia habeat, quæ velit.

CAPUT XI.

PRACTICÆ CONSIDERATIONES, EX FIDE DESUMPTÆ, AD PERCIPIENDAM UTILITATEM EX IIS REBUS, QUÆ HAC IN VITA OCULIS SE OFFERUNT.

Quum in lecto es vel in cubiculo, tecum cogita, illic te aliquando a Jesu Christo judicatum iri.

Quum mortuos ad sepulchrum efferri vides, cogita, idem tecum esse futurum.

Quum horologii arenam effluere vides, tecum cogita, sic tuam quoque effluere vitam, teque ad mortem appropinquare.

Quum proceres honoribus suis et divitiis gloriari vides, eorum dementiam miserari et dicere debes: *Mihi quidem satis est Deus.*

Quum superbum alicui erectum vides mausoleum, tecum reputa: *Quodsi ille damnationem subierit, quid ei prodest marmoreum illud monumentum?*

Quum exsiccatam arborem vides, tecum considera infelicitatem animæ, Deo orbatæ, quæ nihil aliud meretur, nisi ut igni ardeat in inferno.

Si umquam reum coram judice contremiscere vides, considera, quem terrorem habiturus sit peccator ad Jesu Christi tribunal productus.

Quum tremiscis ad ingentem tonitrui fragorem, considera, quantum tremorem damnatis incutiant divinæ justitiæ tonitrua.

Quum mare aut tranquillum vides aut tempestate commotum, tecum cogita, talem esse animam aut in gratiâ aut in offensâ apud Deum.

Quum vides fornacem, sic tecum cogita: In fornace apud inferos propter peccata mea in æternum ardere deberem.

Quum cælum stellatum intueris, tecum cogita, illic aliquando Deo te esse fruiturum, si hâc in vitâ Eum amaveris.

Quum hortos vides floribus distinctos, planitiem vel oras amœnas, tecum cogita, alias easque majores delicias iis a Deo parari, qui Ipsum diligere sciant.

Quum vides rivulos de montibus fluere, ut oceano misceantur, tu quoque propera, ut cum Deo conjungaris.

Quum aves cantare et ita suo modo Deum laudare audis, tu similiter amoris actibus Eum lauda.

Quum locum vides, ubi quondam Deum offendisti, dolorem renova Eumque diligendi propositum.

Quum catellos vides adeo fideles tibi et gratos esse pro frustulo panis, tecum statue gratus esse Jesu Christo, qui semetipsum tibi dedit integrum.

Quum ignem vides et flammas, exopta, ut sic quoque Dei amore cor tuum ardeat.

Quum vides speluncas, præsepia vel fœnum, considera, Jesum Infantem amore tui in speluncâ natum, et in præsepio fœno fuisse impositum.

Quum per solitudinem iter facis, de itineribus recogita, quæ Jesus Infans per deserta loca in Ægypto fecit.

Quum serras, ascias, malleos et runcinas vides, considera Jesum Christum

[1] *Bacci*, l. c., lib. II, cap. 15.

juvenem, ligna in officinâ Nazarenâ dolantem.

Quum funes, spinas et clavos vides, eleva mentem ad ea, quæ tuâ causâ Jesus Christus in suâ passione pertulit.

Quum agnos ad lanienam duci vides, cum S. Francisco cogita, insontem ita Jesum ad mortem fuisse deductum.

Quum Jesu Crucifixi imaginem intueris, tecum reputa: *Tu ergo, mi Deus, meâ causâ mortem obiisti!*

Quum altaria, calices et casulas, vel in agro triticum et uvas adspicis, considera amorem, quem Eucharistiæ dono Jesus Christus nobis exhibuit.

CAPUT ULTIMUM.

INFIDELEM AD SANCTAM NOSTRAM FIDEM CONVERTENDI MODUS PAUCIS ATTINGITUR. DIALOGUS SACERDOTEM CHRISTIANUM INTER ET ETHNICUM.

Sacerdos. Dic mihi, quæso, amice; quam religionem sequeris et quemnam Deum colis?

Ethnicus. Patriam ego sequor religionem; eam secuti sunt majores, eam parentes mei sequuntur, ego quoque eam sequor; et quos deos concives mei colunt, item ego colo.

Sacerdos. At, nostin' ex verâ vel falsâ religione sequendâ animarum nostrarum pendere vel salutem vel ruinam æternam? Ego autem sum Christianorum sacerdos; et, quum tibi bene esse velim, si permittas, tecum loqui cupio de Christianâ meâ religione, extra quam in alterâ vitâ salutem consequi posse neminem dicimus.

Ethnicus. Etiam, gratum mihi facis; nam longo jam tempore desidero plenam cognitionem et tuæ et ceterarum religionum, de quibus plures alii mihi verba fecerunt; quorum nemo tamen hoc præstare potuit, ut mihi, quænam sit vera religio, persuaderet. Sæpius de vestrâ lege colloquium institui; si porro solveris difficultates, quæ mihi remanserunt, fieri potest, ut vestram fidem sequar. Quapropter, omnia mihi dicas velim.

Deus existit.

Sacerdos. Quum ergo audire cupias omnia, omnia tibi dicturus sum. Et primum quidem illud debemus persuasissimum habere, existere omnium rerum principium, creatorem et conservatorem, Deum; cujus rei perspicua est ratio. Quæcumque his in terris videmus, homines, bestiæ, maria, montes, plantæ ceteraque ejusdem generis, creaturæ sunt, in tempore conditæ, quæ a primo aliquo principio *esse* suum acceperunt. Nam quum non semper fuerint, sibimetipsis tribuere non potuerunt illud *esse*, quod nondum habebant: nihilum quippe nihil efficere potest. Ergo necesse est, ea illud recepisse ab alio aliquo principio. Hoc vero principium *esse* suum habere debuit a semetipso et ab æterno; si enim ab aliis illud recepisset, non esset nec primum principium nec creator, sed creatura ut reliqua omnia. Præterea, quum sit primum principium, nisi fuisset ab æterno, non potuisset umquam existere; idque ob eamdem rationem, quam suprà attulimus: quia illud, quod aliquando *non est*, non potest sibimetipsi tribuere illud *esse*, quod non habet. Nos autem dicimus, primum illud principium esse Deum, qui quum sit a semetipso, reverâ habet quidquid perfectionis haberi potest. Dato enim, ab aliis Eum non pendere, non fuit, qui ejus perfectiones terminis potuisset circumscribere. Quocirca credi oportet, Deum illum esse infinitæ Sapientiæ, ut cognoscat omnia, præsentia, præterita et futura, sive eventura sunt sive fieri possunt; infinitæ Potentiæ, ut quidquid velit,

Deus creavit hunc mundum.

Deus est a se.

Deus est ab æterno.

Deus est infinitæ perfectionis.

efficere possit; infinitæ Bonitatis, ut infinite sanctus sit et justus.

Objectio. *Ethnicus.* Atvero dici potest, creaturas, quæ sint et fuerint, non a primo aliquo principio, sed ab æterno alias ab aliis *esse* suum habuisse. Sic, ut de hominibus loquamur, affirmari posset, numquam in hoc mundo defuisse homines, eosque ab æterno alios ab aliis procreatos.

Responsio. *Sacerdos.* Minime vero; illud fieri non potuit. Posuisti enim, *esse* suum homines illos non sibimetipsis dedisse, sed accepisse alios ab aliis. Atqui, si alter ab altero pendet, etiamsi fuissent semper in hoc mundo numeroque infiniti (id quod esse nequit), eorum nemo existeret, si *esse suum* non accepissent a primo aliquo principio. Exemplo mentem explicari libet: Si primus homo non fuisset, non exstitisset neque secundus, nec tertius, neque alius quispiam. Quum ergo infinita illa hominum multitudo prorsus dependens sit, neque eorum quisquam semetipsum potuerit procreare, fateri oportet, aliquem fuisse Creatorem, qui semper a semetipso exstitit, et ab Eo *esse* suum recepisse omnes, qui sint vel umquam fuerint, homines; quod nisi ita foret, sine ullâ dubitatione, nemo quisquam hic adesset. Atque idem dici potest de reliquis creaturis omnibus.

Alia objectio. *Ethnicus.* Bene; ita res se habet. Sed a nonnullis audivi, creaturas esse quidem singulas vicissim productas; non tamen a primo aliquo principio, sed a materiâ, quâ hunc mundum constare dicunt; quam materiam asserunt semper *ab æterno* exstitisse.

Responsio. *Sacerdos.* Illud vero systema, amice domine, eorum, qui *Materialistæ* vocantur, est summa quædam stultitia, quæ complectitur plura absurda, quibus nemo sanæ mentis, cujusmodi tu es, potest assentiri. Primum absurdum hoc est: si ab æternâ materiâ producta essent omnia, nulla res producta hoc in mundo adesset. Et re quidem verâ; quidquid materia producit, per motum producitur; si ergo æterna fuisset materia, motus quoque esse debuisset æternus; quo fieret, ut motus cujuslibet rei, hominis, piscis, plantæ, debuisset procedere ab antecedenti æternitate. Quum vero transiri nequeat æternitas, motus ille numquam ad eum terminum pervenire potuisset, ut reverâ produceret id, quod nos jam productum videmus. Sic ergo si æterna fuisset materia, nec homines adessent nec bestiæ nec plantæ nec quidquam eorum, quæ hoc in mundo existunt.

Ethnicus. Melius, quæso, illud argumentum mihi explica.

Fusius explicatur responsio. *Sacerdos.* Melius illud aperiam. Si mundus æternus, sive ea quâ conflatur æterna materia, debuisset producere ea, quæ hic adsunt, eorum nihil umquam existere potuisset. Nulla enim res potuisset produci, priusquam transiisset infinitus productionum numerus; talis autem numerus transiri nequit; nam ut transiret, suum habere debuisset initium, quo initio infinitum caret. Porro, quum desit initium, item deest terminus; nos vero talem rem productam ut terminum assignantes, terminum daremus infinito. Si ergo præsentes procreationes ab antecedentibus infinito spatio distarent, numquam eo, ut vel aliquid procrearent, potuissent pervenire. Quapropter, si omnia ex æternâ materiâ prodiissent, non adessent nec homines nec bestiæ nec quidquam eorum, quæ in tempore prodiisse novimus. Ac proinde, etiamsi admitteretur infinitus numerus procreationum materialium, quarum una ab alterâ penderet, non posset nihilominus intelligi, quomodo umquam vel ulla res procreari potuisset; quantumvis scilicet regrediamur ad ejus reperiendam originem, numquam eam reperiemus, nisi consistamus ad primum aliquod omnium rerum productarum principium; quod quidem principium Deus est.

Idem confirmatur. *Ethnicus.* Nunc probe intellexi; sic est. Quin etiam pro exiguo meo ingenio aliam adjicio rationem. Si homines infinitâ procreationum serie ab æternâ materiâ prodiissent, nunc infinitus in hoc

mundo adesset hominum numerus, quum ab æternitate procederent, et plures semper quam moriuntur, nascuntur homines; aut certe animarum, quæ numquam moriantur, numerus esset infinitus. Illud vero ecquis credere possit?

Idem probatur ex absurdis.

Sacerdos. Recte dicis. Sed jam audi, quæ alia duo sequerentur, magis etiam et apertius absurda. Primum inde colligitur, quod in hoc mundo homines videmus, mente et ratione præditos. Quî enim mentes, quæ intelligunt et argumentantur, *esse* suum habere possunt a materiâ, quæ expers ipsa est mentis et rationis? Quî umquam materia, quæ non habet mentem, mentem potuit dare iis rebus, quas progenuit?

Ethnicus. Intelligo. Alterum absurdum autem quodnam est?

Sacerdos. Alterum illud evidentius absurdum hoc est: si materia, quæ mentis expers est, hunc mundum effecisset suâque conservaret virtute, consequens foret, ut casu omnia facta essent et fieri pergerent. Atqui rerum ordinem in hoc mundo conspicimus adeo pulchrum et stabilem, ut nisi a mente quâdam infinitæ sapientiæ nec institui possit nec servari: solem videmus constanter singulis annis singulisque diebus cursum suum conficere; bestias ejusdem semper speciei partum edere; arbores eosdem semper fructus idque iisdem anni temporibus afferre. Quis ergo credere possit, casum nullâ mente præditum, formare hunc mundum atque in eo tam stabilem servare potuisse ordinem, ad quem servandum eximia quædam mens requirebatur et assidue etiam requiritur?

Tertia objectio.

Ethnicus. Sed qui Deum negant, respondere possent, ipsâ hujus mundi naturâ totum illum ordinem esse confectum.

Responsio.

Sacerdos. Respondeo. Natura illa aut est mentis expers; et iterum dico, talem naturam efficere non potuisse hunc mundum, ad quem efficiendum summâ quidem opus esset mente. Aut purâ quâdam mente prædita est; et dico naturam illam ipsum esse Deum, hujus mundi creatorem, quem colimus.

Confirmatur eadem responsio.

Ethnicus. Recte dicis; credi nequit, vel hominis, mente et ratione præditi, conditorem fuisse casum, mentis et rationis expertem; vel tali casu confectum esse atque eodem constanter ordine servari hunc mundum, tam egregie dispositum. Ergo necesse est, aliquod existere eximiæ mentis principium, talis hominis talisque mundi creatorem. Sed ad nosmet-ipsos veniamus. Nos item dicimus, deos nostros esse hominum omniumque rerum creatores, eosque singulos (sicut tu Deum tuum esse contendis) supremos dominos agnoscimus atque infinitâ sapientiâ et potentiâ præditos. Cur autem asseris, non posse nisi unum tantum esse Deum?

Deus est unus.

Sacerdos. Ita sane contendimus, quia veri Dii plures esse nequeunt; illudque tibi manifestum reddam. Dei nomen quid significat? Ens summum, quo melius cogitari nequit. Deus ergo supremus omnium rerum Dominus esse debet; infinitam habere sapientiam, infinitam potentiam, ceterasque perfectiones omnes, et eas quidem infinitas. Quodsi faciamus, plures esse Deos, hi aut omnes æquales sunt, neque alter ab altero pendet; aut unus summus, nemini subjectus et perfectissimus est, reliqui vero ab Eo pendent, et (quod consequens est) minoris sunt perfectionis. Si eos inter se æquales dicamus neque alios aliis subjectos, eorum nemo Deus, nemo videlicet perfectissimus est. Primum enim (ut diximus) Deus in perfectione summus esse debet, et tale bonum, quo melius cogitari nequit. Si autem Deus summus est, unicus esse debet nec Sibi similem habere; secus enim, si duo summa entia admitterentur, neutrum eorum summum esset, neutrum ergo Deus. Præterea Deus est bonum, quo melius cogitari nequit; et ideo quoque unicus esse debet: nam si aliquod ens Deo foret æquale, aliquid Deo melius posset cogitari: illud nempe, quod solum dominaretur; nam certo præstat, regni dominium solum habere, quam imperii socios agno-

scere. Quare Tertullianus: *Deus, si non unus est, non est.... Quære quid sit Deus, et non aliter invenies... Deum summum esse magnum... Quæ jam erit conditio ipsius Summi magni? nempe,... ut non sit aliud Summum magnum: quia si fuerit, adæquabitur; et si adæquabitur, non erit jam Summum magnum* [1].

Deinde, si plures essent dii, eorum nemo foret omnipotens. Nam liberam unius actionem reliqui aut impedire possent aut non possent: si primum, ille non esset omnipotens; sin alterum, omnipotentes non essent ceteri.

Nec quisquam infinitæ Sapientiæ esset vel omniscius. Quandoquidem, si eorum aliquis aliquod secretum occultare non posset, non esset omnipotens; si posset, omniscii reliqui non forent.

Unum porro Deum hunc mundum regere et gubernare, ex æquabili illâ et constantissimâ patet omnium rerum harmoniâ: *Non possunt igitur in hoc mundo,* inquit Lactantius, *multi esse rectores,... nec in unâ navi multi gubernatores,... nec in uno examine multi reges,... nec animæ plures in uno corpore: adeo in unitate natura universa consentit* [2].

Confirmatur. *Ethnicus.* Et reverâ, — ut ad ea alludam, quæ proxime dixisti, — equidem in angustiis vel periculis ad cælitum opem confugiens, et incertus cujusnam præsidium peterem, ad illum Deum semper me converti, qui supremam tenet omnium rerum dominationem; nec quidquam mihi profuturum videbatur, ad omnes illos recurrere deos, quos hic colimus.

Objectio. Sed, ut ad argumentum redeam, audivi in vestris quoque scripturis nonnullos homines Deos vocari.

Responsio. *Sacerdos.* Sic est; dii quidem vocantur, non tamen quod divinam naturam habeant, sed quia vel ut judices vitæ necisque potestatem in alios exercent, vel ut prophetæ futura cognoscunt a Deo sibi revelata; vel denique sic viri sancti vocantur, quod divinus Spiritus in iis habitat eosque reddit (ut scripsit S. Petrus Apostolus [3]) divinæ consortes naturæ.

Ethnicus. Recte; sed ad omnium gravissimam veniamus difficultatem. Vos, Christiani, tres in Deo distinctas admittitis personas; ergo plures quoque Deos admittitis.

Tres sunt in Deo Personæ. *Sacerdos.* Ut ad illud respondeam, anticipare debeo, quæ postmodum dicere statueram. Audi. Fides nostra credendum esse docet SS. Trinitatis mysterium, in Deo nempe tres reverâ esse Personas, Patrem, Filium et Spiritum-Sanctum. Pater ab æterno generat Filium, et a Patre Filioque Spiritus-Sanctus procedit. Singulæ illæ Personæ æternæ sunt, et singulæ æque perfectæ; reverâ tres Personæ, sed unus tantum Deus; quia una substantia unaque essentia. Unaquæque Persona ergo omnes eas habet perfectiones, quas reliquæ habent; sed perfectiones illæ non ita sunt singularum Personarum, ac si illarum essent propriæ: sic verbi gratiâ non sunt Patris, quatenus Pater est, vel Filii, quatenus est Filius; verum perfectiones sunt divinæ naturæ. Itaque quidquid perfectionis est in unâquâque trium Personarum, oritur a divinâ naturâ, neque ab eâ distinguitur. Fatendum quidem, Patris qualitatem non esse Filii, nec qualitatem Filii esse Patris; sed illæ qualitates sive (ut vocantur) *personales subsistentiæ,* non sunt tres distinctæ perfectiones, quæ singulis quibusque personis essent propriæ, sed perfectiones divinæ naturæ, quæ omnes ejusdem sunt naturæ et essentiæ divinæ. Unde S. Joannes Damascenus: *Omnia quæ Pater habet,* inquit, *Filii sunt, hoc uno excepto, quod (Filius) ingenitus non est: quæ quidem vox nec naturæ discrimen, nec dignitatem, sed subsistendi modum indicat* [4].

Objectio Manichæorum. *Ethnicus.* Intellexi; recte dicis; longe aliter res illa se habet. Sed Manichæos

[1] Adversus *Marcionem,* lib. I, cap. 3. — [2] De Ira Dei, cap. 11.

[3] 2 *Petr.*, I, 4. — [4] De Fide orthodoxa, lib. I, cap. 8.

audivi duos ponere Deos; quod dicant, totidem videlicet Deos admitti debere, quot sint oppositorum effectuum principia. Quum ergo in mundo adsint et bona, ut virtutes, elementa, utilia animalia, cibi aliaque ejusdem generis; et mala, ut procellæ, feræ, venena atque imprimis vitia, duos esse debere Deos asserunt, bonum unum, bonorum principium, alterum malum, principium malorum. Tu vero de eâ re quid sentis?

Responsio. *Sacerdos.* Quid sentio? Eam esse stultam et vetustam hæresim, a pluribus jam sæculis reprobatam, et hodie fere penitus expulsam. Paucis ausculta, quomodo eam refellant docti. Effectus omnes ab uno tantum principio, Deo nempe, pendent. In rebus physicis nihil omnino *per se* est malum; si quid nocivum est nobis (ut feræ, venena), *per se* tamen bonum est, quod iis rebus divina justitia velut ministris utitur, vel ad puniendos peccatores ut resipiscant, vel ad fideles suos exercendos ut sibi acquirant merita.

Urgetur difficultas. *Ethnicus.* Vitia tamen vere mala sunt; quomodo Deus auctor mali esse potest?

Respondetur. *Sacerdos.* Sed hic probe intelligi oportet, malum culpæ non procedere ab aliquâ causâ positivâ, sed a defectu rectitudinis; quo fit, ut peccatum numquam a Deo proveniat sed ab hominibus, qui a rectâ agendi normâ deflectant. Peccata Deus tantummodo permittit, idque etiam propter bonum: et quod libertatem homini concessam auferre nolit, et quod ex malis eliciat bonum; sic ex tyrannorum crudelitate elicit patientiam martyrum, et sanctorum meritum ex tentationibus diaboli, quibus illi resistunt.

Ethnicus. Ut verum tibi fatear, quæcumque dixisti, recta et certa mihi videntur.

Refutantur Gentiles. *Sacerdos.* Porro, quinam apud vos pro diis habeantur, nescio; non ignoro tamen, idololatras plerosque pro diis colere eos, qui quondam essent homines. Quomodo autem homines, in tempore nati, obnoxii innumeris malis, miseriis et etiam morti, quæ eos jamdudum perculit, evadere potuerunt dii omnipotentes et supremi totius orbis domini? Quomodo ii, qui quondam non erant et deinde creati sunt, postea evaserunt creatores? — Stultiores etiam sunt alii, qui pro diis colunt dæmones; numquid enim dii esse possunt funesti spiritus, dolosi, crudeles et infelices, qui pœnas assidue sustinent? Et ea tamen est omnium dæmonum conditio. — Denique omnium stultissimi sunt ii, qui bestias adorant vel creaturas sensu carentes, ut solem, lunam, elementa vel lapides.

Sed tandem concludere libet argumentum adversus concives tuos, qui plures deos venerantur. Si contendant, eos omnes æquales esse, summos, nemini subjectos, omnipotentes, omniscios et eorum unumquemque hunc mundum gubernare; jam monstravi, illud fieri non posse, quod eorum nemo reverâ esset Deus. Sin autem ponant, unum tantum esse Deum nemini obnoxium et perfectissimum; reliquos vero Ei esse subjectos, et multis quidem (non tamen summis) perfectionibus esse præditos, quas a summo Deo accepissent (sic enim doctissimi quique antiquitatis philosophi asseruerunt); illud aliquomodo nos quoque admittimus. Ceteroquin eos non proprie deos esse dicimus, sed sanctos, qui quod hac in vitâ Deo fideles se præbuerunt, in cælis constituti sunt, ut pro suis cujusque meritis æternâ beatitudine fruantur.

Ethnicus. Nunc exponas velim quidquid tua præterea docet Ecclesia.

Deus creavit hominem. *Sacerdos.* Ut ordine progrediar, sic argumentari pergo. Si Deus est, item esse debet aliqua religio, cujus ope idem ille Deus merito velit, ut Se agnoscant, colant Sibique obediant homines. Quos quoniam liberos et ratione præditos creavit, vult ut non necessitate coacti, sed suâ sponte et libentes eam Sibi præstent obedientiam. Ut autem inter multas et diversas religiones, quænam esset vera, discernere posset homo, necesse fuit, ab ipso Deo eam nobis revelari et perspicuis signis ostendi; aliter non potuisset

homo — idque potissimum (ut infrà tibi explicabo) post Adami lapsum — cognoscere Deum neque ejus Voluntati obtemperare. Quæ quidem revelatio signis perquam manifestis facta est Christianæ nostræ et Catholicæ Ecclesiæ. Illa porro hæc docet: In principio Deus creavit cælum et terram. Cælum empyreum creavit cum Angelis, puris spiritibus, quorum pars superbiâ abrepti a Deo defecerunt et in infernum demissi sunt. Hi autem sunt dæmones, qui hominibus invidentes ad peccandum eos sollicitant, ut et illi paradiso exclusi ad æternas pœnas secum damnentur. Condito cælo, Deus creavit solem, lunam et stellas; terram quoque et mare cum terrestribus et marinis animantibus. Tum creavit hominem, et ut propagaretur genus humanum, mulierem formavit eamque uxorem dedit Adamo; atque ex primis iis progenitoribus nos oriundi sumus omnes. In eâ conditione, quâ homo cum originali justitiâ erat creatus, mori non debebat, si Deo fidelem se præberet et obedientem: morti non obnoxius, vivus ex hoc mundo in cælum fuisset translatus. Sed quia peccavit homo, de fortunato illo statu decidit sibique attraxit sententiam mortis.

Ethnicus. Et quodnam fuit illud peccatum?

Peccatum originale hominem infelicem reddidit.

Sacerdos. Hoc fuit. Adamus et Eva initio quidem positi erant in paradiso terrestri, iisque Deus quidquid fructuum illic reperirent, in cibum assignaverat. Ut autem probaret eorum obedientiam, vetuit ne fructu vescerentur unius tantum arboris (quam vocavit arborem scientiæ boni et mali); quod si fecissent, in suam offensam incurrerent et mortem subirent. Illi vero contra ac præceperat Deus, fructum vetitum sumpserunt; atque illico, sicut ipsi in Deum rebellaverant, in rationem rebellavit sensus, et sentire cœperunt inordinatos concupiscentiæ motus. Tum mortis sententia in eos pronuntiata, ipsi ex paradiso terrestri expulsi et cælestis paradisus homini occlusus remansit. Et sicut omnes posteri in offensâ manent apud principem, quando ejus gratiâ excidit ille, qui suscitavit rebellionem; ita quum divinam gratiam Adamus amisisset, totum genus humanum apud Deum in offensâ mansit; quo fit, ut omnes homines Deo inimici nascantur et filii iræ.

Ethnicus. Neque ullum fuit tanto malo remedium?

Deus hominem redemit.

Sacerdos. Fuit sane; illud enim reperit ministravitque ipse Deus. Perditorum hominum sortem miseratus, quatuor millibus annorum elapsis, misit Filium suum (quam secundam Personam SS. Trinitatis esse tibi dixi), ut homo factus, homines, tormenta mortemque eorum causâ subeundo, a morte æternâ redimeret iisque aperiret paradisum. Itaque in terras venit Dei Filius; humanam carnem sine viri operâ in utero Mariæ semper Virginis assumpsit; vocatus est Jesus, id est, Salvator; ex Judæorum odio tormenta subiit, crucique affixus mortuus est; tertiâ die resurrexit et deinde in cælum ascendit, ubi nunc Patri æqualis sedet gloriosus; inde finali hujus mundi die venturus est, ut omnes homines judicet; Secum tandem ad cælos adducet electos, condemnatos vero in æternum peccatores ad infernum detrudet. Jesus Christus igitur Passionis suæ meritis obtinuit nobis divinam gratiam et paradisum aperuit.

Ethnicus. Nunc indica, quæso, vestra Christianorum tam multa et adeo gravia præcepta et onera, ut nonnullorum judicio reverâ servari nequeant.

Imposita est homini lex amoris.

Sacerdos. Non ita est; sed sic calumniantur adversarii. Omnia servari possunt nostra præcepta, idque facili negotio, opitulante divinâ gratiâ, quam Passionis suæ meritis nobis obtinuit Jesus Christus. Nostra lex est lex caritatis; quare universa ejus præcepta duobus his præcipuis continentur, diligendi Deum super omnia, et diligendi proximum sicut nosmetipsos diligimus. Quum ergo Deum super omnia diligere debeamus, ipsum naturæ lumen docet, consequens esse, ut

religionis virtute Eum veneremur, præstemus ea, quæ votis Ei promisimus, neque ex contrario blasphemiis vel perjuriis Eum offendamus. Similiter, quum proximum sicut nosmetipsos diligere oporteat, naturæ lumen docet ei non velle malum, et multo minus ei illud inferre, auferendo vitam, famam, honorem, facultates. Nonne æqua tibi videntur ea omnia, et ipsi rationi consentanea?

Ethnicus. Æquissima. Sed non sum nescius, prohibere legem vestram, nequis plures simul habeat uxores. Quid mali in eâ re?

Æquissima lege regitur matrimonium.

Sacerdos. Illius præcepti argumentum tacitus præterieram, ne tuam modestiam offenderem; quoniam vero tu ipse in illud incidis, respondere debeo. Quæris, quid mali sit, plures simul habere uxores? Multum sane; nam multis de causis tollit familiæ pacem, et maxime quod inter uxores assidua foret invidia. Et quum ad hanc materiam deflexerit sermo, illud scito, fornicationem quoque ipsâ naturæ lege esse vetitam; quandoquidem natura in conservatione generis humani non solum ad filiorum procreationem spectat, sed etiam ad bonam eorum educationem, quæ fornicatione evanesceret. Quis porro non videat, quemlibet actum venereum, qui ad generationem non conduceret (clarius loqui nihil necesse est), præcipuo naturæ proposito adversari? Quocirca patet, extra unius viri cum unâ tantum uxore matrimonium, omnes ejusmodi actus naturæ lege prohiberi.

Ethnicus. Sic est; recte dicis. — Nunc explica, quæso, quodnam præmium Deus tuus Sibi servientibus promittat, et quam minitetur pœnam iis, qui injuriâ Ipsum lædant.

Post mortem præmia et poenæ decernuntur.

Sacerdos. Præmium, a Deo promissum, non est hujus vitæ; sed alterius, quæ in æternum durat; illudque præmium est prægrande. Fideles servi donantur regno cælorum, ubi plenâ eâque æternâ felicitate fruuntur; participes nempe ipsius divinæ beatitudinis. Horrendas contrà peccatoribus denuntiat pœnas: ad sempiterna inferni supplicia misere condemnati, igne aliisque omnigenis tormentis cruciabuntur, Deique in æternum expertes erunt. Porro in alterâ vitâ præmium et pœnas hominibus post mortem reservari, solo naturæ lumine vel ipsi antiqui philosophi cognoverunt; ejusque rei perspicua est ratio: hic enim plurimos bonos inopiâ, ærumnis et vexationibus conflictatos videmus, plurimosque perversos honoribus divitiisque florere. Ergo si est Deus (quem esse constat), Isque justus; alteram vitam dari necesse est, ubi præmio afficiantur bonorum merita, et vitia impiorum pœnas luant.

Ethnicus. Sed quid est, quod præmium illud et supplicium in æternum duratura esse contendas?

Alterius vitæ præmia et supplicia æterna sunt.

Sacerdos. Etiam; æternum est utrumque; nam ita esse Deus ipse nobis revelavit. Et idem dictat ratio: est quippe anima immortalis, utpote non (ut corpus) composita ex partibus materialibus, quæ corrumpuntur; sed spiritus, in quem cadere nequeat corruptio. Quapropter, quum immortalis sit anima atque æterna, æternum quoque esse debet destinatum ei præmium vel supplicium, pro bonâ vel pravâ vitâ his in terris traductâ. Anima videlicet, qualis discedit a corpore, talis perpetuo manebit: in Dei gratiâ, si sic exierit; in offensâ apud Eum, si Deo inimica corpus relinquat. Quoniam ergo æternus est ejus status, præmium quoque ei erit vel supplicium æternum.

Ethnicus. Ergone post mortem sola anima gaudio vel supplicio afficietur, et a corpore semper manebit disjuncta?

Corpus denuo resurget.

Sacerdos. Non ita; corpus a Deo animæ comes additum est; eamque ob causam statuit, ut usque ad diem universalis Judicii corpus quidem his in terris conditum maneat, anima autem, pro sententiâ in articulo mortis particulari judicio latâ, sola adeat suum pœnarum vel gloriæ locum. Tum vero, quum de omnibus simul hominibus Jesus Christus uni-

versali judicio sententiam proferet, divinâ virtute anima denuo conjungetur cum corpore, ut hoc felicis vel infelicis ejus sortis particeps fiat.

Ethnicus. Sed Hebræos, *Mahumedanos* et alios quoque, quos tu quidem hæreticos vocas, tecum credere non ignoro, unum tantum esse Deum, ac similiter æternum paradisum et infernum admittere. Cur ergo tuam solàm veram et eorum omnes religiones falsas esse contendis?

Catholica Ecclesia est unice vera.

Sacerdos. Unice veram esse nostram Catholico-Christianam Religionem, probant multa ejus et perspicua veritatis signa; et potissimum vaticinationes, in divinis scripturis consignatæ, quæ perscriptæ plurimis sæculis ante, postea impletæ sunt eo ipso modo, quo prædictum fuerat; ac nominatim eæ, quæ ad Jesu Christi, Redemptoris nostri, adventum et Passionem respiciebant. — Idem probant miracula, patrata coram ipsis fidei nostræ inimicis; ita ut ea negare non potuerint. Quod quidem miraculorum argumentum admodum evidenter fidei nostræ veritatem demonstrat: quum enim vera miracula non faciat nisi ipse Deus, fieri nequeunt nisi in veræ fidei testificationem; quod nisi ita esset, falsæ fidei causa evaderet Deus. — Idem probat constantia tot millies millium Martyrum, inter quos tam multæ puellulæ plurimique pueri erant; qui profecto, nisi divinâ gratiâ ad acerrimos cruciatus patienter perferendos corroborati fuissent, non potuissent resistere tyrannis ad fidem ejurandam impellentibus. — Alia præterea habentur argumenta, quæ brevitatis causâ tacitus prætermitto.

Ethnicus. Et præter tuam religionem nulla alia tales rationes afferre potest?

Omnes præter eam falsæ sunt.

Sacerdos. Nulla. Audi: Hebræorum religio quondam, ante adventum Redemptoris, vera fuit et sancta; at post ejus adventum falsa et inanis evasit. Credere enim noluerunt Hebræi huic Redemptori, qui jam advenit; quamquam constat (ut suprà dixi), impletas esse omnes prophetias, conscriptas in sacris illis voluminibus, quæ ab ipsis tamen pro veris et divinis habentur. Et licet omnia eo prorsus modo, quo fuerant prænuntiata, plane accidisse videant, quæ prædicta erant de Jesu Christi ortu, vitâ et obitu, ac similiter de templi eversione, amissione regni suæque nationis dispersione (quæ item prænuntiata a Deo erat pœna); pertinaciter nihilominus credere renuunt illi, qui jam advenit, Messiæ, quem eorum patres velut maleficum hominem affixerunt cruci, et ipsi nunc quoque pro malefico habere non desinunt.

Mahumedanorum religio revera religio non est, sed Hebraismus admixtus erroribus, quos promulgavit *Mahumedes.* Is, abjectus miles, rudis et impius, sex post Jesu Christi adventum sæculis a Christianâ Religione deficiens, unà cum aliis rebellionis sociis plura regna legitimis principibus vi et armis eripuit; atque ita legem suam divulgavit. Quæ quidem lex quam sit impia, hoc unum satis demonstrat, quod suis vindicationem, latrocinium et carnis licentiam permittit; quin etiam æternæ vitæ paradisum in solis ejusmodi sordibus consistere docet: quo fit, ut lex illa bestiis potius sit accommodata quam hominibus ratione præditis.

Hæreticorum denique religiones, seu ut melius dicam, sectæ, quæ Christianæ etiam vocantur, sed ab Ecclesiâ Catholicâ discesserunt, innumeræ quidem sunt, et aliæ aliis pejores magisque redundantes erroribus; easque falsas esse vel ex eo patet, quod singulæ egressæ sunt ab Ecclesiâ nostrâ Catholicâ, quæ sine ullâ dubitatione saltem prima, et (ut illi quidem dicunt) aliquando vera fuit. Atqui pluribus locis denuntiant divinæ nostræ Scripturæ (animum diligenter attende!), primam Ecclesiam a Jesu Christo conditam et divulgatam ab ejus discipulis, perpetuo futuram esse veritatis columen et fundamentum, neque umquam a Deo

derelictum iri: *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* [1]. — *Ait autem Dominus: Simon, Simon.... Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* [2]. — *Ecce Ego vobiscum sum.... usque ad consummationem sæculi* [3]. — Quas Scripturas ipsæ illæ hæreticorum sectæ pro veris accipiunt. Si ergo verum est (quæ res in dubium vocari nequit), Ecclesiam nostram primam fuisse et aliquando veram; fateri necesse est, eam semper unice veram et fuisse et futuram esse; fallaces vero et falsas reliquas sectas omnes, quæ ab eâ discesserunt.

Naturalis religio non sufficit.

Ethnicus. Dummodo accipiant Scripturas, quas commemorasti, et concedant vestram ante suam exstitisse Ecclesiam, perspicua est conclusio, in errore eos versari. — Sed sine ut te interrogem de alio aliquo systemate, quod ex tuis Europæis nonnulli amplexi sunt. Hoc systema ad salutem consequendam satis esse docet (ut audivi), servari legem, ipsâ naturâ animo insitam. Eam porro præcipere, ut unus tantum adoretur Deus, virtutis remunerator et punitor vitii; neve proximo velimus ea, quæ nolimus nobismetipsis fieri. Ceteroquin satis esse ad salutem, in qualibet religione hominem vivere, dummodo hæc religio naturæ normas sequatur; sive Christiana est, sive Hebraica sive alia quæcumque; nec requiri, ut alia tam multa fidei dogmata admittat vel tot servet præcepta.

Sacerdos. Tu vero, qui non es sine acumine, nonne perspicis, quam ridiculum illi adstruant systema? Nos Christiani inter alia fidei dogmata Jesum Christum pro vero Deo habemus; quum Hebræi Eum habeant pro viro malefico. Ergo aut verum est, quod nos credimus; et quomodo id permittere potest Deus, ut per blasphemiam Hebræi Eum maleficum dicant? Aut verum dicunt Hebræi; et quomodo Deus sinere potest, a Christianis virum maleficum pro Deo adorari? Si illud sineret, nonne sine ullâ dubitatione ridiculus Deus foret?

Ethnicus. Sic est. — Ex aliis audivi, satis habere Deum, siquis Ipsum colat in religione, a suo cujusque regni principe vel magistratu impositâ.

Christi Ecclesia ubique una eademque esse debet.

Sacerdos. Sed hoc systema altero illo etiam stultius est. Ita enim qui vivit in Italiâ, ubi viget Christiana Religio, agnoscere tenetur, Jesum Christum hominem simul esse et Deum; Constantinopolim profectus, ubi prævalet *Mahumedanorum* secta, pro homine tantum Eum debet habere. Qui Romæ habitat, nobiscum, Christianis, tenetur credere, Jesum Christum vivum verumque adesse in Eucharistiæ Sacramento; ubi Londinum se contulit, illic tantum adesse panem, credere debet. Quo fieret, ut idem homo totidem inter se oppositas religiones sequi deberet, quot essent regna, ubi domicilium collocaret, si diversas profiterentur religiones. Ac proinde Deus præciperet, ut ipsâ fide errorem amplecteremur: ubi enim fides fidei est contraria, una tantum vera sit oportet.

Ethnicus. Jam nihil ultra requiro; persuasus est animus, et, quæ res gratissima tibi erit, tuas sequi partes constitui. Quod ad eas religiones spectat, quæ a meâ dissident, video, exceptâ tuâ, non posse aliam ullam esse veram; saltem (etiamsi nihil aliud dici posset) est omnium tutissima; atque in æternæ salutis negotio, dementis est, non amplecti omnium tutissimam religionem. De meâ religione jampridem dubitavi; nunc autem omnino planum mihi fecisti, eam veram esse non posse. Illudque, ut ita dicam, mihi confirmant ipsi nostri sacerdotes, apud quos tanta est doctrinæ varietas et confusio, ut eorum unusquisque fidem a reliquorum fide discrepantem tradat. Itaque gratias tibi ago, quod menti meæ lumen prætulisti.

Sacerdos. Non mihi, sed Deo grates persolve, qui te ad salutem vult perve-

[1] 1 *Tim.*, III, 15. — [2] *Luc.*, XXII, 31 et 32. — [3] *Matth.*, XXVIII, 20.

nire. Ille divinâ suâ luce te collustravit, teque suâ gratiâ ad amplectendam veritatem induxit; quod nisi ita esset, verba mea nihil profecissent.

Sine ergo, reliquis quæ ad sanctam fidem nostram pertinent, plene te eruditam, ut deinde, suscepto Baptismate, Christianus evadas et Dei filius.

In hoc dialogo paucis tantum attinguntur rationes dogmatum et errorum confutationes, ne iterentur, quæ diximus et in hoc libello et in Dissertatione adversus materialistas et Deistas.

VIVANT

AMOR NOSTER, JESUS,

NOSTRAQUE SPES, MARIA!

III.

DE FIDEI VERITATE

Qui... non crediderit, condemnabitur.
Marc. XVI, 16.

1767

Absolutum omnique ex parte integrum Catholicæ Ecclesiæ Apologeticum adversariis opponere cupiens, S. Doctor, quæ contra Atheos, Deistas et hæreticos Reformatos paucis perstrinxerat, hoc loco fuse latiusque explicavit. Brevis enim Dissertatio, anno 1756 exarata, primâ et alterâ hujus operis parte, opusculum de Fidei Evidentia, anno 1762 conscriptum, tertia parte evolvitur.

Prima editio anno 1767 Neapoli prodiit, quam deinde, vivo etiam Alphonso, plures aliæ exceperunt. Antiquæ illæ editiones, velut allegoricam ipsius Fidei figuram, in fronte Operis augustam exhibent matronam, quæ velo leviter obducta facie, radiantem solem in pectore gerens, et desuper Spiritus-Sancti illustrata lumine, dextrâ calicem et hostiam, laevâ crucem tenet. Adversariorum autem telis undique impetita, mœsta hæc pronuntiat verba: NIMIUM VEXATA PLORO.

Clemens XIII, Summus Pontifex, cui opus dicatum fuit, litteris suis, die 4ª Aug. 1767 datis, illustri laude S. Scriptorem ornavit.

DIVINÆ MATRI MARIÆ.

Videns ego, Domina, summo animi dolore, quid detrimenti populo Christiano hisce temporibus increduli afferant; et magnopere cupiens, ut remedium admoveatur: quum ad illud efficiendum idonea non sit virium mearum imbecillitas; huic saltem, priusquam ex hac vitâ discederem, operam dare volui, ut eorum errores aperirem et refellerem, ne incauti decepti maneant captionibus. Quapropter hoc opus meum divulgare constitui. Sed quid prodcrit, si Te non habeat fautricem? E cælis, o Maria, Tu quidem conspicis, animarum quantam his diebus faciat stragem inferorum potestas iis erroribus, jam nunc disseminatis in pluribus regnis, ubi sacrosancta fides intacta quondam vigebat. Sed nonne Tibi concessa est gloria frangendi evertendique omnes hæreses? De Te cantat Ecclesia: « *Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo* ». Tuum est ergo, illos Crucis Jesu Christi adversarios potenti tuâ manu prosternere. Itaque, o excelsa Dei Mater, huc elabora, ut malum istud, quod incallidis tot animis comparant inferorum turbæ, a nobis depellas. Atque idcirco in tuum patrocinium hunc quoque misellum meum librum suscipere dignare, ut ii, ad quorum manus pervenerit, ne recentium incredulorum fallaciis se decipi sinant; vel siquis captionibus eorum jam esset præstrictus, oculos aperiat ad agnoscenda dogmata sacrosanctæ nostræ fidei, sine quâ spes nulla est salutis.

OPERIS INSTITUTUM.

NONNULLA DE EXIMIO CHRISTIANÆ FIDEI PRETIO.

Pestiferi libri his diebus prodierunt.

1. Recentes quidam scriptores hoc adhibent effatum, dogmata fidei esse quidem veneratione prosequenda, minime tamen spernendum esse lumen rationis, quâ hominem ipsa natura donavit, ut verum a falso discerneret. Inde libertatem cogitandi sibi assumpserunt; ac tum vel eo progressi sunt, ut item sibi arrogarent libertatem dubitandi de iis fidei veritatibus, quæ sibi cum ratione non congruere viderentur. Itaque his ultimis temporibus magna prodiit copia librorum, qui pestiferi omnes et admodum impii, alii tamen aliâ ratione conscripti sunt. Gallice sub diversis iisque speciosis titulis hi libri circumferuntur, ut: *De Moribus — De Spiritu — De Religionis Disquisitione — De Matronarum Religione — De Ratione Humanâ Tractatus — Sententiæ Philosophicæ — Telliamed — Æmilius — De Ethnicorum Virtutibus — De Sanæ Mentis Philosophiâ — De Spiritu Legum;* atque ejusdem libri *Continuata Defensio — Epistolæ de Essentiali Hominis Religione — Epistolæ Judaicæ — De Regiis Virginibus Malabarensibus — De Cælibatu Philosophico — Analysis Petri Bayle — Dictionarium Encyclopædicum* cum libris ejusdem dictionarii tuendi causâ confectis — *De Sociali Contractu — Dictionarium Philosophicum — Epistolæ Montaigne — Epistola de Universali Historiâ — De Historiæ Philosophiâ — De Orientalium Despotismo;* aliique multi, qui *Fabellæ, Satiræ, Romanenses fabulæ, Dramata* vel id genus inscribuntur nominibus. Eorum porro alii asserunt, ortam esse religionem ex arte politicâ; alii, ex pœnarum formidine. Hi, rejecto Deo, aliud nihil præter materiam existere contendunt; illi, esse quidem Deum, minime vero revelatam religionem. Nonnulli, divinam Providentiam negantes, Deum ajunt suarum creaturarum nullam habere curam, alii inter hominis et bestiarum animam non esse discrimen, eumque necessario sineque libertate operari. Sunt qui dicant, unà cum corpore commori animam; quod quidem negant alii, ita tamen, ut in alterâ vitâ pœnam ei servari non admittant; nec desunt, qui pœnam temporalem, neutiquam vero æternam esse arbitrentur. Item docent aliqui, non aliam vivendi regulam nisi vel utilitatis vel delectationis nobis esse propositam; illudque nominatim ait *Helvetius* in infami libello: *De Spiritu* [1]. — Quem libellum quum multi præ manibus habeant, absolutâ tertiâ parte hujus operis, præcipuas magisque perniciosas ejus sententias breviter quidem expositas confutabimus.

Auctores illi fallacias et dolos adhibent. Nonnumquam ea, quæ certo falsa sunt, certa minimeque dubia esse affirmant. Ad hæc, quum venerationem in res sacras, libros Moysi, Evangelium et religionem simulent, identidem errorum suorum pestiferum virus emittunt, ut rudes vel parum sagaces lectores decipiant.

[1] *De L'Esprit, Discours II, chap. 24.*

*

Eorum auctores omnia in dubio ponunt.

2. Sunt autem talium impiorum voluminum auctores *Hobbes*, *Spinosa*, *Collins*, *Toland*, *d'Argens*, *Voltaire*, *Tindall*, *Montaigne*, *Woolston*, *Saint-Evremont*, *Shaftesbury*, *Locke* et alii multi; refert enim *Le Moine* (*a*) pastoralem quamdam Pseudoepiscopi Londinensis epistolam, in quâ deplorat præter libros in Hollandiâ et alibi excusos, complures materialismo vel deismo infectos nuper in Angliâ prodiisse. Porro quamquam inter se dissentiunt illi auctores, omnes tamen religionem impugnant; alii quidem aperte, obscurius vero alii, intermiscendis et Scripturarum textibus et locis e gentilium scriptoribus desumptis et sexcentis rebus, ad eruditionem pertinentibus, milleque narratiunculis; sed sine rerum delectu, omissâ locorum commemoratione, nullo servato ordine et spretâ veracitate. Novissimus autem exsecrandos illos auctores haud parum tuetur *Petrus Bayle*. Quandoquidem impius ille vir nefanda eorum dicta in unum colligens nunc defendit nunc vero impugnat, ut ita et eorum errata et dogmata fidei in dubio ponat ac demum concludat, nihil pro certo esse credendum neque ullam amplectendam esse religionem [1]. Pyrrhonismus autem, quo nempe universæ omnes veritates in dubio ponuntur, est omnium funestissimum systema, quia nullum, quantumvis certum et evidens, principium admittit. Quare, qui ineptissimum istud et belluinum systema sequuntur, ad persuasionem perduci nequeunt. Quum enim certissima quæque principia in dubium vocent, rationes ad persuadendum accommodatæ jam non habentur. Atvero, quodnam est illud rationabilium hominum genus, apud quos nulla jam valeat ratio? Ajunt Pyrrhonistæ, ac nominatim *Petrus Bayle* [2], ad quem se adjungunt *Le Vayer* [3] et *Montaigne* [4], nullam suo systemate magis idoneam esse viam ad captivum detinendum intellectum in obedientiâ fidei. O præclaram pietatis speciem! Est quidem extra dubium, ad credenda dogmata, quæ religio tradit nostramque superant intelligentiam, nos (ut ait S. Paulus [5]) in captivitatem intellectum redigere debere in obsequium fidei. Verumtamen examinemus oportet credibilitatis argumenta, ad dignoscendum, quænam inter omnes vera sit religio; quâ in re ipse Deus vult, nostrâ nos ratione uti, ut deinde perspectâ verâ religione, cum auxilio gratiæ nobiscum statuamus credere quidquid ea

[1] *Petrus Bayle*, ex Pseudoreformatorum sectâ, Carlati (*Carlat*), exiguâ Fuxiensis (*Foix*) Comitatûs urbe, die 18ª Novembr. anno 1647 natus est *Gulielmo Bayle*, illius religionis ministro. Quum viginti duos annos haberet, et Puylaurentii litteris vacaret, incitante ejus loci parocho, Catholicæ religioni nomen dedit; sed septemdecim vix elapsis mensibus, ad Protestantium rediit partes. Inde ex regis edicto, quo in hæresim relapsi prohibebantur in Galliâ morari, Genevam secessit. Verumtamen Lutetiam Parisiorum profectus, postmodum Sedani obtinuit philosophiæ cathedram; nec tamen, regiâ auctoritate sublatâ illâ Academiâ, diu illic permansit. Itaque in Hollandiam se recipere coactus, Rotterodami quingentis florenis annuis philosophiam et historiam docuit. Sed ex illo quoque officio amotus est, quum ejus liber illic divulgatus, quem inscripserat: *Monitum ad Perfugas*, utpote religioni contrarius, a *Jurieu* fuisset impugnatus. Ei non deerat eruditio; sed, ut ipse fatetur, doctis non aliud nisi *indigestam valdeque rudem rerum congeriem* præbet. Et utinam numquam scripsisset! Haud parvum enim detrimentum ejus libri Christianis intulerunt. Die 28ª Decembr., anno 1706, quinquaginta novem annos natus, supremum diem obiit. Plura composuit opera, quæ hic commemorari nihil attinet. Pro pseudoreformatâ suâ religione egit in *Maximi et Themisti Colloquiis*, quæ tantummodo post ejus mortem, anno 1707, prodierunt. Sed omnium perniciosissimum et maxime pestiferum opus fuit *Dictionarium Critico-Historicum*, cujus prima editio exiit anno 1696. Ibi de origine mali loquens, multum favet Manichæorum rationibus. Nihil magis tamen fovet quam per totum opus disseminatum Pyrrhonismum.

[2] *Dictionnaire historique et critique. Act. Pyrrhon.* — [3] *De la Vertu des Païens, Part. 2, § Pyrrhon.* — [4] *Essais, liv. II, chap. 12.* — [5] *2 Cor.*, X, 5.

(*a*) *Abraham Le Moine*, Calvinista, Gallice reddidit nonnullas *Edmundi Gibson*, Anglicani Episcopi, litteras contra incredulorum deliramenta (Nota edit.).

religio docet, licet proposita nobis mysteria non intelligamus. Si enim velut cæco impetu eam amplecti vellemus religionem, quæ prima nobis occurrit, nihil explorato, quænam sit vera; quamlibet religionem ad arbitrium nostrum sequi liceret, Hebraicam, Mahumedanam vel etiam idolorum cultum. — Sed quomodo veram religionem discernet is, qui velut legem sibi statuit, in dubio ponere certissima quæque effata omnesque veritates? Aut atheus erit neque ulli religioni fidem adjunget, aut aliquam licet falsam et impiam, inconsulte suoque arbitratu amplectetur. In ejusmodi dubiis, inquit Bayle, *a Deo exspectamus, ut ostendat, quid credere debeamus* [1]. Sed quâ ratione Deo crediturus est, qui etiam dubium habet, num Deus existat, quum rejiciat argumenta, quæ Eum existere demonstrant?

Incredulitas nunc palam grassantur.

3. Queritur *Dorell* [2], natione Anglus sed probus Catholicus, incredulos quondam latitasse, ne pro impiis et stultis haberentur, eosque si erroribus contra fidem essent infecti, minime tamen ausos fuisse, coram aliis tales se exhibere; recentes vero incredulos aperte tales se fateri et gloriari, quod summâ cum libertate de Deo et Religione judicent, ut ab aliis nominentur *spiritus fortes et ab omni præjudicatâ opinione immunes.* — Sic autem quærunt tollere omnem legem et quamlibet vivendi regulam. Quandoquidem ablatâ fide in Deum boni remuneratorem et vindicem mali, atque abolitis religionis legibus, homo similis evadit bestiis, iisque etiam pejor, sensus fit rationis arbiter, honestum voluptate regitur, utilitate justum et honor vindicatione; quodlibet vitium denique laude dignum fit, dummodo utilitatis vel delectationis specie indutum appareat. Ad hæc audiamus, quæ scribit *Edmundus Gibson*, Londinensis Episcopus, in pastorali quâdam Epistolâ adversus recentium incredulorum libros (ex ejus sententiis nonnullas tantum excerptas refero): *Quales laquei innocentiæ ponuntur! Quæ blasphemiæ contra Deum! Magna hæc civitas velut irreligionis forum videtur, ubi mores depravandi ars auri pretio comparatur. Admodum vicinæ sunt impietas et morum corruptela. Experientiâ constat, eos qui futurorum formidinem exuerint, pessimæ cuique libidini indulgere; et qui Dei rationem non habeat, nec hominum habiturum esse rationem. Ad bestiarum mores perventum est.... Non eo contenti, quod seipsos corruperunt, alios quoque depravare nituntur. Non erubuerunt omnium conspectui subjicere balnea publica, ibique obscenas et turpissimas exponere picturas. Quodnam magis perniciosum afferri posset exemplum lugendæ nostræ conditionis?* [3]

Ratio fidei subesse debet.

4. En magnum detrimentum, quod secum fert iniqua cogitandi libertas, quæ juxta recentem philosophandi modum in hoc sæculo viget, et plures miseros juvenes in perniciem abripit. Nam nova cognoscendi studio impulsi, eos libros evolvunt; sed quum illic incidunt in aliquod sophisma, ipsis quidem inenodabile, eorum fides vacillare incipit, ac deinde vitiis dediti magis magisque obcæcantur.— Atvero, quam temerarium est et impium, dubia ex imbecillo nostro intellectu exorta, conferre cum veritatibus, quas infallibilis Deus ipsaque Veritas nobis revelavit! Inducere rationem cum fide pugnantem! Vult quidem Dominus, ut ratione nostrâ utamur; non autem ad intelligendum, quidquid nobis proposuit, sed solummodo ut certo credere possimus, Eum nobis esse locutum. Posito igitur,

[1] L. c. (*C'est*, inquit, *un grand pas vers la Religion Chrétienne, car elle veut, que nous attendions de Dieu la connaissance de ce que nous devons croire... Si un homme s'est convaincu, qu'il n'y a rien de bon à se promettre de ses discussions philosophiques, il se sentira plus disposé à prier Dieu, pour lui demander la persuasion des vérités, que l'on doit croire.* Nota edit.)

[2] *Il Gentiluomo istruito (trad. dall'Inglese), Pref. alla 2ª parte.*

[3] *Edm. Gibson*, Anglicanus, primo Lincolniensis (1715), deinde Londinensis (1723) Episcop. — *Lettre pastorale sur la Cause Morale des Tremblements de Terre* (Ex Anglico sermone in Gallicum translata).

nobis jam constare, ab ipso Deo dicta fuisse, quæ credenda nobis proponuntur; rationem fidei submittere debemus et divino verbo innixi credere, quæ fides proponit credenda, etiamsi ea non intelligamus, non quia rationi sint contraria, sed quod rationem superent.

Fides clara simul et obscura est.

5. Itaque ad rectam hujus rei intelligentiam a rebus fidei distinguenda est ipsa fidei veritas. Veritas fidei rationi nostræ manifesta est; minime vero res fide propositæ. Quocirca vocatur lux in tenebris, quia simul obscura est et clara. Obscura, inquam, quia docet ea, quæ non videmus neque intelligimus; unde Apostolus eam vocat *argumentum non apparentium* [1]. Illud autem congruebat et divino honori et utilitati nostræ. Divino honori congruebat, hominem non solam voluntatem Deo subjicere, ejus præceptis obtemperando, sed etiam intellectum, ejus dictis credendo. Quem honorem Deo præstaret homo, si ea tantum crederet, quæ videt et intelligit? At reverâ honorem Ei tribuit, quum ea credit quæ non videt neque intelligit; eaque credit non aliam ob rationem nisi quia Deus locutus est. Quæ quidem ratio item efficit, ut res fidei, licet hâc in vitâ nobis abditæ, certius a nobis cognoscantur quam quidquid oculis videmus vel mente novimus: hæc enim percipimus vel sensibus, qui haud raro nos fallunt, vel intellectu, quo sæpe fallimus nosmetipsos; quum fidei dogmata nobis manifestet Deus, falli aut fallere nescius.

Dogmata obscura esse debent.

6. Similiter utilitati nostræ congruebat, res fidei nobis esse obscuras; nam si evidentes forent, non nostro delectu sed ex necessitate eas crederemus, nec locus esset merito. Meritum enim in hoc consistit, qnod voluntate, non necessitate adacti assentimur et credimus ea, quæ non intelligimus. *Nec fides habet meritum*, inquit S. Gregorius, *cui humana ratio præbet experimentum* [2]. Quocirca Redemptor noster: *Beati*, inquit, *qui non viderunt et crediderunt* [3].

Ipsa fidei veritas clara est.

7. Simul tamen clara est fides, quia adeo perspicua sunt ejus credibilitatis signa, ut non solum imprudentis sit sed etiam dementis (ut ait magnus ille *Picus Mirandula* [4], eam sequi nolle: stultitia est, impietati admixta; nam qui credere renuit, ipsius naturæ lumini renitatur necesse est. Itaque cecinit David: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* [5]. Quâ in re admiranda est divina Providentia, quæ disposuit, ut ex unâ parte fidei veritates nobis sint absconditæ, ne credentibus desit meritum; ex alterâ parte vero evidentes sint rationes credendi, eam esse unice veram, ne increduli, si eam sequi renuant, excusationem possint afferre. *Qui vero non crediderit, condemnabitur* [6]. Quare Hugo a S. Victore: *Juste et fidelibus pro fide datur præmium, et infidelibus pro infidelitate supplicium* [7]. Humana igitur ratio, inquit doctus quidam auctor, hominem velut manu prehensum, in fidei sacrarium introducit, ibique in limine consistens, religionis scholæ eum committit; neque ultra loquitur, sed hæc tantum ei dicit: « Nunc jam præstantioris magistræ præcepta audi; in posterum ei soli ausculta, neque ullum a me consilium pete, sed quæcumque tibi dixerit, in iis acquiesce ». — Itaque ratio, priusquam credat, cuinam credendum sit examinat; ubi vero exploratum habet, cui magistro credere debeat, credit, neque ultra examinat. Non aliud perpendit nisi argumenta, quæ et veracem esse revelantem et reverâ factam esse revelationem ostendunt; quibus perspectis, jam non perpendit res revelatas, sed hortatur ipsa, ut revelanti adjungatur fides.

Cordis vitia infidelitatem pariunt.

8. Sed hic rei cardo est, quod mentis infidelitas solet esse pœna infidelitatis

[1] *Hebr.*, XI, 1. — [2] *S. Greg. M.*, In Evangelia, Homil. 26, n. 1. — [3] *Joan.*, XX, 29. — [4] Epistolar., lib. I, Ep. ad Nepotem, 15 Maji 1492. — [5] Ps. XCII, 5. — [6] *Marc.*, XVI, 16.

[7] Apud *Paul. Segneri, L'Incredulo senza scusa, parte II, cap. 3, n. 3.* Huic sententiæ, sic expressæ, ansam dedisse videntur ea, quæ apud Hugonem leguntur *de Sacramentis, lib. I, parte 10, cap. 4* (Nota edit.).

cordis, vitiis ac præsertim superbiâ vel impudicitiâ depravati. Ad religionis normas ipso opere servandas non satis valet persuasio eam esse veram; sed eam quoque diligi oportet. Fidei adjunctus amor ad operandum impellit. *Nec faciunt bonos vel malos mores*, inquit S. Augustinus, *nisi boni vel mali amores* [1].

Fides infelicem non reddit hominem.

9. Et hoc loco animadverti expedit, hominem haud facile illud diligere, quod infelicem se reddat; libenter vero illud, ex quo sua pendeat felicitas: atque ejusmodi rei causâ facile abjicit ceterarum quarumlibet rerum amorem. Diabolus autem Catholicam Religionem depingit velut tyrannam, quæ suis labores et molestias imponat, et prohibito, ne ullum desiderium expleant, eos cogat perpetuo sibimetipsis repugnare. Sed eripiatur error necesse est. Adversatur quidem religio iis desideriis, quæ ad fallacia falsaque bona tendunt; non autem adversatur veri boni desideriis, quin etiam nihil omittit, ut ea expleantur. Præcipit, ut unum Deum diligamus, qui unus nos felices reddere potest nostrique cordis explere desideria: *Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui* [2]. Quare eleganter S. Augustinus: *Purga ergo amorem tuum*, inquit: *aquam fluentem in cloacam, converte ad hortum* [3]. Id est, affectum tuum a creaturis ablatum, ad Deum converte: prorsus felix eris.

Fides liberat a cupiditatum tyrannide.

10. Minime vero; non est tyranna religio; a sensuum et cupiditatum servitute nos eripit, certiores nos faciendo, nobiliores nos esse miseris iis bonis, quæ sensus appetit. Vestramne, ita nos compellat, inquiritis felicitatem? Inquirite eam, sed ubi reperitur. Quæritisne bona? Quærite unum illud bonum, quod bona omnia continet. Vultisne perpetuo beati esse an paucos tantum dies? Vultisne gaudium, quo per omnem æternitatem satietur et expleatur animus; an vilem oblectationem, quæ vix percepta evanescit et animum felle conspersum relinquit? Vultisne verum honorem, quo omnium existimatione digni sitis, an falsi honoris fumum, quo pauci quidam vos laudare videntur, reverâ tamen vos contemnunt? Vos quidem dicitis, viri prudentis non esse, præsens bonum abjicere ut acquiratur bonum futurum et futurum malum declinetur. Sed numquid præsenti nummulo commutaretis futurum regnum, vel annueretis quinquaginta annos in carcerem vos demitti, ut unam horam animum recreare liceret?

Cupiditates felicitatem afferre nequeunt.

11. An forte putatis, bonis præsentibus animum vestrum expleri posse? Interrogate mundi amatores, num hujus sæculi bonis contenti vivant. Tum vero ex iis, qui diligunt Deum, exquirite, num in mœrore vivant, quod a terrenis bonis animum avulserint. Illi respondebunt, animi pacem ne ad exiguum quidem tempus se habere neque umquam vere fuisse contentos. Hi autem reponent, sibi, reperto Deo, jam nihil superesse quod hâc in vitâ desiderent; et si molestiis afficiantur, ipsas molestias sibi esse acceptas, quod sic dilecto suo Domino gratiores fiant, sibique in sæculis æternis majora promereant gaudia. Miseros mundanos numquam non exagitant sexcentæ formidines calamitatum, quæ multiplices iis accidere possunt. Qui Deum diligit, nihil timet; non aliam reformidat calamitatem nisi peccatum; unum habet timorem, ne Deo displiceat: quoniam vero in ejus bonitate confidit, quietus animo vivit. — Itaque mecum venite, inquit Religio; viâ asperâ quidem carnali oculo, sed bonis animis suavi et jucundâ ego vos conducam; nec deseram donec vos intrasse videro in gaudium illius Dei, qui omnis jucunditatis est origo.

Sola religio hominem felicem reddit.

12. Non aliud ergo religio nos jubet, nisi perpetuo esse felices; neque aliud nos prohibet, nisi in perpetuam miseriam incurrere: æternam beatitudinem acquirere jubet; vetat in æternum procidere cruciatum. Et quum præcipit, ut toto corde Deum diligamus, præcipit ut felices simus in hâc vitâ et in alterâ. Deus est ultimus

[1] Ep. 155 ad *Macedon.*, n. 13. — [2] Ps. XXXVI, 4. — [3] In Ps. XXXI, Enarratio 2, n. 5.

noster finis, in quo nostrum consistit omne bonum; quo fit, ut Deum diligentes, diligamus Eum, qui unus contentos nos facere possit. Vult ut præter Ipsum nihil diligamus, simul admonens, præter Ipsum nihil posse hominis animum explere. Cor nostrum Sibi vult integrum hanc quoque ob causam, quod nos plene beatos esse cupiat. Quantum amoris tribuimus creaturis, tantum amittimus felicitatis. Præceptum igitur Deum ex toto corde diligendi plenam nostram beatitudinem constituit.

Sola fides pacem affert.

13. Fallitur ergo siquis existimat, inclinationes nostras esse nosmetipsos, ac si cupiditatibus obsequi idem foret ac bono nostro consulere. Toto cælo errat. Dic mihi: nonne erraret ægrotus, si eum sibi deligeret medicum, qui sibi concederet quidquid gratum sensui sed valetudini esset perniciosum; vel omitteret mortiferam incidere vomicam, ne brevem afferret dolorem? Illud nobis persuadeamus, appetitus nostros non esse nosmetipsos, sed nobis adversarios. Sensuum desideriis satisfacere idem est ac ultro morte nos damnare. Ah, luce clarius ostendit experientia, hujus mundi bona explere non posse hominis animum; immo vero, quo plura adsunt, eo magis ejus famem et angorem acuunt! Atque fidei nostræ, Deum videlicet nobis esse ultimum finem, illud inter cetera argumentum est, quod homo quibuscumque divitiis, deliciis, honoribus affluat, ad plura semper nitatur neque umquam in iis acquiescat. Illud igitur eum creatum esse declarat infinito alicui bono, quo non corporis tantum sensus, sed etiam animæ facultates prorsus satientur; atque illud bonum esse nequit nisi Deus, qui est ultimus finis, cui homo est conditus. Si enim homo, non secus ac bestiæ, huic terræ creatus esset, terrena bona quemadmodum exsaturant bestias, ita quoque ejus animum explerent. Atque e contrario interrogemus S. Paulum eremitam in speluncâ latitantem, S. Franciscum Assisiensem in monte Alverniæ vel S. Mariam Magdalenam de Pazzis in suo monasterio degentem, num hujus mundi quidquam desiderent; reponent singuli: nihil, nihil; unum Deum volumus, nec quidquam aliud. Sed audiamus etiam S. Augustinum, in hujus mundi deliciis quondam immersum. Quid ait, quum ab iis avulsus Deo se tradidit? En eius confessio: *Dura sunt omnia: et Tu solus requies* [1]. Mi Deus, inquit, extra Te cuncta ægritudine plena sunt; Tu solus vera pax, vera animi tranquillitas.

A Deo illud petendum.

14. Dicet aliquis: Probe scio, omnem animi pacem in diligendo Deo consistere; sed quid mihi faciendum est, si ad sanctum illum amorem non attrahor? — Ut eo attraharis, tibi dico necesse esse, ex corde tuo affectus terrenos te expellere; secus illud ingredi non potest amor divinus. Quapropter precari oportet et illum amorem ab ipso Deo petere: *Trahe me: post Te curremus in odorem unguentorum tuorum* [2]. Siquis cum vero desiderio et perseverantiâ a Deo postulet Eum diligendi gratiam, exaudietur utique; et ipse Deus his in terris etiam abundanter compensare sciet quidquid suâ causâ reliquerit. S. Augustinus: *Quam suave mihi subito factum est,* inquit, *carere suavitatibus nugarum! Et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera Tu et summa suavitas: ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior* [3]. David denique: *Gustate,* inquit, *et videte quoniam suavis est Dominus* [4]. Bone Deus! Quid est, quod vitam sanctam, cum Deo conjunctam, aliquis aspernetur, si nondum eam gustaverit? Prius eam gustet, tum autem aspernetur; si vero ad eam gustandam pervenerit, eam certo jam non est aspernaturus.

Increduli vera pace non utuntur.

15. Hæc digressio efficiat, ut pro veræ fidei dono gratias Deo agamus, ac simul miseremur insaniam illorum *spirituum fortium,* qui in vitiorum cœnum immersi, ut conscientiæ morsibus se eripiant, a

[1] Confess., lib. VI, cap. 16. — [2] Cantic., I, 3. — [3] Confess., lib. IX, cap. 1. — [4] Ps. XXXIII, 9.

mente suâ fidem in pravorum punitorem Deum removere nituntur. At sese illudant, quantum volent, ut non esse Deum credere possint; omni ope nitantur, liberum (ut ipsi dicunt) habere animum a præjudicatâ illâ de veritatibus æternis opinione; usque ad mortem intus semper allatrabit conscientia; in obitu quidem stimulis conscientiæ acrius etiam vexabuntur, neque umquam, donec vivunt, veram reperient pacem, quæ fidelibus tantummodo, credentibus et Deum diligentibus, conceditur.

Experientiâ illud constat.

16. Hanc Lucretius profert blasphemiam, Epicurum suum, ablato Deo, ex pravorum animis depulisse formidinem; quare his verbis magistrum suum compellat:

Nam simul ac ratio tua cœpit vocifera- [*rari,*
Naturam rerum haud divinâ mente coor- [*tam,*
Diffugiunt animi terrores [1].

Sed Lucretius ipse numquid eam animi tranquillitatem consecutus est, si (ut refertur in notis ad carmen *Racine*), quum conscientiæ angorem et divinæ ultionis formidinem jam ferre non posset, quadraginta quatuor annos natus, misere seipsum interemit? [2] Itemque *Creech* in Angliâ, ejus interpres, exitum suum anticipans, quadragesimo ætatis anno, se suspendit. Narrat ipse *Petrus Bayle* [3] (fidus Lucretii assecla) — qui in operibus suis omnes religiones, tam veram (quæ est Christiana) quam falsas impugnans, quæcumque ad fidem pertinent, in dubio ponere molitur, ut nihil ultra credatur — narrat, inquam, Caligulam, Neronem aliaque id genus monstra tanto nonnumquam inter nefaria scelera pavore perculsos fuisse, ut ululatus ederent, quum de judice æterno, impietatis vindice, secum cogitarent. *P. Valsecchi*, doctus et eruditus auctor, in celebri opere, quod superiori anno edidit: *De Religionis Fundamentis cet.* [4] (a quo plurimum luminis

[1] *Lucretius*, De Rerum Natura, lib. III, v. 14-16.

[2] *Lucretius*, poeta Latinus, antiquâ celebrique stirpe Romanâ natus est. Eum Athenas, ut studiis vacaret, se contulisse ferunt; ibique Zenone et Phædro, magistris Epicureis, usus esse et ad eorum sectam transiisse videtur. Ejus doctrinam et facundiam laudibus prosecuti sunt Cicero (*a*) et Vellejus (*b*). De eo cantat Ovidius *(de Arte amandi, lib. I, Eleg. 15):*

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras quum dabit una dies.

Tres vel quatuor et quadraginta annos natus, quum Lucilia uxor, quæ perdite eum amabat, poculum ei præbuisset amatorium, phrenesi abreptus supremum diem obiit. Per intervalla, quibus vis morbi remittebat, pestiferos *de Naturâ Rerum* composuit libros, qui soli ex ejus scriptis remanserunt. Porro eum suâ se manu occidisse, plures auctores referunt; sic *Vossius* (*c*) et *Bayle* (*d*) cum *Scaliger* (*e*) et *Gassendi* (*f*).

Ad Lucretii obitum apponimus miserum exitum *Vannini*. Is, celeber quidem at facinorosus homo, quem *Bayle* (*g*) vocat *inclytum atheismi martyrem*, Tolosæ in Gallià (ut refert *Grammont, Hist. Gall., lib. III, ann. 1618*) ob incredulitatem captus est. Quum ad Catholicismum se transire simulasset, dilata est pœna; sed postmodum fictione detectâ, in eum pronuntiata est sententia mortis, quam furore exagitatus misere oppetiit, subiitque velut bestia et desperationi traditus. En vita et obitus eorum, qui in Deum vel æternitatem nihil se credere gloriantur.

[3] *Diction. Art. Caligula*; — *Pensées diverses, § 130.* — [4] *Dei Fondamenti della Religione, lib. I, cap. 10, n. 4* (Ex: *Les théologiens dans la Conversation. Entretien 1*).

(*a*) Epist. ad *Quint.* Fratr., lib. II, Ep. 11. — (*b*) Historia Romana, lib. II, n. 36. — (*c*) De Poetis Latinis, cap. 1. — (*d*) *Diction. histor. et crit. Art. Lucrèce.* — (*e*) Animadversiones in Chronol. *Eusebii*, an. 1922. — *Eusebius* (ex interpretatione *S. Hieronymi*) Olymp. 171, anno ab *Abrahamo* 1922: *Titus Lucretius poeta nascitur*, inquit, *qui postea amatorio poculo in furorem versus, quum aliquot libros per intervalla insaniæ conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propriâ se manu interfecit, anno ætatis 44.* Sunt, qui *Lucretium* eodem die obiisse dicant, quo natus est *Virgilius Maro* (Nota edit.). — (*f*) De Vita et Moribus *Epicuri*, lib. II, cap. 6 (Hæc tantum refert: *Obiit enim juxta Eusebium Olympiade 171, quum ageret annum ætatis quadragesimum tertium.* Nota edit.). — (*g*) *Pensées diverses, § 182.*

me mutuatum esse fateor), Henrici Magni temporibus dissolutos quosdam viros sic locutos refert: *Ergone fieri non poterit, o sacerdotes, ut nobis concedatis, vel peccatum non dari Deumque nobis permittere quæcumque nobis libuerit; vel etiam licere nobis contendere, non existere Deum? Nolite saltem, dum vivimus, turbare requiem, quam in illius veritatis oblivione reperimus.* At dissolutis illis theologum sic respondentem inducit: *Non nostrâ voce conturbamini, sed clamore ex omni terrarum orbis parte edito, qui vobis denuntiat, esse Deum, cui cognitæ sunt cogitationes vestræ et actiones.* Hoc ergo velut fundamentum est incredulitatis impiorum, qui hac ætate in tot venenatis libris divulgandis operam collocant, quod anxie laborant, ut sine ullo conscientiæ angore sineque formidine quodlibet malum perpetrare possint. Detur iis, inquit *P. Valsecchi* (ibid.), ut impune perversos esse liceat; illico cessabunt adversus religionem scribere, quin et verbis eam impetere.

Divisio hujus Operis.

17. Sed ad hujus operis notionem veniamus. Non ad eos quidem loqui intendimus, qui ut fidem amplectantur, ejus argumenta perpendere debeant; sed jam credentes alloquimur, ut et de fide suâ lætentur, et gratias agant Deo, quod se tanto dono fecerit dignos. Verumtamen argumenta, quæ hic afferentur contra materialismum et Deismum (qui errores hodie præ ceteris vigent, et pervagantur non solum in hæreticis, sed etiam in Catholicis regionibus), satis superque demonstrabunt, in errore et extra salutis viam versari, quotquot sectis illis nomen dederint.

Primâ parte ergo afferentur argumenta, quæ adversus materialistas Deum esse demonstrant; falsumque eorum de æternâ materiâ systema confutabitur. Alterâ parte adversus Deistas probabitur revelatæ nostræ religionis veritas. Tertiâ parte denique demonstrabitur adversus omnes infideles et hæreticos, solam Catholicam nostram esse unice veram religionem. Sed quia athei, qui Deum negant, divinæ revelationis veritate coargui non possunt, nisi prius iis demonstretur, revelantem Deum existere, in Dei existentiâ probandâ prima pars consumetur integra.

Errores indicabo et refellam.

18. Scio equidem de eodem argumento prodiisse multos eosque doctos atque in plura etiam volumina distributos libros; at populo prodesse cupiens, eas notiones quæ utiliores mihi videbantur, et rationes ad incredulorum sophismata confutanda magis accommodatas, quam brevissime potui, ex iis operibus volui colligere; eaque omnia hoc uno libro complexus sum, ut ii quibus vel deest facultas comparandi sibi majora illa opera, vel otium ea perlegendi, cognoscere possint errores, qui hodie per Europam circumferuntur, et summâ calamitate nostrâ ex transalpinis provinciis huc transgressi, per nostram quoque disseminantur Italiam; — ac simul responsa inveniant ad incredulorum cavillationes.

PRIMA PARS.

ADVERSUS MATERIALISTAS QUI DEUM ESSE NEGANT.

CAPUT I.

DEUM ESSE PROBATUR EX EO, QUOD EXISTUNT RES CREATÆ, QUÆ NISI HABUISSENT PRIMUM ALIQUOD PRINCIPIUM, EXISTERE NON POSSENT.

Mundus non est a seipso.

1. His in terris videmus homines, bestias, montes, maria, flumina et plantas. Oculos attollimus, et conspicimus cælum, stellas et planetas. Quæritur: quis tandem fecit omnes illas creaturas? Ex nihilo suum *esse* non potuerunt recipere; quod enim nihil est, nihil efficere potest, multoque minus potest existentiam tribuere ei, qui nondum illam habet, in quo consistit creatio, ad quam requiritur summa et infinita potentia. Ob eamdem rationem creaturæ illæ non potuerunt a semetipsis suam habere existentiam; nam si aliquando non erant, illud *esse*, quod non habebant, sibimetipsis non poterant dare, ex vulgato axiomate: *Nemo dat quod non habet.* Quandoquidem sequeretur, ut eadem res producta simul et non producta esset; producta, quod existeret, postquam aliquando non exstitisset; non producta, quod suum *esse* non ab alio recepisset, sed a semetipsâ.

Frustra recurritur ad materiam æternam.

2. Materialistæ, omnia materiam esse contendunt, et hanc æternam neque productam; quo fieret, ut omnia suum *esse* recepissent a materiâ, quæ a seipsâ existeret et singula deinde procreasset. — Sed quæritur: si materia illa existit a seipsâ et est independens, cur tandem est adeo imperfecta? Quis eam privavit intelligentiâ aliisque tam multis perfectionibus, quas habere poterat? Esse independens et a semetipso proprium est entis perfectissimi; tale autem ens, quum ab alio non pendeat, neminem habet, qui suis perfectionibus modum aliquem imponere vel eas certis quibusdam terminis circumscribere possit. Si ergo singulas creaturas finitas et imperfectas esse cernimus, constat suum *esse* eas non habere a semetipsis neque a materiâ increatâ, item imperfectâ; sed a primo aliquo principio independenti et infinite perfecto. Nisi enim tale fuisset illud principium, suum *esse* non potuisset habere a semetipso, sed recipere debuisset ab alio ente, donec perveniretur ad supremam illam causam, quæ est a se, omnesque habet perfectiones easque singulas in gradu infinito, qualem summum nostrum Deum esse novimus. Quocirca monent Sacræ Scripturæ, ipsas creaturas adeo perspicue omnium rerum Creatorem ostendere, ut qui non credat, nullam afferre possit excusationem: *A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri* [1]. — *Loquere terræ, et respondebit tibi.... Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* [2] — *Invisibilia enim Ipsius, a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt,*

[1] Sap., XIII, 5. — [2] *Job*, XII, 8 et 9.

intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et Divinitas: ita ut sint inexcusabiles [1].

Frustra recurritur ad infinitam causarum seriem.

3. Nec prodest confugere ad efficientium causarum processum infinitum, ac si ea omnia, quæ existunt, non habuissent quidem aliquod principium, sed sic ab æternâ materiâ forent procreata, ut infinitâ causarum serie alterum ab altero penderet. — Non prodest, inquam. Posito quippe, alterum ab altero ea omnia pendere, necesse est, admitti primum aliquod independens principium, a quo habuerunt originem. Quod nisi ita esset, dicendum foret, et entia illa singula esse dependentia, quum alterum ab altero pendeat; et universa conjunctim sumpta esse independentia, quum nullum esset principium, a quo originem habuissent. — Præterquam quod materia nullo modo æterna sineque principio esse potuit; quum enim non aliud fuerit nisi coagmentatio singularium rerum materialium, quæ *esse* suum a seipsis non potuissent habere, illud omnes recipere debuerunt a principio aliquo superiori, quod a materiâ non penderet.

Objectio.

4. At, reponunt, a distributivo ad collectivum, id est, a partibus ad totum, non valet illatio; sic ex eo quod harum ædium parvi sunt singuli lapides, inferri

Responsio.

nequit, ipsas ædes esse parvas. — Respondetur, a partibus ad totum non valere illationem, ubi sermo est de rei prædicatis accidentalibus, verbi gratiâ, sitne partium quantitas ampla an exigua; valere tamen, ubi agitur de prædicatis essentialibus, quæ ad rei naturam pertinent et abstrahunt a partium vel distributione vel collectione. Sic recte infertur: singuli lapides sunt materiales, ergo materialis quoque est tota domus; rationalis est quilibet homo, ergo totum genus humanum est rationale. Si ergo in entium productione singulæ causæ sunt dependentes, item dependens est earum series integra. — Nec quidquam refert, entium materialium infinitas productiones fingi; namque infinitum esse earum numerum, ipsis est extrinsecum, neque impedit, quominus naturâ suâ singulæ sint dependentes; quo fit, ut nisi daretur prima causa, ex quâ ortum habuissent, earum nulla existeret. Quæ res illustratur exemplo. Posito, nullum hominem *esse* suum a semetipso habuisse, nemo non intelligit, si non fuisset primus homo, nec futurum fuisse secundum, nec tertium, nec quartum, neque alium quemquam. Si ergo alter ab altero nati sunt omnes, statuatur oportet primum aliquod principium, a quo tota progenies suum *esse* receperit; quod nisi ita foret, omnes essent producti sine ullo principio; id est, omnes essent effectus sine causâ, quod sane fieri non potest.

Æternum transiri nequit.

5. Ad hæc, si admitteretur infinitus ille processus causarum et effectuum, quorum alterum alter procreasset, ex iis effectibus numero infinitis (quorum videlicet productio æterna foret *a parte ante*) nullus ad hæc usque tempora pervenire potuisset; quo fieret, ut ablato primo principio, nulla existeret earum rerum, quas existere videmus. Perspicua est ratio; quum infiniti et *ab æterno* fuissent tales effectus, æternitatem debuissent transire, ut ad præsens tempus pervenirent. Atqui transiri non potest æternitas; debuissent enim effluere anni infiniti, qui profecto numquam effluere vel exhauriri potuissent. Itaque si plurima nunc existere videmus, negare non possumus, suam ea originem et *esse* suum a primâ Causâ recepisse.

Historia originem mundi refert.

6. Porro mundum non ab æterno fuisse, sed in tempore conditum, item clare colligitur ex multis iisque naturalibus et congruentiæ rationibus. Opinionem illam, æternum fuisse mundum, omnium primum se asseruisse gloriatus est Aristoteles [2]; ceterum reliqui omnes antiquitatis philosophi, Thales [3], Pythagoras [4], Anaximander [5], et ceteri (uno excepto Ocello

[1] *Rom.*, I, 20. — [2] De Cælo, lib. I, cap. 10. — [3] Apud *Plutarchum*, De Placitis Philosophorum, lib. I, cap. 3. — [4] Apud *Plutarch.*, l. c., lib. II, cap. 6. — [5] Apud *Plutarch.*, l. c., lib. I, cap. 3.

Lucano [1]), mundum in tempore conditum fuisse existimarunt. Atque illud planum facit traditio: omnium quippe nationum antiquæ historiæ, omnesque temporum annales referunt mundi, utique non æterni, originem. Mosaicâ historiâ nulla est antiquior; ait autem: *In principio creavit Deus cœlum et terram* [2]. Quæ quidem omnium hominum semper opinio fuit et communis traditio.

Omnes nationes de mundi primordiis agunt.

7. Ita putarunt Phœnices, ut constat ex Sanchoniaton, qui composuit eorum historias, postmodum a Philone Græce redditas (*a*), ex quibus Eusebius [3] hoc nobis præbet fragmentum: *(Phœnicum theologia) principium hujus universi ponit aërem tenebrosum et spiritalem, sive spiritum aëris tenebrosi et chaos turbidum... Hæc porro infinita fuisse multoque tempore ignara termini. At ubi spiritus amore principiorum suorum tactus est, factaque est inde mixtio, huic nexui nomen factum cupidinis. Tale fuit initium procreationis rerum omnium. At spiritus generationem sui nullam agnoscebat.* Similiter Megasthenes (apud Strabonem [4]), de Indis loquens: *De multis vero cum Græcis sentire* ait, *ut quod mundus sit ortus et interiturus...; et quod conditor et administrator ejus Deus universum eum pervadat.* Et de Ægyptiis pariter Diogenes Laërtius [5]: *Principium materiam quidem eos esse dicere, ex qua deinde quatuor esse secreta elementa; tum animalia quædam effecta esse.* Apud Grotium [6] videre licet, a Gentilibus fere omnia singillatim enumerata fuisse, quamquam fabulosis nonnullis corrupta, quæ Moyses de creationis historiâ exponit a primo ad septimum usque diem; qui quidem, ut testantur Theophilus Antiochenus [7] et Josephus Hebræus [8], *est... festus (dies septimus) non unius populi regionisve, sed in universum omnium.* — Præterea Homerus et Orpheus, poëtæ Græci, versibus suis mundi ortum celebrarunt [9]. — Ad hæc Berosus Chaldæus (item apud Josephum [10]) ex antiquissimis rerum gestarum monumentis, de diluvio, de hominum interitu et de arcâ eadem illa narrat, quæ Moyses commemorat. — Porro (apud Eusebium [11]) earumdem rerum summam refert Abydenus Assyrius, interpositis tamen multis mendaciis; quo melius etiam tollatur suspicio, ex Moysi libro sua eum exscripsisse. — Eadem habet (apud S. Cyrillum Alexandrinum [12]) Alexander Polyhistor Græcus. — Eadem quoque leguntur apud Plutarchum [13] et Lucianum [14]. Inde a gentilibus Noë (ut ferunt) Janus vocabatur, eique duas facies tribuebant, quod, ante et post diluvium, antiquum novumque mundum vidisset. Noë significat *requiem;* eamque ob causam Janus a gentilibus item vocabatur *præses januarum*, et a voce *januæ* Janus dicebatur. Januarum custos ædium quieti consulit; quapropter Romæ, publicæ pacis tempore, Jani templum clausum servabatur. Accedit, quod in nummis Jani expressa cernitur navis, quæ Noë arcam refert. — Mundum non fuisse æternum, Lucretius [15] (lib. V) probat ex terminis historiæ universalis, quæ ortum suum non ultra Trojanum bellum

[1] De Universi Natura, cap. 1. — [2] Genes., I, 1. — [3] Præparatio Evangelica, lib. I, cap. 10. — [4] Geographicarum Rerum, lib. XV, vers. med. — [5] De Vitis... eorum, qui in philosophia claruerunt, Proœmium. — [6] De Veritate Religionis Christianæ, lib. I, § 16 adnotata. — [7] Ad *Antolycum*, lib. II, n. 12.

[8] Adversus *Appionem*, lib. II (*Nec ullus*, inquit, *quisquam barbarus, nec ulla gens, ubi Septimanæ, in quâ vacamus, consuetudo minime discurrit.* — Verba, in textu citata, *Philonis* sunt: *De Mundi Opificio.* Nota edit.).

[9] Vide *Hooke*, Religionis Principia, pars 1, sect. 1, pag. 24. — [10] Contra *Appionem*, lib. 1. — [11] Præparatio Evangelica, lib. IX, cap. 12. — [12] Contra *Julianum*, lib. 1. — [13] De Solertia Animalium. — [14] De Syria dea, n. 12. — [15] De Rerum Natura, lib. V, v. 325 seq.

(*a*) Earum nonnulla tantum supersunt fragmenta apud *Eusebium* et *Porphyrium* (Nota edit.).

repetit. — Porro historiæ apud alias quasdam nationes, quamquam meris fabulis constant, non sunt tamen diluvio antiquiores. Apud Seres historia initium sumit a Yao Rege, quem Confucius dicentem facit, suis temporibus aquas ad cælum usque ascendisse. Et *Fréret* [1] ait, regnum Yao incepisse decem annis post vocationem Abrahæ.

Similiter de iis quæ initio acciderunt.

8. Item cognoverunt Gentiles altum illud ædificium, quod post diluvium homines erigere conati sunt: *Affectasse ferunt regnum cæleste gigantes*, inquit Ovidius [2], quum narrat, gigantes Diis bellum intulisse, et in cælum projecisse ingentia saxa, quæ ipsos lapides turris Babel referunt. Idem commemorant Virgilius [3] et (apud S. Cyrillum [4]) Abydenus. — Præterea non pauci veteres auctores, ut Tacitus [5], Plinius [6], Strabo [7] et Diodorus Siculus [8] incendii Sodomæ mentionem faciunt. — Ad hæc Berosus (apud Josephum [9]) de vocatione et virtutibus Abrahæ loquitur. Et sic disposuit Deus, ut antiquissimæ Sacrarum Scripturarum veritates cognoscerentur a reliquis etiam nationibus, quæ ipsas Scripturas neutiquam cognitas habeant. Tunc desinunt generales illæ traditiones; unde confirmatur factum divisionis linguarum, quâ diruptum est commune hominum commercium.

Hic quoque notatum volumus, filios Patriarcharum veras traditiones a majoribus suis propter diuturnam eorum vitam facile recipere potuisse; quum enim Noë centum et viginti sex tantum annis post mortem Adami natus esset [10], ipse tricesimo ætatis suæ anno mundi originem rescire poterat a multis, qui Adamum cognoverant, ac nominatim a Lamech, suo patre, nato quinquaginta sex annis priusquam Adam obiisset. Porro Abraham, utpote natus quinquaginta octo annis ante obitum Noë, ab eo profecto accepit, quidquid hic de Adamo sciebat; Moyses autem cuncta audire potuit ab avo suo, Caath, qui cum Jacob, Abrahæ nepote, vixerat.

Omnium nationum initium designatur.

9. Nunc ad argumentum de mundo æterno redeamus.

Si genus humanum æternum foret, æterna aliqua daretur natio, vel saltem cujus origo indicari non posset. Atqui talis natio non reperitur. Unus Moyses narrat et complectitur originem antiquissimæ cujusque gentis, Hebræorum, Phœnicum, Ægyptiorum, Assyriorum, Persarum et Arabum. Historici Græci [11] initia designant earum omnium nationum, quas noverant, ut Atheniensium, Siculorum, Italorum, Arcadum, Spartiatarum, Thebæorum, Corinthiorum, Cretensium, Macedonum, cet. Unde inferri licet originem ceterarum omnium gentium; nam si æternus fuisset mundus, ecquis credere possit, Græciam, in medio fere terrarum orbe sitam, tamdiu adeo desertam remanere potuisse, ut nullos haberet incolas, ad quos pervenisset æterni vel certe immemorabilis mundi notitia. Quodsi non defuerint habitatores, quî potuerunt deesse annales, duobus millibus annorum antiquiores? Naturâ propensi sunt homines ad suarum majorumque suorum actionum monumenta posteris relinquenda; constat vero, totam antiquitatem nulla nobis reliquisse rerum gestarum monumenta, quæ altiorem quam viginti circiter sæculorum memoriam repeterent.

Recens artium origo.

10. Præter hæc, si æternus mundus fuerit, cur non prius repertæ sunt et ad perfectionem adductæ tot artes et scientiæ, quæ in præsenti vigent? Ad eas inveniendas perpoliendasque satis fuerunt

[1] *Fréret, de l'Antiquité et de la Certitude de la Chronologie Chinoise.* — [2] Metamorph., lib. I, v. 152. — [3] Georg., lib. I, v. 280 seq. — [4] *Cyrill. Alex.*, Contra *Julian.*, lib. I. — [5] Historia, lib. V, n. 6 et 7. — [6] Historia Naturalis, lib. V, cap. 15 et 16; lib. XXXV, cap. 50. — [7] Rerum Geographicarum Commentarii, lib. XVI.

[8] Bibliotheca historica, lib. XIX, n. 98 et 99. *Plinius* et *Diodorus* a *Grotio* citantur; non tamen expressis verbis loquuntur de incendio (Nota edit.).

[9] De Antiquitatibus Judaicis, lib. I, cap. 15. — [10] Genes., cap. 5. — [11] Apud *Bochart*, Geographia Sacra, lib. II-IV, et *Jacquelot, Dissert. 1 sur l'Existence de Dieu, chap. 17, 20 etc.*

pauca sæcula; neque olim satis fuit æternitas? Notum est, artium et scientiarum recentem esse originem. Testatur Varro [1], suâ ætate vix ullam artem mille annis fuisse antiquiorem Et re quidem verâ; Cererem, quæ vixit (ut ex antiquo marmore, Oxoniæ [*Oxford*] asservato, constat) circa annum 1409 ante Christum natum, primam Græcos docuisse ferunt frumenta serendi et demetendi rationem. Vini usum Moyses inventum refert a Noë, quem Græci postea pro Baccho habuerunt. Mensuras, pondera et monetam primum invenisse ait Plinius [2] Phidonem Argivum, qui (ut in eodem Oxoniensi marmore videre est) anno 895 ante Christum vixit. Solarium horologium Anaximander vel Anaximenes excogitavit; ejusque usum Græci, ut scribit Herodotus [3], ab eo acceperunt. Dædalus statuarum fingendarum artem invenit; eamque postea perfecerunt Phydias et Lysippus. Picturam initio adeo rudem fuisse ait Ælianus [4], ut quid exprimere voluisset pictor, tabulæ subscribi deberet. Convenit inter omnes, primas naves a Phœnicibus esse confectas; in Græciâ autem prima navis visa est anno 511 ante Redemptionem. Litterarum notas docuit Cadmus circa annum 1490 ante Christum; ex remotioribus enim temporibus non alia exstat memoria nisi hieroglyphica Ægyptiorum signa.

Recens scientiarum origo.

11. Et quod ad scientias attinet, primos ferunt siderum spectatores fuisse Babylonios; a quibus deinde Thales astronomiam didicit, quam docuit Græcos. Pythagoras docere cœpit musicam itemque philosophiam, quæ in Græcia ante eum prorsus ignorabatur. Item primus Hippocrates medicinæ præcepta tradidit. Primos legislatores, qui ad civilem rerum publicarum administrationem leges condiderunt, apud Hebræos Moysen fuisse constat, apud Persas Zoroastrum, Orpheum apud Thraces, Lycurgum apud Lacedæmones, Theseum et Solonem apud Athenienses, et in Magnâ Græciâ Pythagoram.

Cognoscitur religionum origo.

12. Porro, si de hominum religionibus agitur, ubique nota est idololatrarum pseudoreligionis origo; scimus, Euhemerum [5] gentilium deorum ortum et vitas descripsisse; quare Cicero, omnem eorum cultum in luctu fuisse ait [6]. Doctus auctor, quem suprà citavimus [7], templorum quoque, altarium, oraculorum omniumque rerum sacrarum, quæ ad cultum divinum spectabant, ostendit originem. Historia insuper primos atheos, qui Deum esse negarunt, commonstrat, Anaximandrum, Leucippum et Democritum, quamvis Lucretius [8] eximiam illam primi athei gloriam dilecto suo Epicuro attributam velit.

Itaque compertum est, ante Redemptoris adventum non aliam nisi falsam idololatrarum et veram Hebræorum in hoc mundo fuisse religionem. Post Redemptionem autem, ex monumentis historiæ omnibus patet, quem ortum habuerint et Christiana nostra Religio et falsæ omnes apud singulas nationes reliquæ sectæ.

Conclusio.

13. Concludamus igitur, communi historiæ omniumque humanarum traditionum testimonio, ante quatuor millia annorum humanum genus paucis constitisse familiis, neque urbes, jus civile, litterarum studia vel artium scientiarumque commercium habuisse. Tum vero exorta esse viculos, pagos, urbes, regna, leges, artes et scientias, quarum rerum nullam reliquit memoriam tota illa præterita æ-

[1] *Terent. Varro,* De Re Rustica, lib. III, cap. 1. — [2] Histor. Natur., lib. VII, cap. 57.

[3] Histor., lib. II, n. 109 (Græcos a Babyloniis horologium solare accepisse refert. Ejus inventionem *Anaximandro* tribuit *Laërtius: De vitis eorum, qui in Philosophia claruerunt, lib. II; Anaximeni* vero, *Anaximandri* discipulo, *Plinius: Histor. Nat., lib. II, cap. 78.* Nota edit.).

[4] Variæ historiæ, lib. X, cap. 10. — [5] Apud *Cicer.,* de Natura Deor., lib. I, cap. 42.

[6] L. c., cap. 15 (*Quo quid absurdius,* inquit, *quam... homines, jam morte deletos, reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu?* Nota edit.).

[7] *Jacquelot,* l. c. *chap. 4-8,* et *10.* — [8] De Rerum Natura, lib. I, v. 64 seq.

ternitas, quâ inaniter fingunt athei semper exstitisse mundum.

Objectio et responsum.

14. Nec dici potest, antiquiores memorias ideo non exstare, quod incendiis, terræmotibus et diluviis exstingui potuerint nationes, quæ eas haberent, et sic evanuisse notitias regnorum, quondam existentium, ac simul artium et scientiarum. — Respondetur enim, incendia illa, terræmotus et diluvia accidere potuisse in multis et diversis regionibus, minime vero in toto terrarum orbe. Neque iis quantumvis multis calamitatibus mortui sunt omnes homines; nemo quippe superstes hoc in mundo viveret, nisi forte dicitur, post illas ruinas alios sine patribus natos esse homines. Si ergo superfuerunt nonnulli, ab iis nati, qui ab æterno fuissent, a suis majoribus profecto antiquas memorias recepissent, nos autem ab iis. Numquid hominum strages majores esse poterant illâ, quæ Noë temporibus accidit? Verumtamen per paucos illos homines ex diluvio servatos ad nos pervenerunt certæ et distinctæ rerum præteritarum notitiæ.

Legi potest Joannes Hooke [1], qui fusius tractavit ea, quæ paucis hic de mundo æterno disserui.

Ceterum jam dixi, omnes illas rationes, ob quas mundum æternum fuisse negamus, esse rationes congruentiæ; sed rationes, quibus ut vere fundamentis innitimur, initio exposuimus: singula entia, quæ nunc existant, quum omnia (ut oculis videmus) sint producta, non potuisse *esse* suum habere neque a semetipsis (nam si prius non existebant, illud *esse*, quod non habebant, non poterant sibi dare, quum nihil efficere possit nihilum), neque *ab æterno* unum ab altero sine primâ causâ; essent enim effectus producti sine causâ producente; quo fieret, ut omnes forent dependentes, utpote producti, ac simul independentes, quum suam originem ab alio aliquo ente non haberent; id quod evidenter absurdum est. Præterquam quod alterum illud evidentissime absurdum habetur, datâ infinitâ productionum *ab æterno* serie, non posse ullum ens in præsenti existere, quum transiri nequeat æternitas, nec terminos habere possit infinitum.

[1] De Vera Religione, pars. 1, sect. 1, argum. 4.

CAPUT II.

DEUM ESSE PROBATUR EX STRUCTURA MUNDI, TAM DISTINCTO STABILIQUE ORDINE DISPOSITI.

Casus non potuit formare mundum:

1. Materialistæ, ad excludendam necessitatem primi principii, omnium rerum Creatoris, non requiri ajunt, ut infinita causarum series ponatur; namque æternam et increatam somniant materiam, ex quâ deinde omnia conformata sint vel fortuito atomorum concursu, ut asserunt Democritici, vel (quod aliis placet) alio modo, sed sine ullius auctoris intelligentiâ vel libertate, ita ut quæcumque in hoc mundo adsunt, nec solum corpora sed etiam animæ hominum et casu formata et materia sint.

2. Sed quomodo illud sibi persuadere poterit, qui nihil aliud (prætermissis etiam reliquis omnibus argumentis, quæ Deum esse demonstrant) nisi rerum omnium ordinem tam distinctum et tam stabilem consideraret? In cælorum regionibus stellas tanto ordine moveri videmus, ut suum quæque locum sibique definitum intervallum constanter teneat, neque altera alterius umquam præpediat motum. Solem videmus velocissimo motu circum terram agi, et cursum suum nihil immutantem, diverse pro diversis anni temporibus, diem cælum.

a nocte dividere; die hominibus illucentem, ut negotiis suis operam dare possint, noctu se occultantem, ut a diurnis laboribus conquiescant. Similiter anni tempora dividit, et cursûs sui varietate calorem æstate, fructibus frugibusque producendis, hieme frigus, solo reficiendo necessarium, affert. Lunam quoque videmus, item stabiliter totam terram circumeuntem, idque breviori suo cursu; noctu viatoribus splendet, suâque beneficâ virtute multiplicem habet utilitatem. Et erit qui dicat, casu hæc omnia evenire?

terram,

3. Exinde terram videmus, arboribus herbisque vestitam, et suis temporibus fructus, segetes, plantas, metalla aliaque multa, humanæ vitæ vel necessaria vel utilia suppeditantem. Campis, montibus, silvis, fluviis ac fontibus constat, quæ omnia conducunt ad domicilium formandum hominibus et brutis animantibus, quibus ipsi homines utuntur vel in cibum vel ad alia vitæ commoda. Nec plana est terra, sed conglobata, ut ad varias ejus partes vicissim perveniat lux, solis calor et necessaria quoque distributio aquarum, quibus circumcluditur; quod nisi fieret, sterilis jejunæque arenæ foret congeries, sine plantis, fructibus vel vaporibus, qui item requiruntur, quod nubes pluviasque efficiunt. Est quoque terra circumdata aëre, qui necessarius est tum ad animalium et plantarum vitam, tum ad vocis sonum et ventorum flatum efficiendum cibosque conservandos. Num illa omnia casu eveniunt?

mare,

4. Præter hæc videmus mare, quo terra præcingitur, licet amplitudine multo eam superet, nec raro ventis agitetur, suis tamen se continere terminis. Quærit S. Job: *Quis conclusit ostiis mare?... Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia: et dixi: Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos* [1]. Quis ergo huic mari fines assignavit, ne superfusum terram inundet? Casus vel natura? Non natura; nam naturæ ordine terra aquis obrui deberet. Sed nec casus; casus enim naturæ ordinem in rebus immutare nequit. Marinas porro aquas omnino salsas esse animadvertimus. Quid ita? Casune forsitan illud accidit? Minime vero; provide ita constituit supremus Conditor, ne tranquillitate corrumperentur aquæ; quibus corruptis, jam vivere nequirent pisces, alendis hominibus utiles. Accedit ignis, providentissime constitutus, sine quo neque alimenta præparari possent, nec metalla liquefieri vel confici fictilia; sine eo noctu nihil videret homo, nec hieme frigoris asperitatem mitigare posset; eoque ablato, multa alia conservari nequirent.

ignem,

5. Quis porro non miretur diversitatem plantarum, ex parvis granis nascentium? Quarum aliæ medicamentum, aliæ cibum, aliæ ædificiorum materiam nobis præbent; singulæ vero, quamquam diversæ, aptum sibi nutrimentum ex humo trahunt. Et quam admirabilis est interna illa radicum structura, truncorum, frondium et seminis, quod ad propagandam speciem producunt!

plantas,

Quis non miretur varietatem brutorum animantium eorumque artificiosam constitutionem, quâ idonea fiunt et ad cibos, inter utiles et noxios discrimine facto, pro suâ cujusque naturâ capiendos, et ad vitam sibi tuendam, et ad construendos nidos et ad operam hominibus præstandam, sive quod terram aratro proscindunt, sive quod transportant onera, sive quod hominem suo etiam cantu delectant, ut aves facere solent. Et suum cuique alimentum singulis iis inter se diversis animantibus præparat natura.

animalia,

6. Super omnia, quis non admiretur structuram humani corporis, quod moveri potest prout jubet voluntas? Quinque sensus in corpore impressi velut totidem animæ exploratores sive nuntii eam certiorem faciunt de externarum rerum qualitatibus. Altissimum locum obtinent oculi ad corporis actiones dirigendas. Sunt autem vel ipsi oculi velut prodigiorum cumulus. Quot partibus constant! Quot hu-

corpus humanum,

oculos,

[1] *Job*, XXXVIII, 8, 10 et 11.

moribus, quot nervis, quot musculis! Si-
quis ad videndum eos aperire cupiat, en
paratæ machinæ ad eos aperiendos; sin
malit connivere somno, alii præsto sunt
apparatus, quibus claudantur. Visne ocu-
lis exprimere varios animi affectus, iræ,
doloris, gaudii vel benevolentiæ? En tibi
instrumenta ad illud efficiendum. — Ea-
linguam, dem de linguâ dici possunt, quâ non modo
discernuntur sapores, sed etiam pronun-
tiantur verba, quum ita diverse se mo-
veat, ut inter se nihil confundantur syl-
labæ. — Augentur etiam prodigia, quum
cor, corpus introspicimus. Centrum cor occu-
pat, quod ultro se movens, motum cur-
sumque affert sanguini, reliquis corporis
humoribus cunctisque ceteris partibus,
quæ illico moveri desinunt, ubi cordis
motio sistitur. Cor est præcipuum instru-
mentum diffusionis sanguinis, qui ab eo
profectus, per arterias velut per totidem
canales ad minimas totius corporis partes
permanat, ac postmodum in venas, di-
versæ structuræ tubulos, receptus, ad
ipsum cor, totius cursûs terminum, re-
vertitur.

cerebrum, **7.** In cerebro autem quot loculi haben-
tur, quot recessus, quot spiramenta! Ex
eo quot nervorum fibræ per totum corpus
transmittuntur, ut inter sensum commu-
nem et totius machinæ partes assiduum
servetur mutuumque commercium! In ce-
rebro præcipua animæ sedes esse credi-
tur. In cerebro residet vis imaginativa,
positumque est emporium idearum rerum-
que imaginum, quas per sensus recepi-
mus; neque indefessæ philosophorum in-
quisitiones hactenus deprehendere potue-
runt, quomodo tales notiones et imagines
imprimantur in cerebro, longoque spatio
ita serventur, ut altera alteram non de-
pulmones, leat. — Est quoque mirabilis pulmonum
structura. Spiritum haurientes velut follis
dilatantur, câque dilatatione premunt san-
guinis canales cordi vicinos; quo fit, ut
extenuetur sanguis majoremque acquirat
vigorem, quod cum purissimâ aeris parte
misceatur. Quum vero aer pulmones intro-
gressus, mox inhabilis fiat ad refrigeran-
dum cordis calorem, en tibi alia instru-
menta, quæ eos comprimunt, ut expulso
priore novus aer inducatur; sic autem di-
latatis vicissim et contractis pulmonibus,
perpetua fit spirandi ratio, ad vitam tant-
opere necessaria; atque illud ne somno
quidem suspenditur. — Nervi totius ma-
chinæ harmoniam componunt. — Muscu- nervos,
lorum et fibrarum ope motiones ad ar-
bitrium hominis perficiuntur. — Ossa ma- ossa,
chinam sustinent; ne autem corporis mo-
tiones impedirent, in plures divisa sunt
partes, commissuris inter se ligatas. —
Quantam porro admirationem habent tot
canales, qui oculorum aciem propemodum cutem,
effugiunt, et expurgandis humoribus de-
stinantur! Tanta est eorum copia, ut ma-
thematice demonstraverit *Leeuwenhoek* [1]
physicus, in corporis humani particulâ,
quæ arenulæ magnitudinem non excedat,
talium exiguorum canalium reperiri cen-
tum viginti quinque millia.

8. Sed quanto majori admiratione di- animam humanam.
gnæ sunt dotes animæ, quæ potiorem ho-
minis partem constituit, suisque ornata
est intellectûs, memoriæ et voluntatis po-
tentiis! Illud quidem efficit, ut homo mente
suâ cælorum terræque pulchritudines in-
trospiciat, planetarum cursum cognoscat,
atque ita prænuntiet eclipses et æqui-
noctia. Mente cognoscit actionum hone-
statem, prudentiam agendi, judicandi æ-
quitatem, naturalem denique multarum et
diversarum rerum essentiam. Mente suâ
tot novas artes invenit, tot mathemati-
corum instrumenta, quibus deinde tot mi-
rabilia observantur.

9. Jamvero talia, tam præclare dispo- Ex effectu causa patescit.
sita, quæ numquam suo fraudantur ef-

[1] Anatomia seu Interiora Rerum, Ope... Mi-
croscopiorum detecta. Pars altera, Epistola...
de Cute et squamis; de humoribus ex corpore
transpirantibus, pag. 206 et 207 (*Lugduni Ba-
tavorum*, 1687). « Dixi », inquit, « ... quod 250
squamulæ ab una arena contegantur; com-
posita jam sit unaquæque squamula ex 500
vasculis, tunc tenuis humor in spatio unius
arenæ per 125000 (250 × 500 = 125000) diversa
loca expelli potest » (Nota edit.).

fectu, casu esse formata, ecquis credere possit? Tabulam pictam, aptis figuris, opportunâ corporum positione congruisque coloribus distinctam, quis umquam fortuitâ colorum admixtione confectam dixerit? Virgilii Æneidem vel orationem Ciceronis legenti numquid in mentem venire potest, opera illa litterarum fortuitâ coagmentatione esse facta? — Quomodo ergo dici poterit, casu factos esse homines, animalia, cælos et universum mundum? *Si mundum*, ita Tullius quemdam loquentem inducit, *efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt minus operosa et multo quidem faciliora* [1]. Quicumque videt horologium, certo judicat, opificem qui illud confecit, mente esse præditum; videntes autem tot creaturas, tam mirabili arte confectas — etiamsi exigua tantum musca vel flosculus esset, cujus constructio constructionem horologii multo superat — non oportebit credere, eximiam mentem eas condidisse? Ecquis adeo insanit, ut existimet, casum, qui cæcus est et mentis ordinisque expers, omnibus hujus mundi rebus tam constantem constituere et servare potuisse ordinem? Soli, ut stabilem cursum singulis annis singulisque diebus perficiat? Bestiis, ut ejusdem semper sibique propriæ speciei edant partus? Arboribus, ut eosdem fructus, idque iisdem semper anni temporibus afferant?

Ex stabilitate confirmatur.

10. In summâ, quî tandem casus et materia, ipsa quidem sine mente sineque ordine, his omnibus inter se diversis creaturis dare potuerunt iisque conservare naturam tam apte dispositam atque adeo accommodatam, et quæ jam sexaginta quasi sæculis constanter sic perdurat? Quis non videt, ad ea perficienda opus fuisse mente quâdam, nostrâ multo sapientiori? Casus non est causa, sed causæ defectus. — Eja vero, demus, fortuitâ materiæ permixtione conformari potuisse omnes creaturas (quamquam revera fingi nequit); quomodo saltem talis permixtio tamdiu adeo constanter durare potuisset neque immutari vel potius in omnimodam abire confusionem, sine ullo gubernatore, qui in tot creaturarum diversis generibus suum cuique servaret ordinem?

Causa illa mente prædita est.

11. Illud ergo fateri oportet, quod Cicero etiam, quamquam gentilis, confessus est, non potuisse talia opera nec fieri nec dirigi nisi excellentissimâ aliquâ mente, quæ disponat et gubernet omnia: *Quid enim potest esse tam apertum,... quum cælum suspeximus,... quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?* [2]

Immo pura mens est.

12. Recentes materialistæ, quum illud perspicuum esse videant, tandem reponunt, omnium rerum compositionem et constantem ordinem iis impressum, non ex casu sed ex ipsâ naturâ proficisci. — Cui responsioni quam paucissimis verbis occurrimus. Ab iis quærimus, quid significet natura illa. Estne mente prædita? Non ita; sed mentis expers (ut vidimus) non potuit hunc mundum formare, ad quem formandum opus fuit sapientissimâ aliquâ mente. Si vero natura illa mente est prædita, eam esse dicimus Deum nostrum, qui pura mens est et ea infinite quidem sapiens.

[1] De Natura Deorum, lib. II, cap. 37.

[2] De Natura Deorum, lib. II, cap. 2.

CAPUT III.

DEUM ESSE PROBATUR EX CONTINGENTIA CREATURARUM, QUÆ AB ENTE NECESSARIO SUUM ESSE RECIPERE DEBUERUNT.

Ens necessarium.

1. Ante omnia distinctio est facienda et videndum, quid sit ens necessarium, quid vero ens contingens. Ens necessarium est illud, quod existit et non potest non existere, quum « esse » habeat a semetipso, neque illud voluntate suâ sed suæ naturæ necessitate. Quum porro sit a semetipso, necessario esse debet unicum, æternum et perfectissimum.

Unicum; secus non esset necessarium.

Æternum; quum enim non ab aliis sit, sed a semetipso, nisi *ab æterno* exstitisset, non potuisset, nondum existens, existentiam sibi dare; quandoquidem nihilum nequit sibi dare existentiam. — Præterea simul fuisset « non existens » et « existens ». « Non existens », quod aliquando non esset; « existens », quod habuisset potentiam, quâ sibimetipsi existentiam dedisset: necesse est enim, illud existere, quod tali præditum est potentiâ. Atqui prorsus inter se pugnant, « existere » simul et « non existere ».

Perfectissimum; nam quum a semetipso habeat omnium maximam perfectionem — quod est « esse independens » — nulla potest ei deesse perfectio; et quum « esse » habeat a semetipso, non alia datur potentia, quæ ejus perfectionibus terminum statuere possit. Neque illud sibimetipsi facere potest, quum ejus perfectiones non sint arbitrariæ, sed necessariæ omnino, atque intrinsecus cum ejus naturâ conjunctæ.

Illud autem ens necessarium Deum nostrum esse dicimus.

Ens contingens.

2. Ens contingens vocatur illud, quod ad « esse » vel « non esse » indifferens est, eamque ob causam indiget alio, a quo ad « esse » determinetur; quo fit, ut si non fuisset ens necessarium, quod reliqua omnia contingentia ad « esse » determinasset, in præsenti nullum ens existeret.

Contingentia demonstrant, existere ens necessarium.

3. Atqui tot contingentia videmus: arbores, quæ post germina emissa arefiunt; fontes emanantes ac postmodum exarescentes; animalia, quæ nascuntur et deinde pereunt. Quæ omnia adeo contingentia demonstrant, esse debere ens necessarium, a quo procreata sint et ad « esse » determinata; secus nihil existeret eorum, quæ hic videmus. — Argumentum adstringamus. Nec dici potest, omnia entia esse necessaria, nec pariter esse contingentia omnia.

Non primum; repugnat enim, plures easque diversas dari substantias, et singulas esse necessarias. Deinde, quia ens necessarium (ut vidimus), utpote a semetipso existens, nec quemquam habens, qui terminos sibi statuere possit, infinite perfectum est; hic vero tam multa adesse novimus, quæ sub sensum cadunt et singula sunt imperfecta; non possunt ergo esse entia necessaria. Denique (ut diximus) ens necessarium æternum esse debet (nam secus non fuisset necessarium); sed tam multa videmus, quæ hodie existunt, neque erant antea, v. g. tot parvulos nunc viventes, qui paucis abhinc annis nihil erant.

Non alterum; si enim omnia, priusquam existerent, fuissent contingentia, simul possibilia fuissent et impossibilia: possibilia, utpote idonea ad habendum « esse » (et reverâ multa contingentia nunc illud habent); impossibilia, quia ex unâ parte, ut contingentia, non possent a seipsis creari, nec quisquam ex alterâ parte existeret (si omnia sunt contingentia), qui illud « esse » ipsis dare posset. Ergo, si

entia neque omnia necessaria sunt, neque omnia contingentia, fateri oportet, unum solum ens esse necessarium, et reliqua omnia, ut contingentia, ab eo producta. Quod nisi ita esset, nulla res producta esset in hoc mundo. Perspicuum est argumentum, nec habet, quod sibi opponatur.

Materia increata esset simul contingens et necessaria.

4. Non negant quidem materialistæ (quia illud negare non possunt), ens necessarium existere; sed illud ens necessarium esse dicunt materiam æternam et increatam: asserunt enim, omnia entia, etiamsi producta, « esse » suum non recepisse a Deo (quem nos ens necessarium esse credimus), sed a semetipsis idque *ab æterno;* quod nempe ex omni æternitate singula vicissim unum ab altero fuissent procreata. — Itaque, respondeo, æterna illa materia, quæ ut causa effectrix habetur, nihil aliud est nisi ipsa series entium, quæ *ab æterno* vicissim unum ab altero procreantur. Quo posito, non est causa entium materia, sed sibimetipsis causa sunt entia. Illud vero esse nequit (ut suprà jam respondimus); nam sine primâ causâ producente, nullus existere potest effectus productus; talia quippe entia unum ab altero *ab æterno* producta (ut diximus) simul dependentia forent et independentia: dependentia, quod eorum nullum a semetipso, sed unumquodque ab altero *esse* suum recepisset; independentia, quod universa non penderent a causis extrinsecis, sed *esse* haberent a semetipsis.

Materia increata esset sine motu.

5. Præterquam quod materia, si *esse* habuisset a semetipsâ, nec creata fuisset ab aliquo auctore, non potuisset, utpote naturâ suâ iners et otiosa, a semetipsâ habere motum. Si ergo defuisset agens extrinsecum, quod motum afferre potuisset rebus, omnes et in cælis et in terrâ (quandoquidem sunt materiales) immotæ remansissent; jam non esset neque animalium generatio nec propagatio plantarum; nec fructus suos arbores, nec terra herbas vel fruges efferre posset; nec venti jam essent nec pluviæ: hæc omnia enim fiunt per motum, quem a semetipsis non potuissent habere. Sed de eâ re toto proximo capite fusius agendum est.

Conclusio.

6. Nunc quæ hoc capite diximus, breviter complectamur, ut sit conclusio, evidenter existere Deum, rerum omnium auctorem. Dici nequit, omnia entia esse necessaria; nam quum essent a semetipsis, omnia perfectissima forent, omnia æterna: nos vero tot imperfecta videmus et in tempore producta; quippe quæ antea non essent, nunc autem sunt. Nec dici potest, contingentia esse omnia; nam nullum ens in hoc mundo existeret: nullum videlicet sibimetipsi *esse* suum dare potuisset. Neque attinet reponere, entia illa vicissim *ab æterno* alterum ab altero *esse* suum habuisse. Forent enim effectus sine causâ (quod esse nequit); seque commovissent, quamvis non haberent motum (est enim materiâ ex seipsâ iners et otiosa). Posito igitur, entia non posse neque omnia necessaria esse neque omnia contingentia; necesse est admitti ens necessarium, quod a semetipso habeat sufficientem independentis suæ existentiæ rationem, ac simul virtutem, ut reliquis omnibus contingentibus *esse* suppeditet. Illud autem ens est Deus, creator et conservator omnium creaturarum, quæ singulæ sunt contingentes.

CAPUT IV.

DEUM ESSE PROBATUR EX CORPORUM SIVE MATERIÆ MOTU.

Motus supponit motorem immaterialem.

1. Dicunt ergo Materialistæ, omnia, tam corpora quam animas, esse materiam, et eam quidem non creatam, sed increatam atque æternam. — Hic vero perpendendum est, non conservari materiam nec propagari nisi per motum. Per motum quippe vivunt ac propagantur animalia et plantæ; per motum pariter planetarum, ventorum pluviarumque beneficium accipimus. Motu vel ad brevissimum tempus sublato, en flumina cursum amittunt, mare in lacunam mutatur, vitâ privantur omnes homines, bestiæ et plantæ. Quæ autem hujus motionis est causa? Ex seipso nullum corpus moveri potest; est enim sine actione et iners materia; ad hæc omnium philosophorum est adagium nec cuiquam non patet, omne corpus, quod moveatur, ab alio moveri. Sed alius ille motor nequit esse corpus; nam si nullum corpus ex seipso motionem habere potest, multo minus aliis eam potest afferre. Est ergo necesse, omne corpus motionem recipere ab agente, non materiali, sed spirituali. Quæritur autem, undenam materia eaque, quæ videmus, corpora, receperint et recipiant motionem? Ab alio an a semetipsis? Duobus inter se diversis modis respondent Materialistæ. Epicurus et *Spinosa* dicunt, eum materiæ motum non habuisse principium sed æternum fuisse, eumque semper et hactenus durasse et duraturum esse per continuatos impulsus. Hæc sunt *Spinosæ* verba: *Corpus motum vel quiescens, ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, et illud iterum ab alio, et sic in infinitum*[1]. Stratonici contrà cum magistro suo Stratone[2] et cum *Tolando*[3], qui his temporibus vixit, ajunt, principium et causam motionis in ipsâ reperiri materiâ, utpote quæ vim movendi in seipsâ habeat.

Frustra recurritur ad continuatos impulsus.

2. Sed respondemus, neutram opinionem subsistere posse. Non prior Epicuri et *Spinosæ*, quæ motum æternum adstruit per continuatos impulsus; idque ob duplicem rationem. Primum, quia motus æternus transiri nequit. Si ergo ab æterno fuisset, numquam ad hæc usque tempora potuisset pervenire: ad hoc enim vicissim transcurrere debuisset infinitam impulsionum seriem; atqui infinitum, quum non habeat principium, transiri nequit, ut dicunt Aristoteles[4] et reliqui omnes philosophi.

Infinitum transiri nequit.

3. Atque idem dicit ratio ipsa. Infinitæ illæ impulsiones, quæ ad præsens tempus pervenerunt, jam vocari deberent finitæ; est autem evidens repugnantia, ut infinitum vocari possit finitum. Quocirca, si mundus fuisset *ab æterno*, et *ab æterno* fuissent hominum generationes, nemo hominum nasci potuisset. Et quid ita? Quia nascendi tempus nemini adesset, donec transiisset infinitus generationum numerus. At illud fieri nequit; quandoquidem, ut transiret et ad suum perveniret terminum, principium habere debuisset. Itaque temporis terminum assignando nascentis hominis generationi, principium et terminum infinito constituere deberemus; quod sane fieri nequit.

Confirmatur.

4. Sic præterea recte argumentatur *P. Valsecchi*[5]: Si hoc ultimum corpus, utpote iners, ab alio ad motum adduci

[1] Ethica, pars 2, prop. 13, Lem. 3. — [2] *Strato Lampsacenus*, cognomine Physicus. circ. 300 ann. a. Chr. nat. — [3] *Lettera terza a Serena* (Apud *Valsecchi*, O. P. *Fondamenti della Religione, lib. I, cap. 2, n. 5*). — [4] Metaphysicor., lib. III, cap. 4. — [5] *Dei Fondamenti della Religione, lib. I, cap. 3, n. 3.*

debet, idem dici oportet de altero corpore, quod huic imponitur, idemque de tertio et de quarto; et si singula sunt corpora, cur singula non idem requirerent? An forte naturam mutant, quod eorum numerus sit infinitus? Si singula sunt corpora, singula sunt inertia, nihil idonea ad motum sibi afferendum. Quapropter extra infinitam eorum multitudinem opus fuit principio spirituali, a quo acceperint motionem illam, quam nullum nec habere potuit nec dare a semetipso. Quod nisi ita esset, infinita illa *ab æterno* impulsionum series effectus foret sine causâ, passio sine actione. Quælibet materiæ motio ab agente extrinseco affertur; in illo vero Epicuri systemate nulla habetur motionem afferens causa. Si *B* impellitur ab *A*, et *C* a *B;* sublato *A*, nec *B* nec *C* motionem ullam habent; si secus dicitur, adest effectus sine causâ. Neque attinet ponere infinitam impulsionum seriem; adesset enim sine ullâ causâ effectus infinitus. Quin etiam ad infinitam ejusmodi rerum materialium motionem requireretur prima causa, infinitâ virtute prædita; siquidem infinitam motionem efficere deberet. Eruditus quidam auctor, *Joannes Hooke*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, in docto suo opere: *Religionis Naturalis et Revelatæ Principia*[1] sic ratiocinatur: Fingamus catenam e cælis in terram pendentem, quo fieret, ut secundus annulus unum annulum sustineret, tertius duos, decimus novem, centesimus novem et nonaginta. Quum ergo superioribus annulis majores semper vires quam inferioribus opus essent, fingendo infinitam annulorum seriem, vim infinitam quoque, quæ eam sustineat, fingamus necesse est. — Sic igitur nullum ex infinitis illis corporibus habuisset motum, nisi aliquis motor primo eum excitavisset et præterea subinde renovasset: est quippe motionis corporibus allatæ proprium, ut paulatim languescat ac tandem desinat, nisi renovetur.

Itaque infinita impulsionum series non tollit, sed auget difficultatem. Nec *Spinosa*, hac de re interrogatus, eam solvere potuit, sed effugia quæsivit, ut patet ex ejus epistolis, ac nominatim ex *Epistola 29*[2].

Increata materia immota esset.

5. Accedit, quod materia æterna et increata item necessaria fuisset, utpote a se et independens; tum vero pro inerti et otiosâ suâ naturâ necessario immota fuisset atque immutabilis; quum necessariæ et independentis substantiæ proprium sit, ad naturam suam accomodatam se tenere. Aliud est, quum materia pro contingenti habetur; tum enim sicut *esse*, quod non habet, ab alio recipere potest, ita quoque idonea est, quæ recipiat motum, quem non habet ex seipsâ.

Frustra recurritur ad innatam materiæ vim. 1. Hæc vis ei deest.

6. Nunc veniamus ad Stratonis opinionem, virtutem movendi in seipsâ habere materiam. Neque illa opinio ullo modo consistere potest. Primum, quia proprium est materiæ (ut jam innuimus), esse sine motu; quin etiam proprietatem habet, motui essentialiter oppositam; nam suæ conditionis mutationi resistit omne corpus; quare philosophi dicunt, solam materiæ vim esse *vim inertiæ;* et quo major vel minor est corporis moles, eo magis

[1] Pars. I, Theologia naturalis, sect. 1, argum. 6.

[2] Cfr. etiam Epist. 45 (*a*).

(*a*) Opera posthuma, 1677. Epistolæ doctorum quorundam Virorum et Auctoris Responsiones. — *Ex eo,* inquit (ep. 29), *quod durationem et quantitatem pro libitu determinare possumus, ubi scilicet hanc a substantiâ abstractam concipimus, et illam a modo quo a rebus æternis fluit, separamus, oritur tempus et mensura... Deinde ex eo, quod affectiones substantiæ ab ipsâ substantiâ separamus, et ad classes... redigimus, oritur numerus... Ex quibus clare videre est, mensuram, tempus et numerum nihil esse præter cogitandi seu potius imaginandi modos... Ubi quis durationem abstracte conceperit, eamque cum tempore confundendo in partes dividere inceperit, numquam poterit intelligere, quâ ratione hora ex. grat.*

vel minus motioni resistit; atque inde agnoscitur vis inertiæ, quam materia habet. Ergo cum ipsâ materiæ naturâ pugnat, ut intrinsecum a seipsâ habeat motum. Quocirca si aliquem in materiâ cernimus motum, fateri oportet, ab alio eam esse commotam, juxta vulgatum illud axioma: *Omne quod movetur, ab alio movetur.*

2. Perpetua esset rerum destructio.

7. Deinde, si materia ex seipsâ haberet motum, mundi structuræ esset inutilis; quum propter eumdem illum motum, per quem res formarentur, subsistere non possent. Sicut ergo, quum nondum essent, per motum fuissent factæ; ita, quum materia moveri pergeret, ultro dissolverentur. Haberetur itaque, præter continuam omnium rerum confusionem, hoc aliud incommodum, quod corpora per eumdem motum, per quem formata sunt, ex seipsis dissolvi videremus. Illud vero naturæ et experientiæ omnino contrarium est. Et re quidem verâ; quæcumque vel mutantur vel destruuntur, numquam a seipsis, sed solum a causâ aliquâ extrinsecâ mutari vel destrui constanter videmus; ceterum, vi naturæ omnia ad conservationem sui tendunt.

3. Nulla esset ordinis stabilitas.

8. Ad hæc, si se ipsa moveret materia, quis tandem regeret ejus motiones? Dicent: ipsa corporum natura. Ergo, respondeo, non possemus ad voluntatem nostram alicubi sistere materiam, domum, vineam, ut facere solemus ad commoda, vitæ humanæ vel necessaria vel utilia, nobis paranda: ex se quippe, intrinseco et naturali suo motu, materia alio se conferret. — Neque attinet respondere, materiam ad motum vel quietem esse indifferentem; quin potius hac materialistarum responsione planum fit, ineptum esse eorum systema. Quod enim dicunt, ad quietem vel motum indifferentem esse materiam; falsum est ergo, respondemus, eam in seipsâ movendi virtutem habere. Sed ut directa sit responsio, ita dicimus: Sane quidem, est indifferens materia ad motum vel quietem; ac proinde ab alio pulsa moveri potest, minime vero a seipsâ; atque etiam pulsa, ubi vis impulsionis deficit, naturalem resumit quietem.

Conclusio.

9. Paucis omnia complectamur. Si dicatur, motu æterno materiam moveri, respondemus, illud fieri non posse. Primum, quia transiri nequit æternitas, et ut principium non habet, sic non potest habere terminum. Deinde, quum ille motus, quantumvis æternus, effici debuerit a causâ extrinsecâ, fingi nequit, nisi simul fingatur causa illa, quæ impulsionem dederit: ne videlicet adsit effectus sine causâ.

---

transire possit. Nam ut hora transeat, necesse erit, ejus dimidium prius transire, et postea dimidium reliqui et deinde dimidium, quod hujus reliqui superest, et si sic porro infinite dimidium a reliquo subtrahas, numquam ad finem horæ pervenire poteris. Quare multi, qui entia rationis a realibus distinguere assueti non sunt, durationem ex momentis componi ausi sunt asseverare, et sic in Scyllam inciderunt cupientes vitare Charybdim... Sic etiam, siquis omnes materiæ motus qui hucusque fuerunt, determinare volet, eos scilicet, eorumque durationem ad certum numerum et tempus redigendo; is certe nihil aliud conabitur, quam substantiam corpoream, quam non nisi existentem concipere possumus, suis affectionibus privare, et ut naturam quam habet, non habeat, efficere. Et in epistolâ 45 (*Voorburgi*, 25 Martii 1667), iterum suâ innixus distinctione inter rem ipsam reique modos: *si aliquis interroget,* inquit, *per quam causam ejusmodi determinatum corpus moveatur? Respondere licet, id ab alio corpore, hocque rursus ab alio, et ita in infinitum progrediendo ad talem motum esse determinatum; hoc, inquam, respondere liberum est, quia duntaxat de motu quæstio est, et nos aliud corpus continuo ponentes, sufficientem æternamque istius motûs causam assignamus. Sed si ego librum sublimibus meditationibus repletum, nitideque scriptum in manibus plebeji cujusdam conspiciam, et ipsum rogem, unde eum habeat librum, sique mihi, se eum ex alio libro alterius plebeji, qui quoque nitide scribere noverat, descripsisse, et sic in infinitum procedat, is mihi non facit satis: nam non tantum de figuris ac ordine litterarum interrogo, de quibus tantum respondet; verum etiam de meditationibus et sensu, quem earumdem compositio indicat; nihil ad hæc in infinitum sic progrediens respondet* (Nota edit.).

Tolandi assertio.

10. Sin vero dicatur, materiam intrinsecus habere virtutem, quâ se ipsa moveat, respondemus, materiam, utpote naturâ suâ inertem et hebetem, ab alio motum recipere debuisse. — Non ita, inquit *Tolandus;* motus est essentialis materiæ proprietas. — Reponimus, eam esse essentialem alicujus rei proprietatem, quâ ipsa res orbari nequeat; v. g. extensio est essentialis cujuslibet corporis proprietas; unde quodlibet corpus extensum sit necesse est. Sed non omnia corpora, aut saltem non perpetuo, moventur; suntque ad motum et quietem indifferentia: ergo motus non est essentialis materiæ proprietas.

Tolandi argumentatio.

11. Sed audiamus, quomodo *Tolandus* [1] illud probet. *Quælibet materia*, inquit, *est divisibilis; materiæ autem divisibilitas concipi nequit sine motu: motus quippe eam dividit; ergo*, concludit, *motus est essentialis materiæ proprietas.* At nimis aperta est talis argumenti fallacia. *Tolandus* divisibilitatem cum divisione confundit. Alia est materiæ *divisibilitas*, alia ejus *divisio.* Divisio sine motu cogitari non potest; potest divisibilitas. Est enim materia idonea, quæ dividatur, minime vero, quæ se ipsa dividat; sicut apta est, quæ moveatur, minime vero, quæ se ipsa moveat. Itaque quemadmodum est essentialis materiæ proprietas, ut moveri et dividi possit; ita quoque essentialis est ejus proprietas, ut non possit a seipsâ vel dividi vel moveri, quum naturâ sit iners sineque ullâ actione.

Reponit *Tolandus*, ideo esse in motu materiam, quod vel dissolvatur vel accrescat. — Respondetur, motum illum non esse intrinsecum materiæ, utpote inerti, sed extrinsecum et alienum, eique allatum externis impulsionibus, sine quibus perpetuo quiesceret. Porro ob eamdem rationem (materiam esse inertem) externæ illæ impulsiones oriri nequeunt ab alio corpore materiali; ergo provenire debent a motore, qui materiâ est præstantior.

Tolandi effugium de conatu.

12. Nec valet *Tolandi* responsio, materiæ, si non est essentialis motus, essentialem certe esse ad motum inclinationem sive propensionem, quem *conatum* [2] vocat. — Primum enim, omne corpus ad motum inclinare, inane commentum dicimus sine ullo fundamento. Sed dato, adesse in materiâ commenticium illum conatum, ut se ipsa moveat; quorsum inclinabit? Dextrorsum an sinistrorsum? — Dicet, in omnes partes quoquoversus eam inclinare. — Sed hoc ipso se movere non poterit; nam etiamsi posset, ipsæ inclinationes inter se contrariæ immotam semper eam tenerent neque ullius motionis capacem. — Materia ergo motionem habere nequit nisi a principio aliquo extrinseco et immateriali, quod eam movendi habeat virtutem. Dixi: a principio *immateriali;* si enim foret corpus materiale, neque se ipsum movere posset, multoque minus alteri corpori motionem afferre. Illud autem principium extrinsecum et immateriale Deum esse dicimus, infinite potentem, liberum omniumque rerum moderatorem, qui hunc mundum non solum movet, sed eum movet tanto ordine tamque aptâ rerum compositione. Siquis tantummodo consideret æquabilem et constantem cælorum, siderum planetarumque cursum, agnoscere jam debebit, non posse alium ea habere quam divinum aliquem motorem, infinitâ potentiâ et sapientiâ præditum. Quum horologium et indice et sonitu horas accurate signat, ecquis asserere possit, ex seipso metallum illud ita coaluisse, et ultro exstitisse singulas rotas, spirulas ordinatumque ejus motum?

Rousseau inane dubium proponit.

13. Hic vero quis non miretur, *Rousseau*, postquam ex motu et ordine hujus mundi Deum existere demonstrasset, hæc statim subjungere: *Credo igitur, a potenti aliquâ sapientique Voluntate hunc mundum gubernari; illud video, seu potius*

[1] *Lettera 3, 4, 5 a Serena* (Apud *Valsecchi*, O. P. *Fondamenti della Religione, lib. III, parte 2, cap. 2, n. 9*). — [2] L. c. (Apud *Valsecchi*, l. c.).

sentio; atque illud scire mea interest. Hic mundus vero estne æternus an creatus? Estne unicum omnium rerum principium? An duo vel plura? Quænam porro eorum est natura? Illud prorsus nescio; atque ea cognoscere quid tandem refert?[1] Sed quis non videt, sibimetipsi eum discrepare? Ad quæ recte *Valsecchi*[2]: Si æternus foret mundus, inquit, rationes illæ, quas ex motu et ordine attulit, jam non demonstrarent, Deum existere; quippe quum æternus mundus non Deum haberet auctorem. Forsitan dicet, materiam esse æternam et increatam, dispositam vero atque in ordinem redactam a Deo. — At, si æterna est materia, est a se et independens; si autem independens, quomodo eam disponere et ordinare potuit Deus? Quoniam vero eam disposuit et ad suum arbitrium ordinavit, eam creaverit quoque necesse est. — Ut autem ad argumentum nostrum redeamus, ex iis quæ diximus, illud consequitur, materiam vires suas omnes a divinâ efficacitate recipere; omnes ejus motus proficisci a Voluntate Dei, qui aut proxime a Semetipso aut interpositis aliis corporibus creatis suo arbitratu omnia movet; totumque hujus mundi rerum ordinem non esse nisi a Deo, a quo gubernentur et regantur omnia. Sapienter igitur *Newton*[3] philosophus ait, Dei ex phænomenis cognitionem ad experimentalem philosophiam pertinere.

Refellitur aliud *Materialistae* cujusdam dubium.

14. Non prius tamen hoc caput absolvere volo, quam commemoravero egregium aliquod argumentum, a quodam Materialistâ[4] apud *P. Valsecchi*[5] pro suo materialismo allatum. *Quis sciat*, inquit, *an sexcenta in rebus adsint principia et vires, quæ talia et talia efficere possint?* Ad ineptum illud *Quis sciat* lepide *Valsecchi*[6]: Et quis sciat, inquit, an in aëre vires adsint, quæ nobis persuadeant, Constantinopolim urbem existere, quum reverâ non existat? Tum recte sic argumentatur: Fieri nequit, ut in naturâ adsint vires, quæ sine Deo existentiam huic mundo dare possint. Sunt enim ejusmodi vires aut unum quid cum hoc mundo corporeo, aut ab eo diversæ. Non primum; quandoquidem materia, ad agendum non idonea, formare non potuit nec regere potest machinam, motu et ordine præditam. Idque eo magis, quod in hoc mundo adsunt corporibus insertæ animæ, quæ utpote spirituales (quod quidem proximo capite demonstrabimus), oriri non potuerunt a materiâ, quæ prorsus diversam habet naturam. Si vero diversæ sunt ab hoc mundo corporeo, aut pendent ab aliquo superiori principio dirigente; nec sunt primæ causæ hujus mundi, sed causa est illud principium, ex quo ejusmodi vires emanant. Aut contra a nullo pendent principio; et hunc mundum nec formare potuerunt, utpote pure materiales et (quod consequens est) sapientiæ mentisque expertes, neque eum regere possunt, quoniam ad eum tanto ordine tamque aptâ compositione formandum et regendum necessaria fuit semperque necessaria erit eximia mens summaque sapientia. Ad hæc, si vires illæ a nullo principio penderent, a seipsis forent, atque adeo necessariæ, æternæ et infinitæ; quum vero plures sint, plura existerent entia infinita et independentia. Postremo quærimus: Ens illud, in quo ejusmodi vires et principia adsunt, estne a se et independens? Si est a se et independens, ens illud omnia habere debet, mentem, potentiam, sapientiam, eaque omnia in infinitum; tum vero Deus est, diversus quidem a mundo et materiâ, sed materiæ mundique auctor.

[1] *Emile, livre IV.* — [2] L. c., *cap. 2, n. 13.* — [3] Apud *Hooke*, Religionis... Principia, pars 1, sectio 1, argum. 6, propositio 1, corollaria. — [4] *Bibliothèque raisonnée, tom. 48, part. 2, art. 2.* — [5] L. c., *cap. 3, n. 13.* — [6] Ibid.

CAPUT V.

DEUM ESSE PROBATUR EX EO, QUOD EXISTUNT ANIMÆ.

Materia producere nequit animam humanam.

1. Certum est, in hoc mundo existere homines mente et ratione præditos. Nos quidem dicimus, constare hominem ex materiali corpore et animâ spirituali; mente porro et ratione ornatam esse animam solam. Materialistæ contrà dicunt, omnia, tam animam quam corpus, esse materiam; quod utrumque a materiâ sit productum. Illius systematis capita fuerunt *Thomas Hobbes* et *Benedictus Spinosa*, quorum opiniones postmodum confutabimus, quum de singulis nominatim erit sermo; hic vero in universum ut necessarium consequens inferre volumus, non posse animam a materiâ esse productam.

Certum est axioma illud: *Nemo dat quod non habet.* Quo posito, hoc est argumentum: mentem cogitantem habet anima; materia autem mentem habere nequit; ergo non potest a materiâ esse producta anima. Nec prodest objicere: neque Deus est materia; et tamen materiam ab Eo creatam esse dicitis. — Respondetur enim: ideo Deus, licet purus spiritus, creavit materiam, quia ut ens perfectissimum omnium creaturarum perfectiones in se continet; quo fit, ut in Seipso, non quidem formaliter, sed eminenter, omnem contineat materiæ substantiam. Materia vero non continet in seipsâ, neque formaliter neque eminenter, substantias spirituales; si ergo anima a materiâ produci non potuit, ens spirituale, animæ creator, existat necesse est: est autem Deus. Quod quidem argumentum, ex spirituali animâ desumptum, Deum existere firmissime demonstrat. Siquis ex hoc capite negaret, Deum existere animamque ab Eo esse creatam, dicere deberet, aut ipsum nihilum creasse animam, aut eam ortam esse ex infinitâ serie animarum, quarum una alteram procreasset, neque umquam extitisset prima; aut denique animam cogitantem oriri a non cogitante substantiâ, quæ est materia. Sed tria hæc esse nequeunt.

At, inquiunt materialistæ, ultimum illud reverâ esset absurdum, si cogitans substantia a materiâ differret; sed non est ita, quum et ipsa materia cogitare possit. — Nobis ergo demonstrandum restat, corpus sive materiam non posse cogitantem mentem habere; quod præstabimus iis paragraphis, quæ hic sequuntur.

§ I. *Materia cogitantem mentem habere nequit.*

Materia mentem habere non potest.

2. Primum fieri nequit, ut materia cogitantem mentem habeat, quia materialistæ nullum indicare possunt modum, quo anima, si quidem extensa materia sit, habeat mentem vel ullam cogitationem percipiat. Animæ proprium est, habere mentem et concipere cogitationes; quapropter sicut anima sive spiritus non potest esse materia (juxta illud, quod Redemptor noster post resurrectionem suam Apostolis dixit: *Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet* [1]); sic materia nequit esse spiritus. Quælibet materia partibus constat, quæ dividi possunt; si ergo anima foret materia, partibus constaret. Quo posito, quæritur, quænam ejus pars cogitet? Aut respondebitur, quamlibet partem esse mentem, quæ cogitet totumque cogitatum percipiat; neque illud esse potest, quia quot sunt extensæ materiæ partes, tot forent in nobis substantiæ cogitantes, atque adeo plurimæ mentes percipientes in nobis adessent. Aut

Probatur 1. ex relatione inter mentem ejusque objectum.

[1] *Luc.*, XXIV, 39.

etiam dicetur, non cogitare singulas partes, sed ex omnibus partibus conjunctis constare mentem, quæ cogitet et percipiat; neque illud potest consistere, quia si nulla pars mens est, nec totum ex ipsis partibus conflatum mens esse potest: partium quippe universitas nequit habere naturam a partium naturâ diversam. Quemadmodum ex pluribus rebus non extensis res extensa numquam formari potest, et sicut conglobatio partium, vitæ expertium, vitam continere nequit; sic partium, mentis expertium, compages nequit continere mentem.

Eadem ratio explicatur.

3. Item frustra diceretur, singulas animæ partes partem rei percipere, quo fieret, ut totum cogitatum, ab animâ quidem perciperetur, sed separatim a singulis ejus partibus. Nam si illud esset, totum cogitatum numquam comprehenderemus: quum enim inter se distinctæ essent partes, eæque singulæ materiales, altera alteri id quod intelligeret, non posset exhibere. Nec tandem dici potest, solum individuum aliquod animæ punctum totam cogitationem concipere, reliquas vero partes omnes in illud, velut centrum, vergere. Respondetur enim: quid sibi vult individuum illud seu indivisibile punctum? Si intelligatur punctum, quod reverâ et in concreto materia est, punctum illud, utpote extensum, partes suas habeat necesse est, neque umquam indivisibile vocari potest. Sin autem punctum in abstracto, id est punctum mathematicum seu ideale, sublata est quæstio: mens enim, quæ cogitatum percipiat, non resideret in materiali aliquâ animæ parte, sed in puncto ideali, quæ jam non est materia. Illud vero dissidet a materialistarum sententiâ, animam esse materiam, non metaphysice intellectam, sed actu extensam.

2. Ex naturâ cogitationis.

4. Deinde si cogitans substantia esset corpus, deberet cogitatio extensionem habere, situm et figuram. Quis vero arbitretur, singulas cogitationes dividi posse et quadratas esse vel triangulas? Præterea, si in animâ essent extensio, figura et situs, hæc omnia inertia forent, quum tamen cogitatio concipiatur ut operatio animæ. — Nec quidquam prodest dicere, cogitationes in nobis formari ex impressione, quam tenues particulæ, a materialibus rebus externis emissæ, in cerebro efficiant. — Primum enim respondetur, notionem motûs, quem materiales illæ particulæ habent, prorsus differre a notione cogitationis; unde, quamvis haud raro cogitatio in nobis formetur ex impressione rei externæ et sensibilis, nec tum corpus, sed anima cogitat; ergo tametsi cogitatio est de rebus materialibus et a phantasmate procedit, est quidem materiale phantasma, sed cogitatio omnino spiritualis. Porro cogitationem formari non a materiâ, sed a spiritu, qui est in homine, patet ex eo, quod nonnumquam phantasia rem aliter exhibet ac reverâ est, eumque errorem ratione suâ corrigit spiritus. Si v. g. in mari partim in aquam demissus partim extra eam conspicitur remus, vis imaginativa ut fractum eum exhibet; at spiritualem intellectum minime fugit, remum esse integrum, et speciem illam oriri ex refractione radiorum eorumque repercussione. Sed tale judicium utique non proficiscitur a materiâ, quum species a materiâ impressa remum pro confracto habendum dicat; oritur ergo a spiritu, qui ratione suâ phantasiæ corrigit errorem.

3. a Ex sensuum varietate.

5. Tertio constat, sensuum organa inter se differre; oculi vident, nares odorantur, aures audiunt, cet. Est porro aliquid in nobis, quod distinguit, comparat et præfert pro dulcedinis sensu: sic nonnulli sonitûs quam odoris delectamentum malunt, sensum gustûs visui anteponunt. Talem autem judicem certo constituere nequeunt ipsa organa; alterum enim alterius perceptionem non potest cognoscere nec discernere, utrum majorem an minorem delectationem afferat; sed nec judex esse potest cerebrum vel alia corporis pars, ad quam nervorum ope organa referuntur: quandoquidem cerebrum vel quodlibet aliud sensuum instrumentum

pluribus constat partibus, quæ singulæ singularem alicujus organi impressionem recipiunt; unde fieri nequit, ut altera de alterius partis perceptione judicet. Restat ergo, ut judex, qui comprehendat et distinguat illas perceptiones, sit indivisibilis et spiritualis substantia, qualis profecto est anima. Quod quidem his perspicuis verbis declarat Cicero: *Quid, quod eâdem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quæ numquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, et is omnium judex solus esset*[1].

b Ex diverso effectu perceptionum.

Præterea perceptiones, in corporis sensibus receptas, numquam posse rerum intelligentiam producere, planum fit ex eo, quod secus eadem perceptio in diversis hominibus idem efficeret. Verbi gratiâ, si vox *ignis* propter sonum, quem omnium adstantium aures percipiunt, ex se ipsâ intelligentiam sive notionem ignis afferret, docti perinde ac Latinæ linguæ imperiti intelligerent, quid illa vox significet. Sed non ita accidit; nam eam vocem non intelligunt imperiti, docti vero ideo eam intelligunt, quod sciunt convenisse inter Latinos, ut vox *ignis* talem rem significaret. Ejusmodi autem conventionem solæ spirituales substantiæ facere possunt, minime vero materiales, quæ ex necessitate et sine voluntatis arbitrio agentes, necessario quoque in singulis hominibus eâdem impressione eamdem ignis intelligentiam deberent efficere.

4. Ex objecto cogitationis.

6. Quarto non alias ideas habere posset materia nisi de rebus materialibus; atqui sæpenumero in nobis reperiuntur cogitationes mere spirituales, de rebus quæ sub sensum non cadunt. Si hominis anima non spiritualis, sed materialis tantum esset, quî posset materia notionem ei præbere justitiæ vel prudentiæ? Quî æternitatis, partium convenientiæ, rerum naturæ et alias ejusmodi?

[1] Tuscul. Disputat., lib. I, cap. 20.

Ad hæc quantum delectationis habet abstractæ alicujus veritatis inventio! Quæ tamen delectatio neutiquam materialis esse potest.

Accedit, quod materia nisi rebus præsentibus non operatur; anima vero de longinquis etiam cogitat, præteritis et futuris. Porro ut e loco in locum transeat materia, et temporis spatium et aliquod adminiculum adhibet: sed anima repente nulloque adhibito subsidio de pluribus locis multum inter se distantibus cogitat.

5. Ex libertate quæ intellectum consequitur.

7. Quinto spiritualem in nobis esse animam perspectum reddit libertas, quam nos habere deprehendimus, quum vel aliquid volumus aut nolumus, vel donum aliquod accipimus aut recusamus. Quæ libertas si esset materialis, re externâ et materiali præpediri posset: nam oculis comprimendis obstruendisve auribus impedire aliquis poterit, ne videamus vel audiamus; at volendi vel nolendi cogitationem nemo nobis prohibere potest. Ergo materialis non est cogitatio. — Præterea materialis anima ex necessitate ad ea omnia facienda determinaretur, ad quæ suo motu materiâ eam impelleret. Identidem vero accidit, ut homo jucundis quibusdam abstineat actionibus, quas tamen appetunt sensus. Cur autem iis abstinet? Quia ratio pronuntiat, eam actionem vel nocituram esse vel dedecere. Immo nonnumquam fit, ut incommoda amplectatur hac solâ ratione, quod tale incommodum sibi sit profuturum. Sanctos Martyres, nisi ratione ipsi fuissent perpulsi, quis umquam materiæ instinctus perpellere potuisset, ut tormenta ipsamque necem amplecterentur? Si ergo homini integrum est aut agere aut actiones suspendere, si ei sensuum propensionibus adversari licet, fateri necesse est, non materiæ sed spiritûs esse illas operationes: si enim a materiâ proficiscerentur, ab eâ necessario penderet homo et ea omnia perficere cogeretur, ad quæ motu suo eum impelleret determinaretque materia.

6. Ex variis mentis actibus. a ex reflexione;

8. Huc adde, quod homo, si materiæ motu formarentur cogitationes, numquam (quod tamen sæpe accidit) aliquid percipere ac simul animum ad illud reflectere posset. Non posset sane; nam aut fieret reflexio eodem motu quo habetur perceptio; — neque illud esse potest, quia perceptio et reflexio ad eam duæ sunt inter se distinctæ actiones, et ut ambæ fiant, duæ requiruntur motiones materiales, directa una, altera reflexa, ac proinde inter se diversæ ac distinctæ. Aut vero dicitur, duabus iisque diversis motionibus perceptionem et reflexionem fieri; — neque valet illa responsio. Quum enim fit secunda motio, prior esse desiit, aut certe reflexionis motio motionem perceptionis turbaret; sic autem numquam simul adesset perceptionis reflexio. Quandoquidem ut mens ad aliquod cogitatum reflecti possit, cogitatum illud ob oculos habere debet: si autem materiale foret cogitatum, secundâ illâ reflexionis motione jam deletum esset aut saltem confusum.

b ex judicio;

9. Insuper si cogitans substantia foret materia, non tantum simplex cogitatio, sed etiam judicium in materiæ motu positum esse deberet; quod quidem esse nequit. Consistit enim judicium in conjunctione duarum notionum, quæ subjectum et prædicatum constituunt. Si ergo mentis judicium ex motu materiæ penderet, formaretur ex conjunctione duarum motionum materialium, quæ simul fierent: sed altera alteram deleret, ut suprà de perceptione et reflexione diximus; motio quippe, prædicati notionem effingens, destrueret vel confunderet motionem, quâ formabatur subjecti notio. Nec dici potest, duplicem illam motionem efficere posse tertiam motionem, quæ formet judicium; nam diversæ illæ motiones non possunt efficere motionem, cujus partes ab ipsis differant; numquam ergo formari posset judicium.

c Ex ratiocinatione;

Multo minus confici ab homine posset ratiocinatio, si per motum materiæ formari deberet: fit enim conjungendis duobus judiciis, quæ sunt major et minor, iisque deinde connectendis cum tertio judicio, quod consequens vocatur; atque illud, ut justa colligatur conclusio, fieri oportet, priusquam alterutrum deletum sit vel confusum. Si autem ratiocinatio sive syllogismus in motu materiæ consisteret, numquam posset conclusio concipi; quum enim fieret altera motio, prior desiisset; et superveniente tertiâ, jam desiissent ambæ priores.

Nec dici potest, eas motiones simul conjungi et ita confici ratiocinationem. Nam (ut monuimus) vel una motio perturbaret alteram, vel inter se confusæ miscerentur, sicut duæ diversæ motiones in eâdem chordâ efficiunt, ut sonus unius alteram deleat vel cum eâ confundatur.

Tanto minus ex iis materiæ motionibus fieri posset oratio, quæ est multarum ratiocinationum conjunctio. d ex sermone.

Quæ quidem magis etiam ex eo patent, quod tres materiales illæ motiones altera alteram minime cognoscunt; quum tamen (ut diximus) ad colligendam consequentiam ex majori et minori, ambæ ob oculos versari debeant cum perspicuâ utriusque cognitione. Quum ergo ternæ illæ motiones materiales sint, neque una alteram ullatenus cognoscat, nulla umquam posset haberi conclusio.

Rousseau fatetur, animam esse spiritualem.

10. Fieri non posse, ut anima cogitans sit materia, postremo probatur ex ejus agendi libertate. Est materia, ut diximus, iners, ad agendum non idonea, ac proinde obnoxia legibus mechanicis, quibus ad quietem vel motum necessario adducitur. Libertas contrà est facultas eligendi, vel etiam aut agendi aut non agendi ad arbitrium. Ergo libertas non materiæ dos est, sed disparis substantiæ, quæ libertate prædita esse potest; talis autem substantia est spiritus. Hac ratione adductus confessus est *Rousseau*, non posse negari, spiritualem esse animam. Sic enim loquitur: *Naturæ imperanti nullum non obtemperat animal. Homo vero, qui eodem impulsu afficitur, vel annuendi vel resistendi potestatem se habere cognoscit. Quæ*

quidem interna libertatis cognitio præ ceteris demonstrat, spiritualem esse animam. Physica enim quodammodo explicat sensuum machinationem et formationem idearum; verum in potestate volendi, seu potius eligendi, et in intimo hujus potestatis sensu non reperiuntur nisi mere spirituales actiones, de quibus nihil explicant mechanicæ leges[1].

Objectio. Quid vero iis respondebimus, qui *fortes spiritus* se nominari volunt, et rejectâ libertate asserunt, nos velut horologia ex necessario vel interno vel externo materiali impulsu operari? — Et quomodo illud probant? En eorum argumentum: Hominis voluntas illud sequitur, quod ei proponit intellectus; homo igitur non li-

Responsio. bere, sed necessario operatur. — Breviter respondemus, hominem, utpote rationabilem a Deo creatum, non posse rationem non adhibere; illud vero nihil impedire ejus libertatem, ac si non posset, quum velit, ad arbitrium, etiam contra rationem, operari. Et utinam ne sæpius, non ratione sed cupiditate impulsi, contra rationem ageremus! Apud divinum Judicem non tot peccatis adstringeremur!

Aliæ objectiones. Prima. **11.** Superest, ut ad tres Materialistarum difficultates respondeamus. Primum dicunt: Concipi nequit, illud existere, quod non occupat locum; nam quidquid existit, suam extensionem habeat necesse est. — Sed, qui ita loquitur, putat, non alia existere, nisi quæ sub sensum cadunt; suprà vero probavimus, multa objecta sensibus non esse obnoxia; si ergo existunt talia objecta pure spiritualia, non possunt adesse in subjecto sive loco materiali, sed solum in spirituali subjecto: ejusdem quippe spiritualis naturæ esse debent subjectum et objectum.

Secunda. **12.** Deinde dicunt: Anima nostra nec tota in aliquâ corporis parte nec tota in singulis ejus partibus esse potest; non primum, quod reliquæ partes exanimæ remanerent; non alterum, quod sic deberet multiplicari. Unde concludunt, intelligi non posse, quomodo in corpore anima existat. — Respondetur, animam non esse in singulis corporis partibus divisam, neque ita in unâ parte totam existere, ut multiplicari debeat ad existendum in reliquis; sed sic esse totam in toto corpore, ut nec multiplicata nec divisa vitam motumque præbeat omnibus corporis partibus; quemadmodum deficiente vel crescente aliquâ parte corporis, nihil inde portio animæ deficiat vel accrescat.

Tertia. **13.** Tertio dicunt: Si anima non esset extensa nec locum occuparet, immobilis foret; quo fieret, ut quæ in terris adesset, postea in cælo esse nequiret. Respondetur, numquam posse vocabulum *immobilis* animæ convenire, quum vox illa occupationem loci supponat; spiritus vero (ut suprà diximus) non occupat nec potest occupare locum, sed tantum in aliquo loco operatur, et eatenus ad diversa loca transit, quatenus nunc in uno nunc in alio loco operatur.

Conclusio. Argumentum *ad hominem.* **14.** Ad finem hujus paragraphi materialistas unum interrogare libet. Existimant, omnia producta esse a materiâ, quæ rationis expers, necessario pro naturali suâ propensione operatur. Si ergo materia nec mentem nec rationem habet, aliis eam dare nequit. Quo posito, ab iis quæro: Rationem illam, quâ tale judicium faciunt, a quo tandem acceperunt? — Si dicant, mentes suas a materiâ esse productas, a nihilo eas productas esse affirmant; quinimmo minus absurde a nihilo quam a materiâ eas produci dicerent: prorsus enim differt materiæ natura a naturâ mentis, quæ est pure spiritualis. Quum ergo existiment materialistæ, sibi non deesse rationes, quibus concludant, Deum non existere et omnia esse materiam; ipsis suis rationibus jam demonstrant, se non esse materiam nec potuisse a materiâ, quæ rationis est expers, *esse* suum recipere, sed ab aliquo Ente Supremo sapientissimæ mentis et perfectæ rationis.

[1] *Sur l'Origine de l'Inégalité parmi les Hommes, part. 1.*

§ II. *Tres confutantur sententiæ, quibus Materialistæ fieri posse contendunt, ut materia cogitet.*

1. *Epicurus.* 2. *Hobbes.* 3. *Strato.*

15. Prima est Epicuri sententia, cogitandi virtutem esse materiæ adnexam et ex diversis ejus affectionibus oriri, magnitudine, figurâ, situ et motione [1]. Alteram sententiam tuetur *Hobbes*, qui cogitationem ex eo tantum oriri ait, quod materiales particulæ moveantur [2]. Tertia sententia, quam Stratonem (*a*) propugnasse ferunt, cogitationis virtutem ipsâ naturâ materiæ insitam dicit.

1. Affectiones nequeunt mutare naturam.

16. Prima illa Epicuri sententia, cogitationem pendere ex diversis affectionibus, figurâ, situ, cet., aperte falsa est, quum ejusmodi affectiones ipsam materiæ naturam nihil mutare possint. Si enim situs, figura et motus in materiam inducerent cogitationem, hoc efficerent, ut totum naturâ differret a suis partibus, quas cogitandi virtute non esse præditas, Epicurus fatetur. Natura totius — quæ conjunctio partium est — non potest differre a partium naturâ; secus enim ad mutandam corporis naturam satis esset illud dividere vel ejus figuram situmve immutare. Epicurei ergo, quum cogitationem ex ejusmodi affectionibus oriri contendant, eam oriri volunt ex nihilo et sine causâ efficienti; quandoquidem nihil aliud sunt neque esse possunt naturales materiæ affectiones nisi ipsa materia.

2. Motus nihil pertinet ad cogitationem.

17. Similiter falsa est altera illa *Hobbes* sententia, ex solâ materiæ motione oriri cogitationem. Quid vero motus ad cogitationem pertinet? Motus hoc solum efficere potest, ut materia vel dividatur vel accrescat vel etiam ut situs immutetur: hæc vero quomodo conficere possunt cogitationem? Porro si cogitationes forent motiones materiæ, quælibet nova motio novam cogitationem afferret, quin potius ipsa esset cogitatio: id quod *Hobbes* quoque negat.

Hobbesii inepta argumentatio.

18. Sed audiamus, quomodo in ejus systemate a materiæ motione oriatur cogitatio. His verbis illud explicat: *Causa sensationis est externum corpus sive objectum, quod premit uniuscujusque organum proprium,... et premendo... efficit motum introrsum ad cerebrum, et inde ad cor; unde nascitur... conatus cordis liberantis se a pressione per motum tendentem extrorsum* (quem motum *reactionem* vocat); *qui motus propterea apparet tamquam aliquid externum.—Atque apparitio hæc, sive phantasma est id, quod vocamus sensationem* [3]; id est cogitationem. Ita rem intelligit *Hobbes*. Sed nemo non videt, talia loqui non philosophi esse sed dementis. Verumtamen talis vel adsimilis hodie viget mos philosophandi, atque etiam in Italiam nostram se intrusit, pessumdeditque tot miseros juvenes, qui juvenili æstu abrepti, cognitionum amplificandarum cupidi libertatisque studiosi, ad vitam agendam placidiorem et immunem ab iis terroribus, qui (ut ipsi quidem ajunt) homines vanis opinionibus detentos exagitant, facile adducuntur, ut admittant tales ineptias vel etiam de fidei veritatibus dubitent; atque inde vitiis se tradunt et infami hoc *fortium spirituum* nomine gloriantes, religionem, Deum, omnia denique contemnunt. Heu miserandam sortem! Ad similitudinem suam eos creavit Deus; ipsi vero illud student, ut bestiarum similes fiant.

Ablata esset libertas.

19. Sed ad argumentum veniamus. Si illarum partium motiones vel essent cogitationes vel cogitationem efficerent, cogitationes omnes ex quolibet talium partium motu, idque necessario, casu et sine ullo consilio in nobis orirentur; deesset

[1] Apud *Laertium*, De Vitis, lib. X, *Epicurus*. — [2] *Hobbes*, Leviathan, pars 1, cap. 1. [3] L. c.

(*a*) *Strato Lampsacenus*, cognomine *Physicus*, circa 300 ann. a. Christ. — De vero ejus systemate valde dissident auctores (Nota edit.).

ergo omnis cogitandi libertas, quævis sapientia vel posteri temporis provisio: quæ tamen singula ad nostrum arbitrium in nobis adesse percipimus.

Ablata esset memoria.

20. Præterea videmus haud raro accidere, ut recordatio præteritorum eorumque consideratio permanenter in nobis adsit; recordamur enim multa, quæ jampridem evenerunt atque in iis considerandis immoramur. Si autem considerationes illæ nihil aliud forent nisi motiones materiæ, id est, cerebri ac sanguinis, et phantasmata a rebus externis immissa, subjectum cogitationis jam non esset permanens sed transiens, sicut transit materiæ motio. Ergo ad perceptiones nostras animum reflectere non possemus neque eas recordari. Ut eas recordaremur, perceptio illa per plures annos vicissim esset transferenda, particulis illis constanter in eodem statu permanentibus; nam mutatâ earum figurâ, et perceptio et ejus memoria evanesceret.

Peripatetici cogitationem animæ adscribunt.

21. Siquis porro confugere vellet ad opinionem Peripateticorum, qui dicunt, a rebus materialibus in nos immitti phantasmata quædam ex subtili tenuique materiâ, atque ea per poros ad cerebrum permanare et efficere, ut oriatur cogitatio; opinionem sequeretur, hodie alioquin a recentioribus omnibus rejectam. Ceterum ipsi Peripatetici omnes omnino affirmant, ipsam animam cogitare, non materiam sive cerebrum.

3. Materia non habet intrinsecam cogitandi vim.

22. Tertia illa Stratonis sententia, ipsi materiæ, utpote a se cogitanti, insitam esse cogitandi virtutem, magis etiam quam priores falsa est atque inepta. Ratio est, ut suprà diximus, quod in materiâ non aliæ qualitates considerari possunt nisi extensio, divisio, mobilitas et figura; minime vero perceptio vel cogitatio. Si cogitatio ad materiæ essentiam pertineret (id quod Stratonici asseverant), singulæ materiæ partes sicut suam habent extensionem suamque figuram, ita quoque haberent cogitationem; quo fieret, ut corporis nostri pars quælibet cogitandi facultate foret prædita et reipsâ cogitaret. Ecquis vero rem adeo absurdam sibi fingat?

Materiæ divisibilitas cum cogitationis natura pugnat.

23. Inter se repugnant cogitatio et natura materiæ. Hæc enim composita est ex diversis particulis separabilibus et inter se distinctis; illa vero, quum non constet partibus, sed simplex omnino sit et individua, non est divisibilis; homo quippe eodem temporis puncto, nullo interjecto temporis spatio et uno eodemque actu de rebus cogitans, modo eas dijudicat, modo alias sibi proponit, modo prævidet futuras. Fieri autem nequit, ut ejusmodi cogitationes pluribus partibus constent. Si v. g. cogitandi facultas consisteret in conjunctis partibus ABC, adesset vel in singulis partibus vel conjunctim in omnibus. Non in singulis; quandoquidem materialis individua qualitas partis A nequit esse individua partis B, quum quælibet materiæ pars suam sibi propriam habeat individuam naturam, neque individua qualitas unius partis possit alterius partis esse qualitas individua. Quum ergo inter se diversam habeant individuam naturam, non unam efficerent cogitationem, sed tot cogitationes quot ipsæ essent. — Sed nec in plurium partium conjunctione virtus cogitandi consistere potest; etenim (ut suprà diximus) naturalis qualitas totius non potest differre a qualitate partium: differret quippe totum illud a semetipso. Sic si partes non essent extensæ, fieri non posset ut extensum esset totum; si partes non possent moveri, nec totum motionem habere posset. Quapropter si cogitandi virtutem non habent partes separatæ (quod virtus illa inter partes foret divisa), nec totum potest cogitare.

§ III. *Nominatim refelluntur quæ scribit* Hobbes *de eodem cogitantis materiæ argumento.*

Refellitur ex objecto mentis.

24. Ajebat *Hobbes*[1], ipsam materiam cogitare; perceptionem autem consistere

[1] Natus est *Thomas Hobbes* Malmesburiæ (*Malmesbury*), in oppidulo Comitatûs Vilodu-

in *actione* phantasmatis sive cumuli illarum particularum, quas res externæ in cerebrum nostrum immittunt; consistere denique perceptionis reflexionem in *reactione* partium ipsius cerebri [1]. — Ad quæ primum respondemus, si cogitatio non alio modo formaretur nisi (ut ineptum illud et ridiculum systema asserit) ex materialibus internis et externis particulis agentibus, non posse animam alia intelligere nisi ea, quæ sub sensum cadunt. Nos vero tam multa intelligimus, quæ mere spiritualia, ad sensum nihil pertinent, ut notiones de virtutibus justitiæ, prudentiæ et pietatis, de rerum naturâ sive essentiâ, de periculis tempore futuro nobis imminentibus; item geometriæ conclusiones, omnesque actus intellectûs et voluntatis, cujusmodi sunt distinguere, abstrahere, velle aut nolle. Ecquis adeo insanit, ut illum voluntatis actum: *volo* vel *nolo*, effici dicat a motione partium cerebri?

Refellitur ex actibus mentis.

25. Sed etiamsi agatur de iis perceptionibus, quæ per sensus fiant, nequaquam tamen possunt consistere in motionibus, quas efficiunt phantasmata a rebus externis immissa. Nam si motiones illæ *actione* et *reactione*, ut somniat *Hobbes*, perceptiones et reflexiones formarent, inter se distinguerentur motiones, quum *actio* et *reactio* cerebri inter se differant et distinguantur; sic autem numquam possent inter se conjungi ad formandam cogitationem, quæ simul perceptio esset et reflexio: sed experientiâ nobis constat, haud raro de eâdem re in nostrâ mente et perceptionem et reflexionem simul fieri. Nec dici potest, duas illas motiones inter se conjungi, ut perceptionem et reflexionem simul efficiant. Quum enim diversæ sint et distinctæ (ut diximus), non aliud afferre possent nisi tertiam aliquam novam motionem, ab utrisque distinctam; quapropter ex tali conjunctione oriri deberet nova cognitio, quæ a priori illâ perceptione et reflexione differret.

a ex natura reflexionis;

b ex natura judicii;

Quodsi partium motione numquam posset homo aliquid percipere simulque ad illud reflectere animum, multo minus de eo proferre posset judicium, quod efficitur ex duabus notionibus conjunctis. Notiones enim, subjectum et prædicatum, penderent ex duabus motionibus prorsus diversis, quarum altera vel alteram destrueret vel cum eâ confunderetur.

c ex natura ratiocinationis;

Multo minus fieri posset ratiocinatio sive syllogismus: constat enim tribus judiciis simul junctis; si autem fieri deberet tribus motionibus materiæ, simul conjungi non possent, quod prima motio destrueretur aut certe perturbaretur ab alterâ, et hæc similiter a tertiâ confunderetur. Sed hujus Capitis § I jam uberius illud explanavimus.

d ex natura recordationis.

26. Scimus præterea, notiones haud raro in mente nostrâ diu remanere; illud autem fieri non posset, si formarentur ex solâ materiæ motione, quæ profecto nisi per pauca horæ momenta nequit durare. Idque eo magis, quod sæpe a rebus externis superveniunt nova phantasmata, quæ quum superiores motiones confunderent, non possent notiones a prioribus motionibus exortæ diu permanere.

Refellitur ex influxu mentis in materiam.

27. Præterea dicimus, sensationes omnes, quas a rebus externis accipimus, non esse corporis actiones, sed in nobis residentis animæ. Quod adeo verum est, ut anima, quum cogitatione magni momenti distenta ad corporis motus non attendat, nihil quoque percipiat de rebus sensibilibus, nec

niensis (*Wilts*), anno 1588. Quum quatuordecim esset annorum, Oxoniæ (*Oxford*) ad physicorum studium se applicuit. Viginti annos natus Galliam et Italiam peragravit; sed anno 1629 in Galliam reversus Lutetiæ Parisiorum investigare cœpit scientiæ naturalis principia. Inde quum anno 1637 in Angliam rediisset, diu delituit, quod libri, quos divulgaverat, in suspicionem vocaverant ejus fidem. Tandem senex unius et nonaginta annorum supremum diem obiit anno 1679. Inter alios librum composuit, quem inscripsit: *Leviathan;* cujus quum nefarias doctrinas Angli Theologi reprobassent, postmodum Decretum Regium totum librum condemnavit, ejusque impius auctor deinde habitus est pro recentiorum atheorum antesignano.

[1] L. c.

ferri etiam vel ignis sentiat dolorem. Et quid ita? Quia dolor non a corpore sed ab animâ sentitur. Efficit quidem exteriorum motuum impulsus, ut anima propter mutuum cum corpore consensum res externas percipiat; ipsa vero perceptio, quæ in iis motibus consistere nequit, semper fit ab animâ, non a corpore. Atque illud ex eo confirmatur, quod anima (ut suprà diximus) ad suum arbitratum tam multas producit cogitationes, quæ nunc longinqua respiciunt, nunc præterita, modo ea quæ futura sunt, modo quæ fieri possunt, alias abstracta, alias plura inter se collata vel distincta; quarum cogitationum nulla est obnoxia sensibus. Talia profecto in nobis efficere nequit ulla materia, utpote substantia iners, neque idonea, quæ ultro vel libere se ipsa moveat. Videmus utique, in nobis cogitare ejusmodi naturæ substantiam, quæ ad suum arbitrium deliberare possit, velitne de unâ re potius quam de aliâ secum cogitare. Minimo temporis puncto, prout ei videtur, cogitationem suam ad cælum, ad terram, ad mare flectere potest, ad longinqua etiam se convertere, ut ea sibi præsentia reddat; atvero juxta *Hobbes* motiones cerebri ex solâ necessitate fiunt et ab objectis præsentibus, neque omnino possunt oriri ex rebus longinquis vel possibilibus vel abstractis.

Objectio. **28.** Ait *Hobbes*, in cerebro remanere phantasmata, et deinde motum cogitationemque efficere [1]. — Ad illud vero jam respondimus, posse quidem talia phantasmata materiæ motum efficere, non posse tamen efficere cogitationem. Nec possunt illi motus diu permanere, quod requireretur ad efficiendam priscarum rerum memoriam. Accedit, quod sæpenumero recordationes non a seipsis sed ex hominis diligentiâ oriuntur; nec raro in ejus potestate est, talia nihil recordari, quum satis sit, alio convertere cogitationem.

Alia objectio. **29.** Quid vero est, reponunt materialistæ, quod infirmo vel sopito corpore, anima non ut prius operetur? — Respondetur, non ideo illud esse, quod cogitatio ex corpore oriatur, sed quia hanc inter animam et corpus commercii legem Deus posuit, ut imperet anima et corpore velut instrumento utatur. Quodsi ineptum sit vel vitiatum instrumentum, nihil mirum, impediri animam, quominus libere agat: quemadmodum, laternæ vitro denigrato, candela lucem bene diffundere nequit, nec musicus, quantumvis peritus, sonos recte elicere potest, deficientibus vel dissonis instrumenti chordis.

§ IV. *De iis, quæ dicit* Locke *circa idem argumentum.*

Duplex propositio. **30.** Hic auctor [2] in suo libro: *de Intellectu humano* [3] præsertim ad hæc duo demonstranda incubuit: primum omnes notiones a sensibus nobis provenire; deinde et notiones et judicia et ratiocinationes nihil aliud esse nisi cerebri motiones, easque motiones produci a spiritibus animalibus sive corpusculis, a rebus externis ad cerebrum transmissis.

Prima admitti nequit. **31.** In primâ illâ propositione non est, quod immoremur; sensus enim alias notiones afferre non possunt nisi rerum sensibilium; nos vero, ut diximus, multarum rerum, sub sensum non cadentium, verbi gratiâ bonitatis, sapientiæ, justitiæ, actionum malitiæ, rerum essentiæ et proprietatis, harumque similes notiones sine ullâ dubitatione percipimus. Ergo verum non est, omnes notiones a sensibus nobis provenire.

Altera quoque inepta est. **32.** Ad alteram propositionem quod attinet, omnes scilicet cogitationes, judicia

[1] Leviathan, pars 1, cap. 2 et 3.

[2] *Joannes Locke* natus est in Angliâ anno 1632 atque ibidem anno 1704, ætatis suæ septuagesimo tertio, supremum diem obiit, quum plures libros composuisset, *de Imperio Civili, de Tolerantiâ* aliosque. Præcipuum inter ejus opera est *de Intellectu Humano*, in quo sparsit errores, quos hic refellimus.

[3] *An essay concerning human understanding.* Latine: Libri IV de Intellectu Humano. Denuo ex novissima editione idiomatis Anglicani... translati... Cura *M. Thiele, Lipsiæ* 1758.

vel ratiocinationes nihil aliud esse nisi motiones in cerebro peractas propter corpuscula in motu posita, — magis etiam quam prior a veritate abhorret; in eâ autem confutandâ et solvendis *Lockii* difficultatibus, quamquam plura suprà diximus, hic consistere oportet.

Is, licet fateatur, nullam posse notionem haberi de materiâ cogitanti, asserit tamen, omnes cogitationes nihil esse aliud nisi motiones materiæ sive spirituum animalium. Sed perspicuum est, ex motu materiæ non alium oriri posse effectum nisi novam aliquam figuram, novam extensionem vel novum situm; atvero quid illis qualitatibus commune est cum cogitatione, quæ nec figuram habet neque extensionem vel situm?

Cogitatio in motu consistere nequit.

33. Præterea cogitatio, quæ consistit in motu corpusculorum, *Lockii* judicio nihil aliud est nisi corpuscula, quæ moventur. Atqui talis cogitatio aut fingitur indivisibilis, ut sit tota in massâ corpusculorum et tota in singulis corpusculis; aut fingitur divisibilis, ut una pars cogitationis sit in unâ parte corpusculorum, et alia in aliâ parte. Prior modus pugnat cum actione materiali, alter cum naturâ cogitationis. — Primum illud — cogitationem esse totam in massâ et totam in singulis corpusculis — stare nequit; quælibet enim materialis actio, quum divisibilis esse debeat, tota in toto subjecto et partim in parte exerceatur necesse est: si ergo et tota fieret in toto subjecto et tota in singulis partibus, indivisibilis nec jam materialis foret. Sed neque consistere potest alterum — unam cogitationis partem in unâ parte corpusculorum adesse, alteram vero in alterâ —; sic enim divisa esset cogitatio. Atqui ita pariter dividi posset notio justitiæ, malitiæ aliarumve rerum mere spiritualium, quas suprà commemoravimus. Quis vero divisibiles dicat ejusmodi notiones, quarum objecta non materialia sint, sed solum intelligibilia?

Cogitatio nequit esse actio rei compositæ.

34. Præterea cogitatio non est nisi actio substantiæ simplicis; ergo in plurium partium motu consistere nequit. Cogitationem esse simplicis substantiæ actionem, probatur ex eo, quod principium ex quo cogitationes oriuntur, ut indivisibile concipitur; atque ex eo principio ita nascuntur cogitationes, ut ad illud tamquam fontem omnes redeant, ibique remaneant et inter se conjungantur, alterâ ab alterâ neutiquam exclusâ nec perturbatâ. Posito autem, materiales esse cogitationes, quum essent corpuscula, se mutuo excludere vel confundere deberent, neque umquam possent in unum principium sive punctum indivisibile convenire; nam quod suum quæque locum occuparet, colligi omnes in unum centrum nequirent, sed altera alteram perturbaret. Sic igitur nullo modo concipi potest, quomodo a materiâ per partium motionem formentur cogitationes.

Prima objectio: Dei Omnipotentia.

35. Tria opponit *Locke*. Primum: nefas est, divinæ omnipotentiæ terminum statuere [1]; quî ergo asserimus, non posse Deum efficere, ut materia cogitet? Porro *Voltaire* [2] in suis *Epistolis Philosophicis* [3] pro stultis eos habet, qui huic Lockianæ sententiæ refragentur. Ceterum condemnat quidem eum, qui a materiâ cogitationes oriri velit, nec dubitat fateri, inter se pugnare materiam et cogitationem; tum vero cum *Locke* ad omnipotentiam divinam confugiens, stultum atque etiam impium vocat, qui hac in re aliud sentiat; et vel eo progreditur, ut reprehendat Catholicam Ecclesiam velut religionis expertem, quod hanc rejiciat ipsorum opinionem. — Sed iis respondemus, omnia quidem posse Deum; non posse tamen efficere ea, quæ inter se pugnent. Repugnat autem, na-

[1] De Intellectu Humano, lib. IV, cap. 3, § 6.

[2] *Voltaire,* in Gallià natus, inde commigravit in Angliam, ibique quum ad dramatica poëmata animum intendisset, postmodum philosophus evasit; is tamen infelix et impius, nam plura contra religionem et fidem asseruit.

[3] *Lettres Philosophiques;* alias *Lettre* 13, alias 15 et 16; alii has litteras inseruerunt in *Diction. Philosophique,* Art. Locke, sectio I, II, III. — Sectio II, ex quâ plures textus in hoc articulo desumuntur, in nonnullis editionibus deest (Nota edit.).

turam unius rei esse alterius rei diversæ naturam. Ergo, sicut Deus efficere nequit, ut circuli et trianguli eadem sit natura vel natura aquæ eadem sit ac ignis; ita pariter facere non potest, ut materia naturam spiritûs habeat; illud quippe non minus repugnat quam circulum habere naturam trianguli, vel aquam habere igneam naturam.

Contradictoria effici nequeunt.

36. Ipse *Locke* fatetur, posse Deum efficere quidquid contradictionem non involvat; Deum ergo omnia posse; non tamen posse efficere, ut ambæ veræ sint duæ propositiones contradictoriæ; nam eas et esse contradictorias et ambas tamen veras, est aliquid impossibile; nec Deus facere potest, ut impossibile sit possibile. Concipere materiam cogitantem, est concipere aliquid impossibile; sunt enim res prorsus contradictoriæ materia et cogitatio: divisibilis est materia, cogitatio indivisibilis. Omne ens cogitans esse indivisibile, *Locke* non negat, quin immo probaturus Deum existere, illud tamquam fundamentum ponit. In suo libro: *Specimen Philosophicum: Si materia esset æternum illud primum ens cogitans, non unum foret æternum infinitum ens cogitans, verum infinita multitudo æternorum entium cogitantium finitorum, haud ex se mutuo pendentium, in quibus vis et potestas terminata, atque animorum variæ essent sententiæ, unde non ea, quæ cernitur in rebus universis, ordo, harmonia et venustas oriretur*[1]. Nos autem idem dicimus. Si ens cogitans in homine esset materia, jam non esset unicum, sed totidem innumerabilia forent entia cogitantia, quot essent materiæ cogitantis particulæ; ad hæc, singula inter se distinguerentur neque alterum ab altero penderet; ac proinde numquam efficere possent completum aliquod cogitatum, ac multo minus ratiocinationem. Ita pariter, si nihil aliud esset homo nisi materia cogitans, innumerabiles in eo forent et notiones et voluntates, singulæ inter se diversæ. Atqui illud fieri nequit; ut nempe cogitatio, quæ est unica, simplex et indivisibilis, simul composita sit, multiplex et divisibilis.

Ipse *Locke* contradictionem fatetur.

37. Hoc vero demirandum, *Locke* (in allato Capite X) fateri, a materiâ cogitationem produci non posse, eumque vel eo progredi ut dicat: *Eodem modo contrariatur ideæ materiæ, omnis sensus expertis, quod sibi ipsa sensum, perceptionem et cognitionem producat, quo adversatur ideæ trianguli, quod sibi ipse angulos, duobus rectis majores, efficere possit*[2]. Hæc ille, et recte quidem. Verum, quid est quod deinde in dubio ponat, num cogitet materia; et hæc verba subjungat: *Verumtamen quid Deus efficere possit, nescimus.* Ita sane; quid Deus efficere possit, nescimus; scimus tamen, Eum efficere non posse quidquid est impossibile, cujusmodi est, ut consocientur duo inter se contradictoria, ut lux sint tenebræ. Ergo, ut cognitum habemus, tenebras non posse lucem efficere; ita quoque, a materiâ produci non posse cogitationem.

Secunda objectio: spiritus creat materiam.

38. Reponit *Locke: Deus, qui spiritus est, nonne ex nihilo creat materiam? Cur ergo efficere non posset, ut materia producat cogitationem?* — Respondeo: Deum, quamquam spiritum, creare materiam, non est contradictio; Deus enim, utpote omnipotens, licet materia non sit, in suâ potentiâ creandi materiam, esse materiale eminenter continet. Potest ergo, ut omnipotens, et cogitationem et materiam producere; sed efficere nequit, ut materia ex seipsâ cogitationem producat: sic enim cogitatio non a Deo sed a materiâ produceretur; illud autem fieri nequit, quum Deus facere non possit, ut aliqua causa suo effectui impertiat id quod ipsa non habet. Nullum instrumentum producere potest effectum a suâ ipsius essentiâ diversum; v. g. instrumentum mechanicum, quod partibus constat, agere nequit in rem, quæ partes non habet; atque ita nequit materia, quæ habet partes, instru-

[1] De Intell. Hum., lib. IV, cap. 10, § 10.

[2] L. c., § 5.

mentum esse ad producendam cogitationem, partium expertem; neque agere potest in spiritum, qui item partibus caret. Præterea, si umquam Deus in aliquâ re materiali cogitationem vellet, jam non materia sed ipse Deus eam produceret; quandoquidem materia prorsus inhabilis est, quæ ullam cogitationem producere possit. *Atvero*, subjungit *Voltaire, nos singulas materiæ proprietates concipere non possumus; nec cognitum habemus, quomodo cogitet substantia vel quâ ratione ideis instructa sit*[1]. — Verum, respondeo, quid inde colligere potest? Num ideo potest cogitare materia, quia nobis perspectæ non sunt ejus proprietates, nec scimus, quomodo cogitet homo vel undenam suas habeat ideas? Quamquam hæc ignoramus, certum tamen scimus, materiam esse non posse cogitationem nec cogitationem producere: materia enim et partes habet et divisibilis est; cogitatio nec habet partes nec dividi potest.

Instant adversarii.

39. Sed, inquit *Voltaire*[2], subtilioribus organis humani corporis Deus cogitandi facultatem impertire potest. Quid vero! Forsitan existimet, inquit *P. Valsecchi*[3], hominis cerebro inoculari cogitationem, sicut pueri brachio variolæ inserantur? — Si quid materiale est cogitatio, alium effectum habere nequit nisi materialem, qui ad extensionem, motum vel figuram pertineat. Nec quidquam prodest ad occultas qualitates confugere, quum aliquid cum rei essentiâ pugnat et hæc ipsâ naturâ inhabilis est. Cogitationem autem et materiam inter se pugnare liquet ex omnibus rationibus suprà allatis et maxime quidem ex eâ, quam attigimus et postmodum melius etiam evolvemus: subjectum cogitans esse simplex et unum sine partibus, materiam necessario compositam ex pluribus partibus, quarum nulla integram haberet cogitationis perceptionem; esset enim cogitatio divisa in tot partes, quot essent eæ, quæ percipiendi facultatem haberent. Hoc argumentum de unitate necessariâ ad cogitationem integre comprehendendam, *Petrus Bayle*[4] insuperabilem vocat difficultatem iis, qui cogitantem materiam defendant. Si enim cogitatio, inquit, formaretur impressione sive actione corporearum partium, vel *nullus inde oriretur cognitionis actus, vel talis cognitionis actus multum differret ab iis, quos in nobis fieri percipimus; hi namque integrum objectum nobis exhibent: quod evidenter demonstrat, subjectum in nobis integrâ earum rerum imagine affectum, non esse in plures partes divisibile, et (quod consequens est) hominem, quatenus cogitet, non esse corporeum sive materialem.* Sed ad ea transeamus, quæ præterea objicit *Locke*.

Denuo instant.

40. Deinde opponit, plura artis opera ad summam perfectionem ab homine perduci; cur ergo Deus, qui sapientiâ hominem infinite exsuperat, materiam non posset ad eam perducere perfectionem, ut cogitandi virtutem haberet? — Hic vero idem respondetur quod suprà, inter se pugnare substantiam materialem et substantiam cogitantem: potest enim Deus novas condere naturas, potest omnes creatas destruere; sed non potest efficere, ut natura unius rei sit alterius et diversæ rei natura. Quodsi Deus facere posset, ut materia cogitaret, nihil impedit, quominus dicamus, Dei Voluntate adeo perfecte elaborari posse et componi aliquod lignum, ut omnes intellectûs et voluntatis actus haberet.

Tertia objectio: Animalia percipiunt.

41. Tertio opponit, bestias, licet materia tantum sint eorumque spiritus non sit nisi materialis quædam substantia, suo modo tamen res oblatas percipere et recordari, quid in bonam vel malam partem ab aliis acceperint; ergo, concludit, ad percipiendum idonea est materia. — Est quidem verum, cum aliis *Cartesium* existimasse, automata esse bestias et mere materiales machinas sine ullo spiritu. Alii vero contendunt (quæ hodie magis recepta opinio est), bestias et animam habere et

[1] L. c. — [2] L. c. — [3] L. c., lib. I, cap. 4, n. 8.

[4] *Diction. Art. Leucippe*, not. E.

cognitionem, sed eam valde rudem et imperfectam, saltem quod ad modum cogitandi spectat. Ceteroquin parum refert, compertum non esse, earum opinionum utra sit vera. Non idcirco, quod obscura quædam ignoramus, fas est negari perspicua et certa; cujusmodi est, cogitare non posse materiam. Si velit *Locke*, aliquam bestiarum animis cum nostris esse similitudinem, eas spirituales esse dicemus; sin vero eas materiales dicat, nos quidem asseremus, bestiarum animas essentialiter differre a nostris, quæ certo spirituales sunt. Quid porro in morte de earum animis fiat, confer quæ dicentur in p. II, c. 18, n. 17.

Conclusio: Nec singulæ partes cogitant.

42. Ceterum nimis perspicuæ sunt rationes, quibus probatur, cogitationem non ad materiales sed ad spirituales pertinere substantias. Sed ut illud firmius etiam stabiliatur, a *Locke* quærimus — posito nempe, cogitationem ad materiam spectare — utrum singulæ partes cerebri cogitent, an earum aliquæ tantum? Dicere nequit, eas singulas cogitare; aut enim esset cogitatio tota in quâlibet materiæ parte, aut partim in unâ partim in alterâ. Primum fieri nequit; essent enim tot substantiæ cogitantes, quot sunt partes cerebri; quum nobis compertum sit, unam rem eamque simplicem, non vero plures in nobis cogitare. Nec dici potest, adesse cogitationem partim in unâ partim in alterâ materiæ portione; sic enim cogitatio foret extensa et distinctam haberet figuram; esset præterea in partes divisa, nec quisquam asserere posset, rem integram se percipere: quandoquidem una cogitationis pars unam partem rei, altera alteram perciperet. Nec divisæ illæ cogitationes in unum conjunctæ rem integram perciperent; quum divisæ partes cerebri ignorent, quid percipiant reliquæ partes.

Neque aliquæ tantum partes cogitant.

43. Si vero diceret *Locke*, non singulas cerebri partes cogitare; per motum, quietem ac situm et partibus cogitantibus et non cogitantibus aliquis assignandus esset locus. Sed illa motionis sitûsve varietas formare nequit cogitationem; quum et ipsi materialistæ dicant, varietatem motûs vel collocationis corporum nihil novi efficere; et quamvis illud non dicerent, nemo non intelligit, cogitationem numquam oriri posse ex partium materialium motu vel situ variato. Quomodocumque ergo *Locke* explicat, cogitationem in materiæ partibus consistere, numquam planum faciet, materiam cogitare. Sed tandem audiamus, quid de eâ re dicat *Benedictus Spinosa*, qui inter cogitantis materiæ fautores præcipuum locum obtinet.

§ V. *Refellitur impium* Spinosæ *systema.*

Spinosæ systema.

44. Paucis accipe exsecrandum *Spinosæ* [1] systema. Totius universi substantiam unam esse ait [2] et simplicem, sed omnino materialem. Eam substantiam ponit esse Deum; eamque vocat activam et passivam: *passivam*, quatenus est extensa, *activam*, quatenus cogitans. Porro quidquid in hoc mundo existit, nihil aliud esse ait nisi ejusdem substantiæ modificationem; res materiales modificationes materiæ passivæ extensæ, spiri-

[1] Natus est impius ille atheus Amstelodami anno 1632. Nullam professus est religionem; nam licet Judæis parentibus ortus, Judæorum tamen doctrinam adeo respuit et ludibrio habuit, ut ipsi ex suo eum cœtu excluserint. Neque fuit Christianus, ut nonnulli opinati sunt; numquam enim Baptismum recepit; et ideo tantum appellabatur *Benedictus*, quia *Baruch* (nomen a parentibus ei inditum) benedictum significat. Deum religionemque suo sibi arbitratu finxit. Quum per quadraginta quinque annos fere semper errabundus vixisset, miser ille phthisis morbo correptus anno 1677 obiit. In suo ceteroquin Dictionario (v. *Spinosa*) scribit *Bayle*, ejus doctrinam paucos tantum, neque eos certos, habuisse sectatores (*a*).

[2] Ethica, Ordine Geometrico demonstrata, Pars 1, passim.

(*a*) Cfr. Tract. I, Dissert. contra Incred. Pars 1, cap. 2, n. 1 (pag. 10), not. 4.

tuales materiæ activæ cogitantis; ejus tamen judicio non sunt reverâ spirituales, quia non habetur nisi materia.

Quid de Deo affirmari debeat.

45. Itaque, juxta ejus sententiam, totum hoc universum, ex unâ solâ substantiâ materiali constans, Deus est; et singuli homines, omniaque animalia, arbores, montes, aquæ et reliqua omnia illius Dei sunt modificationes. *Spinosæ* igitur judicio, quilibet homo Deus est, quælibet musca Deus, Deus quoque singulæ herbulæ, singuli lapides, reliqua denique omnia. Ille ergo *Spinosæ* Deus in uno ligno generatur, in alio corrumpitur. In hoc homine se diligit, in illo semetipsum odio habet; in uno se laudat, in alio se blasphemat. Modo sacerdos est ad altare, modo viarum latro. O mi summe vereque Deus, quid Te efficiunt homines, quos tantopere diligis et supra reliquas creaturas extulisti! Verumtamen non defuit, qui insanientem istum *Spinosam* magnum philosophum vocaverit. Et quidam ex ejus discipulis, qui ejus opera excudenda curavit, non erubuit hanc proferre blasphemiam, *Spinosam* sententiam tradidisse, quæ a Jesu Christi doctrinâ nihil discrepet [1].

Ad tres propositiones revocatur.

46. Plures autores ad impium hunc scriptorem confutandum, multa scripserunt, ut *Durrius* [2], *Thomasius* [3], *Musæus* [4], *Morus* [5], *Huetius* [6], *Bayle* [7] et alii. Hic solum demonstraturus sum. nequaquam consistere posse fundamenta, in quibus systema suum collocare nititur; sic enim melius atque illico, quantum a vero abhorreat, perspicietur. Ejus summam continent tres præcipuæ propositiones [8].

Prima est, unicam haberi substantiam, extensam et cogitantem, ex cujus virtute naturali, sed eâ cæcâ et brutâ, omnia in ipsâ gignantur; ita ut in hoc mundo nihil sit contingens, sed omnia necessaria, utpote naturali necessitate determinata ad existendum et ita agendum, sicut reverâ agant.

Altera, unicam illam substantiam, licet materialem, esse tamen indivisibilem atque immutabilem.

Tertia, substantiam illam esse summe perfectam, et in se complecti res entisque modos omnes.

Inepta est prima propositio.

47. Ad primam propositionem, unicam illam *Spinosæ* substantiam esse materiam extensam et cogitantem, omnesque res materiales entia necessaria, jam data est responsio et § I hujus Capitis, ubi demonstravimus, non posse materiam cogitare, et Cap. III, ubi probavimus, non posse nisi unicum esse ens necessarium, et reliqua omnia, sive materialia sive spiritualia, esse debere contingentia et a Deo, ente necessario, producta. Superest ergo, ut alteram et tertiam propositionem confutemus.

Explicatur secunda propositio.

48. Est igitur secunda *Spinosæ* propositio, unicam haberi eamque materialem substantiam, quæ tamen partibus careat sitque indivisibilis atque immutabilis. Videamus, quomodo illud probet.

Substantia, inquit, *est id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* [9]. Tum sic argumentatur: conceptus cogitationis non indiget extensionis conceptu, a quo formari debeat, neque extensio conceptu cogitationis. Ergo, concludit, cogitatio et extensio una sola sunt substantia. Sic autem omnia ad materiam redigit; et corpus, quod passivam materiam extensam vocat, et ani-

[1] Opera posthuma (1675). Præfatio. — [2] Oratio adversus *Spinosam*. — [3] Historia Atheismi. — [4] Examen Tractatus Theologico-politici. — [5] Confutatio Tractatus Theologico-politici. — [6] Quæstiones Alnetanæ. De Concordia Rationis et Fidei. — [7] *Dictionn. Art. Spinoza*. — [8] Ethica, pars 1, 2, 3 passim. — [9] Ethica, pars 1, Definitiones, n. III (*a*).

(*a*) Ad majorem rei intelligentiam quædam hoc loco notentur propositiones, ibidem enuntiatæ: Prop. VI. *Una substantia non potest produci ab aliâ substantiâ*. Prop. VII. *Ad naturam substantiæ pertinet existere*. Prop. VIII. *Omnis substantia est necessario infinita*. Prop. XIV. *Præter Deum nulla dari neque concipi potest substantia* (Nota edit.).

mam, quam dicit activam materiam cogitantem; utrumque enim ejusdem substantiæ modificationem esse ait.

onfutatur: 1. Materia t spiritus ion sunt eadem ubstantia.

49. Nos vero ita respondemus: Quum extensionis natura prorsus diversa sit a naturâ cogitationis — neque enim (ut suprà demonstravimus) convenire potest cogitationi extensio nec cogitatio extensæ materiæ —, fateri necesse est, extensionem et cogitationem non unam esse, sed duas omnino distinctas diversasque substantias. Porro frustra hic reponit *Spinosa*, quamvis in duabus illis substantiis duo concipiantur eaque diversa attributa, non posse tamen eas duas vocari substantias. Frustra, inquam; non est enim illud solvere difficultatem, sed velle mutare vocabula et temere sineque fundamento respondere. Nos dicimus, non tantum diversas esse substantias spiritum et materiam; sed etiam res materiales, quæ diversas habeant modificationes, esse — quod quidem ad individuum spectat — substantias reverâ inter se distinctas. Atque illud exemplo clare probatur; si v. g. una res materialis ad Orientem, altera Occidentem versus moveatur, una substantia individua nequit eadem esse ac altera; quum non possit eadem substantia duas simul habere inclinationes sive propensiones, quarum altera alteri sit contraria.

2. ec singula corpora sunt una ubstantia.

3. Diversa ndividua non sunt ejusdem ubstantiæ modificationes.

50. Diversas illas res materiales *Spinosa* modificationes vocat sive modos unius substantiæ; iisque modis ea tribuit, quæ nos adjudicamus iis rebus, quæ separatam habent individuam existentiam. Illud vero cum communi omnium sensu et cum ipsâ evidentiâ pugnat, velle efficere, ut res individualiter inter se distinctæ, non sint res distinctæ, sed solum distincti modi; iisque solius modi nomen tribuere. — In hoc mundo unam tantum esse substantiam asserit. Ergone sol et mare, homo et lapis una sola sunt individua substantia? — Omnia unam solam esse ait substantiam, præditam extensione et cogitatione, quæ sint unius hujus substantiæ modificationes. Illæ vero modificationes nonne diversæ sunt? Si autem sunt diversæ, quomodo possunt in eâdem re adesse? Quî potest eadem substantia et quadrata esse et rotunda? In motu et quiete? Eam corporum mentiumque coagmentationem Deum esse ait. Ergone Deus et homo est et lapis? Sacerdos et canis? Justus simul et impius? *Eam esse hypothesim*, scribit *Bayle, quâ monstruosior fingi nequeat, quâ nec dementior dari possit, nec quæ intellectûs nostri notionibus magis adversetur* [1]. — Nec prodest *Spinosæ* ad vacuum recurrere, quum ait, materiales substantias ideo inter se dividi non posse, quia in rerum naturâ non detur vacuum; id quod ille quidem pro certo ponit. Primum enim sententia illa, non dari vacuum, est mera opinio, quam major philosophorum pars non recipit; sed etiamsi esset vera, certum est apud utriusque sententiæ fautores, omnem materiam esse divisam in partes distinctas, easque partes, sive corpora distincta, inter se separatam habere substantiam: terræ substantia certo separata est a substantiâ maris, substantia metallorum ab arborum substantiâ, atque idem dici oportet de sexcentis aliis rebus materialibus; neque omnino fingi potest, res omnes materiales, quas adesse videmus, propter interpositum aërem inter se coalescere, unamque solam fieri substantiam.

Tertia propositio explicatur et refellitur.

51. Tertia *Spinosæ* propositio est, unicam illam, quam sibi finxit substantiam, esse infinite perfectam. Videamus, quomodo infinitam illam perfectionem ad unicam suam substantiam accommodet. Novam excogitavit atque inauditam distinctionem inter naturam *naturantem* et naturam *naturatam* [2]. *Naturatæ* non tribuit

[1] *Diction. Art. Spinoza.* — [2] Prop. XXIV, Scholium. (*a*).

(*a*) *Per* NATURAM NATURANTEM, inquit, *nobis intelligendum est id quod in se est, et per se concipitur, sive talia substantiæ attributa, quæ æternam et infinitam essentiam exprimunt, hoc*

perfectionem; ait enim (propos. 15), non posse partes finitas ens infinite perfectum conficere. Infinitam perfectionem naturæ *naturanti* totam adscribit. — Atvero ut aliquod ens infinite perfectum sit, omnes idque in gradu infinito in se continere debet perfectiones intelligentiæ, scientiæ, potentiæ, bonitatis, libertatis, providentiæ cet. Sed *naturans* illa, quam *Spinosa* excogitavit, natura quid est? Nihil aliud nisi ens ideale, abstractum et metaphysicum, quod nos mente tantum concipimus, neque intellectu, voluntate, potentiâ, libertate vel providentiâ præditum, et cui vel ipsa deest existentia (*b*). Ergo *naturans* illa *Spinosæ* natura non solum caret iis perfectionibus, quas ipsi tribuit; sed ne substantia quidem est; quandoquidem substantia sine reali existentiâ substantia non est, sed mera idea, merum atque imperfectissimum nihilum, nullius perfectionis capax; tale autem est *Spinosæ* illud ens perfectissimum, cui desunt omnes perfectiones, deest etiam existentia. En quo obscuritatis et stultitiæ perveniunt humanæ mentes, quum a divinâ luce discesserunt!

Conclusio totius capitis.

52. Hic breviter ea complectamur, quibus ideo Deum esse demonstravimus, quod existunt animæ, quæ quum sint spirituales substantiæ, non potuerunt neque a materiâ produci, neque ab aliis spiritibus propagari, sed ut existerent, creari debuerunt a primo aliquo principio, creandi virtute prædito. — Certum est, plurimas hoc in mundo existere animas: ergo existit Deus, qui eas creavit. — Minime vero, inquiunt Materialistæ; nec Deus est, nec sunt spirituales substantiæ; sola materia est hominis et corpus et anima. — Nos vero reponimus, non posse totum hominem esse materiam; nam homo cogitat, materia cogitare nequit; in homine ergo non corpus cogitat, sed anima. Cur autem cogitare nequit materia? Primum quia cogitationis natura omnino differt a naturâ materiæ. Non agit materia nisi per motum, figuram vel situm; sed ea omnia nihil pertinent ad cogitationem, quæ, utpote sine ullâ extensione, nec motum, nec figuram, nec situm habere possit.

53. Præterea si cogitare posset, non haberet materia alias notiones nisi de rebus materialibus, ipsi similibus, numquam vero de rebus spiritualibus. Sed homo plurima mere spiritualia intelligit: essentiam justitiæ, virtutis pretium, deformitatem perfidiæ, rerum proprietatem; judicat homo, proponit, prævidet, abstrahit, separat, distinguit, deliberat, accipit, recusat. Quid singuli illi intellectûs et voluntatis actus ad materiam pertinent? Quinimmo judicat nonnumquam contra ea, quæ sibi exhibet materia; sic in exemplo suprà allato vidimus, quum remus ex dimidiâ parte in flumen demersus, confractus videtur, homini perspectum esse, eum esse integrum, contra ac materia et visus denuntient.

54. Ad hæc, si considerationes, judicia, ratiocinationes sermonesque ideo ab homine fiunt, quod plures simul notiones et perceptiones ob mentem versantur; quî tandem materiæ motiones (id quod asserunt Materialistæ) ad ea perficienda valent? Habendæ essent diversæ illæ notiones pro diversis materialium partium motionibus; quæ si simul fiant, altera alteram confundit; sin per ordinem una

est, Deus, quatenus ut causa libera consideratur. Per NATURATAM *autem intelligo id omne, quod ex necessitate Dei naturæ, sive uniuscujusque Dei attributorum sequitur, hoc est, omnes Dei attributorum modos, quatenus considerantur ut res, quæ in Deo sunt, et quæ sine Deo nec esse nec concipi possunt.* (Nota edit.).

(*b*) Aliæ duæ notentur propositiones. Propositio XXXI. *Intellectus actu, sive is finitus sit sive infinitus, ut et voluntas, cupiditas, amor, cet. ad Naturam naturatam, non vero ad naturantem referri debent.* Propositio XXXII. *Voluntas non potest vocari causa libera, sed tantum necessaria. Corollor. I, sequitur I. Deum non operari ex libertate voluntatis* (Nota edit.).

post alteram, incipiente alterâ prior esse desinit, neque umquam conjungi poterunt ad formandum ultimum judicium, quod quidem homo conficere solet ex pluribus veritatibus, animo simul obversantibus. Quodsi ex iis materiæ motionibus — quarum altera alterius qualitates ignorat, utpote mentis expertes omnes — homo jam conficere non posset ullum argumentum; multo minus condere posset sermonem, ex pluribus argumentis compositum. Illud efficere potest solus spiritus, qui diversas simul intelligit notiones, quæ singulæ coram adsunt, et ad conformandum sermonem simul concurrere debent.

55. Ut ergo concludam quod hoc capite probandum suscepi, repeto argumentum ab initio propositum. Nititur autem argumentum, ut ibi dixi, certo hoc et a nullo umquam in dubium vocato principio: *nemo dare potest quod non habet.* Unde sic ratiocinor: In me sentio animam, quæ habet mentem cogitantem, judicia ac ratiocinationes conficientem et ad arbitrium suum, ut ei libet, operantem. Contrà scio, materiam non esse idoneam, quæ habeat libertatem vel cogitare possit: operandi libertatem habere nequit, utpote iners neque apta ad se movendum; judicia vel ratiocinationes non potest habere, quia quum ad illud concurrere debeant plurium partium sensationes, altera ad alterius sensationem cognoscendam non valet; neque ullam etiam percipere potest cogitationem; nam ut extensa pluribus partibus constat, neque ullius rei integram cognitionem potest habere. Ergo, concludo, in me existens anima a materiâ producta esse nequit. Porro neque æterna fuit, neque a semetipsâ existentiam sibi tribuere potuit; ergo creata est a supremo aliquo ente spirituali; quod quidem ens Deus est.

terialistis spondetur e origine eligionis.

56. Sed priusquam huic primæ parti finem imponam, non sine responsione dimissum volo, quod nonnulli impii objiciunt, religionem, quam homines erga Deum profitentur, esse fabulam, vel arte politicâ, vel timore, vel ignorantiâ excogitatam. — Respondeo, non potuisse Dei fidem neque ab arte politicâ, neque a timore, neque ab ignorantiâ proficisci.

Religio non est ab arte politica.

Non ab arte politicâ; est enim fides omnium hominum communis, et ab initio mundi per tot sæcula stabilis permansit; unde liquet, Dei cognitionem ipsâ naturâ nobis esse insitam; mentiri autem non potest natura. *Omnibus enim,* inquit Cicero, *innatum est, et in animo quasi insculptum, esse Deos. Quales sint, varium est; esse nemo negat*[1]. Atque in eodem libro ait, nihil esse evidentius, quam existere supremum aliquod numen, hujus mundi rectorem; neque ejus veritatis cognitionem, si vera non esset, per tot sæculorum spatium potuisse durare; unde concludit, talis fidei perpetuitatem esse naturæ judicium: *Quid enim potest esse tam apertum... quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur! cet.... Quod nisi cognitum... animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec unà cum sæculis ætatibusque hominum inveterari potuisset. Etenim videmus, ceteras opiniones fictas... diuturnitate extabuisse... Opinionum enim commenta delet dies; naturæ judicia confirmat*[2].

Religio non est orta a timore.

57. Neque oriri potuit Dei fides a timore, quem pro vano habent impii, quod hunc Deum improborum punitorem negent. Quandoquidem nimis evidenter Deum existere nobis apparet ex structurâ hujus mundi, quem videmus tam apte compositum tamque egregio stabilique ordine semper constitutum, ut fieri nequeat quin credamus, supremam aliquam esse causam, quâ conditus sit et gubernetur. Ah! nequaquam ex timore orta est Dei fides! Ex timore contrà exorta est horum impietas incredulorum, qui ut pœnarum formidine, quâ discruciantur, se expediant, hoc sibi persuadere nituntur, non esse Deum, qui pœnas ab ipsis repetat.

[1] De Natura Deorum, lib. II. cap. 4. — [2] Ibid., cap. 2.

Religio non est orta ex naturæ virium ignorantia.

58. Neque etiam Dei fides oriri potest ex ignorantiâ rerum naturalium vel occultarum, ut ipsi dicunt, virium naturæ. Non negamus, multa naturæ secreta nos latere; illud vero quid vel officit vel probat? Adversus Materialistas jam demonstravimus, existere Deum, purum spiritum, creatorem et conservatorem omnium; atque evidenter falsum esse eorum systema, omnia esse materiam et a materiâ producta.

Primum quia res materiales omnes, quum non sint a semetipsis sed productæ — etiamsi eas ponamus infinito causarum processu ab æternâ materiâ productas —, non possunt considerari tamquam existentes sine primo aliquo principio. Nam quum una ab alterâ pendeat, necesse est admitti primam causam independentem, quæ eas produxit: secus omnes essent effectus sine causâ. Præterquam quod materia nullo modo esse potuit æterna; quum enim nihil aliud fuerit nisi coagmentatio individuorum materialium, quæ a seipsis non potuerunt existere, cuncta « esse » suum accipere debuerunt a superiori aliquo principio, quod a materiâ nihil penderet.

Secundo, quia materia cæca est mentisque expers; quapropter numquam fieri potuit, ut ab eâ produceretur hic mundus tam bene compositus et conservaretur tam constanti ordine, si non adesset eximia quædam mens, quæ eum conformasset eumque gubernare pergeret.

Tertio, quia materia, utpote iners, sine motore numquam habere potuisset motum illum, quem in cælis et in terrâ tot res materiales habere cernimus.

Quarto, quia contingens est materia, ad « esse » vel « non esse » indifferens; quo fit, ut « esse » numquam potuisset habere sine ente necessario, a quo reverâ illud accepisset.

Quinto, quia idonea non est materia, quæ cogitare possit; ac proinde animæ cogitantes neutiquam ab eâ produci potuerunt, sed « esse » suum debuerunt recipere a spirituali principio.

Materialistæ suo systemati nullum fundamentum reperiunt.

59. Jamvero tot argumentis a nobis demonstrato, necesse esse Deum existere, quod secus hoc in mundo neque credentes neque increduli adessent, neque anima ulla nec quidquam eorum, quæ existunt; nunc Materialistarum est, condere æquum aliquod systema (non ad libidinem fictum sine ullo fundamento vel verisimilitudine), quo saltem probent, fieri potuisse, ut sine Deo conformatus sit hic mundus et conservetur. Illud vero numquam probare poterunt neque in dubitationem adducere; est quippe certum, existere Deum illum, in quem credimus, nec dubitari potest, quin existat; et sine Deo nulla res in mundo posset existere.

ALTERA PARS.

ADVERSUS DEISTAS QUI REVELATAM RELIGIONEM NEGANT.

CAPUT I.

DE REVELATIONIS NECESSITATE IN IIS, QUÆ AD RELIGIONEM PERTINENT.

Religio necessaria est.

1. Posito igitur, esse Deum, creatorem hominum, consequens est, ut aliqua sit religio. Quum enim ille Deus in hoc mundo posuerit creaturas, ratione præditas, merito ab iis per religionem cultus, obedientia et amor Ei præstari debent. Primum ergo tenetur homo huic studere, ut quantum potest, factoris sui perfectiones et attributa cognoscat, ad Eum colendum observandumque pro debito. Deinde huc incumbat necesse est, ut seipsum cognoscat, naturam suam, finem et distincta officia; quam ob causam inquirere tenetur, quænam inter omnes vera sit religio, ut ab eâ discat, quid sibi credendum sit quidque servandum. Quam quidem religionem hic probaturi sumus, solam esse Religionem Christianam, a Jesu Christo nobis revelatam.

Deistæ rejiciunt religionem revelatam.

2. Non negant Deistæ, esse Deum et religione Eum esse colendum; sed omnem revelatam religionem rejiciunt. Multæ sunt Deistarum sectæ: alii *Sceptici* dicuntur sive *Pyrrhonii*, qui dubia habent omnia; alii *Hypocritæ*, qui extrinsecus tantum et merâ simulatione religionem aliquam servant; *Politici* alii, sive *Hobbesiani*, qui Deum satis habere asserunt, Se coli juxta religionem principis, quum illud ad pacem servandam conducat. Itaque secundum eorum systema, is qui in Italiâ Jesum Christum pro Deo habere debet, Constantinopoli merum hominem Eum credat oportet. Oh præclaram religionem!

Naturalistæ quamlibet religionem approbant.

3. Porro alii vocantur *Naturalistæ*, qui ab *Indifferentistis* vix quidquam differunt; quæ quidem secta reliquis major est. Ajunt autem satis esse, servari naturalem, seu ipsâ naturâ impressam religionem, quæ hoc docet, credendum esse in Deum, vitiorum punitorem ac remuneratorem virtutum, reverendam esse divinam ejus Majestatem, neque illud proximo faciendum quod nobismetipsis factum nolumus. Ceterum blaterant, posse hominem in quâcumque religione, sive Christianâ, sive Hebraicâ, sive Mahumedanâ, ad salutem pervenire, dummodo servet duplex illud, quod suprà commemoravimus, præceptum. Non erubescit naturalista ille, qui librum scripsit: *de Moribus*, hæc asserere: *Quod Moslemitæ sunt, Turcis equidem ignosco*[1]. *Moslemitam* esse significat, eam sequi religionem, quæ bestiis potius constituta videtur quam hominibus. Et hoc modo Christianus in suâ religione manere potest, et Jesum Chri-

[1] *Les Mœurs*, part. 1, chap. 3, art. 2.

stum pro Deo adorare; sed item transire ad Hebraeos, et tunc pro homine malefico Eum habere. At si vera est Christiana Religio, quomodo Deus satis habere potest, Jesum Christum pro flagitioso reputari? Sin autem vera esset religio Hebraica, quî posset permittere, ut pro Deo adoretur homo?

Inutilem vocant revelationem.

4. Asserunt tales Deistæ, in quibus ille, qui librum composuit: *De Moribus*, et *Tindall*, natione Anglus (qui anno 1730 alium hunc pestiferum suum librum conscripsit: *Christianismus tam antiquus* [1], *cet.*) aliique philosophi, qui diei morem sequuntur (contra quos scripserunt *Clarke* [2], *Forster* [3], *Ditton* [4], *Huetius* [5], *Houtteville* [6] et alii), asserunt, inquam, supervacaneam et inutilem esse revelationem. Nos vero dicimus, eam non solum esse utilem, sed etiam necessariam, ut debitus Deo cultus tribuatur et credendo ea, quae ad infinitam ejus bonitatem pertinent et servando divinas ejus leges. Et illud apparet cuilibet consideranti, quantopere vetustas, revelationis expers, Deum ejusque præcepta ignoraverit. Quod ad divinitatem pertinet, constat, alios pro diis coluisse fortunam, timorem et febrim; alios, planetas, bestias, lapides et vel ipsas hortorum plantas. In Mongoliâ adorabantur vaccæ, in Thessaliâ ciconiæ, in Assyriâ columbæ, simiæ deus in Taprobanâ (*Ceylan*) insulâ. Syri colebant pisces, Indi elephantos, Phryges mures, arbores Lithuani. Item pro diis colebantur Jupiter et Mars adulteri, impudica Venus, Apollo incestuosus, vindicandi cupidus Vulcanus. Item Nero, Caligula, Domitianus, qui dum inter homines vivebant, tamquam impudicitiæ et crudelitatis monstra horrorem omnibus incutiebant. Senatus Romanus vel eo processit, ut in dearum numerum reponeret Floram, publicam quamdam meretricem, quod ignominiosâ arte comparatam hæreditatem sibi reliquisset. *Quid absurdius*, inquit Cicero, *quam... homines jam morte deletos, reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu?* [7] Et Lucianus in cælos introducit Momum quemdam, qui talibus diis se circumdatum videns: *Nisi has bestias*, exclamat, *hinc expuleris, discedam ego* [8]. Sed hoc quidem diabolus excogitavit, effecitque, ut pro diis haberentur nequissimi homines, quorum deinde vitia eorum cultores sine ullo fastidio vel conscientiæ remorsu, immo cum honore potius, imitarentur. *Ipsa vitia*, inquit Lactantius, *religiosa sunt; eaque non modo non vitantur, verum etiam coluntur* [9].

Gentiles errarunt circa dogmata.

Errarunt circa mores.

5. Et quod ad leges et virtutes spectat, multi populi diis suis gratum facere putarunt criminibus patrandis, quibus majora nulla fingi possunt. Vivos homines devorando Thraces deos suos colebant. Carthaginienses in candentes Saturni statuas includebant infantes. Mexicani quodam die plura millia hominum in numinum suorum altaribus jugulare non dubitarunt. Spartani furta permittebant ut licita. Alii populi, quum diis suis adulteria et homicidia attribuerent, ea non delicta sed virtutes esse ajebant. Et his etiam nostris temporibus quot repertæ sunt barbariæ in pluribus regnis! Canadenses carnem humanam venantur, ut venatione cervos et damas insequimur. Sinenses in fossas projiciunt filios, ut canum partus abjiciuntur. Apud Guineæ incolas vivæ comburuntur uxores unà cum mariti cadavere; et quum principes

[1] *Christianity as old as the Creation; or the Gospel a Republication of the Religion of Nature.* — Ne alterum ejusdem operis volumen divulgaretur, prohibuit *Edmundus Gibson*, Episc. Londinensis, Anglicanus (Nota edit.).

[2] *Traité de l'Existence et des Attributs de Dieu.* — [3] *Défense de l'utilité, de la vérité et de l'excellence de la Révélation Chrétienne.* — [4] *Démonstration de la Religion Chrétienne (trad. de l'anglais).* — [5] Demonstratio Evangelica. — [6] *La Religion Chrétienne prouvée par les Faits.* — [7] De Natura Deorum, lib. I, cap. 15.

[8] Huc fere recidunt Momi querelæ in Dialogo: *Deorum Comitia* (*Luciani* opera Græce et Latine. Biponti, 1791, vol. 9, pag. 178 seq. Nota edit.).

[9] Divin. Institut., lib. I, cap. 20.

moriuntur, omnes quoque necantur eorum familiares.

Doctissimi quique errarunt.

6. Quod porro ad antiquos philosophos spectat, recentes Materialistæ eos omnes tamquam atheos exhibere nituntur; quum Naturalistæ contrà referant, eos ad unum omnes Deum existere credidisse, et agnovisse veram naturæ legem; quin et eo progrediuntur, ut eos quasi conscios proponant de fidei nostræ vel maxime arcanis mysteriis. Sed verum nobis exhibet S. Paulus, ubi de talibus philosophis scribit: *Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis* [1]. Unde falsa plurima de Deo bonisque moribus tradiderunt. Anaximander [2] infinitos ajebat esse mundos, alios ex aliorum corruptione ortos, eosque veros esse Deos. Anaximenes [3] vero deos ex aëre natos esse docebat. Zeno [4], Deum esse animal immortale, ex aëre et igne compositum. Alii, quamvis ipsi deorum multiplicitatem non admitterent, eorum tamen publicum cultum apud populum ajebant conservari debere. In quibus Socrates [5], jamjam moriturus, familiares precatus est, ut gallum Æsculapio promissum, ei dedicarent. Cicero [6] deos semel receptos adorari voluit. Plato similiter, ut scribit S. Augustinus [7], pluribus diis sacrificia facienda esse censuit; et quod ad mores pertinet, illud infame reipublicæ expedire docuit, ut scilicet promiscuæ habeantur uxores [8]. Aristoteles [9] itemque Cicero [10] vindicationem ut virtutem approbarunt. Et alios mille errores, quos tacitus prætermitto, celebres illi hujus mundi sapientes docuerunt.

Gentiles agnoverunt necessitatem revelationis.

7. Itaque homini, tot circumfuso tenebris tantisque obnoxio inordinatis appetentiis, quæ ad malum eum inclinant, opus erat luce, quæ naturæ lumini præcelleret; ut eâ illustratus comperiret, quid sibi esset credendum, quæ lex servanda, quæ arripienda media ad salutem consequendam; *secus*, inquit eruditus quidam auctor [11], *velut per tyrannidem quamdam expostularet Deus, ut sua mandata peragerentur, nisi prius quantum satis esset, ea declarasset.* Hanc revelationis necessitatem cognitam etiam habuerunt Socrates [12], Plato [13] et Tullius [14], philosophi gentiles, qui videntes, quantâ caligine obductæ essent mentes hominum, docuerunt, exspectandum esse aliquem a Deo missum, qui lumen nobis præferret et in divinis veritatibus credendis exercitandisque virtutibus nos erudiret. En, quid nominatim dixerit Plato: nos omnes in tenebris et confusione remansuros esse ait, *nisi quis firmiori quodam vehiculo aut verbo quodam divino tranare possit* [15]. Et alio loco: *Pietatem* ait *docere neminem posse, nisi Deus* (quasi dux vel magister) *adjuverit* [16].

Ratio sola non sufficit.

8. Sed ad hominem regendum et hæc omnia percipienda nonne satis est naturalis ratio? Minime vero; satis non est. Naturalistæ humanam rationem plus æquo extollentes, naturalem religionem prædicant, indeque concludunt, necessariam non esse revelationem divinam. Sed, respondet S. Thomas, ut rerum divinarum cognitionem haberemus, *necessarium fuit hominem instrui revelatione divinâ; quia veritas de Deo per rationem investigata, a paucis et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum homini proveniret* [17]. Itaque satis non est ratio humana; quum sine revelatione pauci cognoscerent veritatem, quæ ad divinam naturam pertinet, idque post multum tempus et studium; ac tum etiam illud exiguum, quod pauci illi attingere potuissent, sexcentis erroribus esset admixtum.

[1] *Rom.*, I, 21. — [2] Apud *Euseb.*, Præparat. Evangelica, lib. I, cap. 8. — [3] Apud *S. Aug.*, De Civitate Dei, lib. VIII, cap. 2. — [4] Apud *Tertullian.*, Adversus *Marcionem*, lib. I, cap. 13. — [5] Apud *Platonem*, Phædo. — [6] De Natura Deorum, lib. I, cap. 23. — [7] De Civit. Dei, lib. VIII, cap. 12. — [8] De Republica, Dial. 5. — [9] Ethica, lib. IV, cap. 5. — [10] Partitiones Oratoriæ, cap. 37; Oratio pro *Milone*, cap. 3. — [11] *Vestrini, Lettere teologiche, Lett. 3.* — [12] Apud *Platon., Alcibiades II.* — [13] Phædo; Epinomis. — [14] Tuscul. Disput., lib. I, cap. 11. — [15] Phædo. — [16] Epinomis. — [17] 1ª, qu. I, art. 1.

Ipsis vitiis pravisque nostris opinionibus exstingui ait Cicero, parva illa lumina, quæ natura suppeditet: *Nunc parvulos (natura) nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat*[1]. Et rerum evidentiâ adactus idem his verbis confirmat ipse *Bayle: Ratio suas homini demonstrat tenebras, suam imbecillitatem et necessitatem Revelationis*[2].

Peccatum ipsam rationem obscuravit.

9. Sed, inquiunt increduli, cur Deus tantis tenebris hominem abdidit totque involvit cupiditatibus, quæ eum infestare numquam intermittunt? Ad suam imaginem eum creavit, præ ceteris creaturis singulariter eum dilexit; quid ergo est, quod eum formaverit cum tantâ mentis caligine et, quod pejus est, tantopere ad prava vergentem, ut quereretur Apostolus: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* (id est, ei legi, quam servandam esse judico), *et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*[3]. Si Deus creasset hominem adeo inordinatum et tot implicatum miseriis, odio potius quam in amore eum habuisset, et quodammodo præ homine dilexisset bestias, quippe quæ ex unâ parte ex corporis voluptatibus omnem illam delectationem, quâ frui possint, plene percipiant; neque ex alterâ parte discrucientur illis animi cupiditatibus vel futuri timoribus, quibus homo numquam non sollicitetur. Unde ergo tanta in homine ordinis perturbatio? Si a gentilium auctoribus illud quæramus, nullam causam indicare possunt. En vero Christiana religio, nobis revelata, quæ omnia detegit: Deus (sic illa docet) hominem creavit rectum, sensu rationi subjecto, ratione subjectâ divinæ Voluntati; docuit, quem in finem eum creasset, ut nempe in vitâ æternâ beatum eum redderet, si fideliter Ipsi serviisset in hac vitâ temporali. Sed primus homo, quum Deo non obtemperasset, cum omnibus posteris divinâ gratiâ orbatus, mente obscuratus, voluntate ad malum propensus remansit. *Hoc inveni*, inquit Ecclesiastes, *quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*[4]. Et S. Augustinus: Si non adfuisset causa peccati, inquit, Deus creando hominem cum iis miseriis, in quibus nunc versatur, aut injustus fuisset aut impotens; *sed* (ita pergit) *quia nec injustus nec impotens est Deus, restat... quod grave jugum super filios Adam... non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset*[5]. Verum Dominus, hominem miseratus, ut tantæ ruinæ remedium afferret, suæque bonitatis divitias mundo ostenderet, unigenitum suum Filium in terras demisit, ut morte suâ redimeret hominem, suâque item instrueret Sapientiâ.

Revelationis veritatem omnes cognoscere possunt.

10. Sed, inquit *Rousseau* Genevensis[6], inter omnes religiones unam veram esse oportet. Ad eam autem reperiendam, audiendæ sunt rationes omnium. Quot ergo linguas pernosci, quot bibliothecas perlegi necesse est! Nec satis est perscrutari omnium religionum libros; sed item requiritur, ut quis singulas regiones, ubi illæ vigent, percurrat. Unde concludit: Quandonam nisi in vitæ exitu eo perveniet homo, ut quænam vera sit deprehendat? Quapropter in naturali suâ religione se acquiescere fatetur. — Sapienter vero *P. Valsecchi*[7]: Tu quidem affirmas, *Rousseau*, respondet, unam religionem veram esse debere, eamque sub damnationis pœnâ esse sequendam. Tu naturalem duntaxat religionem complecteris. Sed ad sequendam veram religionem opus esse dicis, pernosci omnes linguas, plures bibliothecas perlegi, omnesque terræ angulos peragrari. Tu vero omnes illas curas non adhibuisti; tuam ergo amplecti non possumus. Verumtamen moraliter fieri nequit, ut ea omnia præstemus, quæ ad veram religionem inveniendam tu quidem

[1] Tuscul. Disput., lib. III, cap. 1. — [2] *Diction. Histor. Art. Manichéens*, not. D. — [3] *Rom.*, VII, 23. — [4] Eccl., VII, 30. — [5] Contra *Julianum* Pelagianum, lib. IV, cap. 16, n. 83. — [6] *Emile, liv. IV.* — [7] *Dei Fondamenti della Religione, lib. III, parte 2, cap. 5, n. 9 e 10.*

requiri asseris. Quid ergo facere debemus? Forsitan nihil omnino credere et imitari Petrum *Bayle*, qui omnia in dubio ponit nec quidquam credit? — Sed *Joanni Rousseau* cum eodem Patre *Valsecchi* ita respondemus: Ad veritates *juris* vel *facti* certo cognoscendas nihil opus est tot linguis, tot bibliothecis, tot peregrinationibus, nec studio per totum vitæ spatium protracto; satis valet veritatis demonstratio, cui nihil solidum opponatur. Talis autem præsto nobis est revelatorum dogmatum, quæ credimus, demonstratio; quocirca non est necesse aliud quæri ad perspectam nobis reddendam religionem. Et sicut ad credendam Dei existentiam minime requiritur, ut evolvantur omnes atheorum libri, sic ad credenda revelata dogmata non requiritur tantus labor. Revelationis argumenta perquam certa sunt et perspicua, neque ulteriorem indagationem desiderant. Quum enim per tot sæcula ad disquisitionem venerint singulæ religiones, jam nihil non pertractatum remansit; omnia porro religionem nostram magis magisque confirmarunt, neque umquam oppositum fuit argumentum, quin adæquata reddita fuerit responsio. Insuper argumenta illa, quæ religionis veritatem demonstrant, item ostendunt, extra eam ad salutem perveniri non posse. — Sed, reponit Genevensis [1], cur Deus condemnaturus est infidelem, qui Evangelium invincibiliter ignoravit? Respondetur periturum esse infidelem, non quod Evangelium ignoraverit, sed propter alias suas culpas. — Ille vero instat: *Si Christianus recte facit, quod patris sui religionem sequitur; perperam facit Turca, quod sui quoque patris sequitur religionem?* [2] Ideo recte facit Christianus, quia sequitur religionem, quæ congruit cum dictatis naturæ et dogmatis a Jesu Christo revelatis; ideo perperam facit Turca, quia sequitur religionem, quæ contraria est naturæ legibus et veritatibus revelatis; quas quidem veritates revelatas hanc ipsam ob causam ignorat Turca, quia non vixit secundum naturæ lumina. Concludimus igitur, a Christianâ Religione merito condemnari tolerantiam ceterarum religionum, quas injuste admittunt Deistæ. Una sola est veritas; ergo una sola Deo accepta esse potest religio, non vero alia, quæ dogmata tradit, ei opposita.

Manifesta sunt ejus veritatis argumenta.

11. Esse autem veram Christianam Religionem, ea omnia demonstrant argumenta, quæ in hac alterâ parte afferentur: Sacræ Scripturæ nempe, quæ ab ipsis fidei nostræ adversariis ad nos pervenerunt; Jesu Christi ejusque discipulorum miracula; impletæ vaticinationes; sanctitas doctrinæ; conversio gentium, quantumvis vehementer obstaret communis omnium corruptela, debilia adhiberentur adjumenta, et insectationibus sævirent tyranni. — Non alius nisi Deus ea omnia perficere poterat. Aliam Deistæ sibi reperiant causam, a quâ omnes illi adeo connexi tamque prodigiosi eventus proficisci potuerint. Quam si non reperiunt, fateri debent, a Deo revelatam esse Christianam religionem. — Ergone, inquiunt, ratione nostrâ jam uti non possumus? Non potestis in singulis iis rebus, quæ fidei nostræ adversantur; ubi enim locutus est Deus, ipsa ratio docet, nos credere debere, et quum ea quæ dixit, non intelligimus, captivum facere totum intellectum.

Revelatio cum ratione non pugnat.

12. Sed *Petrus Bayle* pro barbaro suo more nunc defendendi nunc impugnandi quæ asseruit, postquam confessus est, ipsam rationem homini ostendere revelationis necessitatem [3]; alio loco: Atvero, inquit, quum non minus quam fides, ratio hominis Dei donum sit, quî fieri potest, ut fidei mysteria, rationi contraria credere debeamus? [4] — Ad quod recte S. Thomas respondet [5], certissimas esse tam naturales quam revelatas Veritates; falsum vero, eas inter se esse contrarias; quum

[1] *Emile, liv. IV.* — [2] Ibid. — [3] *Diction.*, l. c. — [4] *Réponse aux Questions d'un Provincial, part. 2, chap. 159.* — [5] Contra Gent., lib. I, cap. 7.

aliud sit, aliqua esse supra rationem, aliud contra rationem. Ut aliqua veritas sit supra rationem humanam, satis est, hominem solius rationis ope non pervenire ad detegendum modum, quo sit talis veritas; verum ut aliquid sit contra rationem, requiritur, ut cum eâ evidenter pugnet. Quo posito, si *Bayle* dicere voluerit, nos rationis ope non eo progredi, ut fidei mysteria intelligamus, recte quidem dicit; illud vero minime efficit, ut mysteria credere sit contra rationem. Ut probaret, in dubium esse vocanda mysteria (illud quippe probare intendit), statuere deberet, non posse talem fidem subsistere eamque cum ratione naturali pugnare; quod nisi præstiterit, respondebimus, esse quidem vera, quæ ratio naturalis ostendat; verumtamen dari posse multas supranaturales atque etiam naturales veritates, ad quas intelligendas ratio nostra non perveniat. Et sic numquam intelligere potuisset ratio nostra, quomodo in suis cognitionibus adeo obscuratus esset homo, tamque inordinatus in suis concupiscentiis, nisi revelatio nobis aperuisset causam, peccati malitiam.

Revelatio salutis media docet.

13. Et oh quam multa alia et quot salutis adjumenta numquam nobis innotuissent, nisi eorum certiores nos fecisset revelatio! Sine revelatione quî nobis compertum esse potuisset, Deum ignoscere peccatori, quem delictorum pœniteat? Gentiles etiam, solo naturæ lumine ductos, et conscientiæ morsu et scelerum suorum dolore affectos fuisse perhibent. Esto; sed talis dolor quid iis proderat? Non aliud erat nisi stimulus quidam, quo sibimetipsis irascebantur, quod dolerent male se fecisse nec jam afferri posse remedium; juxta illud Ovidii: *Pœnitet, et facto torqueor ipse meo* [1]; neque aliter narrat Cicero, Alexandrum Magnum, quum Clitum familiarem interfecisset, tantam inde traxisse ægritudinem, ut paulum abesset, quin se ipse occideret: *Vix a se manus abstinuit* [2]. Non erat igitur antiquorum dolor, ut est Christianorum pœnitentium, placidus et fiduciâ veniæ a Deo obtinendæ plenus, sed rabidus atque immoderatus, non veniâ sed novâ pœnâ dignus.

Reconciliationis viam indicat.

14. Præterea quomodo naturæ lumen antiquos certos reddere poterat, doloris ope peccatorem cum Deo in gratiam reconciliari? *Tindall* [3] naturalista nullum patrem ait filiis, quos deliquisse pœniteat, veniam non tribuere; quin etiam nullum virum honestum non ignoscere inimicis, veniam demisse petentibus. Sed ea omnia nihil aliud ostendunt, nisi sperari posse veniam, non autem pro compertâ eam posse haberi; et extra revelationem multo minus probant, pœnitentiam agenti Deum certo ignoscere. Est quidem pater Deus, sed item judex est; misericors est, sed justus quoque pravorum vindex. Ex solâ revelatione igitur certum scimus, Dominum juxta promissionem suam, propter Jesu Christi merita, veniam dare peccatoribus, quos deliquisse pœniteat.

Ad victoriam arma designat.

15. Ad hæc sine revelatione scire nequit homo, quomodo inordinatis suis cupiditatibus resistat. Frustra autem *Voltaire: Homo,* inquit, *cupiditatibus præditus est, ut agat; ut porro actiones moderetur, rationem accepit* [4]. Frustra, inquam, talia profert; ratio enim homini non suppeditat arma ad pravas appetentias coercendas idonea; unde requiritur, ut alio subsidio petat sibique speret victoriam: illud autem subsidium, ut nobis denotat revelatio, non est, neque aliud esse potest, nisi gratia Redemptoris. Accedit, quod post peccati ruinam homini ad æternam salutem consequendam jam non sufficiunt auxilia ordinaria, alia ei opus sunt, eaque extraordinaria, ut sancta Sacramenta, Missæ sacrificium et orationis medium; quorum subsidiorum ope, intuitu meritorum Jesu Christi, divinæ

[1] Ex Ponto, lib. I, ep. 1, v. 60. — [2] Tuscul. Disput., lib. IV, cap. 37. — [3] *Christianity as old as the Creation,* pag. 359 (apud *Valsecchi, O. P., Fondamenti della Religione, lib. II, cap. 4, n. 5*). — [4] *Remarques sur les Pensées de Pascal, n. 3.*

gratiæ nobis impertiuntur. Jamvero, quomodo fieri potuisset ut eas veritates, quæ ad æternam nostram salutem tantopere referunt, cognitas haberemus, nisi nobis ad eas cognoscendas præluxisset revelatio?

Revelatio in divinis Scripturis continetur.

Quæ quidem veritates nobis patefactæ sunt in divinis primum Veteris ac deinde, idque plenius, Novi Testamenti Scripturis; namque Hebræis facta est prima revelatio, sed eam postea multum perfecit adventus Messiæ, qui ideo quoque venerat, ut in æternarum Veritatum scientiâ universum mundum illuminaret. Itaque proximis Capitibus adversus Deistas demonstraturi sumus Sacrorum Librorum primum quidem Veteris ac deinde Novi Testamenti veritatem.

CAPUT II.

DIVINARUM SCRIPTURARUM VETERIS TESTAMENTI PROBATUR VERITAS.

Duo sunt Testamenta: Vetus et Novum.

1. Compertum est, duas esse Sacræ Scripturæ partes, Vetus Novumque Testamentum; easque vocari testamenta, non quod sint supremæ voluntatis declaratio, sed quod sunt fœdera sive, ut ait S. Hieronymus[1], pacta solemnia, quibus Deus legem suam servantibus sua promittit bona. Sunt igitur divinæ Scripturæ velut totidem regiæ epistolæ, a Deo per ministros suos ad nos missæ divinoque ejus obsignatæ sigillo. De quibus S. Augustinus: *De illâ civitate, unde peregrinamur,* inquit, *litteræ nobis venerunt*[2]. Porro prophetiæ Veteris Testamenti confirmant Novi Testamenti scripturas, Novique Testamenti scripturæ scripturas Veteris Testamenti.

Genuini sunt Veteris Testamenti libri.

2. Pro certâ positâ Revelationis necessitate, haud difficulter quæ vera, quæ falsa sit religio, discernitur. Ubi veram adesse divinam Revelationem apparet, ibi certo vera erit religio. Sed quum ante humanam redemptionem sola Hebræorum natio a Deo acceperit legem veramque revelationem, nihil implicamur in aliis revelationibus examinandis. Hoc tantum superest, ut exploremus, num veræ fuerint revelationes, huic populo factæ. Ut teneamur pro veris ac divinis habere Veteris Testamenti libros et (quod consequens est) revelationes in iis factas, præter miraculorum (de quibus proximo Capite acturi sumus) et communis fidelium existimationis comprobationem, nobis quidem satis esse debet, ab Ecclesiâ eos ut tales nobis proponi. Porro sine ullâ dubitatione eam obligationem existere; præterea Romano-Catholicam unice veram esse Ecclesiam, et ab eâ solâ nos accipere debere, quænam sint veræ Scripturæ divinæ, in tertiâ hujus operis parte videbimus.

Non fuerunt adulterati.

3. Quodsi semel veri fuerunt tales libri talesque revelationes, pro veris semper haberi debent. Nam ipsi Deo curandum erat, ut suæ leges suæque veritates illæsæ servarentur: si enim passus esset, eas postea adulterari, condidisset suam religionem, sed ut conservaretur, nihil providisset. Accedit quod Hebræi, juxta divinum iis impositum præceptum, divinis Scripturis quidquam adjungere vel demere, pro gravi semper sacrilegio habuerunt. Præterea Deus, quum ipse sacrorum librorum esset auctor, ita eos disposuit, ut unus alteri responderet, eosque hodie etiam inter se congruere videmus; quo fit, ut vitiari non potuerint, quin singuli libri, tam Veteris quam Novi Testa-

[1] Comment. in *Jeremiam,* XXXI, 31 et 32. — [2] In Psalm. XC, Sermo 2, n. 1.

menti, simul adulterarentur. Quod eo minus fieri potuit post Evangelii promulgationem; quum utriusque Testamenti exemplaria jam inde ab Ecclesiæ Christianæ principio per universum orbem divulgata fuerint, ac præterea in plures easque diversas translata linguas, Græcam, Latinam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Armeniam, Æthiopicam et Illyricam. Quî ergo fieri poterat, ut corrumperentur tot exemplaria, variis linguis conscripta, quæ jam antea per manus omnium circumferebantur?

Numquam defecerunt.

4. Increduli, tempore captivitatis Babylonicæ totum periisse ajunt Antiquum Testamentum, quod quum civitati ac templo ignis esset admotus, omnes libri combusti sunt. Atque illud confirmant ex libro IV Esdræ, ubi (cap. XIV) legitur, Esdram, quod sacri libri omnes periissent, eos quadraginta dierum spatio quinque amanuensibus dictasse. — Sed respondetur, etiamsi omnes combusti fuissent illi sacri libri, qui in templo asservarentur, cetera tamen remansisse exemplaria, quæ asservarentur a Jeremiâ saltem, Ezechiele et Daniele; et certo credi debet, Zorobabelem quoque eos habuisse, quum Hierosolyma populum reduceret et erigeret altare. — Porro quartus liber Esdræ pro apocrypho habetur; aut saltem habetur apocryphum factum illud, ipsum Esdram quadraginta dierum spatio omnes libros dictasse. Probabilior opinio vult, Esdram, licet in captivitate Babylonicâ libri combusti fuissent, omnem adhibuisse diligentiam, ut Scripturas ab iis colligeret, qui secum eas haberent; indeque eum (ut innuitur in libro II Esdræ, qui liber vere canonicus est [1]) in ordinem eas redegisse, inter se conferendo codices unà cum viris doctrinâ eruditis nec sine Spiritûs-Sancti præmotione. Nos autem sine hæsitatione credere oportet, tunc quidem curavisse Deum, ut Sacræ Scripturæ intactæ servarentur.

Eos non adulterarunt Gentiles;

neque Hebræi eos adulterarunt;

5. Quod deinde ad tempora post Esdram spectat, vitiari non poterat Vetus Testamentum; quæritur enim: quinam illud perficere debebant? Certo non fuerunt Gentiles, quorum prorsus nihil intererat talia suscipere. Neque Hebræi; tam multa enim, in iis libris narrata, maximo iis sunt dedecori; ac præterea tot prophetiæ (de quibus infrà sermo nobis erit) clare ibi demonstrant adventum Messiæ, quem ipsi obstinate rejiciunt: neutiquam ergo Hebræi illud conficere poterant, quod tam acriter repellunt. Sapienter igitur S. Augustinus: *Siquando forte aliquis paganus dubitaverit,* inquit, *quum ei dixerimus prophetias de Christo,... (quas) putaverit a nobis esse conscriptas; de codicibus Judæorum probamus, quia hoc tanto ante prædictum est. Videte quemadmodum de inimicis nostris alios confundimus inimicos* [2]. S. Justinus, permotus (ut ipse scribit in suo Dialogo cum Tryphone [3]) ipsâ illâ congruentiâ vaticinationum, quæ in libris Hebræorum habentur, ex gentili philosopho Christianus factus est. Accedit, quod Hebræorum tribubus per totam Asiam dispersis, translata est Sacra Scriptura in diversas linguas, atque ita conservata velut in totidem scriniis, quot erant Synagogæ; quo fit, ut vel ipsi Hebræi, etiamsi illud facere voluissent, non potuissent eam corrumpere.

neque illud fecerunt Christiani.

6. Pariter Scripturas corrumpere non potuerunt Christiani; quum Hebræi, a quibus Scripturæ illæ venerunt, utique non omisissent pervulgare additamenta vel mutationes, si quæ factæ fuissent a Christianis; Hebræi vero harum Scripturarum non infitiantur, sed totis viribus defendunt veritatem. Et, ut recte advertit *P. Segneri* [4], eam quoque ob causam voluit Deus, non omnino ex hoc mundo tolli Hebræos, sed eorum idoneum aliquem numerum relinqui, ut ipsi confirmarent veritatem illorum voluminum, quæ ostendunt simul et condemnant obstinationem,

[1] Lege: II Mach. II, 13 (Nota edit.).

[2] In Ps. LVIII, Sermo 1, n. 22. — [3] n. 7 seq. — [4] *L'Incredulo senza scusa, part. 2, cap. 17. n. 2.*

quâ rejiciunt Messiam, quem illi libri jam venisse demonstrant [1].

Ex iis cognoscuntur mundi primordia.

7. Veteris Testamenti Scripturis continetur revelatio veri Dei cum historiâ, quæ incipit a creatione mundi. Inde certo per totum orbem manavit notitia Dei; quapropter Strabo [2], commemoratâ narratione Mosaicâ, Moysis discipulos *Dei reverentes æqui amantes* fuisse refert. Tacitus [3] autem Judæos ait adorare unum solum Deum, *summum illud et æternum, neque mutabile neque interiturum (numen).* — *Qui* (ut Dio Cassius [4], de Hebræorum Deo agens, subjungit) *nec voce exprimi nec a nobis conspici possit.* Porro certum est, sacros Libros multo antiquiores esse reliquis omnibus scriptis, quæ apud ceteras nationes exire cœperunt. In iis probe apparet veritatis studium, quod accurate describitur temporum ordo, quod veterrimæ geographiæ perfecta illic cernitur cognitio, et priscorum imperiorum descriptio, quæ congruit cum optimis reliquarum nationum auctoribus. Ex illis Scripturis cognitum habemus, quomodo se diviserint nationes, et ubi domicilium collocaverint. Ex iis liquet populorum origo, quam nisi sacri Libri illustrassent, ipsis populis ignota remansisset. Græci, Latini aliæque Europæ gentes Japheth, Noë filii, memoriam quidem servarunt; quod his verbis indicat Ovidius: *Quam* (tellurem) *satus Iapeto* (unâ tantum litterâ immutatâ) *mixtam fluvialibus undis, finxit in effigiem* [5]; at nesciunt, se a *Japheth* descendere. Item Græci ignorant, cur *Ionii* vocentur; Scriptura [6] vero indicat, a *Ion*, uno ex Japheth filiis [*Iavan, Iaoun, Ioun*], originem eos ducere. Ægyptii adorant Jovem Ammonem, nec sciunt, cur ita faciant; sed ex Scripturâ novimus, *Hamon* idem sibi velle ac *Ham* sive *Cham*, tertium Noë filium, cujus progenies in Ægypto sedem sibi constituit; quocirca in Psalmis [7] dicitur: *Qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terrâ Cham* [8].

[1] Si quæras, num hodie prorsus incorruptus sit textus Hebraicus, communiter negant eruditi. *Salmeron* (*a*) cum *Morino* (*b*) aliisque asserit, eum a Judæis in odium Christianæ Religionis fuisse adulteratum. Alii cum Bellarmino (*c*) volunt, non de industriâ sed imperitiâ et incuriâ Rabbinorum vel etiam amanuensium nonnullos in eum irrepsisse errores; maxime ubi apposuerunt puncta, quæ vices gerunt vocalium in iis litteris, quæ vel eamdem figuram vel eumdem sonum habent; quæ quidem puncta initio non existebant, sed post quintum sæculum a *Massoretis*, Judæorum doctoribus, excogitata sunt. Hodie igitur textus Hebraicus, quamquam utilis est ad textum Latinum in multis rebus melius intelligendum, non est tamen absolutæ auctoritatis sicut Veteris Testamenti textus Latinus Vulgatæ editionis. Hunc enim (ut ad finem hujus capitis dicetur) nobis proposuit Ecclesia, quem fide teneremus ab omni errore substantiali immunem, in iis saltem quæ pertinent ad dogmata fidei et morum præcepta.

[2] Rerum Geographicar. Comment., lib. XVI (*Justi*, inquit, *et vere religiosi.* Nota edit.). — [3] Histor., lib. V, cap. 5. — [4] Historia Romana, lib. XXXVII, n. 17 (*Suum scilicet illum Deum*, inquit, *ineffabilem et formæ adspectabilis expertem existimantes.* Nota edit.). — [5] Metamorph., lib. I. — [6] Gen., X, 2. — [7] Ps. CV, 21 et 22.

[8] Apud *Joannem Hooke*, Doctorem Sorbonicum (*Religionis naturalis et revelatæ principia; tom. II, pag. 339* (*d*)) legitur, in pervetustis quibusdam Ægyptiorum (*e*) libris hæc reperiri: *In primo cæli statu hominem supremæ rationi interius unitum fuisse, et in suis actionibus justitiam secutum; animum ejus solâ tunc delectatum veritate, immunem ab omni errore.* En tibi descriptum ipsum innocentis hominis statum, sicut antea eum descripserat Moyses. Præterea refert Strabo (*lib. 15, pag. 713* (*f*)), apud Indianos hanc fuisse doctrinam: *Olim omnia plena erant triticeæ et hordeaceæ farinæ...: fontes alii lacte, alii aquâ fluebant, cet. Homines autem ob satietatem ac luxuriam ad contumeliam se tradiderunt. Jupiter itaque præsentem statum exosus, omnia abolevit, et vitam per laborem degendam instituit.* Quæ verba enarrans Isaac Casaubonus: *Nemo... dubitabit hæc legens,* inquit, *quo ex fonte manarint. Satis enim liquet ex iis esse hæc ficta, quæ nos sacra pagina docet de statu primi parentis ante lapsum* (*g*). Item in primâ parte hujus operis (cap. 1) jam notavimus, quam multi ex

(*a*) Comment. in Evangelic. Histor., Prolegom. 4, de Veritate Hebraicæ Lectionis. — (*b*) Exercitationes Biblicæ, lib. I, exerc. 1, cap. 1 seq. — (*c*) De Verbo Dei, lib. II, cap. 2. (*d*) De vera Religione, pars 2, art. 5, § 3, prob. 3. — (*e*) Agitur de Libris Sinensium (Nota edit.). — (*f*) Rerum Geograph. Comm. lib. XV. — (*g*) In *Strabonem*, lib. 15, Nota.

Versio Græca septuaginta interpretum.

8. Objiciunt increduli, corruptos esse sacros illos libros, quod pluries in alias linguas sint translati. — Ad quod ita respondemus: Plures quidem prodierunt Veteris Testamenti translationes, quarum celeberrima est, quæ *septuagintaviralis* vocatur. Eam faciendam curavit rex Ptolomæus Philadelphus; et Apostolorum ætate etiam existebat. Hujus versionis historiam referunt Tertullianus [1], S. Irenæus [2] et S. Justinus [3], qui auctores quingentorum annorum intervallo a Ptolomæo Philadelpho distabant; item Josephus Hebræus [4] et Philo [5], qui trecentis quinquaginta annis post Ptolomæum vixerunt. — Ptolomæus Philadelphus, Ptolomæi Lagi, Ægyptiorum regis, filius, quum hortatu Demetrii Phalerei philosophi bibliothecam suam, Alexandriæ collectam, locupletare vellet, ab Eleazaro Summo Pontifice petivit, ut sibi transmitteret volumina sacra atque unà plures doctores Hebræos, qui Græco sermoni ea traderent. Eleazarus viros doctos septuaginta duos ei misit, eorumque translatio et a Judæis et a Græcis, qui Alexandriam incolebant, approbata est. Jamvero in illâ versione interpretes illos a Spiritu-Sancto fuisse inspiratos, eamque ob causam errare non potuisse, existimarunt S. Irenæus [6], Clemens Alexandrinus [7], Theodoretus [8] et S. Augustinus [9] cum Bellarmino [10] et Baronio [11]. At contrarium sensit S. Hieronymus [12], eosque ait non quidem fuisse inspiratos. Sed etiamsi inspirati non fuissent, aliorum tamen eruditorum sententia est, recte affirmari posse, saltem iis adstitisse Spiritum-Sanctum. — Ceterum *Ludovicus Vives* [13], *Alphonsus Salmeron* [14], *Scaliger* [15] aliique multi dubiam habent historiam illam, quæ ab Aristeâ quodam ethnico scripta fertur: illos nempe septuaginta interpretes, singulos in singulis cellulis inclusos, suam exarasse translationem; easque, postmodum inter se collatas, omnes uniusmodi fuisse repertas.

Versiones Latinæ.

9. Quod porro ad Latinas Veteris Testamenti versiones spectat, ea quoque, quæ præ ceteris legebatur (quam *Italam* S. Augustinus [16], *Veterem* S. Gregorius [17], S. Hieronymus [18] *Vulgatam* nuncupat), amanuensium incuriâ non erat ab erroribus immunis. Quare S. Hieronymus eam corrigendam suscepit, duasque fecit Latinas versiones, priorem ex Græcâ interpretatione septuagintavirali, alteram ex textu Hebraico: quæ interpretatio deinde et Damasi et aliorum Pontificum operâ in Ecclesiâ Occidentali communiter recepta fuit ceterisque anteposita. Hodie vero, ex quartâ Sessione Concilii Tridentini, ut authentica approbata est sola editio Vulgata, in quâ (ut eruditi volunt) unica Itala interpretationi S. Hieronymi est admixta [19].

Objectio.

10. Reponunt increduli, fieri non po-

antiquis scriptoribus de Mosaicâ historiâ mentionem fecerint, suisque scriptis confirmaverint, quæ Moyses tradidit a creatione mundi ad linguarum confusionem, quum turris Babel ædificaretur. — A Moyse autem scriptum esse Pentateuchum, præterquam quod certo nobis constat ex constanti Hebræorum sententiâ, Jesus Christus pluribus locis testificatus est: *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et Mihi; de Me enim ille scripsit (Joan., V, 46).* Et alibi: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis (Joan., III, 14).* De quo serpente legimus in libro Numerorum, XXI, 9. — Neque obstat, in Deuteronomio (XXXIV, v. 5 et 6) ipsius Moysis obitum describi; illud enim ab alio scriptum creditur, sic jubente Deo, cujus est numquam permittere, ut in sacros libros irrepat falsum.

[1] Apologeticus, cap. 18. — [2] Contra Hæreses, lib. III, cap. 21. — [3] Apologia 1, n. 31. — [4] De Antiquitatibus Judaicis, lib. XII, cap. 2. — [5] De Vita *Mosis*, lib. II. — [6] L. c., n. 2. — [7] Stromatum, lib. I, cap. 22. — [8] Interpretatio in Psalmos, Præfatio. — [9] In Ps. CXXXV, n. 3; de Civitate Dei, lib. XVIII, cap. 43. — [10] De Verbo Dei, lib. II, cap. 6. — [11] Annales, a° 231, n. 21. — [12] Præfatio in Pentateuchum. — [13] *S. Augustini*, de Civit. Dei, libri XXII, *Lodovici Vivis* Commentariis illustrati, lib. 18, cap. 42.

[14] Comment. in Evangelic. Histor. Prolegom. 6 (Librum quidem *Aristeæ* pro apocrypho, ipsam tamen historiam pro authenticâ habet. Nota edit.). — [15] Animadversiones in Chronol. *Eusebii*, a. 1734. — [16] De Doctrina Christiana, lib. II, cap. 15. — [17] *S. Greg. M.* In *B. Job*, Moralia, Ep. Missoria, cap. 5. — [18] Comm. in *Isaiam*, XVI, 14.

[19] Hic obiter cum Bellarmino *(de Verbo Dei, lib. II, cap. 7)* notetur, non omnino tutam esse Græcam Novi Testamenti interpretationem, quum non sit omnino incorrupta.

tuisse, ut sacri libri per tot sæcula incorrupti servarentur. — Præter alia responsa, quæ multa afferuntur, omnium firmissima hæc duo sunt, neque ullum tergiversandi locum relinquunt: primum, nefas esse vel suspicari, umquam permittere potuisse Deum, ut erroribus inficerentur Scripturæ illæ, quæ verum suum cultum veramque morum sanctimoniam contineant. In eas autem propter longinquitatem ac varietatem temporum nonnullos parvi momenti irrepsisse errores, qui nec fidem nec mores attingant; atque ideo plura repetita fuisse, alia omissa, alia transiisse ex Glossâ in ipsum textum, — nequaquam obest religionis fideique substantiæ, quin etiam ex eo confirmatur, sincera esse sacra Volumina, nec de industriâ adulterata vel humano artificio conficta. Ad præpediendos exiguos illos errores, continuo opus fuisset, nec necessario miraculo.

Deinde (quæ responsio priore etiam firmior est), nobis certo pro divinis habendos esse eos omnes libros, quos tamquam divinos nobis proponat S. Ecclesia, quæ quum a Deo nobis data sit columna et magistra veritatis, in errore versari nequit. Legatur hujus operis Pars III, cap. VI, § 3-4.

Alia objectio.

11. Sed, inquiunt, quî fieri potuit, ut Ecclesia, tot sæculis interlapsis, a multis illis apocryphis vitiatisque Scripturis, quæ prodierunt, veras ac sinceras discerneret? — Respondetur, probe illud agnoscere potuisse Ecclesiam ex traditione per sanctos Patres ac Doctores transmissâ, et ex illustratione Spiritûs-Sancti, sibi promissi, ne errorem admitteret. Atque ita sanctum Concilium Tridentinum inter sacros libros numerare potuit nonnullos, qui antea non ab omnibus pro sacris habebantur. Sed eâ de re plura in parte III.

Tertia objectio.

12. Deista quidam, qui librum conscripsit: *De Religionis Examine* [1], miratur, quod Scriptura dicat, Deum in paradiso quærere Adamum: *Ubi es?* [2]..... Eum deambulare [3], habere brachia [4], pœnitere Eum, quod hominem fecisset [5]. — Sed auctor ille cur deinde non commemorat alios tam multos textus, quibus monemur, Deum videre omnia, non esse corpus sed purum spiritum, Eum esse immutabilem nec quidquam Eum posse pœnitere? — Quis umquam dixit, errores esse tropos et figuras? Deus omnia videbat, inquis? At illic præsentiam suam declaravit Adamo, ut de peccato eum objurgaret. Brachia significant potentiam divinam. Illa vox doloris non indicat, mutatam esse Voluntatem, sed mutari rerum seriem.

Cujusdam Deistæ dubium.

13. Alius Deista, qui scripsit *de Philosophiâ sensûs communis* [6], extra libros Mosaicos nihil ait de hoc mundo nos scire posse, nisi ea, quæ post diluvium acciderunt; si enim Sinenses et Ægyptiacos annales accipiamus, rejicienda erit Genesis, quum mundi creationem multis millibus annorum antiquiorem exhibeant quam Moyses. Concludit autem his verbis: *Fides et religio vetant, ne talem quæstionem scrutemur* [7]. — Itaque eo *scrutandi* verbo auctor ille tandem in incerto ac dubio ponit sacra Volumina. Sed quis nesciat, antiquas illas Ægyptiorum prosapias esse prorsus commentitias? In suâ *Dissertatione de Creatione* (Art. 1) Natalis Alexander [8] demonstrat, Ægyptiacos annales fictos esse et omnino falsos. Item falsi sunt annales Sinenses, quos doctores, ut *Cassini* [9], *Wiston* [10] et *Fréret* [11], qui rite eos examinarunt, non ultra regredi ostendunt quam ad *Yao* et *Chuna* reges, Sinæ imperii fundatores; quum ergo agatur de 1990 circiter ante Christum natum annis, non possunt diluvii tempora ante-

[1] *De la Serre, Examen de la Religion.* — [2] Genes. III, 9. — [3] Ibid., v. 8. — [4] Exod. VI, 6. — [5] Genes. VI, 6 et 7. — [6] *Marquis d'Argens, La Philosophie du Bon Sens.* — [7] L. c., *Reflex. 1, § 4.* — [8] Hist. Eccl. In 1m mundi ætatem. Dissert. 3, art. 1. — [9] *Réflexions sur la Chronologie des Chinois.* — [10] Apud *Valsecchi* O. P., *Fondamenti della Religione, lib. 1, cap. 3, n. 5.* — [11] *De l'Antiquité et de la Certitude de la Chronologie Chinoise.*

cedere. — Porro Scripturæ veritatem in dubium vocare, quod in rebus chronologicis obscura nonnulla habeantur, vel quod in antiquis textibus aliqua verba inter se differant, idem est, ac si in arenâ quæreres naufragium, quod in scopulis non reperisses.

CAPUT III.

VETERIS TESTAMENTI SCRIPTURARUM DIVINITAS PROBATUR EX MIRACULIS.

Miracula non fiunt in confirmationem erroris.

1. Deus permittere nequit, ut diabolus, naturæ ordinem immutando, miraculis nos decipiat ad confirmandum falsum aliquem fidei articulum: nam illud permittendo, ipse Deus nos deciperet. — Quum vero Deus permittat, ut sæpius ab hominibus fallamur, nonne item permittere potest, ut illudamur a dæmonibus? Non potest; homines enim, qui in errorem nos inducunt, non adhibent divinæ auctoritatis operam; si vero dæmones in fidei materiâ miraculis nos deciperent, ad nos decipiendos divinæ auctoritatis speciem adhiberent: quandoquidem legum naturalium ordo earumque mutatio pertinet ad Providentiam Dei, qui eas leges condidit. Majora supranaturalium veritatum argumenta non habemus quam miraculorum testimonium; quapropter numquam credere debemus, verum aliquod miraculum iis veritatibus contrarium a diabolo fuisse patratum. Ac proinde numquam permisit Dominus diabolicum aliquod prodigium in confirmationem erroris contra fidem.

Miracula sunt veritatis argumenta.

2. Itaque miracula sunt tuta divinarum veritatum argumenta. Quum a Deo quæreret Moyses, quodnam legationis suæ signum daret populo, si sibi credere renueret; miraculorum potestatem ei Se præbiturum esse respondit Dominus, *ut credant... quod apparuerit tibi Dominus Deus* [1]. — Atque idcirco Moyses, ut postea nequitiam populi confunderet, miracula a se patrata ei objicere numquam desistebat. Neque aliter Jesus Christus, quum Pharisæi Sibi credere nollent: *Si non facio opera Patris mei,* inquiebat, *nolite credere Mihi* [2]. Et alio loco: *Ipsa opera, quæ Ego facio, testimonium perhibent de Me* [3]. Unde miraculis illuminatus Ei confessus est Nicodemus: *Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ Tu facis, nisi fuerit Deus cum eo* [4].

Miracula in Ægypto.

3. Magno igitur (ad rem nostram veniamus) Veteris Testamenti librorum divinitatis argumento sunt multa illa miracula, in iis relata et antea patrata coram toto Hebræorum populo atque ipsis Ægyptiis, eorum adversariis. Promittit Moyses, Pharaonem tales obstinationis suæ subiturum esse pœnas, ut, calamitate coactus ipse precaturus sit Hebræos, de regione suâ exeant; præterea omnes Ægyptiorum primogenitos unâ nocte ab Angelo perituros, exceptis tantum Hebræorum familiis, dummodo sanguine Agni Paschalis januas aspersissent. Atque ita prorsus accidit: perierunt omnes Ægyptiorum primogeniti; et sic Hebræi, a Pharaone e servitute liberati, de Ægypto exierunt; quæ omnia leguntur Cap. XI et XII libri Exodi.

Transitus maris Rubri.

4. Sed vix egressi, in magno vitæ periculo versantur: hinc imminet Pharaonis exercitus, illinc Mare Rubrum fugam intercludit, neque arma habent, quibus se defendant. Verumtamen divino Spiritu afflatus eos hortatur Moyses, ut mare in-

[1] Exod., IV, 5.

[2] *Joan.*, X, 37. — [3] *Joan.*, V, 36. — [4] *Joan.*, III, 2.

grediantur; et ecce, iis intrantibus, medium se aperit, donec ad alteram partem transierint, insequentibus vero Ægyptiis clauditur, ut pereant omnes [1].

Si autem duo illa miracula non ita accidissent, sicut jam inde ab ipsis iis temporibus illic referuntur, quomodo efficere potuisset Moyses, ut fidem iis adjungerent plus quam sexcenta millia Hebræorum ibi præsentium? Minime vero; ea miracula negare non poterant Hebræi, atque idcirco postea toties eos objurgavit Moyses, et in eorum memoriam jam tum institutum est magnum festum Paschatis, ut refert liber Exodus, Cap. XII et XIII.

Legis promulgatio.

5. Alia sequuntur prodigia, itemque in oculis totius populi. Deus post quinquaginta dies in monte Sinai [2] legem Hebræis tradit, quum omnis populus videt ignem in monte coruscantem, auditque vocem, quæ legis præcepta promulgabat [3]. Atque in hujus rei memoriam instituitur Pentecoste [4]. Tum coram vicies centenis millibus hominum apparet columna nubila per diem, quâ a solis radiis proteguntur, per noctem vero ignea, itineris lumen [5]. Quis umquam dicat, eam esse fabulam, vel meram fuisse oculorum ludibrium, vel etiam casum quemdam, qui fortuito incidit, quum prodigium illud non minus quadraginta annis duraverit?

Columna nubis et ignis.

Rebelles absorbentur.

6. Præterea Core, Dathan et Abiron, Moysi et Aaron obedire renuentes, seditionem suscitant, transeuntque ad eos ducenti quinquaginta viri proceres et magna pars populi. Moyses se confert ad tentoria tumultuantium, ibique Hebræos hortatur, ut a miseris iis discedant, ne eorum pœnâ involvantur; prædicitque, terram brevi eos esse absorpturam; et ecce, illico vasta vorago aperitur deglutitque omnes rebelles unà cum eorum tabernaculis; ceteri autem, ne in eamdem calamitatem trahantur, fugâ se abripiunt [6]. Hoc solum prodigium satis demonstrat, Moysen, Pentateuchi auctorem, ab ipso Deo missum, et vera esse quæcumque scripsit.

Transitus Jordanis.

7. Et quod ad Josue attinet, duo illa miracula commemorare satis est, quæ magis publica fuerunt. Primum, quando Hebræi ut terram promissam ingrederentur, Jordanem transire debebant. Cujus quum valde tumerent aquæ, præcepit Josue, ut sacerdotes arcam fœderis portantes in flumen intrarent, et in medio consisterent donec omnis populus transiisset; duodecim porro viri, singuli ex singulis tribubus, duodecim tollerent lapides, ex quibus post transitum monumentum erigeretur. Et sic prorsus accidit. Sacerdotibus cum arcâ ingressis, confestim aquæ in duas partes divisæ sunt: pars inferior defluere pergebat, superior vero tantâ mole constitit, ut etiam longinquis urbibus appareret [7]. Cujus quidem prodigii testes fuerunt vicies centena millia hominum. Tum erectum est monumentum, quod patres deinde suis monstrabant filiis. Quin etiam præcepit Dominus, ut parentes quum rogarent filii, quid sibi vellent illi lapides, responderent: *Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum, siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis* [8]. Alterum miraculum fuit ruina murorum urbis Jericho post plures cum arcâ septem dierum circuitus [9]. Hæc autem et alia miracula probe confirmant veritatem Scripturæ et religionis Hebraicæ; posteriores enim hagiographi ea rata habuerunt, novisque miraculis confirmarunt omnia.

Ruina murorum.

Objectio.

8. Opponunt Deistæ: Sed in ipsis Scripturis multa referuntur prodigia, a dæmonio patrata; sic in libro Exodi (Cap. VII) legimus de virgis in dracones mutatis et de aquâ in sanguinem versâ; in libro primo Regum (Cap. XXVIII) narratur, pythonissam a Saule rogatam Samuelis defuncti animam arte magicâ evocasse; quod item confirmatur in libro Ecclesiastici (Cap. XLVI, 23). — Respondetur,

Responsio.

[1] Exod., cap. XIV. — [2] Exod., XIX. — [3] Exod., XX, 18. — [4] Deuter., XVI, 10 seq. — [5] Exod. XIII, 21 et 22. — [6] Num. XVI. — [7] *Josue*, III, 15 et 16. — [8] *Jos.*, IV, 22 et 23. — [9] *Jos.*, VI.

Dei permissu dæmonium multa mirabilia facere potuisse vel in pravorum pœnam vel in meritum bonorum, numquam tamen ad confirmandos errores contra fidem. Et quod ad Samuelem spectat, melior sententia est, ejus animam comparuisse non dæmonii operâ, sed expresso Dei jussu; quum Samuel plura ibi prædixerit, quæ postea evenerunt; atque ideo obstupefacta est Pythonissa.

Conclusio. **9.** Adjungimus, Veteris Testamenti veritatem inde etiam valde comprobari, quod in eo populus Hebraicus ingratus depingitur, rebellis, ad idololatriam propensus, murmurabundus adversus Moysen et contra ipsum Deum, nec nisi flagellis cedens; ita ut describantur omnia ejus delicta omnesque objurgationes quas subiit. Unde concludi debet, hunc populum erga Scripturas, sui dedecoris adeo plenas, nequaquam conservaturum fuisse tantam venerationem, nisi pro divinis eas habuisset ob ipsa facta ibi relata et ob innumera prodigia, quæ Deus coram ipsis patraverat ad confirmandam Moysis missionem et sacram historiam ab eo conscriptam.

CAPUT IV.

SCRIPTURARUM DIVINITAS ITEM PROBATUR EX PROPHETIIS DE MESSIÆ ADVENTU.

Prophetia est veritatis argumentum. **1.** Futurum prædicere solius Dei est. Isaias: *Annuntiate*, inquit, *quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos* [1]. Et alibi per eumdem Prophetam dicit Dominus: *Quis similis mei? Vocet et annuntiet... ventura, et quæ futura sunt annuntient eis* [2]. Qui mei similis est, inquit Deus, res futuras, si possit, prænuntiet. Mentes creatæ prævidere quidem, seu ut melius dicam, conjectare possunt futuros naturalis alicujus causæ effectus; at certo prævidere effectus prorsus contingentes, ad solum Deum spectat, cujus Voluntas talium effectuum causa est. Auctores plura referunt oracula, a gentilium idolis edita; sed vel mendacia erant ab idololatris sacerdotibus excogitata, vel responsa ambigua vel etiam ea continebant, quæ tunc dæmoniis non erant ignota. De quibus oraculis sermo nobis erit *Parte III, Cap. II, § 1.* Divinæ prophetiæ vero res ipsas diu præcesserunt, et deinde adeo signate impletæ sunt, ut numquam talia prænuntiare potuisset nisi qui perspicue ea prævideret. Errat igitur *Grotius* [3], quum dicit, prophetias non valere ad persuadendas nobis veritates Christianas, sed solum conducere ad confirmandas veritates fide jam admissas. Errat; nam aliæ sunt figuræ, aliæ prophetiæ: prophetiæ sunt, quas impletas videmus sensu, non accommodato, sed naturali; quam ob causam eamdem vim habent ac veracitas Dei. — Hic autem omissis tot aliis mirandis vaticinationibus, quas Antiquæ Legis prophetæ ediderunt, de iis tantum mentionem facimus, quæ Messiam respiciebant, in plenitudine temporum mundi redimendi causâ adventurum. Ad magnum illud humanæ redemptionis opus collineabant non solum prophetiæ, sed omnia Antiquæ Legis sacrificia, omnes solemnitates et sacræ Scripturæ omnes. Quare Apostolus [4] totam Veteris Testamenti historiam non aliud esse ait nisi Jesu Christi et Novi Testamenti prophetiam. — Ex prophetiis nonnullæ in sensu litterali ad Messiam referuntur, aliæ partim litterales sunt partim typicæ, aliæ mere typicæ, aliæ denique confirmatæ

[1] *Is.*, XLI, 23. — [2] XLIV, 7.

[3] In *Matth.*, cap. 1. — [4] 1 *Cor.*, X, 11; *Coloss.*, II, 17.

sunt ab ipso Deo, qui declaravit, eas tamquam figuras Se dedisse.

In Veteri Testamento Messias prædicitur.

2. Dubitari non potest, quin illæ prophetiæ, quæ Messiam respiciunt, in Veteri Testamento reverâ contineantur; si enim a Christianis in sacros libros furtim intrusæ fuissent, Hebræi, qui Messiam venisse negant, et a quibus illæ Scripturæ ad nos pervenerunt, certo eas negarent et a Christianis interpolatas esse objicerent. Sed eas non negant Hebræi; quamquam suo arbitratu de aliis personis, non vero de Messiâ eas interpretantur; quâ in re ceteroquin dissentiunt a *Rabbinis*, qui ante Jesum Christum vixerunt: hi enim (ut demonstrant *Huetius*[1] et *Calmet*[2]) eodem modo quo Christiani, eas explicarunt. Sed jam ad eas prophetias enodandas accedamus.

§ I. *Messiam venisse probatur ex iis, quæ David et Jacob prædixerunt.*

David Messiam prænuntiavit.

3. En quid David Redemptoris nomine dixerit: *Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti Mihi* (juxta Apostolum, *corpus autem aptasti Mihi*[3]). *Holocaustum et pro peccato non postulasti* (juxta Apostolum, *non Tibi placuerunt*[4]): *tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de Me, ut facerem voluntatem tuam*[5]. Quæ omnia (ut vidimus) S. Paulus vere declarat ad Jesum Christum pertinere. Præterea iis verbis certo non poterat David de semetipso loqui, quum hoc non potuisset sibi arrogare, ut omnium sacrificiorum locum teneret essetque victima adeo sancta, ut mundum ab omnibus damnis peccato illatis reficeret. — Alteram prophetiam, quæ Messiam respiciebat, his verbis David expressit: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*[6]. Hic ergo prædicitur, sacerdotium Aaron aliquando terminum esse habiturum cum Jesu Christi sacerdotio, quod finem non habet, quum esset secundum ordinem Melchisedech, qui non habuit successores. Quapropter Jesus Christus vocatur sacerdos æternus, qui successores non habet, sicut eos habuit Aaron. Nec Sacerdotes Novæ Legis Jesu Christi successores sunt, sed ejus vicarii, qui ejus nomine sacrificium Altaris Deo offerunt.

Messias protoparentibus promissus est.

4. Hæc Messiæ promissio omnium antiquissima fuit, a Deo hominibus facta in ruinæ, peccato illatæ, reparationem. Serpenti, qui Evam seduxerat, jam dixit Dominus: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum*[7]. Hebraice pro *ipsa* legitur *ipse;* sed ad idem recidit, nam perinde valet: *ipsa per ipsum* ac *ipse per ipsam* caput serpentis conteret. Postea eadem promissio Abrahamo his verbis confirmata est: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*[8]. Atque ita illud intellexit Abraham, qui certo credere non poterat, per seipsum vel per Isaac, filium suum, universum mundum benedictionem esse accepturum; idque eo magis, quod eamdem promissionem habuerunt Isaac et Jacob[9], a quibus descendit Redemptor noster, cujus meritis benedictio illa super omnes homines diffusa est. Itaque ex hac primâ promissione duæ colliguntur veritates. Prima, nasci omnes homines divinâ gratiâ orbatos et filios iræ, ut Adami culpæ et maledictionis hæredes. *Inimicitias ponam* (ait Deus ad serpentem) *inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, cet.*[10]. Ergo priusquam ponerentur inimicitiæ, genus humanum erat cum serpente consociatum.

Altera, voluisse Deum salvare hominem per Messiam, qui eum a Luciferi potestate liberaret.

Jacob tempus determinat.

5. Sed ad eas prophetias magis determinatas veniamus, quæ ipsum tempus indicarunt, quo Redemptor veniret. Earum prima est, quam edidit Jacob, quum ætate provectus his verbis Judam filium alloqueretur: *Juda, te laudabunt fratres*

[1] Demonstratio Evangelica, prop. 7. — [2] Dissertatio de Characteribus Messiæ. — [3] Hebr. X, 5. — [4] v. 6. — [5] Ps. XXXIX, 7-9. — [6] Ps. CIX, 4. — [7] Genes., III, 15. — [8] Genes., XXII, 18. — [9] Genes., XXVI, 4 et XXVIII, 14. — [10] Gen., III, 15.

tui... adorabunt te filii patris tui.... Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium [1]. Ipsi Hebræorum doctores hoc vaticinium de Messiâ vulgo intellexerunt, ut Chaldaicæ et Talmudicæ paraphrases ostendunt [2]. Vox *sceptri* significat auctoritatem, quam tribus Juda super reliquas undecim deinceps habuit, ut apparet ex Scripturis, ubi semper nominatur prima, quum de prælatione agitur [3]. Deo obtulit prima munera [4]. Post mortem Josue, ex oraculo Domini dux electus est Judas [5]. Ad hanc tribum postea delata est regia potestas in personâ Davidis, qui palam edixit, domûs Judæ principatum suo regno esse antiquiorem: *De Judâ... elegit (Dominus) principes; porro de domo Judâ, domum patris mei* [6]. Eamque ob causam David regem suum Judam vocavit: *Juda rex meus* [7]; significans, principatum non ad suam proprie familiam, sed ad totam tribum Judæ pertinere. Et quum decem tribus per varias provincias a Judâ dividerentur et permiscerentur cum ipsis gentilibus [8], tribus Juda, etiam in captivitate, semper conjunctam semet servavit, quum una pars in Judæâ remaneret [9], altera in Babyloniâ consociata moraretur, secum habens unum ex suis regibus, quem is, qui post Nabuchodonosor venit, super reliquos principes sublevavit [10]. Atque etiam in Babyloniâ (ut ex celebri Susannæ historiâ constat [11]) Judæi juxta legem suam vitæ necisque potestatem in suos exercebant.

Illa prophetia impleta est.

6. Et quum Cyrus Hebræos in libertatem restituisset, tribus Juda ad antiquum principatum rediit; ipsa populo magistratus suppeditabat, et velut per meram concessionem cum reliquis tribubus communicabat *Judæorum* nomen. Nec Machabæi, qui erant ex tribu Levi, suam habebant auctoritatem, nisi quatenus eorum tribus cooptata esset in tribum Judæ. Eâque de causâ tabulæ, iis temporibus a Romanis Hierosolyma missæ, hunc solum habuerunt titulum: *Bene sit Romanis et genti Judæorum* [12]. Sub Tito solum tribus Juda omnem auctoritatem amisit, et dispersa fuit sicut reliquæ omnes, quum jam venisset Messias; erat enim prædictum: *Non auferetur sceptrum de Juda... donec veniat qui mittendus est* [13]; quibus verbis designatum erat tempus amissæ auctoritatis ut argumentum, Messiam advenisse. Illa ceteroquin auctoritas Judæ non semper eadem permansit; aliquando minus absoluta neque adeo augusta fuit; semper tamen duravit usque ad annos Messiæ proximos, quum semper et principes et judices habuerit, qui aliquomodo saltem gubernationis potestatem retinerent. Postea vero Senatus Romanus Hebræorum regem constituit Herodem peregrinum; deinde imperator, in exsilium misso Archelao Herodis filio, Judæam in provinciæ formam redegit, delatâ civili potestate ad procuratorem, quem ipse miserat; ac demum sub Tito item iis ablata est auctoritas ecclesiastica. Itaque Titi vel ad summum Hadriani temporibus, Judæi omnem prorsus auctoritatem amiserunt. Unde probatur, ex iis temporibus jam venisse Messiam.

§ II. *Messiam venisse probatur ex prophetia Danielis.*

Daniel tempus adventûs subtiliter describit.

7. Prophetia Danielis [14] non solum perspicua est ut prophetia Jacob, sed etiam

[1] Gen., XLIX, 8 et 10. — [2] *Beresith Rabba, Ketanna, Echad Rabthi, Guemara (Tit. de Synedrio), Jakum (Ad Pentateuch.)*, Rabbi *Salomo Jarchi, Onkelos, Jonatham, Rabbi David Kimchi.* De hisce confer *Nat. Alex.* (Ætas III, dissert. 12, pr. 1) et *Huet.* (Demonstrat. Evang., prop 7, n. 7). — [3] Num. XXXIV, 19; Josue XV, 1. — [4] Num. VII, 11 et 12. — [5] Judic. I, 2. — [6] 1 Paral. XXVIII, 4. — [7] Ps. LIX, 9. — [8] 4 Reg. XVII-XXIV. — [9] *Jerem.*, LII, 16. — [10] 4 Reg. XXV, XXVII, XXVIII. — [11] *Daniel*, XIII, 41 et 62. — [12] 1 *Mach.*, VIII, 23. — [13] Genes., XLIX, 10. — [14] Impius *Porphyrius* ait, hanc *Danielis* prophetiam a Christianis esse suppositam (*a*).

(*a*) Conf. *Petri Huetii*, Demonstrat. Evangelic., proposit. 4, n. 12 et proposit. 7, n. 20. - Item, *S. Hieron.* In *Danielem* Prophet., Prolog. *Contra prophetam Danielem*, inquit, *duodecimum librum*

subtilius discernit tempus, quo Messias veniret. En quam circumscripte Archangelus Gabriel illud ei designet: *Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui Eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* [1].

Erat tunc Daniel secum considerans numerum septuaginta annorum Jeremiæ prænuntiatum [2], quibus duraret captivitas Babylonica; et precabatur Dominum, ut suam de Hebræorum liberatione adimpleret promissionem: *Obsecro, Domine Deus magne et terribilis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus Te* [3]. Quare indubitatum est, septuaginta hebdomadas, ad adventum Messiæ indicatas, non mensium vel dierum, sed annorum hebdomadas intelligi, ut efficiant quadringentos nonaginta annos; quâ in re consentiunt omnes Theologi et ipsi Hebræi usque ad Titum, v. g. *Rabbinus Nehumias*, qui 50 annis ante Christum vixit, et *Rabbinus Jose*, qui excidio Hierosolymorum interfuit, ut testatur *Rabbinus Jacob* [4]. Quamquam posteriores Hebræi defendere conati sunt, singulas hebdomadas septuaginta complecti annos, immo (ut nonnulli etiam asseruerunt) septem sæcula.

Explicatur ubinam incipiant hebdomades.

8. Juxta prophetiam autem dinumeratio 490 annorum incipienda est a tempore, quo exiit Decretum regis Persarum, qui Nehemiæ permisit instaurare templum et urbem Hierosolyma. Nonnulli ita computant, ut addendi sint alii novem vel decem anni. Quæ tamen varietas non ex historiâ sacrâ provenit, sed ex diversis quæ historici profani referunt; alii enim annos computare incipiunt ab eo tempore, quo Themistocles ad Artaxerxem Longimanum confugerat; alii (cum Diodoro Siculo [5], Dione et Plutarcho [6]) dicunt, Themistoclem se adjunxisse ad Xerxem, patrem Artaxerxis, quum hic consors esset paterni regni. Alii volunt, septuaginta hebdomadarum annos fuisse lunares, atque ideo breviores. Alii hebdomadas exordiuntur a primo edicto Artaxerxis, alii ab altero ejus edicto, quod vigesimo anno promulgavit, juxta verba *ab exitu sermonis;* et hæc est communior opinio, ut ajunt Natalis Alexander [7] et alii apud *Calmet* [8]. Legitur enim apud Esdram [9], anno vigesimo Artaxerxis, effectum habuisse ejus Edictum; qui annus vigesimus (juxta Chronologiam Thucydidis [10],

[1] IX, 23-27. — [2] *Jerem.*, XXV, 11 et 12. — [3] *Dan.*, IX, 2-4.

[4] Vide: *Trattato de' principii dimostrabili della Fede Crist. Tradotto dal Francese, accresciuto di Annotazioni..., dal Can. Gius. Guerreri, tom. 1, pag. 23-24.*

[5] Bibliotheca, lib. XI, n. 56 seq. — [6] Vitæ comparatæ, *Themistocles.* — [7] Hist. Eccl. In 6^m^ mundi ætatem. Diss. 2, prop. 1. — [8] Dissertatio de 70 septimanis *Danielis.* — [9] 2 *Esdr.*, II. [10] Cfr. de Bello *Pelopon.*, lib. I, cap. 137. —

scripsit Porphyrius, nolens eum ab ipso, cujus inscriptus est nomine, esse compositum.... Cujus impugnatio testimonium veritatis est. Tanta enim dictorum fides fuit, ut propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narrasse præterita (Nota edit.).

Eusebii [1] et aliorum) est annus 270[us] post Romam conditam (*a*), seu annus 487[us] ante 29[um] æræ vulgaris.

Confirmatur explicatio.

9. Omnes ceteroquin consentiunt, paucorum tantum esse annorum differentiam; quod alii, septimum Artaxerxis annum designantes, illud tempus denotent quo solus regnare cœpit; alii qui vigesimum ejus annum statuunt, de eo tempore loquantur, quo unà cum Xerxe patre suo regnaret. Ergo quamvis diversæ sint auctorum opiniones, inter omnes tamen convenit, septuaginta hebdomadas exitum habere circa illud tempus, quo Jesus Christus mortuus est. Et hoc satis sit oportet; namque impletum esse vaticinium, non ex solâ annorum computatione dignosci debet, sed etiam ex aliis signis singillatim prænuntiatis, ut ex ruinâ Hierosolymitanâ et Judæorum dispersione, quæ ut prædicta erant, post Messiæ mortem evenerunt. Et hæc sunt rerum capita, a vaticinio potissimum intenta; quæ si impleta cernimus, nihil dubitandum est propter discordiam chronologorum, quos quum de adeo longinquis temporibus et tam magno annorum numero computando agatur, mirum non est, in varias abiisse sententias. Idque eo magis, quod ob multiplices opiniones ne certo quidem statui potest, quo proprie anno Christus mortuus sit. Concludamus igitur, in hoc pro verâ sequendam esse eam opinionem, quæ consonat cum factis, quæ jam evenerunt et a nullo negantur.

Messias ipse hanc prophetiam confirmavit.

10. Impletam esse totam prophetiam, confirmatur deinde ex declaratione Messiæ, qui postquam advenisset, Ipse dixit: *Quum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele prophetâ, stantem in loco sancto, qui legit intelligat, cet. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant* [2]. — Sed ex ipsâ prophetiâ omnia patescunt. Nam, ut ibi prædicitur, confirmabitur pactum fœderis, deficient sacrificia, finem accipiet iniquitas, adducetur justitia sempiterna et omnimoda desolatio. Sed hæc omnia non possunt intelligi nisi de animarum Redemptore et de eo, qui vitam æternam nobis acquireret. Quis umquam talia dicta existimet de solius temporalis felicitatis auctore? Est, qui illud vaticinium ad Oniam Pontificem transferat; sed quomodo Onias pro Christo a Daniele prædicto haberi potest, si vaticinium asserit, occidendum esse Christum inter unctionem *Sancti Sanctorum* (quod nomen nemini umquam sacerdoti datum fuit) et Hierosolymorum ac templi exscidium? *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo* [3]. Porro magis inepta est opinio eorum, qui hoc vaticinium transferunt ad Judam Machabæum, quum pœnam a Deo per Antiochum illatam, non *ad interitum*, sed solum *ad correptionem* impositam esse constet: *Corripiens... in adversis, populum suum non derelinquit* [4]. Quæ verba a Danielis verbis quantopere differunt: *Non erit ejus populus, qui Eum negaturus est.... Et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.... Et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio!* [5] Num talis ruina comparari potest cum injuriis Antiochi, qui (licet illud facere sibi proposuisset) neque urbem nec templum demoliri potuit, et cujus præterea damna illata, quum defunctus esset, penitus ablata sunt?

Ubique nota erat illa prophetia.

11. Josephus Hebræus, putidæ adulationi indulgens, Danielis prophetiam ad Titum Imperatorem accommodavit [6]; atque in eamdem sententiam abiit Sueto-

[1] Cfr. Chronic., lib. II, Olymp. 75, ann. 2 et Olymp. 77, ann. 2 (*Migne*, Patr. Gr., 19, col. 473). [2] *Matth.*, XXIV, 15 et 34. — [3] *Dan.*, IX, 26. — [4] 2 *Mach.*, VI, 12 et 16. — [5] L. c., 26 et 27. — [6] De Bello Judaico, lib. VII, cap. 12 (seu potius ad *Vespasianum*, *Titi* parentem. Nota edit.). —

(*a*) Nonnulla verba hic deesse videntur; quandoquidem annus 270 Urb. Cond potius est 487[us] ante 1[um] annum æræ vulgaris, et annus 299[us] Urbis Romæ 487[us] ante 29[um] æræ vulgaris (Nota edit.).

nius, quum diceret, in Oriente manare famam, orbis terrarum dominatores ex Judææâ esse venturos: *Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judææâ profecti rerum potirentur* [1]. Idem scripsit Tacitus [2]. Et celebris est apud Virgilium Sibyllæ Cumanæ prædictio, quam ipse detorquet in Salonini, Pollionis filii, honorem:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cælo demittitur alto [3].

Virgo Astræam significat, id est, Justitiam (*a*); quod Daniel his verbis designavit: *Ut adducatur justitia sempiterna* [4]. Itaque priusquam impleretur vaticinium, ejus fama ad auctores Græcos et Latinos transierat.

Apud Sinenses.

12. Item dicitur ad Sinenses quoque pervenisse; nam in libris Confucii, qui vixit plus quinque sæculis priusquam Jesus Christus nasceretur, inter monita principi relicta, hoc reperiri fertur: *Legibus cœli ac terræ facta ejus consentiant; neque vereri debet, ut quum Sanctus ille exspectatus advenerit, idem tum virtuti ejus ac dum regnaret, honos habeatur* [5]. Præterea sæculo XIII *Alphonsus Bonihominis* ex linguâ Arabicâ epistolam transtulit, sæculo XI a *Rabbino Samuele* ad *Rabbinum Isaac* scriptam, ubi de septuaginta Danielis hebdomadis agens, hæc valde memoranda contra Judæos habet: *Et si dicamus, quod Christus venturus est, et nondum venit... et ista desolatio non erit perpetua: respondebunt Christiani quod adhuc ergo manet nobis occisio Christi, et adventus Titi et populi Romani et desolatio pejor istâ, in quâ jam fuimus per mille annos. Heu, Domine, non est excusatio, nec evasio consona!* [6] *Calmet* [7] exiguum illius epistolæ fragmentum affert; sed ex aliis probatis auctoribus illud explevimus.

Rabbini cujusdam testimonium.

Aliorum explicatio refellitur.

13. Nonnulli scriptores septuaginta hebdomades incipiendas esse putant, non ab Artaxerxis Longimani Edicto, sed a prophetiâ Jeremiæ de Hebræorum liberatione a captivitate Babylonicâ [8]; at falluntur, quum a Jeremiæ prophetiâ, anno quarto regis Joakim editâ [9], ad instaurationem urbis centum sex et quadraginta tantum anni numerentur, sexaginta novem hebdomades vero quadringentos octoginta tres annos comprehendant. Quapropter omnino inchoandum est ab eo tempore, quo rex permisit, ut urbs reficeretur: *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum* [10]. Specialiter notanda sunt ultima verba, muros civitatis refectum iri in angustiâ temporum: constat enim, Nehemiam solis duobus mensibus post edictum promulgatum instaurasse urbem, idque inimicis adeo renitentibus, ut Hebræi unâ manu malleum tenerent vel trullam, quâ fabricarent, alterâ gladium quo se defen-

[1] *Sueton., Vespasian.*, n. 4. — [2] Histor., lib. V, n. 13. — [3] Ecloga IV, v. 4-7. — [4] *Dan.*, IX, 24. — [5] L. II, f. 26, p. 2, § 3. Ex Versione *Prosp. Intorcettæ.*

[6] Epist. Rabbi *Samuel* ad *Isaac* Judæum, de Prophetiis Vet. Testam., cap. 8 (vide *S. Antonini* Chronica, partem secund., post Titulum XVII).

[7] Dissert. de 70 Septim. *Dan.* — [8] *Jerem.*, XXIX, 10. — [9] *Jerem.*, XXV, 1, 11 et 12. — [10] *Dan.*, IX, 25.

(*a*) *Astræa* ab aliis illud in Zodiaco cælesti sidus vocatur, quod et Libra, seu justitiæ imago dicitur; ab aliis in eo collocatur Zodiaci signo, quod inter Leonem et Libram positum, Virginem vulgo appellant: quam quidem Virginem, Jovis et Themidis filiam, eamdem ac justitiam faciunt. Porro eam redituram esse canit poëta, quum (ex Mythologiæ placitis) postquam aureâ mundi ætate cum hominibus versata esset, invectis postea omne genus sceleribus, in cælum aufugisset. — Item ad aureum sæculum referenda sunt alia illa *Virgilii* verba: *redeunt Saturnia regna* (Nota edit.).

derent [1]. Et ex ipso Nehemiâ explicatur Danielis vaticinatio; quandoquidem initio murorum circuitus cingebat plateas domibus orbatas [2]; exstructis vero novis mœnibus, decima pars Hebræorum, qui redierant, in plateâ civitatis habitare cœperunt, juxta prophetiam: *Rursum ædificabitur platea* [3]. Itaque a vicesimo anno Artaxerxis plane numerantur quadringenti nonaginta anni, quos ipsos complectuntur septuaginta Danielis hebdomades, ab eo tempore quo exiit mandatum instaurandi Hierosolyma, ad annum vicesimum secundum Tiberii, quo Jesus Christus vitæ sacrificium consummavit.

Explicatur secunda pars.

14. Porro Daniel in secundâ parte dividit hebdomades, quas a principio omnes simul posuit: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum.* Tum vero sexaginta novem hebdomades disjungens: *Ab exitu sermonis*, inquit, *ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt.* Nec casu septem hebdomades separat, sed quia (ut videbimus) præ ceteris speciali quâdam prærogativâ eminebant. Post illas sexaginta novem hebdomades Christum occisum iri denuntiat: *Et post hebdomades sexaginta duas* (præter septem antea nominatas) *occidetur Christus.* Et de ultimâ hebdomade agens, in ejus medio desitura esse ait sacrificia: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* Et ita plane accidit; Jesus Christus enim, quum per tres annos et dimidium prædicatione Se manifestasset, mortem obiit, i. e. in dimidio ultimæ hebdomadis; tum vero, ut Daniel prædixerat, desierunt sacrificia, superveniente Verbi Incarnati sacrificio, cujus antiqua sacrificia meræ figuræ erant.

Cur septem hebdomades a reliquis divisæ sint.

15. Cur autem septem hebdomades antea nominatæ sunt et a reliquis sexaginta duabus distinctæ? Propheta illic ordinem invertit; nam sexaginta duæ præcederent, et septem illæ consummando Jesu Christi sacrificio essent propiores. Eas ergo septem hebdomades seorsum et primo loco commemoravit, quod implendæ Redemptioni proximum designarent tempus itemque (ut doctus quidam auctor advertit) partim comprehenderent vitam Redemptoris, partim vitam divinæ Matris, quæ socia et adjutrix ad humanæ Redemptionis opus adjuncta existimatur. En igitur septuaginta hebdomadarum computatio: sexaginta duæ, septem et una, in cujus ultimæ dimidio Jesus Christus mortem obiit.

Objectio.

16. Nec refert, Jesu Christi mortem non illico secutum esse Hierosolymitanum excidium: illud enim a vaticinio in septuaginta hebdomadarum spatio non comprehenditur; et quia Deus nonnihil temporis ad resipiscendum Hebræis concedere voluit, satis est, non admodum longo spatio interjecto illud accidisse. Quod in ipsâ prophetiâ his verbis enuntiatum legitur: *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo* (qui aliquo temporis intervallo distaret a morte prioris illius ducis). *Et finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio.* Talis loquendi modus probe indicat, ea omnia morali quodam ordine inter se esse successura. Et hic notandus est error eorum, qui in suis controversiis mortem Christi post sexaginta duas hebdomades ponunt, non computatis septem illis prioribus; quum manifestum sit, in ultimâ ex septuaginta illis hebdomadis Christi mortem esse reponendam: *confirmabit pactum multis hebdomada una.* Et hoc est pactum illud, a Deo per Jeremiam promissum: *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel... dicit Dominus:... quia propitiabor iniquitatibus eorum, et peccati eorum non memorabor amplius* [4].

Alia objectio.

17. Neque dicas, non statim ab obitu Messiæ desiisse sacrificia. Verba enim:

[1] 2 *Esdr.*, IV, 13-17. — [2] 2 *Esdr.*, VII, 4. — [3] *Dan.*, IX, 25.

[4] *Jerem.*, XXXI, 33 et 34.

deficiet hostia et sacrificium morali quâdam ratione intelligi debent. Sed etiamsi restricte accipiantur, respondetur, sacrificia si de facto non desinebant, desiisse tamen Christi mortem repræsentare (in quo tota eorum ratio consistebat), ita ut coram Deo jam nihil valerent, neque amplius vel sacra essent vel sacrificia, quod his verbis notavit Apostolus: *Aufert primum, ut sequens statuat* [1]. Ceterum omnes illas difficultates solvit prima prophetiæ propositio, quâ Christi occisioni omnino assignantur septuaginta hebdomades.

Explicatur tertia pars.

18. Tandem dicitur, populum sub duce venturo disjecturum esse civitatem et sanctuarium, ejusque finem esse vastationem duraturam usque ad mundi exitum. Et ita accidit; Romani enim civitatem diruerunt, incenderuntque templum, ac deinceps quum prohibiti essent Judæi ne regionem suam incolerent, ubique dispersa remansit eorum natio. Itaque rerum eventus liquido monstrat, impletam esse vaticinationem ibique prænuntiatam pœnam. Quod ut planum fiat, a Judæis quærimus, ubi jam sit eorum templum eorumque civitas? Quænam in præsenti eorum patria? Illi quidem obcæcati illud agnoscere nolunt; sed non vident, ipsam illam cæcitatem argumento esse, jam advenisse Messiam, quum item prænuntiata sit obstinata eorum cæcitas: *Et post finem belli statuta desolatio.* Obstinatione autem permanente, pœna quoque permanet.

Explicantur ultima prophetiæ verba.

19. Postremo quæritur, quid significent verba: *Et erit in templo abominatio desolationis;* quum a Romanis templum exustum sit et funditus eversum? — Primum respondetur, templum sive sanctuarium designare totam urbem Hierosolyma, quæ *sancta civitas* vocabatur: *Assumpsit Eum diabolus in sanctam civitatem* [2]; et in eâdem prophetiâ legitur: *Super urbem sanctam tuam* [3], quum tota urbs divino cultui sacrata esset. Deinde narrat Josephus Hebræus [4], Romanos priusquam templum everterent, in eo coram vexillis militaribus, quæ numinum erant symbola, diis suis sacrificasse, et Titum consalutasse imperatorem: *Signis in templum illatis, et illis ibi sacrificarunt, et Titum cum maximis acclamationibus imperatorem designarunt.* Idem confirmavit Jesus Christus quum diceret: *Quum... videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele prophetâ, stantem in loco sancto* [5], *cet.*

§ III. *Messiam venisse item probatur ex prophetiâ Aggæi.*

Exponitur *Aggæi* prophetia.

20. Superioribus non minus perspicua est Aggæi prophetia. Cujus quidem occasio hæc fuit. Quum Hebræi ex Cyri permissu a Babyloniâ in Judæam rediissent, primo altare instaurarunt, et postero anno templi posuerunt fundamenta [6]. Interruptam vero structuram non reno-

[1] *Hebr.*, X, 9. — [2] *Matth.*, IV, 5. — [3] *Dan.*, IX, 24: *Hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam.* — [4] De Bello Judaico, lib. VII, cap. 13. — [5] *Matth.*, XXIV, 15. — Item notetur, impleta esse, quæ Christus prædixit, quum Hierosolyma adspiciens, miseræ civitatis ruinam deflevit: *Venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te; et coangustabunt te undique; et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem* (Luc., XIX, 43 seq.). Quæ ita prorsus acciderunt quadraginta circiter post Christi obitum annis, quum Titus urbem obsideret, quo ad Pascha celebrandum Hebræi undique confluxerant. Atque omnino factum est, quod Dominus prænuntiaverat; Titus enim (ut narrat Josephus Hebræus *de Bello Judaico, lib. 6 et 7*) ter urbem circumclusit: primo vallum ei circumdedit *(circumdabunt te inimici tui vallo)*, deinde alium adjecit aggerem *(et circumdabunt te)*, ac tandem, quod multi nihilominus furtim ingrederentur, ut commeatus importarent, altis mœnibus eam cinxit, quibus nemini Judæorum vel ad subsidium recipiendum vel ad fugam capessendam aditus pateret. Itaque desperatione acti ad dimicandum egressi sunt; sed quum eos comprehendissent Romani, Titus universos in crucem tolli jussit. Nec solum cruces, sed etiam locus defuit ad eas omnes erigendas: pœna iis sane digna, qui Deum Salvatorem cruci affixerant. Tantum denique fuit exscidium, ut præter nonaginta septem millia Hebræorum, qui in servitutem abducti fuerunt, undecies centena millia in ipso bello ceciderint; ac tandem post quatuor menses urbs capta et una cum templo funditus eversa est, juxta Domini vaticinium: *Et non relinquent in te lapidem super lapidem.*

[6] 1 *Esdr.*, III, 2 seq.

varunt nisi sub Dario [1], quum Aggæus ad templum exstruendum incitasset Zorobabel, Judæ caput, et Josue, filium Josedec, omnemque populum, Dei nomine sic eos alloquens: *Nolite timere. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et Ego commovebo cælum et terram et mare et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet Desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ,...: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum* [2].

Quænam esset gloria secundi templi.

21. Per Aggæum igitur promisit Dominus, in secundum illud templum venturum esse *Desideratum gentibus*, Seque illud gloriâ esse impleturum: *Et implebo domum istam gloriâ.* Nec tamen illa gloria consistere poterat in amplitudine vel magnificentiâ hujus templi, quod priore adeo esset deterius, ut quum ædificari cœptum esset, lacrimarentur senes, qui pristinum cognovissent: *Seniores, qui viderant templum prius, quum fundatum esset et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magnâ* [3]. Hujus ergo novi templi gloria alia esse non poterat nisi decus illud, quod ex Messiæ præsentiâ acquireret. Et hæc etiam Judæorum fuit communis opinio, ut scriptum reliquerunt *Rabbini Akiba, Salomon* et alii. Item refert eorum *Talmud* [4], Messiam suæ præsentiæ gloriâ novum illud templum esse decoraturum. Atque inde est, cur plures tum Pseudochristi prodierint, ut Herodes, Dositheus, Theodas et alii: adeo certum erat omnibus, iis diebus exspectari Messiam.

Hoc vaticinium vel ipsi Judæi confirmarunt, quum Christo Domino dicerent: *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et Tu in tribus diebus excitabis illud?* [5] Quæ quidem quadraginta sex annorum computatio sic iniri debet: sexto Darii anno absoluta est templi exstructio; a Cyro autem ad Darium unus et viginti anni effluxerant. Postea vero templum amplificavit Herodes a duodevicesimo sui regni anno usque ad Archelaum, id est, per alios circiter viginti quinque annos.

Ibi Messi pacem daturus es

22. Ceterum Dei nomine Aggæus ipse declaravit, hoc alterum templum priore illustrius esse redditurum non aurum vel argentum (*meum est argentum, et meum est aurum* [6]: quibus verbis designare voluit, Se esse omnium rerum Dominum), sed adventum *Desiderati* (qui non alius nisi Messias reputari poterat) et promissam pacem in hoc templo tribuendam: *Veniet desideratus cunctis gentibus.... Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ.... Et in loco isto dabo pacem* [7]. Non negamus, Deum in priore quoque templo habitasse: *Et majestas Domini implevit domum* [8]. Ibi vero in figurâ caliginosâ habitavit: *Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine* [9]; quum ad secundum templum per Se ipse veniret in formâ visibili, ut pacem mundo tribueret, juxta Isaiæ vaticinium: *Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro... quod os Domini locutum est* [10]. *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum* [11]. Eamque ob causam, ut advertit S. Augustinus [12], post Aggæum et Malachiam nullum alium prophetam habuerunt Hebræi, ne quis ante Jesum Christum pro *desiderato gentibus* haberetur. Et illa pax promissa quænam tandem fuit nisi ipse Jesus, qui humano generi reconciliationem cum Deo obtinuit? *Ipse enim est pax nostra: qui fecit utraque unum* [13].

Universum commovebitur

23. Præterea per Aggæum Dominus denuntiat, brevi postea cælum et terram Se esse concussurum: *Adhuc unum modicum est, et Ego commovebo cælum et terram* [14], *cet.* Commotio illa per Jesum Christum facta est: commotum fuit cælum, quod antiqua Lex cessavit; com-

[1] Ibid., IV, 24. — [2] *Agg.*, II, 6-10. — [3] 1 *Esdr.*, III, 12. — [4] Cap. ultim., de Synedr. — [5] *Joan.*, II, 20. — [6] *Agg.*, II, 9. — [7] Ibid., 8-10. — [8] 2 Par. VII, 1. — [9] Ibid., VI, 1. — [10] *Is.*, XL. 5. — [11] *Is.*, LII, 6. — [12] De Civit. Dei, lib. XVIII, cap. 45. — [13] *Ephes.*, II, 14. — [14] *Agg.*, II, 7.

mota fuit terra, quod in singulis universæ terræ nationibus conversio ad fidem contingebat. Hoc unum argumentum, etiamsi alia deessent, Messiam advenisse abunde monstraret. Prænuntiatur, commotionem illam templique gloriam aliquando idque brevi postea, priusquam templum everteretur, esse futuram: *Adhuc unum modicum est.* Atqui templum illud jam inde a septemdecim sæculis eversum conspicimus; fateri ergo oportet, impletam esse prophetiam et Messiam advenisse.

Impleta est prophetia.

24. Ad Aggæum accedit Malachias, qui consimilem edidit prophetiam: *Ecce Ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam: et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum* [1]. Nos autem ab Hebræis sciscitamur: Quemnam Dominatorem quærebant? Quemnam exspectabant Angelum, testamenti sive fœderis promissi auctorem? — Propheta distinguit angelum *præcursorem*, qui ut Messias agnosceretur, viam præpararet, et angelum *dominatorem*, seu ipsum Messiam, testamenti auctorem, qui ad templum suum veniret, *veniet ad templum suum;* quæ vox *suum* ejus divinitatem indicat. Non aliud profecto erat nisi Hierosolymitanum templum illud; Malachias enim (ut scribit S. Hieronymus [2]) secundi templi temporibus vixit. Hic ergo idem redit argumentum, quod suprà (n. 23) attulimus: hoc templum jam inde a mille et septingentis annis eversum jacet; ergo jam advenit Messias. — Idque eo magis, quod prædixit Malachias, post angelum præcursorem illico venturum esse angelum dominatorem: *Mitto angelum meum, et præparabit viam... et statim veniet ad templum suum dominator, cet.* Si ergo jam advenit præcursor, Messiam quoque venisse necesse est. Hinc est, cur Baptistæ pater, Zacharias, magnum illud ei prænuntiaverit: *Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* [3]. Eamque ob causam Joannes, quum pœnitentiam prædicasset, ubi primâ vice Jesum Christum aspexit, his verbis Eum designavit populo: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* [4].

Malachiæ vaticinium.

Messias ad templum veniet.

Impleta est prophetia.

25. Plures aliæ quoque, eæque magis peculiares, de Messiâ factæ sunt vaticinationes. Prænuntiatum fuit, de virgine Eum esse nasciturum: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* [5]. Prædictus est locus, ubi nasceretur: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te Mihi egredietur, qui sit dominator in Israël; et egressus ejus ab initio et a diebus æternitatis* [6]. En Messiæ Divinitas dilucide prænuntiata; dicitur enim, ab æternitate Eum fuisse. Prædicta est Magorum adoratio: *Reges Arabum et Saba dona adducent. Et adorabunt Eum omnes reges terræ* [7]. Denuntiatus est præcursor ex deserto proditurus: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini* [8]. Prædictum est, Judam Eum venditurum: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos* [9]. Quæ præter hæc de Christi Passione prædicta sunt, infrà videbimus.

Aliæ de Messia prophetiæ.

[1] *Malach.*, III, 1. — [2] Comment. in *Malach.*, Præfatio. — [3] *Luc.*, I, 76. — [4] *Joan.*, I, 29. — [5] *Is.*, VII, 14. — [6] *Mich.*, V, 2. — [7] Ps. LXXI, 10 et 11. — [8] *Is.*, XL, 3.

[9] *Zach.*, XI, 12. — Apud S. Matthæum (XXVII, 9), pro Zachariâ citatur Jeremias; S. Hieronymus (*a*) vero, Rupertus (*b*), Baronius (*c*) et alii, amanuensium errorem esse existimant. Nisi quis cum Origene (*d*) et Tertulliano (*e*) dicere maluerit, olim ea verba apud Jeremiam fuisse, sed postea vel defecisse vel expuncta esse a Judæis. Et S. Hieronymus (*f*) narrat, Hebræum quemdam sibi ostendisse veterem librum, in quo verba illa apud Jeremiam legebantur.

(*a*) Comment. in *Matth.*, XXVII, 9 et 10. — (*b*) In *Matth.*, lib. XI. — (*c*) Annales, a° 34, n. 19. — (*d*) In *Matth*, Commentarior. Series, n. 117 (*Suspicor*, inquit, *aut errorem esse scripturæ, et pro Zacharia positum esse Jeremiam, aut esse aliquam secretam Jeremiæ scripturam, in qua scribitur.* Nota edit.). — (*e*) Advers. *Marcionem*, lib. IV, cap. 40. — (*f*) L. c.

CAPUT V.

SCRIPTURARUM VERITATEM ET ADVENTUM MESSIÆ CLARE DEMONSTRANT PROPHETIÆ QUÆ EVERSIONEM TEMPLI ET HEBRÆORUM DISPERSIONEM, CÆCITATEM ET CONVERSIONEM RESPICIUNT.

§ I. *De Eversione Templi.*

Unicum antiquæ Legis templum.

1. Sub antiquâ Lege unum tantum Dominus esse voluit templum, in quo victimæ immolarentur; et ubi erigendum esset, Ipse designavit.

Primo igitur mortis pœnam statuit in eum, qui extra tabernaculum sacrificium offerret: *Homo de domo Israël et de advenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam, et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo* [1]. Postea declaravit, in terrâ promissâ neque hostias neque oblationes Se esse accepturum extra eum locum, ubi tabernaculum constitui jussisset: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo, quem elegerit Dominus* [2]. Tandem sub rege David professus est, Hierusalem urbem Se perpetuam sedem Sibi eligere: *Elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem Sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam* [3]. Ac deinde Davidi significavit, templo præfinitum locum esse aream Ornan [4], ubi reverâ Salomon illud exstruxit; *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem,... in loco quem paraverat David in areâ Ornan Jebusæi* [5]. Deus ergo totum Mosaicæ religionis cultum externum primo quidem tabernaculo, deinde autem templo Hierosolymis constituto affixit: omnemque alium locum interdicens, ibi in perpetuum Se adorari velle ostendit: *Elegi enim, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum* [6]. Quibus monstravit, destructo illo templo, Se jam nolle ut alibi idem cultus fieret. Itaque quum Messiæ adventûs signum esset destructio templi, hoc autem destructum sit jam inde a mille et septingentis annis, Messias jam advenit.

Hoc templo destructo, antiquus Cultus abolitus est.

Objectio de captivitat Babylonic

2. Neque dicas, Hebræos etiam in captivitate Babylonicâ sine templo fuisse; nam captivitas illa templique privatio parum duravit, præterquam quod non omnes in Babyloniam abducti sunt, sed nonnulla pars Hierosolymis remansit. Post obitum Messiæ vero civitatem ne ingredi quidem poterant nisi semel in anno (ut refert S. Hieronymus), idque tantum ut ruinam suam deflerent; quare idem S. Doctor: *Ut qui quondam,* inquit, *emerant sanguinem Christi, emant lacrimas suas* [7].

Julianus Apostata templum reficere conatur.

3. Et valde mirandum accidit prodigium sub Juliano Imperatore. Impius ille vir, quum a fide defecisset, ut mendacii argueret Jesu Christi vaticinium: *Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur* [8], ad templum restituendum Judæos incitavit. Quod ut perficerent et ipse ingentem pecuniam præbuit, et ministrum suum Alipium unà cum provinciæ præfecto structuræ dirigendæ præfecit. Itaque Hebræi, ut prorsus nova fieret constructio, antiqua fundamenta eruerunt, neque id sine divinæ Providentiæ dispositione; sic enim omnino impleretur vaticinium, lapidem non esse super lapidem remansurum. Positis vero

[1] Levit., XVII, 8 et 9. — [2] Deuter., XII, 13 et 14. — [3] Ps. CXXXI, 13 et 14. — [4] 1 Par. XXI, 18. — [5] 2 Par. III, 1. — [6] 2 Par. VII, 16. — [7] Comment. in *Sophon.*, I, 15 et 16. — [8] *Marc.*, XIII, 2.

fundamentis, tam ingentes supervenerunt terræ quassationes, ut saxa omnia sublime resilirent; et ignis e solo erumpens, materiam ad ædificationem congestam, opificum instrumenta et nonnullos etiam operarios concremavit; quo factum est, ut incepto desistere cogerentur. Quæ res accidit anno 363, quum Julianus quarto esset consul. *Basnagius* [1] exiguam huic prodigio adjungit fidem; sed in suâ *Dissertatione de Terræmotibus* fortiter ei obsistit *Warburton* [2], natione Anglus. Rem item referunt Socrates [3], Theodoretus [4], Philostorgius [5], Sozomenus [6], et (quod majoris ponderis est) Juliani coævus et ab eo stipendio conductus, Ammianus Marcellinus [7]. Hic nominatim ita scribit: *Globi flammarum prope fundamenta crebris adsultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo... cessavit inceptum* [8]. Idem scripsit S. Joannes Chrysostomus, valde propinquus iis temporibus, quum res erat notissima; namque eorum, qui rem suis oculis viderant, non pauci erant superstites, atque etiam exstabant substructionum fossæ. Unde sæpius quidem illud commemoravit Chrysostomus; sed potissimum in Oratione *Quod Christus sit Deus*, ita scriptum reliquit: *Nam ætate nostrâ imperator... facultatem tunc dedit, et cooperatus est; opus incepere, at ne vel minimum ultra progredi potuere, sed ignis a fundamentis exsiliens omnes fugavit.... Indicium est quod hactenus fundamenta nudata appareant, ut videas ipsos quidem fodere cœpisse, sed ædificare non potuisse, obsistente Christi sententiâ* [9]. Ejusdem prodigii mentionem faciunt S. Gregorius Nazianzenus [10], S. Ambrosius [11], Rufinus [12], Sulpicius Severus, Cassiodorus [13], et alii, ut in dubium vocari nequeat. Et reverâ, nisi miraculo prohibiti fuissent, quæ umquam causa effecisset, ut Judæi ab optatissimâ illâ templi fabricatione desisterent, quum præterea instigaret adjuvaretque imperator?

Osee: Sacrificia antiqua cessabunt.

4. His accedunt, quæ iis prænuntiaverat Osee: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine Ephod et sine Theraphim. Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum et David regem suum: et pavebunt ad Dominum et ad bonum ejus, in novissimo dierum* [14]. En igitur ruina Judæis prædicta, ut remanerent sine rege, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod (id est, sine victimis: *Ephod* enim significat *tunicam et lineam strictam* [15], quâ in sacrificiis sacerdotes utebantur) et sine *Theraphim* (i. e. sine arcâ, quam Cherubim custodiebant). Hic porro Messias vocatur *David*, quo nomine post mortem veri Davidis Osee et reliqui prophetæ Messiam designabant. Sed quid est quod tanta pœna Hebræis irrogetur, quum non amplius ad idololatriam inclinarent? Quo alio delicto talem perniciem sibi attrahere poterant, nisi quod Messiam tam aperte monstratum repudiassent? Illud ipsum significavit Osee quum diceret: *Revertentur filii Israel et quærent Dominum Deum suum et David regem suum.* Verbis *revertentur et quærent* designat, Hebræos Dominum agnoscere noluisse adumbratum Davidem, qui erat Messias; Messiam autem respuendo, item respuerunt Deum, qui Eum miserat.

Malachias: De sacrificio Novæ Legis.

5. Quapropter post obitum Messiæ, reprobatis antiquis sacrificiis, substituit Dominus unicum et magnum Eucharistiæ sacrificium, quod vaticinatus erat Malachias et *oblationis mundæ ubique offerendæ* no-

[1] *Histoire des Juifs, liv. VIII, chap. 5, n. 5-11.*
[2] *Dissertation sur les Tremblements de Terre, qui firent échouer le projet formé par l'Empereur Julien de rebâtir le temple (Paris, 1754, trad. de l'Anglais). Chap. 10, Réponses aux objections de M. Basnage.*
[3] Hist. Eccl., lib. III, cap. 20. — [4] Hist. Eccl., lib. III, cap. 15. — [5] Hist. Eccl., lib. VII, n. 9. — [6] Hist. Eccl., lib. V, cap. 22. — [7] Res gestæ, lib. XXIII, cap. 1. — [8] L. c. — [9] Contra Judæos et Gentiles, quod Christus sit Deus, n. 16. — [10] Oratio 5 (in *Julianum* 2), n. 4. — [11] Ep. 40 ad *Theodosium*, n. 12. — [12] Hist. Eccl., lib. I, cap. 37-39. — [13] Historia tripartita, lib. VI, cap. 43. — [14] *Osee*, III, 4 et 5. — [15] Exod. XXVIII, 4.

mine nuncupaverat: *Non est Mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus* [1]. Perperam nonnulli de sacrificio interno, seu de oratione, hunc textum intelligere volunt; sed perspicuum est, Deum hic loqui, non de opere interno, sed de oblatione et externo sacrificio, quo, recusatis antiquis Hebræorum oblationibus, apud gentes in publico vult honorari: *Munus non suscipiam de manu vestra, cet.;... offertur nomini meo oblatio munda.*

Impletæ sunt prophetiæ.

6. Ceterum ab Hebræis quærimus, ubi jam sacrificent? Abolito enim templo, nullum ultra sacrificium offerre possunt; et hoc est adventûs Messiæ signum a Daniele prænuntiatum (*deficiet hostia et sacrificium* [2]).

§ II. *De Hebræorum Dispersione.*

Cur Judæi non prius dispersi sint.

7. Populum Hebraicum, utpote cui creditæ essent divinæ Scripturæ et Messiæ promissiones, uno corpore conjunctum subsistere oportuit, donec omnia Sacra Volumina conscripta et pro divinis agnita essent, et Messiæ promissionem adventu ejus impletam esse pateret. Si prius dispersi fuissent Hebræi, quam stabilita esset Sacrorum Librorum cognitio, Scripturæ communem illam auctoritatem, quam consecutæ sunt, nequaquam sibi acquirere potuissent; et postmodum forsitan evanuissent ipsa argumenta, quibus innituntur; idemque accidisset iis rebus, quæ de Messiâ erant prænuntiatæ. Præterea si exortus esset Messias postquam Hebræorum multitudo se per omnem orbem diffudisset, ejus actiones et miracula multum habuissent dubitationis, parumque pervenissent ad integræ nationis cognitionem. Quapropter Deus disposuit, ut prius agnoscerentur veræ Scripturæ, et Hierosolymis apud ipsos Hebræos Jesus Christus moreretur, ac tum denique in delicti pœnam per universam terram dissiparentur. Sic enim ad omnes regiones deportarent easdem Scripturas, quæ gentibus monstrarent, jam venisse Messiam, quem adorant Christiani; atque ita Hebræi contra seipsos testimonium redderent præberentque Christianæ Religionis argumenta.

Prædicitur eorum dispersio.

8. Si talia argumenta defuissent, Gentiles aspernati essent Scripturas ut falsas et post rerum eventus confectas, et rejecta fuisset tota venturi Messiæ antecedens traditio. Itaque Hebræi, utpote Novæ Legis adversarii, hac in re quam minime suspecti testes fuerunt, suâque malevolentiâ et obstinatione multum adjuvarunt, ut Jesus Christus innotesceret; quod his verbis expressit S. Paulus: *Illorum delicto, salus est gentibus, ut illos æmulentur* [3].

En quomodo Amos propheta eorum dispersionem prædixerit: *Ecce enim mandabo Ego, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel* [4]: Jubebo domum Israel per omnes gentes dissipari. — Et jam antea David prædixerat: *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent; et ejiciantur de habitationibus suis* [5]. Et alio loco: *Ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tuâ* [6]. Quibus prænuntiavit, hanc futuram esse Hebræorum pœnam, non quidem ut omnino delerentur, sed ut spargerentur per universum orbem; quo fieret, ut populi semper meminissent ultionem, quâ Dominus Hebræos afficere non cessaret. Heu miseri! Iræ divinæ signum ubique circumferunt: per orbem terrarum errabundi et timidi vagantur, delicto tamen suo nihil dolentes; ita populis commonstrantes, se suosque filios innocentis, quem effuderunt, Jesu Christi sanguinis pœnam sustinere, quam sibimetipsis imprecati sunt: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* [7].

[1] *Malach.*, I, 10 et 11. — [2] *Dan.*, IX, 27. [3] *Rom.*, XI, 11 — [4] *Amos*, IX, 9. — [5] Ps. CVIII, 10. — [6] Ps. LVIII, 12. — [7] *Matth.*, XXVII, 25.

Prædicitur eorum dedecus.

9. Apud omnes nationes pro maledictis habentur et pro cunctarum gentium dedecore, prout vaticinatus est Jeremias: *Dabo eos in vexationem universis regnis terræ: in maledictionem et in stuporem et in sibilum et in opprobrium cunctis gentibus, ad quas Ego ejeci eos* [1]. Alii e suis regionibus eos expellunt; alii angustum iis definiunt vicum, unde egredi nequeunt; ipsi hæretici et idololatræ eos abominantur; hodie vel ipsum Judæi nomen pro gravissimâ contumeliâ putatur. Interim tamen mundi redemptionem huic populo Deus promiserat; huic concesserat sacrarum Scripturarum depositum; suos ad eum miserat prophetas; ex eo nasci voluit Messiam ejusque primos discipulos. Sed quia obstinatus oculos aperire noluit, ut agnosceret regem suum et liberatorem, miserrimus evasit et vilissimus omnium populorum. Quis non videt, veras fuisse vaticinationes, quæ hæc omnia prædixerant: peccatum Hebræorum, eorum dispersionem et conversionem gentilium? *Et dicam non populo meo: Populus meus es tu* [2]. Quis non videt, eum qui a Jesu Christo discedat, in perniciem incurrere?

Impleta sunt vaticinia.

§ III. *De prænuntiata Hebræis cæcitate.*

Judæorum cæcitas adventum Messiæ confirmat.

10. *Quis cæcus,* inquit Dominus per Isaiam, *nisi servus meus? Et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?* [3] Quis est ille cæcus, quem alloquor, nisi is qui se servum meum esse profitetur; quis ille surdus, nisi is ad quem misi legatos? His verbis conqueritur Dominus de cæcitate populi sui, qui post clarissima prophetarum oracula pluriumque sæculorum exspectationem, quum reverâ advenisset, Messiam noluisset agnoscere. Videntur quidem hæc verba impedire debuisse, ne Jesu Christo gentiles crederent; at non ita est, quum eædem Scripturæ, quæ Messiam promitterent, item prænuntiarent Hebræorum, Eum respuentium, cæcitatem et conversionem gentilium. Atque ita, quod impedimentum videtur, majori argumento est, Messiam advenisse: nam quod Eum excipere noluerunt Hebræi, hoc ipsum confirmat ejus adventûs veritatem.

Isaiæ prophetia.

11. De eâdem cæcitate Isaias ita loquitur: *Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere; et videte visionem, et nolite cognoscere* [4]. Audite, quæ equidem vobis dico, sed ea intelligere noletis; videte, quæ vobis detego, sed ea noletis agnoscere. Inde propheta Dominum interrogat: *Et dixi: Usquequo Domine? Et dixit: donec desolentur civitates* [5]. Quousque ea cæcitas durabit? Donec eorum civitates prorsus eversæ jacebunt. — Et alibi scribit Isaias: *Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis et in petram scandali, duabus domibus Israel* [6]. Messias est petra angularis, seu fundamentum totius Ecclesiæ; quam petram sanctificationem gentium futuram esse propheta denuntiat: ambæ vero domus Israel (id est ex unâ parte tribus Juda ac Benjamin, et ex alterâ decem reliquæ Hebræorum tribus) ad eam petram offendent, suâque culpâ perniciem in eâ invenient. En igitur prænuntiata Hebræorum cæcitas; quandoquidem ad suam perditionem usi sunt eo Redemptore, qui ad eorum salutem venerat. Quod idem prædixit sanctus senex Simeon, quum de Jesu Christo diceret: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum* [7].

Alia Isaiæ prophetia.

12. Præterea Isaias: *Obstupescite,* inquit, *et admiramini, fluctuate et vacillate: inebriamini et non a vino.... Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, cet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati* [8]. Jesu Christi temporibus Hebræi similes facti sunt ebriis, qui vacillantes ingrediuntur; quum eorum Rabbini et sacerdotes, Redemptoris miracula admirantes,

[1] XXIX, 18. — [2] *Osee,* II, 24. — [3] *Is.,* XLII, 19.

[4] *Is.* VI, 9. — [5] Ibid., v. 11. — [6] VIII, 14. — [7] *Luc.,* II, 34. — [8] XXIX, 9-11.

ad credendum quidem se stimulari sentirent, sed invidiâ tacti resisterent Eumque persequerentur. Tum ut obscurarent argumenta, quibus Jesus Christus suam probabat missionem, vel negabant quæ suis videbant oculis vel ad vires diabolicas confugientes dicebant: *In principe dæmoniorum ejicit dæmones* [1]. Eâ autem agendi ratione cæcitatem sibi augebant; quod ipse Christus eis objecit. Interrogantibus enim: *Numquid et nos cæci sumus?* [2] respondit Jesus: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum* [3]. Quibus verbis significare voluit, eos non quidem penitus cæcos esse, sed esse cæcos voluntarios: ob gravissimas nempe, quæ aderant, causas eos teneri ad indagandam veritatem, quam utique reperissent, si Scripturas et miracula, doctrinam vitamque Jesu Christi perscrutati essent. Eorum hoc fuit peccatum, quod divinis collustrationibus resistere voluerunt; et in eo consistit ille *spiritus vertiginis*, quem in pœnam hujus peccati sibi attulerunt: *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros.* Ita male dispositi consulebant scripturas, non ut perspectæ veritati cederent, sed ut magis depravarentur; atque ideo Scripturæ iis evaserant velut liber obsignatus et occlusus: *Et erit vobis visio omnium* (i. e. omnium prophetarum) *sicut verba libri signati;* ex quo nullum ultra lucis radium percipiebant.

Illius cæcitatis ratio.

13. Cur vero Deus tantâ caligine Judæos circumfundi permisit? Ratio est, quia in rebus temporalibus, et nequaquam in æternis spem suam reponebant, eamque ob causam externe tantum honorabant Deum: *Populus iste ore suo et labiis suis glorificat Me, cor autem ejus longe est a Me* [4]. Quocirca Deus: Quum illi, inquit, non Me sed seipsos solummodo quærant, ignorantiâ involutos eos remanere sinam: *Peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur* [5]. Quam cæcitatem deinde Isaias eorum nomine his verbis lamentatur: *Expectavimus lucem, et ecce tenebræ... Expectavimus judicium, et non est: salutem, et elongata est a nobis* [6]. Ipsa lux miseris Hebræis caligo fuit: salus ipsa iis ruina evasit ob eorum malitiam, et quod ad lucem clauserunt oculos. Quod ergo Judæi Messiam repudiarunt, religionis nostræ veritatis argumentum est: nostra incredulitas incredulitate eorum evanescit. Et ex contrario fides gentilium Messiæ veritatem demonstrat, juxta illud ejusdem prophetæ vaticinium: *In judicium Ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* [7].

Isaiæ vaticinium de paucis Judæis, Christum secuturis.

14. Messiam advenisse illâ etiam confirmatur prophetiâ, quæ denuntiat, in Hebræorum multitudine exiguum numerum fidelium, eosque inundatos justitiâ, seu virtutibus refertos esse futuros: *Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo: consummatio abbreviata inundabit justitiam* [8]. Idemque comprobat hæc alia vaticinatio: *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum: quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; et racemi, quum fuerit finita vindemia.... Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in insulis maris nomen Domini Dei Israel. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam Justi* [9]. Itaque boni Israelitæ (Apostoli scilicet) comparantur paucis olivis vel racemis illis, qui vindemiatorum oculos effugiunt; et hi quidem prædicaturi sunt gloriam Justi (seu Jesu Christi), ubique annuntiantes verum Deum, non in Judæâ tantum, sed etiam in longinquis regionibus.

Impletum est vaticinium.

15. Magis etiam omne illud confirmatur ex Actibus Apostolorum [10], ubi legimus,

[1] *Matth.*, IX, 34. — [2] *Joan.*, IX, 40. — [3] Ibid., v. 41. — [4] *Is.*, XXIX, 13. — [5] Ibid., v. 14. — [6] *Is.*, LIX, 9 et 11.

[7] *Joan.*, IX, 39 (Quæ Christi verba ad illud Isaiæ referenda videntur: *Et audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt,* XXIX, 18, quem locum S. Alphonsus hic citat. Nota edit.).

[8] *Is.*, X, 22. — [9] *Is.*, XXIV, 13-16. — [10] Cap. IV.

eos qui sequerentur Jesum Christum his in terris degentem, numero quidem valde paucos, sanctitate vero fuisse præstantissimos, quum nihil privatim possiderent, caritate suâ velut unam efficerent animam, eâque ratione alios ad fidem allicerent. Minis et sævitiis frustra conabantur Hebræi silentium iis imponere; forti animo Redemptoris glorias prædicare pergebant, primo in Judæâ ac Samariâ, et postmodum apud idololatras, ut paucis annis eorum voces ubique terrarum audirentur; atque interim Hebræi obstinati et cæcitate obvoluti remanebant.

Objectio. **16.** At, inquit auctor libri: *Examen Religionis*[1], si talium vaticinationum Deus auctor fuisset, clarius locutus esset; nec tum Judæi Jesu Christo fidem denegassent. Responsio. — Ad quod ita respondemus: Si considerantur et rerum circumstantiæ et ipsæ res, quæ ita evenerunt, prout antea prædictum erat, clarissimæ dici debent vaticinationes. Ab initio prædictum erat, *semen mulieris contriturum esse caput serpentis;* in Abrahamo *benedictum iri omnes gentes;* ex familiâ Judâ Eum venturum, qui esset *exspectatio gentium:* impletum apparuit tempus, quo Messias veniret, quo templum everteretur et dissiparentur Hebræi; quæ omnia Daniel prædixerat. Quid clarius desiderari poterat? Ceterum Hebræorum cæcitas minime repetenda est a vaticinationum obscuritate, sed ab eorum obstinatione et falsâ ratione, quâ Messiam sibi effingebant. Ideo enim in cæcitate perstiterunt, quod præ bonis æternis temporalia opulentiæ et dominationis bona ab Eo exspectarent.

§ IV. *De Hebræorum Conservatione.*

Hebræorum natio semper conservata est. **17.** Non solum Hebræorum dispersio et contemptus, in quo apud omnes vivunt, sed etiam eorum post tot sæcula conservatio fidem nostram Scripturarumque veritatem valde confirmat. Quî fieri potuit, ut rebellis ille populus, tam multis annis per universum orbem dispersus, idque sine regibus, sine patriâ, magistratibus, sacerdotibus, sacrificiis vel festis diebus; cui prohibitum est ullum sacrificium vel festum diem peragere extra Hierosolyma, quo in præsenti ne pedem quidem inferre potest; non tamen cum reliquis nationibus confusus remanserit, nec sui perdiderit memoriam? Hodie admodum difficile est, genuinas ab antiquitate familias Romanas ab exteris in Italiam introgressis discernere; quod idem valet de reliquis nationibus. De Judæis vero dubium esse nequit, quin a stirpe Abrahæ universi omnes descendant. Fatendum quidem, eorum familias (et nominatim eas, quæ ad tribum Aaron pertinent, cui reservatum erat sacerdotium) post dispersionem jam distingui non posse; quum ex eo tempore iis defuerint tabularia publica, in quæ suam referrent progeniem (quod iterum argumento est, eorum legem esse abolitam): certum est tamen, Abrahæ filios eos esse omnes. Jamvero quid est, quod numquam quæsierint aliis populis se immiscere (quum tamen facillime illud consequi potuissent), ut saltem odium et communem irrisionem declinarent?

Eorum conservatio adventum Messiæ confirmat. **18.** Nec dici potest, religionis zelo eos fuisse impeditos; nam Jeremiæ temporibus, ut evitarent temporales calamitates neque adeo molestas quam quibus hodie afficiuntur, non dubitarunt ad lunam adorandam se abjicere[2]. Atque idem accidit Machabæorum ætate: *Juncti sunt nationibus* [3]. Non igitur religionis zelus eos impulit; sed obstinato animo ipsis Spiritûs-Sancti illustrationibus resistere pergunt. Vident, alterum illum Messiam, quem exspectant, numquam apparere; magis semper impleri Ecclesiæ nostræ vaticinia; semper quoque falli temporum computationes a Rabbinis initas, adeo ut a pluribus sæculis eorum præpositi prohibue-

[1] *Examen de la Religion, chap. 7, n. 2 et 9* (Apud *Valsecchi, O. P. Fondamenti della Religione, lib. II, cap. 17, n. 20*). — [2] *Jerem.*, XLIV, 16-18. — [3] 1 *Mach.*, I, 16.

rint, ne quis dinumeret Messiæ annos, quod omnes dinumerationes in Jesu Christi tempora cadere animadvertunt. Verumtamen nihil moventur et Judaismum mordicus tenent. Quis non videat, a divinâ Providentiâ ita disponi in confirmationem Evangelii, juxta illud Jeremiæ: *Ego consumam cunctas gentes, ad quas ejeci te* (servum meum Jacob, i. e. populum Jacob); *te vero non consumam, sed castigabo te in judicio* (justitiæ meæ) [1]. Si deleti fuissent Hebræi, divinæ tantum justitiæ argumentum præberent; servati vero, præter justitiam, item demonstrant fidei et promissi Messiæ adventûs veritatem.

De finali eorum conversione; *Jeremias.*

19. Per Jeremiam nihilominus data est promissio, aliquando Hebræos ad Deum reversuros, ejusque consecuturos esse misericordiam: *Reducam enim conversionem eorum, et miserebor eis* [2]. Et alio loco: *Si mensurari potuerint cœli sursum, et investigari fundamenta terræ deorsum; et Ego abjiciam universum semen Israël propter omnia, quæ fecerunt, dicit Dominus* [3]. Quemadmodum, inquit Deus, nec cælorum altitudinis nec terræ profunditatis mensura iniri potest; sic totam stirpem Israel, quantumvis perversam se præbuit, numquam rejecturus sum.

Isaias.

20. Per Isaiam quoque Deus Hebræorum conversionem prædixit: *Hæc dicit Dominus creans te Jacob, et formans te Israel.... Noli timere, quia Ego tecum sum. Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te* [4].

CAPUT VI.

DE HEBRÆORUM ERRORE CIRCA MESSIÆ REGNUM.

Judæi regnum terrenum expectabant.

1. En quid miseros Hebræos fefellerit: non eum sibi volebant Messiam, qualis ad æternam eorum salutem et totius mundi redemptionem erat venturus, sed qualem ipsi cupiebant sibique pro suâ cupidine effinxerant, divitem, gloriâ clarum, qui omnes reges debellaret, et subactis cunctis populi sui hostibus, omnes temporales calamitates ab eo auferret eumque honoribus divitiisque cumularet. Quo factum est, ut Eum quem pauperem, humilem et despectum viderent, Dominum suum nollent agnoscere, Eumque recusarent; atque ita impletum est Isaiæ vaticinium, audituros eos sed non intellecturos esse, visuros nec veritatem cognituros: *Vade et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere* [5].

Nihil profuisset talis Messias.

2. Verissimæ quidem erant divinæ promissiones; sed ad bona temporalia non spectabant. Et quid ad vitam æternam Judæis nobisque omnibus profuisset Messiæ adventus, si opes tantum et honores vel victoriam de æmulatoribus reportatam nobis attulisset? Quid effecisset aliud nisi ut superbiam nobis augeret, divitiarum cupiditatem accenderet, rerum terrenarum studium corroboraret et a bonis æternis consequendis nos abstraheret? Numquid magnum aliquem fructum ex opere Redemptionis percepissent animæ bonæ, quæ vitam æternam Deique amorem appetunt? Quodnam solatium in ærumnis, in paupertate, infirmitate valetudinis vel persecutionibus tolerandis? Numquid tenerum amorem Sibi conciliasset Jesus Christus, si ad nos venisset, ut amœnam tantum vitam degeret et in omnes reges dominaretur? Quis umquam, id quod Sancti præstiterunt, ut se totum Deo traderet, possessiones omnes, patriam et parentes reliquisset? Ecquis, ut fecerunt Martyres, ne divinam gratiam amit-

[1] *Jerem.*, XLVI, 28. — [2] XXXIII, 26. — [3] XXXI, 37. — [4] *Is.*, XLIII, 1 et 5. — [5] *Is.*, VI, 9.

teret, in tormentis vitam profudisset? Ah! Redemptor, pauper et humilis has in terras veniens, ut hominum amore cruciatus et mortem subiret, ideo venit, ut suavi caritatis laqueo eos pertrahens, in cordibus eorum regnaret. *In funiculis Adam traham eos* (ita per Oseam prædixerat), *in vinculis caritatis* [1]. Funiculos amoris Adami funiculos vocat, quod amore nihil fortius corda hominum conciliat. Et quum nihil magis demonstret amorem, quam pro dilecto cruciatus perferre, Verbum æternum ad cruciatus perferendos hominem Se fecit; illudque prænuntiaverant prophetæ, ut ipse Jesus monuit discipulos: *Et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis* [2] (i. e. de ejus passione).

Scriptura regnum spirituale promisit.

3. En quam dilucide designent Scripturæ (dummodo legentis oculus simplex nec passione obcæcatus sit), quænam bona allaturus esset Messias: *Ecce Ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris.... Universos filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis* [3]. Has igitur gemmas Redemptor promisit, scientiam Dei et pacis abundantiam. Et alio loco propheta: *Pro ære*, inquit, *afferam aurum, et pro ferro afferam argentum, cet.* Sed de quonam auro et argento hic agitur? *Non audietur ultra iniquitas in terrâ tuâ, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam* [4]. Agitur de abolitione peccati, de æternâ salute et de paradisi gloriâ. Et alibi similiter promittitur thesaurus sapientiæ et timoris Domini: *Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ salutis, sapientia et scientia: timor Domini ipse est thesaurus ejus* [5].

Iterum probatur ex *Isaia*.

4. Præterea per Isaiam Messias loquebatur, quum diceret: *Spiritus Domini super Me, eo quod unxerit Dominus Me; ad annuntiandum mansuetis misit Me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam* (seu *libertatem*, ut habet textus Hebraicus) *et clausis apertionem* [6]. Supra Se spiritum Domini Se habere ait, eamque ob causam a Deo Se esse destinatum Christum, id est, regem et Redemptorem hominum, ut salutem iis annuntiaret, infirmis mederetur, et prædicaret veniam ac libertatem captivis, iisque significaret, aperiri paradisum quibus occlusus fuisset. *Ut prædicarem annum placabilem Domino et diem ultionis Deo nostro; ut consolarer omnes lugentes* [7]. Annum misericordiæ et diem ultionis designat: qui annus intelligitur totum tempus a primo Messiæ adventu usque ad finem mundi, quando in altero ejus adventu superveniet dies ultionis, seu dies extremi judicii. Quodam die quum in synagogâ apud doctores prædicaret, hanc ipsam prophetiam (ut refert S. Lucas [8]) Jesus Christus legere incepit; monuitque, Seipsum esse regem pacis, qui ideo venisset, ut his in terris constitueret regnum misericordiæ, peccatoribus veniam, afflictis solatium afferendo; simulque allusit ad annum Jubilæi in libro Exodi descriptum [9], quum liberarentur servi iisque omnia condonarentur debita; retulit præterea ex ipsis prophetiæ verbis, afflictis Se præstiturum esse patriam beatam, in quâ pro mœrore et luctu hujus vitæ, coronâ et gaudio donarentur: in illo enim gloriæ regno palam laudabuntur, qui fortes in justitiâ se præbuerint, ibique in æternum glorificabunt Dominum: *Ut ponerem lugentibus Sion; et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris; et vocabuntur in eâ fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum* [10]. En igitur bona in Messiæ adventu promissa; non temporalia, sed spiritualia et æterna.

[1] *Osee*, XI, 4. — [2] *Luc.*, XVIII, 31. — [3] *Is.*, LIV, 11 et 13. — [4] *Is.*, LX, 17-19. — [5] *Is.*, XXXIII, 6. [6] *Is.*, LXI, 1. — [7] Ibid., v. 2. — [8] IV, 17 seq. — [9] Levitic., XXV, 11 seq. (In libro Exodi, XXIII, 11, de septimo anno agitur. Nota edit.). — [10] *Is.*, LXI, 3.

Probatur ex Zacharia.

5. Ad hæc Zacharias Propheta, de Messiâ agens: *Et potestas ejus,* inquit, *a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua* [1]. Quibus verbis plane edicitur, liberatorem illum immolari debere, ut sanguine suo novam pacis pactionem inter Deum et homines statueret; nam illud significant verba: *in sanguine testamenti tui.* Et sic *vinctos... de lacu, in quo non est aqua,* i. e. sanctos patres e limbo liberaret, juxta illud S. Petri: *In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus... prædicavit* [2]; prædicavit nempe *indulgentiam* sive *libertatem,* ut suprà ex Isaiâ [3] retulimus. Hoc Zachariæ vaticinio probe detegitur sensus illarum omnium Scripturarum, quæ de futuro Messiæ regno loquebantur: regnum quippe totius orbis terrarum obtineret, superatis peccato et dæmonio, non vi armorum, sed virtute meritorum suorum et sacrificii, quo Seipsum offerret Deo ad placandum Illum ejusque benevolentiam humano generi conciliandam.

CAPUT VII.

VATICINIA DE STATU PAUPERTATIS ET HUMILITATIS, IN QUO HIS IN TERRIS VICTURUS ESSET MESSIAS.

Primus adventus humilis.

1. Quæcumque in Scripturis de glorioso et splendido Redemptoris adventu dicuntur, de altero ejus adventu intelligi debent; de quo ipse Jesus simili ratione cum discipulis locutus est: *Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum angelis suis* [4]. Quocirca Pilato interroganti, num esset rex: *Nunc autem,* respondit, *regnum meum non est hinc* [5]; quibus verbis significavit, nondum venisse tempus, quo rex mundi agnosceretur. Quum vero de priore ejus adventu agitur, luce clarius prophetæ enuntiant, pauperem et humiliatum prodituram et his in terris victurum esse Messiam.

Probatur 1. ex Zacharia.

Zacharias: *Exsulta satis,* inquit, *filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator: ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli; et loquetur pacem gentibus* [6]. Propheta universalem pacem pollicetur et Judæis (quos designat vox *Sion*) et reliquis Israelitis (qui indicantur voce *Ephraim,* quod hæc tribus præcipua erat ex decem illis, quæ a tribu Juda recesserant) et omnibus totius orbis gentibus; sed quâ ratione? Paupertate et humilitate. Rex tuus, inquit, et Salvator ad te veniet pauper et mansuetus, asellum equo et currui præferens, i. e. humilitatem præferens superbiæ, simplicitatem arrogantiæ. Itaque, præter eum regem pauperem et humilem, in primo ejus adventu Hebræi non alium exspectare debebant regem divitem et fastu plenum, quum pauperi tantum regi datum esset, salutem mundo, cunctisque gentibus pacem afferre. Est quidem Redemptor noster cæli et terræ naturalis Dominus; sed more ceterorum regum non vult regnare in hoc mundo; pauper esse vult, ut æternis divitiis nos locupletet: *Quoniam propter vos egenus factus est,* inquit Apostolus,... *ut illius inopiâ vos divites essetis* [7].

Rejicitur Grotii interpretatio.

2. Omnes illas prophetias, quas ad Messiam referimus, *Grotius* [8] ait, in sensu proprio et litterali ad historiam illorum

[1] *Zach.*, IX, 10 et 11. — [2] 1 *Petr.*, III, 19. — [3] LXI, 1. — [4] *Matth.*, XVI, 27. — [5] *Joan.*, XVIII, 36. — [6] *Zach.*, IX, 9 et 10. — [7] 2 *Cor.*, VIII, 9. — [8] In *Matth.*, I, 22.

temporum pertinere, et in sensu mystico tantum de Jesu Christo intelligi; eamque injustam et ineptam *Grotii* interpretationem item amplectitur auctor libri: *De Examine Religionis* [1]. Sapienter vero respondet *Huetius* Episcopus [2], plura vaticinia non posse nisi Jesu Christo congruere. Sic v. g. ex regibus Juda quis umquam ad universum orbem terrarum imperium suum protulit? Quum tamen dicat Zacharias: *Et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ* [3]. Et similiter (ut de textu suprà allato agamus) quis regum Juda pauper fuit et asello insidens? Sensu litterali soli Jesu Christo hæc aptari possunt.

Probatur 2. ex verbis Redemptoris;

3. Deinde suis discipulis Dominus ait: *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, cet. Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, cet.* [4]. Quod idem antea Deus per Jeremiam dixerat: *Non glorietur sapiens in sapientiâ suâ, et non glorietur fortis in fortitudine suâ, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse Me, quia Ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam* [5].

3. ex *Jeremiâ*;

4. ex *Isaiâ*;

4. *Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis* [6]. Patet igitur, Messiæ qualitates a prophetâ descriptas non respicere divitias et honores hujus mundi, sed gratiæ tantum bona spiritualia atque æterna. Jam prædixerat Michæas, in exiguo humilique vico, ut erat Bethlehem, Eum esse nasciturum: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te Mihi egredietur, qui sit dominator in Israel; et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis* [7]. Quapropter disposuit Deus, ut imperatoris jussu omnes Judæi ad nomen suum profitendum se conferre deberent ad civitatem, unde originem ducerent, atque ita Filius suus, in tam obscuro pauperique loco nascens, ab ipso ortu humilis appareret; quin etiam, ut illic non in domo aliquâ sed in cavernâ vitam introiret. Quo factum est, ut Angelus pastoribus Salvatoris nativitatem annuntians, non alia daret nisi paupertatis signa, quibus Eum agnoscerent; stabulum, pannulos et præsepium: *Invenietis infantem, pannis involutum, et positum in præsepio* [8]. — Item prædicta fuit persecutio, quam invidia Herodis Messiæ puero inferret, ne regnum sibi adimeretur: quapropter tyrannus jussit omnes pueros a biennio circa Bethlehem natos interfici, juxta Jeremiæ vaticinationem: *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus et fletus, Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt* [9]; Redemptor autem in Ægyptum fugere coactus est, atque in eâ barbarorum regione, utpote omnibus ignotus, in paupertate et contemptu pueritiam transigere, donec tandem in Judæam rediret, juxta illam Osee prophetiam: *Ex Ægypto vocavi Filium meum* [10]. Sic ergo conditum fuit Jesu Christi regnum: molestiis, paupertate et humilitate; doloribus quoque et ignominiis, ut sequenti capite videbimus.

5. ex *Michaeâ*;

6. iterum ex *Jeremiâ*;

7. ex *Oseâ*.

[1] *Examen de la Religion, chap. 7, n. 4* (Apud *Valsecchi O. P., Fondamenti della Religione, lib. II, cap. 17, n. 8*). — [2] Demonstratio Evangelica, prop. 9, cap. 171. — [3] IX, 10. — [4] *Matth.*, XX, 25 et 26. — [5] *Jer.*, IX, 23 et 24. — [6] *Is.*, IX, 6. — [7] *Mich.*, V, 2. — [8] *Luc.*, II, 12. — [9] *Jerem.*, XXXI, 15. — [10] *Osee*, XI, 1.

CAPUT VIII.

DE PROPHETIIS, SUMMOS DOLORES ET IGNOMINIAS, CUM QUIBUS MESSIAS MORERETUR, PRÆNUNTIANTIBUS.

De morte Redemptoris: *Osee,*

1. Quam apertissime significarunt Prophetæ, moriturum esse Messiam, ut homines liberaret a morte æternâ eosque immortales redderet: *De manu mortis,* inquit Dominus per Osee, *liberabo eos; de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne*[1]. Numquam intelligi posset, quomodo Christus mortem occiderit, nisi existeret aliquid, in quo mors esset exstincta; aliis verbis, nisi homo, qui culpâ suâ ad mortem æternam erat condemnatus, a Redemptore accepisset gratiam ad vitam immortalem resurgendi.

David.

2. Ipse Messias quoque per os David[2] (ut refert S. Paulus) prænuntiavit, corpus humanum Se esse assumpturum et moriturum esse pro peccatis hominum: *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti Mihi. Holocautomata pro peccato non Tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de Me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam*[3]. Si ergo victimis a lege præscriptis substitui debebat Messias, Ipse esset victima immolanda, suumque sanguinem effunderet loco animalium, quæ non amplius Deo placerent. Eamque ob causam Verbum Divinum in hunc mundum venit, Sibique assumpsit corpus, quod molestiis mortique esset aptum, ut pro salute hominum immolaretur.

Paulus.

§ I. *De Figuris Antiquæ Legis, eam Messiæ mortem exhibentibus.*

Figuræ.

3. Plures in Antiquâ Lege præmissæ figuræ jam multis ante sæculis Jesu Christi mortem exhibebant, ut homines cupidissime exspectarent magnum illud sacrificium, quod salutem omnibus afferret. Inter eas singularis fuit figura testamenti, animalium sanguine sanciti. Cujus quidem hæc fuit cærimonia: Animalis immolandi dimidiam Moyses tulit sanguinis partem eamque effudit super altare et super duodecim acervos lapidum, qui duodecim exprimebant tribus Israel, interim dicens: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his*[4]; i. e. super omnibus, quæ hoc volumine continentur. Erant autem in eo volumine promissiones et minæ. Promittebat populus, divina mandata se esse peracturum: *Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes*[5]. Deus vero tali cærimoniâ per venturi Messiæ sanguinem præparabat remissionem peccatorum et populi debilitatibus remedium. Quapropter Apostolus: Moyses, inquit, *ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.... Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio*[6].

1. Sanguis fœderis.

Figurabat sanguinem Christi.

4. Antiquæ Legis promissiones et minæ temporalia bona et mala proponebant, adumbrabant vero promissiones et minas æternas, in Novâ Lege expressas; quocirca adjungit S. Paulus: *Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari; ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis*[7]. Carnalibus illis et legalibus victimis mundari debebant rerum cælestium exemplaria, i. e. tabernaculum, testamentum et quæcumque in eo continebantur; erant enim Ecclesiæ Christi novique testamenti exemplaria sive figuræ:

[1] *Osee*, XIII, 14. — [2] Ps. XXXIX, 7-9. — [3] *Hebr.*, X, 5-7.

[4] Exod., XXIV, 8. — [5] ibid., v. 7. — [6] *Hebr.*, IX, 19-22. — [7] *Hebr.*, IX, 23.

eamque ob causam ea vocat Apostolus *cælestia* ob cælestem victimam et hæreditatem in Novâ Lege promissam; quæ omnia mundari oportebat *melioribus hostiis*, seu Jesu Christi carne et sanguine, aliquando in cruce oblato et quotidie offerendo in Eucharistiâ. Et hic notetur, ipsum Legis volumen sanguine aspergi; quo significabatur pretium Jesu Christi sanguinis, qui unus ad nostra bona opera sanctificanda valet; quum sublatis divini illius Agni meritis, vitam æternam promereri non possent.

2. Serpens æneus.

5. Sacrificii a Jesu Christo in cruce oblati alia figura fuit *serpens æneus*. Quum adversus Moysen et adversus ipsum Deum populus Hebraicus tumultuaretur, igniti serpentes, in delicti pœnam contra eos immissi, occiderunt plurimos. Sed Moyse deprecante, præcepit Dominus, ut ligno affigeretur serpens æneus, quem aspicientes a plagis sanarentur [1]. Serpentem illum patet figuram esse Jesu Christi, qui Ipse a peccato immunis, peccatoris formam assumpsit, suâque morte remedium nobis attulit, ne moreremur. Unde qui cum fide et amore Eum in cruce immolatum intuetur, suam profecto reperit salutem: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in Ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam* [2].

3. Sacrificium expiatorium.

6. Alia fuit figura sacrificium illud, quo lueretur peccatum vel publicum et ab ipso sacerdote commissum, vel generale, quum nempe universus populus deliquisset. Sacrificans sacerdos et seniores populi ad victimam accedentes, ipsorum nomine offerendam, ejus capiti manus suas imponebant. Tum sacerdos in ejus sanguine digitum intingens, septies eo aspergebat velum *Sanctuarii* semper obductum [3]. Impositio manuum significabat, morte dignos esse omnes ibi præsentes, eosque Deum precari, ut pœnam sibi debitam in illud piaculum transferret. Atque ideo sacerdos non ultra velum in sanctuarium penetrabat, sed contra illud aspergebat solum guttas sanguinis, ut significaretur, illius victimæ sanguine Deum placari non posse, neque aliud iis promitti nisi spem futuræ remissionis per sanguinem magis salutarem et sanctiorem sacerdotem.

4. Caper emissarius.

7. Alia figura fuit *caper emissarius*. Decimâ die mensis septimi (qui mensis vocabatur *Tisri*), generali expiationi addictâ, universus Hebræorum populus mœrore afflictus, nomine suo omniumque suorum patrum a mundi origine, culpæ reum se palam profitebatur; cujus quidem mœroris non esse participem, ex ipsâ lege capitale facinus erat: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis* [4]. Inter alia illius expiationis sacrificia erat *hircus* seu *caper emissarius*, cujus capiti Summus Pontifex, totius populi nomine, imponebat manus, interim omnium delictorum Israel semet incusans, Deumque deprecans, ut ea imputare vellet huic animali, quod iræ divinæ devoveretur; quo facto, hircum, in quem transtulerat omnia anathemata populo debita, in desertum, ut ibi periret, abigebat [5]. Sic igitur hircus ille figurabat Jesum Christum, qui licet omni culpâ vacaret, pro peccatis nostris onerandus esset opprobriis et maledictionibus (*factus pro nobis maledictum* [6]), ut pro maledictione hominibus debitâ, benedictionem iis obtineret.

§ II. *De Messiæ Passione, ab Isaia* (Cap. LIII) *aperte prædicta.*

Isaias vitam Messiæ describit.

8. Recte S. Hieronymus Isaiam ait, in iis quæ de Redemptore nostro scripsit, non tam prophetam quam evangelistam dici oportere [7]. Et re quidem verâ, apud Isaiam refertur Messiæ ex virgine nativitas (VII, 14), Magorum oblatio (LX, 6), Jesu Christi discessus in Ægyptum (XIX, 1), ejus sepulchri gloria (XI, 10), Ecclesiæ Christianæ super idololatriæ ruinis consti-

[1] Num. XXI, 8 seq. — [2] *Joan.*, III, 14 et 15. — [3] Levit., IV, 5 et 6. — [4] Levit., XXIII, 29. — [5] Levit., XVI, 5 seq. — [6] *Gal.*, III, 13. — [7] In *Isaiæ* Translationem Præfatio.

Messiæ Passionem prædicit:

tutio (II, 17 et 18). Præsertim vero Capite LIII Jesu Christi dolores, ignominiæ et mors perspicue referuntur. Jam inde a principio annuntiat, opus tantæ misericordiæ exiguam apud homines fidem esse habiturum: *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est?* (v. 1). Quis tandem fidem adjunget huic prophetiæ, quam a Deo audivi? Et quis eo perveniet, ut capiat virtutem divini brachii in operandâ hominum salute? Inde S. Joannes primum illud prophetæ dictum impletum esse ait, quum Judæi licet tam multa Jesu Christi miracula vidissent, in Eum tamen credere nollent: *Quum autem tanta signa fecisset* (Jesus) *coram eis, non credebant in Eum; ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est* [1].

Cap. LIII vers. 1.

Messiam *virum dolorum* nominat. Vers. 2 e 3.

9. Pergit propheta: *Non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum* [2]. Defecit ejus pulchritudo, omnis splendor evanuit. Adspeximus, nec tamen potuimus Eum agnoscere; quare ut præstantiori specie se offerret, exoptavimus. Visus est nobis abjectus et vilissimus hominum; comparet velut homo dolori traditus, qui tot ærumnas sustinet, quot his in terris sustineri possunt. Absconditus est vultus ejus (in textu hebraico legitur: *abscondens faciem a se*, ac si diceretur, sibimetipsi vultum occultat, tamquam si illum suiipsius puderet); eamque ob causam quisnam reverâ esset, non perspeximus.

Vulneratum Eum dicit propter peccata nostra. Vers. 4-6.

10. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros* (nobis debitos) *ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum* (propter vulnera, quibus eum confoderunt) *et percussum a Deo et humiliatum* (ab Eo). *Ipse autem vulneratus est* (vulnerari voluit) *propter iniquitates nostras, attritus est* (dilacerari voluit) *propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum* (peccatorum nostrorum pœnitentiam Ipse peregit) *et livore ejus sanati sumus. Omnes nos* (miseri) *quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit* (suum quisque appetitum sequens, de viâ discesserant omnes): *et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* [3] (Deus autem hoc onus ei imposuit, ut pro omnibus illis delictis satisfaceret).

Patienter omnes cruciatus perferet. Vers. 7.

11. *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* [4]. Eumdem textum S. Lucas refert in Actibus Apostolorum [5]. — Ad patiendum et moriendum pro nobis ultro se obtulit, neque os suum aperuit in cruciatibus perferendis; ad mortem se duci passus est, sicut ovis ad lanienam se conduci sinit; coram tortoribus obmutuit, ut silet agnus coram tondente. — Hic adjungantur, quæ Messias per eumdem Isaiam alibi dixit: *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me* [6]. Vel juxta Versionem LXX: *Dorsum meum dedi in flagella et maxillas meas in alapas.* Ac si diceret (ut in Commentario ait S. Hieronymus): Ad redimendos homines nec laboribus nec doloribus peperci. Textus ille alludit ad ea verba S. Matthæi: *Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt* [7].

Mortem subibit. Vers. 8.

12. *De angustiâ et de judicio sublatus est; generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terrâ viventium; propter scelus populi mei percussi eum* [8]. De medio sublatus est, iniquissimâ sententiâ condemnatus. Ejus stirpis nobilitatem quis enarrare poterit? si perpendatur ejus natura divina, est Patri consubstantialis; si humana, omnium homi-

[1] *Joan.*, XII, 37 et 38. — [2] *Is.*, LIII, 2 et 3. — [3] v. 4, 5, 6. — [4] v. 7. — [5] VIII, 32. — [6] *Is.*, L, 6. — [7] *Matth.*, XXVI, 67. — [8] *Is.*, LIII, 8.

num nobilitati antecellit, quum sit rex cæli et terræ. Ac nihilominus ille Deus-Homo per iniquitatem e vivis sublatus est. Tu vero, Pater æterne, quomodo illud permisisti? Respondet Pater: Propter nequitiam populi mei percussi eum; id est, permisi, ut inimici eum dilaniarent mor-
Vers. 9 e 10. teque afficerent. *Et dabit impios pro sepulturâ et divitem pro morte suâ; eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate* [1]. Sed mortis ejus et sepulturæ fructus erit conversio impiorum, suæque mortis virtute divitem faciet populum suum: quum enim esset innocens, nec quemquam decepisset, voluit tamen Dominus, ut cruciatibus conficeretur.

Morte suâ redimet hominem. Vers. 10-12.

13. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. In scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit* [2]. Quum pro aliorum peccatis vitam dederit, mortem suam videbit fœcundam sanctorum progeniem esse habituram, ejusque operâ adimplebitur divina Voluntas. Videbit fructum eorum, quæ anima sua pertulerit, et animo contentus erit et satiatus. Justus servus meus, inquit Deus, doctrinâ suâ justos reddet multos, et pro eorum culpis exsolvet pretium. Ideo ingentem hominum multitudinem ei tradam, et ipse sibi acquiret spolia fortium (i. e. dæmonum, qui antea in homines dominabantur), quod vitam profudit et passus est, inter sceleratos se numerari, in se suscipiens multorum peccata et deprecans pro peccatoribus.

Grotii interpretatio rejicitur.

14. *Grotius* in Commentario in Isaiam, Cap. LIII [3], (quamquam alio loco [4] communem sententiam sequitur) sensum non ad Messiam transferre, sed ad Jeremiam detorquere voluit; alii vero illud ex omni parte confutarunt. Malum, quod Jeremias sustinuit, sola captivitas fuit [5], quâ tandem liberatus est [6]; non potest ergo, sicut Messias, vocari *novissimus virorum*. Neque vi interiit, quod de Christo Isaias prædixit: *Abscissus est de terrâ viventium*. Nec sane Jeremias cruciatus subiit, ut pro populi sui, multoque minus pro totius generis humani peccatis satisfaceret; de Christo vero dicit Isaias: *Et posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum*. A nobis non depulit mala Jeremias; Jesu Christi vero doloribus sanitatem recuperavimus: *Livore ejus sanati sumus*. Jeremias regem Sedeciam precatus est: *Domine mi rex,... ne me remittas in domum Jonathan scribæ, ne moriar ibi* [7]; quum Messias ad moriendum ultro se obtulerit: *Oblatus est, quia ipse voluit* [8]; et alibi: *Tradidit in mortem animam suam* [9]. Et quî fieri potest, ut Evangelistarum, Apostolorum aliorumque Jesu Christi discipulorum interpretationi Christianus homo suam interpretationem anteponat? Suprà attulimus textum Isaiæ: *Quis credidit auditui nostro, cet.*, quem textum refert S. Joannes [10], ut Hebræorum incredulitatem exprimat. S. Matthæus idem caput Isaiæ ad Christi personam transfert: *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit* [11]. S. Marcus autem: *Et impleta est*, inquit, *Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est* [12]. Et S. Paulus scribit: *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas* [13]. Et S. Petrus: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [14] (quæ verba congruunt cum textu Isaiæ suprà allato). Sed magis directe ad rem nostram faciunt,

[1] Ibid., v. 9 et 10.— [2] Ibid., v. 10-12.— [3] Comm. in *Is.*, cap. 53 integr. — [4] De Veritate Religionis Christianæ, lib. V, cap. 19. — [5] *Jerem.*, XXXVII, 14. — [6] Ibid., XL, 1 et 6. — [7] Ibid., XXXVII, 19.— [8] *Is.*, LIII, 7. — [9] v. 12. — [10] XII, 38. — [11] *Matth.*, VIII, 17. — [12] *Marc.*, XV, 28. — [13] 1 *Cor.*, XV, 3. — [14] 1 *Petr.*, II, 22.

quæ Actus Apostolorum de S. Philippo discipulo narrant. Is a Spiritu-Sancto ad instruendum eunuchum reginæ Candacis ductus, et de hoc ipso interrogatus *(Obsecro te, de quo propheta dicit hoc?), aperiens... os suum* (inquit S. Lucas) *et incipiens a Scripturâ istâ, evangelizavit illi Jesum*[1]. Dicit *incipiens*, quod deinde ad illud confirmandum reliqua protulit Scripturarum testimonia.

Rejicitur aliorum interpretatio.

15. Judæorum nonnulli asseruerunt, in hoc capite Isaiæ non de Messiâ agi, sed de populo Hebraico et de sævitiis a Romanis ei illatis. — Sed perquam inepte; agitur enim de uno tantum viro dolorum, justo et a peccato immuni. Numquid illæ conditiones in Hebræorum populum cadunt? — Præterea dicitur: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Potestne intelligi, populum percuti propter peccata populi? — Item dicitur: *Quasi agnus coram tondente se, obmutescet.* Quis umquam hæc intelligat de populo Hebraico, qui Romanis, bello ipsum subigere conantibus, ingenti strepitu restitit? — Refert *Hugo Grotius* (in celebri opere *De Veritate Religionis Christianæ*, lib. V, § 19), ipsos antiquos Hebræos negare non potuisse, in hoc capite LIII Isaiam de Messiâ loqui; quamquam, Messiâ non prorsus omisso, dolores et ignominias, de Messiâ illic prædictas, inepte detorquerent ad ipsos Hebræorum adversarios. Recentiores vero Hebræi, quum perspicerent, eam interpretationem cum vero sensu omnino pugnare, ad *Grotii* sententiam stulte accesserunt, et Messiâ prorsus subducto, omnia transferunt ad Jeremiam; quod nihil aliud est, nisi apertius suam adversus Jesum Christum et Apostolos ostendere malevolentiam, quum luce clarius sit (ut vidimus), iis verbis Isaiam de solo Christo loqui. Quapropter in eos cadunt, quæ Constantinus Imperator respondit (ut refert Cedrenus[2]) in celebri disputatione cum *Rabbinis* Romæ a S. Sylvestro Pontifice habitâ: *Si hæc vestris continentur libris, frustra, Judæi, contradicitis ob ea quæ passus est Christus; quæ quo ordine prædicta, in Christo completa sunt.* Ceterum Grotius ipse (licet hæreticus vir sæpius ad alias personas deflectere voluerit, quæ de Messiâ prædicta sunt) non potuit non agnoscere, hoc caput LIII Isaiæ de solo Christo posse intelligi: *Quis potest nominari aut regum aut prophetarum*, inquit, *in quem hæc congruant? Nemo sane*[3].

Vera interpretatio confirmatur.

16. Hoc capite LIII Isaiam de Messiâ loqui, item constat ex duobus superioribus capitibus. Nam Cap. LII certo Messiam intelligit, quum dicit: *Sciet populus meus nomen meum in die illâ; quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum, cet.... Quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem*[4]. Ac deinde subjungit: *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*[5]. Et versiculo 14 distinctius: *Sic*, inquit, *inglorius erit inter viros aspectus ejus.* — In Capite LI autem dicit: *Prope est justus meus, egressus est Salvator meus*[6]. — Si ergo ad alium transferri nequeunt, quæ in utroque Capite LI et LII Isaias profert, asseri non potest, Capite LIII, eum non loqui de Messiâ.

David: Messias in crucem tolletur.

17. Ad hæc David futurum esse prædixit, ut Salvator noster veste suâ spoliaretur, et manibus pedibusque confixis, nudus in crucem tolleretur: *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*[7]. Quæ ipsa Davidis verba commemorantur a sanctis Evangelistis Matthæo[8] et Joanne[9], ubi Jesu Christi mortem referunt. Fuerunt inter Hebræos, qui vocem *foderunt* alio sensu interpretari voluerint; sed præter Vulgatam, eâdem significatione eam accipiunt versio LXX interpretum, S. Hieronymi, Origenis, itemque versio Arabica, Syriaca et Æthiopica. Versio Chaldaica habet *momorderunt*,

[1] *Act.* VIII, 34 et 35. — [2] Comp. historiar. a mundo condito usque ad *Isaac Comnenum*, a. 4° *Constantini*. — [3] L. c. — [4] *Is.*, LII, 6 et 9. — [5] v. 10. — [6] LI, 5. — [7] Ps. XXI, 17-19. — [8] XXVII, 35. — [9] XIX, 23-24.

quod fere idem sonat. Præterea idem confirmat prophetia Zachariæ (XII, 10) [1].

Messias deridebitur.

18. David in eodem Psalmo XXI prædixit, Jesum Christum moriturum esse, derisum et blasphematum a Judæis ac militibus: *Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum* [2]. Ad quæ refertur illud, quod narrat S. Matthæus: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei et in triduo illud reædificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus, dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce et credimus ei. Confidit in Deo; liberet nunc, si vult Eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum* [3]. Ad hæc Daniel itemque David prædixit, moriturum esse Messiam, ab omnibus derelictum, nec reperturum esse, qui se consolaretur. Daniel: *Occidetur Christus,* inquit; *et non erit ejus populus, qui Eum negaturus est* [4]. Hebraice legitur: *Et nemo ipsius.* — David autem: *Et sustinui,* inquit, *qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni* [5].

Messias a Patre derelinquetur.

19. Pariter a Davide prædicta fuit derelictio, quam in cruce Jesus Christus pateretur; quod his verbis describit S. Matthæus: *Clamavit Jesus voce magnâ dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti Me?* [6] David autem Messiæ nomine dixerat: *Deus, Deus meus, respice in Me; quare Me dereliquisti? Longe a salute meâ verba delictorum meorum* [7]. Ac si diceret: Ideo, mi Deus, omni solatio me privasti, quod hominum delicta, quæ mea feci, ut iis satisfacerem, salutem meam impediunt; i. e. obstant, ne liberer doloribus, quibus opprimor. Quare S. Ambrosius: *Pro me doluit (Christus),* inquit, *qui pro se nihil habuit, quod doleret. Et sequestratâ delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur* [8]. Et S. Augustinus: *Seponit divinitatem, id est, quodammodo sequestrat, hoc est occultat quod suum erat, apparet quod acceperat* [9]; onus nempe exsolvendi pretium nostrorum peccatorum.

Impleta sunt vaticinia.

20. Horrent Judæi ut suum Salvatorem agnoscere et adorare Jesum Christum, quem supplicio affectum tamque acerbâ et ignominiosâ morte occubuisse vident. Atvero, si placidam planeque honorificam mortem obiisset, a tali Salvatore salutem sperare non liceret: Salvator enim, Scripturis nobis promissus, moriturus erat opprobriis cruciatibusque saturatus et tractatus ut omnium hominum infimus: *Saturabitur opprobriis* [10]. — *Et vidimus Eum... despectum et novissimum virorum, virum dolorum* [11]. Quum ergo ita prorsus sancta nostra Ecclesia cum sacris Evangelistis Eum ostendit, exstinctum velut in pelago dolorum et dedecorum, huic uni Salvatori salutem nostram committere possumus et debemus.

[1] In Psalmo 95, vers. 10 legitur: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit;* addunt LXX *a ligno.* Quæ quidem vox in textu Hebraico non reperitur; sic tamen eum legerunt antiqui Patres, ut S. Justinus (*a*), Tertullianus (*b*), S. Cyprianus (*c*), S. Augustinus (*d*), S. Leo (*e*), Lactantius (*f*), Arnobius (*g*), Cassiodorus (*h*) et vetus Psalterium Romanum. Porro S. Justinus (contra Tryphonem) (*i*) Hebræos ait vel alios Jesu Christi Crucis inimicos ex iis exemplaribus, quæ de Versione LXX nobis remanserunt, expunxisse vocem illam, quæ etiam Dominicâ Passionis in Hymno ad Vesperas exprimitur: *Impleta sunt, quæ concinit David fideli carmine, Dicendo nationibus: Regnavit a ligno Deus.*

[2] Ps. XXI, 8 et 9. — [3] *Matth.*, XXVII, 39-43. — [4] *Dan.*, IX, 26. — [5] Ps. LXVIII, 21. — [6] *Matth.*, XXVII, 46. — [7] Ps. XXI, 2. — [8] In *Lucam*, lib. X, n. 56. — [9] Sermo 77, cap. 7, n. 11. — [10] Thren. III, 30. — [11] *Isai.*, LIII, 2 et 3.

(*a*) Dialogus cum *Tryphone*, n. 73. — (*b*) Adversus *Marcionem*, lib. III, Cap. 19. — (*c*) De Montibus Sina et Sion, n. 9. — (*d*) In Ps. XCV, n. 11. — (*e*) Sermo 55 (De Passione 4), cap. 2. — (*f*) Citatur a *Genebrardo, Comment. in Psalmos, h. l.* et ab aliis (Nota edit.). — (*g*) *Arnob. Junior*, in Ps. XCV. — (*h*) Expositio in Psalterium, Ps. XCV, n. 10. — (*i*) L. c.

Judæi excusationem non habent.

21. Judæi, priusquam impleta vidissent vaticinia de adventu, operibus et obitu Messiæ, plus excusationis habuisse videntur; sed ubi omnia cum singulis adjunctis, ut prædicta erant, jam evenisse constabat, utique cognitæ veritati cedere debebant, prout fecerunt discipuli, de quibus S. Joannes: *Hæc*, inquit, *non cognoverunt discipuli ejus primum; sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, cet.*[1]. Hebræis vero, qui obstinati in cæcitate permanere volunt, crux Christi scandalum esse pergit, sicut quondam gentibus fuit stultitia. In præsenti autem quasi ubique eversa est idololatria, et ubique terrarum adoratur Crux, neque exspectatur vel admittitur alius Messias quam crucifixus, qui exspectatus erat et a prophetis prænuntiatus.

CAPUT IX.

GENTILIUM CONVERSIO PROBAT, VERAS ESSE SCRIPTURAS ET JESUM CHRISTUM VERUM MESSIAM PROMISSUM.

Gentilium conversio prædicitur: *Isai.* LXII.

1. Nuntiarunt prophetæ, Messiam non solis Judæis, sed etiam gentilibus lumini et saluti esse futurum. Per Isaiam Deus loquitur: *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur*[2]. Propter bonum Sion et Jerusalem non tacebo, donec ei surgat sol justitiæ, suamque lucem, ut Salvator, velut lampas accensa, fundat. *Et videbunt gentes justum tuum*, ita pergit propheta, *et cuncti reges inclytum tuum: et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit*[3]. Tunc autem, Sion, justum tuum in te videbunt gentes, cunctique reges principis tui majestatem; tu vero vocaberis novo nomine, quod ipse Deus tibi imponet. Quod quidem novum nomen quarto versiculo exprimitur: *Non vocaberis ultra derelicta... sed vocaberis voluntas mea in eâ*[4]; id est, ut explicat S. Hieronymus, vocaberis delectatio mea, deliciæ meæ; *est* (enim) *Hebraicæ consuetudinis, ut ex eventu rebus vocabula... imponant*[5].

Similiter: *Isai.* XLII et XLIX.

2. Alibi per eumdem prophetam Deus monuit: *Ecce servus meus, suscipiam eum, cet.... Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium; ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris*[6]. En tibi servus meus mihi acceptissimus. Ac deinde ipsum Messiam alloquens: Te constitui, inquit, mediatorem populi mei et lucem gentium, ut cæcis oculos aperias, eumque e carcere eripias, qui in tenebris religatus jacet. — Et alio loco item Messiam compellans: *Parum est*, inquit, *ut sis Mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces* (textu Hebr. *servatos*) *Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*[7]. Parum est, quod Mihi servias ad reficiendas tribus Israel et ad conficiendum reditum eorum, quos ex populo meo Mihi reservavi: Ego Te præbui lucem gentium et universi mundi salutem. Dicit Deus *salus mea*, ac si salus hominum Ipsius esset salus propria.

Idem prædicit *David* Ps. XVII.

3. Messias nihilominus incipere debebat a conversione sui Hebræorum populi, ad quem præcipue missus erat, ut Ipse dixit Chananææ mulieri: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*[8]. Sed per David quoque prædixit Dominus, se ab Hebræis rejectum, Gentilium conver-

[1] *Joan.*, XII, 16. [2] *Is.*, LXII, 1. — [3] v. 2. — [4] v. 4. — [5] Comment. in Isaiam, LXII, 4. — [6] *Is.*, XLII, 1, 6 et 7. — [7] *Is.*, XLIX, 6. — [8] *Matth.*, XV, 24.

sioni operam esse daturum; eosque obsequenti animo se esse subjecturos: *Eripies Me de contradictionibus populi; constitues Me in caput gentium. Populus, quem non cognovi, servivit Mihi: in auditu auris obedivit Mihi* [1]. Liberabis Me, Pater, ab hoc populo, qui Mihi contradicere non desistit; Meque caput gentium constitues. Populi, quos non noveram, Mihi servient, Mihique obtemperabunt propter ea, quæ de Me et de meâ doctrinâ audierint. Quibus verbis clare prædicitur, gentiles ad fidem se esse conversuros non ex ipsius Messiæ verbis sed, post ejus mortem, discipulorum operâ. Idemque significant verba Isaiæ, quibus Messiam alloquitur: *Gentem, quam nesciebas, vocabis; et gentes, quæ Te non cognoverunt, ad Te current* [2]. Et alio loco idem his verbis vaticinatus est Isaias: *Venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis: et venient et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, tendentes sagittam: in Italiam et Græciam... ad eos qui non audierunt de Me.... Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus domum Domino.... Et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus* [3]. Tempus erit, quum cujuslibet linguæ gentes congregem: meam gloriam videbunt. Iis, qui meâ fide salvati fuerint, signum imponam (quod signum erit miraculorum virtus), eosque mittam ad maritimas et transmarinas gentes, ibique sibi acquirent multos fratres, quos Deo offerent. Mihique ex iis eligam sacerdotes et levitas.

Præterea Isai. LV et LXVI.

Impletæ sunt prophetiæ.

4. Videamus ergo quænam hodie sit mundi conditio, ut appareat, num reverâ advenerit Messias. Plurimæ nationes, quæ quondam adorabant idola, nunc quidem verum Deum adorant. Hanc autem conversionem quis tandem perfecit nisi Messias, cui illud servatum erat, ut etiam adventus sui testimonium daret? Nec tamen desunt scriptores, nomine tantum Christiani, qui ea vaticinia ad Davidem vel Salomonem, Jeremiam vel etiam Oniam, Cyrum vel Judam Machabæum transferant; vel ad alium quempiam, ut ait Grotius [4], illectus a Socinianis, qui impiam redintegrarunt Marcionitarum et Manichæorum doctrinam. Sed alii eruditi vereque Christiani doctores, itemque præter *Baltum* [5] duo prælati, *Huetius* [6] et *Bossuet* [7], manifesto ostenderunt, falso hæreticos ea interpretari, cosque recedere a communi sententiâ *Rabbinorum*, Synagogæ, Sanctorum Patrum et Apostolorum, quin immo dissidere ab ipso Christo, qui dixit: *Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de Me* [8]. Si Jesus Christus non fuisset verus Messias, a Deo missus, simulque vere Deus, profecto aut stultissimus fuisset aut sceleratissimus. Stultissimus, inquam; quid enim stultius, quam novam introducere velle religionem et Deo et corruptæ hominum naturæ et ipsis dæmonibus contrariam? Deo quippe nihil magis odiosum est quam falsi numinis cultus; humanæ concupiscentiæ quoque valde adversatur religio Christiana, ac demum repugnat cultui dæmonum omnibusque vitiis, quibus diffundendis tantopere student dæmones. Jesus Christus vero adeo Sapientem se præbuit, ut ingentes turbæ ad Eum audiendum ne de cibo quidem sumendo cogitarent, atque etiam Legis Doctores discederent attoniti et pudore confusi. Aut sceleratissimus fuisset, quum naturalem Dei Filium Se profiteretur, quâ culpæ immanitate superasset Luciferum, qui tantum sibi non arrogavit. Sed virtutibus adeo excelluit, ut nemini non perspecta esset ejus sanctimonia, ipsique adversarii ad ejus condemnationem nihil apud Pilatum afferendum reperirent, præter mendacia et calumnias. Reverâ igitur et Messias et Deus fuit Jesus Christus: legem suam Ipse in

[1] Ps. XVII, 44 et 45. — [2] *Is.*, LV, 5. — [3] *Is.*, LXVI, 18-21. — [4] In *Matth.*, I, 22. — [5] *Difesa delle Profezie della Religione Cristiana.* — [6] Demonstratio Evangelica, prop. 7, n. 4 seq. — [7] *Dissertation préliminaire sur la Doctrine et la Critique de Grotius.* — [8] *Luc.*, XXIV, 44.

Judææâ propagare cœpit, suâque virtute divinâ per discipulos deinde multo latius propagavit. Quandoquidem eo mortuo fides Christiana diffusa est et invaluit omnibus locis, quin etiam Romæ, primario omnium hæresum atque impietatum domicilio. Hîc vero consistere oportet animoque contemplari, quantopere Gentilium conversio comprobet adventum Messiæ et Christianæ Religionis veritatem; quod quidem sequentis Capitis erit argumentum.

CAPUT X.

GENTILIUM CONVERSIO VALDE CONFIRMAT MESSIÆ ADVENTUM ET CHRISTIANÆ RELIGIONIS VERITATEM.

Solus Deus hanc conversionem perficere potuit:

1. Magnum sane religioni, a Jesu Christo traditæ, argumentum præbet conversio Gentilium propter admirabiles hujus conversionis circumstantias, quæ clare demonstrant, eam non ab aliâ manu quam a Dei Potentiâ perfici potuisse. — Et primum consideranda est Novæ Legis traditæ difficultas, quum dogmata ad credendum difficilia proponeret; mysteria nempe, humanæ menti non comprehensibilia. Mysterium, inquam, SS. Trinitatis, quo credere debemus, tres quidem esse divinas Personas, simul tamen eas esse unum Deum, quum unam tantum substantiam, unam essentiam unamque habeant voluntatem. Mysterium Incarnationis; Dei Filium videlicet hominem esse factum, et ad salvandum genus humanum cruciatus et mortem subiisse. O quæ extrema, infinite inter se distantia! Deus et homo! Credere, ipsam magnitudinem ad nihilum Se redegisse! Altitudinem Se humiliasse. Præterea mysterium SS. Sacramenti Altaris, quo credere debemus, per consecrationis verba substantiam panis et vini reverâ in Jesu Christi Corpus et Sanguinem converti. Mortuorum resurrectionem; corpus nimirum in pulverem resolutum, extremi judicii die ita resurrecturum, sicut antea hac in vitâ esset.— Fieri non potuisse videtur, ut ii, qui de Scripturis, Prophetis et Messiâ nihil sciebant, credere voluissent in novæ alicujus legis auctorem, quem numquam viderant, de quo nihil umquam loqui audierant; idque eo magis, quod iis denuntiaretur, legislatorem illum a suâ quidem natione nequaquam fuisse agnitum, immo etiam cruci affixum ut deceptorem. Et re quidem verâ; initio gentiles, audito, credendum adorandumque ut Deum sibi proponi hominem, tamquam maleficum in crucem actum, illud insaniam neutiquam credibilem existimabant: *Nos autem*, testatur S. Paulus, *prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*[1]. Ac nihilominus eventu completa sunt, quæ Jesus Christus prædixerat. Judæis in incredulitate persistentibus, gentiles fidem amplexi sunt, et cum fide persecutiones et crucis ignominias: *Placuit Deo*, inquit idem Apostolus, *per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*[2]. Hoc efficere voluit Deus, ut per prædicationem mortis Redemptoris, quæ stultitia videbatur, mundus amplecteretur eam fidem, quæ mysteria ad credendum adeo difficilia tradebat.

1. Dogmata creditu difficilia.

2. Præterea talia docebat illa lex, quæ haud facile peraguntur: abnegare semetipsum, cupiditates suas vincere, inimicos amore prosequi, mortificare carnem, quieto animo cruciatus perferre, cum omnibus demisse se gerere, contemptus perpeti, et omne bonum in spe futuræ vitæ repo-

2. Præcepta valde ardua.

[1] 1 *Cor*, I, 23. — [2] Ibid., v. 21.

nere. Quod quidem exsequendum proponebat cæco populo, vitiis assueto, qui omne bonum in præsentis vitæ oblectamentis reponebat. Desinant ergo *Mahumedes*, *Lutherus* et *Calvinus* gloriari, tam multos suam amplexos esse doctrinam. Si jejunium prædicassent, pœnitentiam, castitatem, rerum suarum abdicationem, abnegationem sui, tunc reverâ magni prodigii loco habendus esset sectatorum numerus; quod quidem factum conspicimus in nostrâ religione, quam prædicarunt et amplexi sunt quamplurimi. Quum vero lasciviam annuntiarent, omnisque mortificationis et obedientiæ, legibus præpositisque præstandæ, abrogationem, prodigium fuisset, non quidem si sectatores plurimos, sed si paucos tantum habuissent. Mirum sane, si rivulus sursum in montem ascendat; ad vallem eum defluere, quid mirum? — Fatemur quidem, religionis nostræ propagationi multum favisse miracula; sed ut iis respondeamus, qui miracula negant, majus futurum fuisse miraculum dicimus, si propagata fuisset sine miraculis.

3. Pauci et humiles promulgatores.

3. Deinde considerandum est, quinam fuerint prædicatores, quibus commissum fuit, ut novam illam Jesu Christi legem promulgarent atque idololatriam et tot vitia e medio tollerent. Pauci fuerunt iique rudes piscatores, viri illitterati, humili loco orti, nullo divitiarum vel optimatum præsidio commendati. Ideo Deus ad magnum mundi conversionis opus infirmissima quæque media eligere voluit, ut nos certiores faceret, Seipsum, non alium, Christianæ Religionis fuisse auctorem. Si ea subsidia majorem potentiam humanam præ se tulissent, in fidei propagatione minus eluxisset divina potentia; et hoc est, cur ea elegerit Deus, quæ in seipsis minus apta viderentur: abjectam suam vitam, mortem in cruce obitam, prædicatores Apostolos, in quibus nulla appareret earum qualitatum, quas mundus vel diligere vel timere solet. Ad hæc, quid hisce fidei propagatoribus promittit Dominus? His in terris quidem solam paupertatem, despectum, persecutiones, tormenta et necem [1].

4. Potentes adversarii.

4. Tertio, miseris iis piscatoribus propaganda fides erat in oculis tot magistratuum, principum, imperatorum, qui totis viribus iis adversabantur, et exsilio, bonorum spoliatione et teterrimâ nece omnes afficiebant, qui eam amplectebantur fidem. Unde sanctis Apostolis continenter et sine ullâ intermissione pericula periculis succedebant, supplicia suppliciis; quandoquidem, ut apud S. Lucam legimus [2], quum carcerem ac verbera in unâ civitate sustinuissent, ad prædicandum in aliam se conferebant, ubi similes eos manerent sævitiæ. Non solum enim clanculum in domibus vel aliis abditis locis Dei Verbum annuntiabant, sed etiam in plateis et coram ministris ac præfectis, ad eos capiendos castigandosque vigilantissimis. Et hic recolas velim, regna iis temporibus non fuisse inter varios principes divisa; sed quum solus Imperator Romanus in totum fere orbem tunc cognitum dominaretur, ejus contra Evangelii prædicatores edicta ubique promulgata erant suumque obtinebant effectum, nec perfugium in ullâ provinciâ habebant Apostoli, neque umquam non reperiebant inimicos. Ac nihilominus gaudenti animo Christianam fidem per universum orbem intra paucos annos et promulgatam et admissam conspexerunt. Quare ad Romanos S. Paulus: *Fides vestra*, inquit, *annuntiatur in universo mundo* [3]. Et de eâdem fide agens, ad Colossenses scribit: *Quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut in vobis* [4]. Tertullianus [5], Clemens Alexandrinus [6], S. Athanasius [7] et S. Hieronymus [8] testantur, suis temporibus propagatam esse fidem apud Germanos, Iberos, Celtas, Ægyptios, Libycos, Parthos, Medos, Ælami-

5. Celerrima diffusio.

[1] *Luc.*, VI, 22. — [2] Act. XIV, 18 seq. — [3] *Rom.*, I, 8. — [4] *Col.*, I, 6 — [5] Ad Nationes, lib. I, n. 8; Adversus *Judæos*, cap. 7. — [6] Stromat., lib. VI, cap. 18. — [7] Ad *Jovianum*, de Fide, n. 2. — [8] Ep. 107 ad *Lætam*.

tas, Armenios, Phrygios, Asiaticos, Afros, Romanos, Mauritanos, Gallos, Britannos, Scythas et Sarmatas. S. Ignatius [1] autem secundo sæculo ineunte, et S. Irenæus [2] circa medium illud sæculum, Christianam religionem per omnes habitatas provincias jam divulgatam esse asseverant.

Rejicitur sententia cujusdam Angli.

5. Auctor quidam, *David Clarkson* nomine [3], natione Anglus, primis sæculis Christianos non multos, sed paucos fuisse ait; atvero communiter ab eo dissident auctores nostri. Doctissime ei respondit *Castus Ansaldus* [4], Ord. Præd. et Theologiæ in Academia Taurinensi Professor; iisque primis sæculis Christianorum numerum non solum magnum, sed etiam maximum fuisse demonstravit. Quod quidem probat ante omnia ex iis, quæ SS. Patres et antiquissimi Scriptores Ecclesiastici hac de re testati sunt. S. Lucas: *Erant autem in Jerusalem,* inquit, *habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est* [5]. De SS. Petro et Paulo Clemens Romanus affirmat: *Viris istis sancte vitam instituentibus magno electorum multitudo aggregata est* [6]; quam quidem epistolam *Mamachius* [7] post Domitiani persecutionem scriptam esse existimat. Clemens Alexandrinus: *Nostram autem doctrinam,* inquit, *a primâ usque prædicatione prohibent simul reges et tyranni... nosque pro viribus exscindere conantes. Illa autem magis etiam floret* [8]. Septimius Tertullianus, exponens, quæ in secundo Apostolicorum Actuum Capite leguntur, ostendit, quot provinciæ et regna fidem Christianam amplexa essent: *In quibus... locis,* inquit, *Christi nomen, qui jam venit, regnat* [9]. Quæ verba: *floret* et *regnat* significant, iis regionibus Christianos majorem constituisse incolarum partem. Idem Tertullianus, de eâdem re agens: *Præ multitudine Christianorum,* inquit, *pene omnium civitatum* [10], *cet.* Et similiter: *Tanta hominum* (i. e. Christianorum) *multitudo, pars pene major civitatis cujusque* [11].

Refellitur sententia *Basnagii*

6. Asserit quidem *Jacobus Basnage* [12], tertio sæculo in Romani Imperii civitatibus vix decimam forsitan partem fuisse Christianam; Tertullianus vero: *Pars pene major,* inquit, *civitatis cujusque.* Utri majorem adjungi oportet fidem, *Basnagio* an Tertulliano, qui suorum quidem temporum conditionem describit? — Accedit Origenes, qui: Christiana doctrina, inquit, *Græciam omnem majoremque barbararum gentium partem subegit, et innumeras animas ad Dei cultum, quem docebat, adscivit* [13]. Atque alio loco: *In omni orbe terrarum, in omni Græciâ atque universis exteris nationibus innumeri et immensi sunt, qui relictis patriis legibus, et his quos putabant Deos, se disciplinæ Christi tradiderunt* [14]. Accedant quoque ipsorum gentilium testimonia. Tacitus: Eorum (Christianorum scil.), inquit, *ingens multitudo... convicti sunt* [15]. Plinius Cæcil. Sec. in epistolâ ad Trajanum, quam suprà commemoravimus: *Neque enim civitates tantum,* inquit, *sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est.... Certe satis constat, prope jam desolata templa cœpisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur* [16]. Et Julianus Apostata Imperator, in satirâ quam contra Antiochenos composuit, causam afferens, cur

[1] Ep. ad *Philadelphenses,* n. 4 (inter interpolatas. Nota edit.). — [2] Adversus Hæres., lib. I, cap. 10. — [3] *De l'Etat primitif de l'Episcopat et des Liturgies (traduit de l'Anglais; Rotterdam, 1716); chap. 1 et 4.*

[4] *Casti Innocentis* (non, ut aliqui putarunt, ejus fratris *Caroli Augustini*) *Ansaldi, O. P.,* in Regio *Taurinensi* Athenæo S. Theologiæ Professoris: Multitudo maxima eorum, qui prioribus Ecclesiæ sæculis Christianam Religionem professi sunt, adversus *Davidem Clarksonium*... ostensa et vindicata. *Augustæ Taurinorum.* 1765.

[5] Act., II, 5. — [6] Ep. 1 ad *Corinthios,* cap. 6. — [7] Origines et Antiquitates Christianæ, lib. II, Parergon de Propagatione Religionis Christianæ, § 1, nota. — [8] Stromat., lib. VI, cap. 18. — [9] Lib. adversus *Judæos,* cap. 7. — [10] Apologeticus, cap. 37. — [11] Liber ad *Scapulam,* Provinciæ *Africæ* Præsidem, cap. 2. — [12] *Histoire de l'Eglise, liv. I, chap. 6, n. 1.* — [13] Contra *Celsum,* lib. I, n. 27. — [14] De Principiis, lib. IV, n. 1. — [15] Annales, lib. XV, n. 44. — [16] Epistolar., lib. X, Ep. 97.

ab iis odio haberetur: *Etenim populi maxima pars*, inquit, *immo totus populus, qui impietatis sectam sequitur, mihi succenset, quod me videt patrum religionem amplecti* [1]. Talibus igitur fidei nostræ promulgatoribus videre contigit, ab ipsis idololatris despectos et conculcatos deos, quos antea venerarentur; unà cum fide tot mysteria admissa, ad credendum adeo difficilia; radicitus evulsa tam multis sæculis inveterata vitia; jam detestata corporis oblectamenta, dimissas divitias et honores mundanos; susceptas vero molestias, ignominias, paupertatem, persecutionem et mortem: novas quippe religiones sequi ubique vetitum erat, non solum a Judæis (ut refert Josephus Hebræus [2]), sed etiam a Romanis (ut apud Eusebium ajunt Dio [3] et Livius [4]). Verumtamen omnibus locis tot Gentiles Evangelium amplexi sunt, ut decursu temporis idololatria ad lucem Evangelicam comparata, ad sectam nefandam atque derelictam deciderit [5].

Præclara fidelium sanctimonia.

7. Egregium sane spectaculum, tot anachoretas, patriâ domibusque relictis, multitudine suâ solitudinem tum implere; tot martyres, ne fidei deessent, confectos cruciatibus, quibus acerbiores nec hominum crudelitas nec rabies dæmoniorum excogitare poterat, vitam profundere; eosque, rejectis divitiis ac summis honoribus, quos proponerent imperatores, tormenta amplecti et necem. Jesu Christi amore adeo ardebant beati illi fideles, ut avidius quam hujus mundi amatores sibi cupiunt delicias et humana fastigia, contemptus, ærumnas ac mortem expeterent. Imperatoribus denuntiabant provinciarum Præfecti, sibi jam non suppetere patibula vel carnifices præ multitudine Christianorum, qui ad moriendum pro Jesu Christi fide se offerrent. Videbantur illi quidem humanam exuisse naturam, eumque deposuisse horrorem, quo a cruciatibus et morte refugit ipsa natura. Quis non videt, illud non naturæ sed solius gratiæ fuisse opus? Et, quo nihil mirabilius reperiri potest, quanto magis ad præpediendam populorum conversionem Præfecti et Imperatores Christianos insectabantur, tanto magis propagabatur fides: quo plures afficiebantur martyrio, eo plures prodibant; ac si defuncti, velut prospera semina, duplicatum afferrent fructum.

Hæc omnia humanam virtutem superant.

8. Nisi autem illi homines sancti fuissent et divinâ virtute corroborati, quî umquam tot tantasque persecutiones sustinere potuissent? Atqui inter eas persecutiones vidisses ubique terrarum susceptam fidem, Jesum Christum divino cultu honoratum, tot exstructa templa apud Judæos, Græcos, Romanos, Scythas, Persas aliasque barbaras ultimorum terræ finium nationes. Atque illud quanto temporis spatio? Refert Tertullianus [6], secundo sæculo ineunte, nullam fuisse terræ partem, ubi non reperirentur Christiani. Et quarto sæculo, Imperatore Constantino regnante, jam ubique propagata erat fides nostra. S. Hieronymus, ex Palæstinâ de suis temporibus scribens: *Regum purpuras*, inquit, *et ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris* (i. e. crucis) *pictura condecorat.... De Indiâ, Perside, Æthiopiâ monachorum quotidie turbas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei; Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria* [7]. Hæc S. Hieronymus. Palladius [8] porro narrat, incunte quarto sæculo, in Ægypto viginti millia virginum, quæ re-

[1] Misopogon, post med., p. 171. — [2] Contra *Appionem*, lib II. — [3] Hist. Roman., lib. LXVII, n. 14. — [4] Hist., lib. XXV, cap. 1.

[5] Celsus, Porphyrius, Macrobius et Apulejus, quum probe perspicerent, præ Evangelio, quod unum tantum verumque Deum ac bonitate plenum, colendum esse doceat, suam idololatriam, quæ adorandos exhiberet tot commentitios et nequissimos deos, ut veram turpitudinem esse habendam; ejus vultum contegere cupientes, fabulas, quæ de diis narrantur, allegorias esse asseruerunt; non ideo tamen impedire potuerunt, quominus idololatria interierit, et amandata sit ad incultas terras miserosque *pagos;* ex quibus nomen *paganorum* idololatris remansit.

[6] Apologeticus, cap. 37. — [7] Ep. 107 ad *Lætam.* — [8] Apud *Rufinum*, Hist. Monachor., cap. 5 (In Appendice ad *Palladii* Hist. — Cfr. *Migne*, Patr. Græc., tom. XXXV).

ligiosam sanctamque vitam profitebantur, unius urbis territorium incoluisse. Itaque tria prima sæcula sanguinis effusione, quartum et quintum corporis macerationibus ac pœnitentiis insignita fuerunt.

Objectio. **9.** In suo opere: *De Religionis Examine* impius auctor: *Ecclesiæ progressus*, inquit, *prorsus humanus est. Initio in fraudem inductus est populus eo quidem tempore, quum typographia nondum existeret, quum sola vis imaginativa dominaretur, quum inusitatæ quæque visiones multis facillime probarentur. Opinionum varietate tempora illa delectabantur* [1]. Atvero illo sæculo tantopere corrupto, si annuntiata esset religio, quæ corporis oblectamenta foveret, nihil mirum fuisset (ut auctor asserit), quod plurimi eam accepissent; sed quum Christiana Religio terrenis voluptatibus adversetur, nec potentissima quæque auctoritatis subsidia neque ipsæ sævitiæ, nisi brachium divinum adjuvaret, integros populos ad eam amplectendam potuissent inducere. Atque eadem valet responsio ad aliud ibidem allatum paradoxum: *Da mihi duodecim viros, quibus persuadere possim, diem non a solis luce pendere; neque ego despero, integras nationes eam secuturas esse opinionem* [2]. Sed etiamsi illud concederetur, aliud est, ad opinionem speculativam amplectendam, aliud ad suscipiendam vitam mortificatam omniumque cupiditatum abnegationem homines inducere. Ab antiquis philosophis, Socrate, Platone, inquit Lactantius [3], tradebantur quidem honestatis præcepta, non autem servabantur ab hominibus; deerat enim vis interna (quam Christiani habent), a Deo donata ad superandas naturæ corruptæ propensiones. Frisonum quidam rex (ut narrat *Fleury* [4] in historiâ Ecclesiasticâ) quum ad fidem conversus, in eo esset ut Baptismum susciperet, num priores principes ad cælum pervenissent, quæsivit. Quod quum negari, et ad inferos eos detrusos audiret: *Itaque*, respondit, *ad nobiles meos patres me conferre malo, quam ad ingentem miserorum numerum.* Et re quidem verâ; non iis impletur cælum, qui divitiis, honoribus et oblectamentis abundant; sed pauperibus, et humiliationibus ærumnisque confectis.

Responsio.

Alia objectio.

Responsio.

Christiana Religio quo sensu *Catholica* sit.

10. Ergo, ut ad argumentum redeamus, sancta fides nostra, licet carnis appetentiis contraria, ab universis gentibus suscepta est, eamque ob causam Catholica, id est, universalis vocatur; non quod singuli eam homines amplexi sint, sed quod ab omnigenis nationibus suscepta est et toto orbe diffusa. Etenim his quoque temporibus, quamquam et *Mahumedani* et hæreticorum tam multæ societates a nostrâ religione defecerunt, vix tamen est terræ angulus, ubi eam non profiteantur veri fideles nec reperiantur templa, in quibus, secreto saltem, sacrificio Altaris Deus non honoretur, secundum illud Malachiæ: *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* [5]. Ea fuit S. Augustini responsio ad Cresconium, qui objiciebat, nostram Ecclesiam, cujus fidem non omnino omnes essent amplexi, vocari non posse Catholicam vel universalem: satis enim esse respondebat S. Doctor, ubique terrarum veros haberi fideles; ad illud videlicet non requiri, ut omnes omnium nationum, sed ut in singulis nationibus nonnulli ejus fidem susceperint: *Oportet... non ut omnes... credant; omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium* [6]. Ah! nimis manifesto Ecclesia Catholica omnibus ut veram Ecclesiam se exhibet; quare item S. Augustinus [7]: *hanc ignorare*, inquit, *nulli licet.* Is tantum eam cernere nequit, qui ultro oculos occludit, ne eam videat,

[1] *Examen de la Religion, chap. 5* (Apud *Valsecchi, O. P., Fondamenti della Religione, lib. II, cap. 14, n. 8*).

[2] Ibid., (*Valsecchi*, l. c., n. 9). — [3] Divinæ Institut., lib. III, cap. 27. — [4] *Hist., liv. XLI, n. 35, Radboud.* — [5] *Malach.*, I, 11. — [6] Ep. 199 ad *Hesychium*, cap. 12, n. 48. Cfr. Contra *Cresconium*, lib. III, cap. 66.

[7] In Ep. 1 *Joan.*, Tract. 2 (*Nemo dubitet de Ecclesia*, inquit,... *cæcus, qui tam magnum montem non videt; qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudit.* Nota edit.).

et ut suis indulgere possit appetentiis.

Non obstat perversa multorum vita.

11. Neque illud obstat, nostrorum Catholicorum multos vitam Christiano indignam vivere. Adeo nihil illud negamus, ut etiam profiteamur, minus excusationis habere peccata talium Catholicorum, qui quidem tot sacramentorum, concionum bonorumque exemplorum subsidiis adjuti, pravam agant vitam et Deo inimicam. Ita vero existimari oportet, tantum abesse ut fidei nostræ veritati et sanctitati noceant eorum culpæ, ut eam contra patefaciant. Valde injustum est, ob perversam vitam fidelium ipsam fidem incusare. Siquis veram fidem sequitur, non idcirco desinit fragilis esse homo et ad malum propensus, nec libertatem amittit cuilibet vitio obsequendi. Vult utique Deus, ut sibi serviamus; minime vero ut id fiat per vim et more servorum, ac si nos cogat, ex necessitate ea velle, quæ revera nolumus. Propria nostra sunt errata omnia; non fidei neque Ecclesiæ, quæ eam fidem credendam proponit. Ex Evangeliis patet, in militanti Ecclesiâ adesse et prudentes et fatuas virgines, et frumentum et zizania, justos unà cum peccatoribus. Constat nihilominus, numquam Catholicum ad hæreticorum aliquam sectam transiisse, quin simul ejus mores in pejus abierint; neque umquam infidelem vel hæreticum cum rectâ voluntate nostram fidem esse amplexum, quin inceperit honestius vivere. Fatendum sane, multos in Ecclesiâ Catholicâ esse malos; at multi quoque boni adsunt: tot pii sacerdotes, tot religiosi atque etiam tot sæculares, qui sanctam in medio mundo vitam agunt. Apud eos vero, qui quamlibet sectam hæreticam sequuntur, reperiri quemquam, qui omnia naturæ præcepta servaret, pro miraculo esset habendum.

Quæ fuerit sectarum origo.

12. Jam videamus, quomodo singulæ sectæ, si cum Catholicâ nostrâ Ecclesiâ comparentur, ortæ sint et propagatæ. Non negant *Mahumedani*, ante *Mahumedem* Christianam viguisse legem, et vera tradidisse dogmata; sed, inquiunt, sicut legi Mosaicæ Christi lex successit, ita lex *Mahumedis* Christianæ legis vices suscepit. Atvero, si concedunt, aliquando veram fuisse Christi doctrinam, item fateri debent, doctrinam *Mahumedis* esse falsam. Jesus Christus docuit, eum qui baptisma non susceperit, salutem consequi non posse[1]; præterea, numquam futurum esse, ut adversus suam Ecclesiam inferorum vires prævaleant[2]. Si ergo, ut non dicam tot sæculis, sed uno temporis momento vera fuit Jesu Christi doctrina, numquam vera esse potuit doctrina nec *Mahumedis* nec cujuscumque societatis, a Jesu Christi doctrinâ dissidentis. Legi Mosaicæ, olim veræ, successit alia lex, a Messiâ promulgata; non tamen illi contraria, sed quæ eam adimpleret: sublatis enim cærimoniis et sacrificiis, quæ legis gratiæ erant figuræ, substituit Sacramenta, quæ gratiam actu producunt. Ceterum præcepta ad bonos mores spectantia, non immutavit, sed perfecit Redemptor noster. Quare S. Thomas Angelicus, legem Evangelicam ait novam vocari, non quod tempore, sed quod perfectione nova sit[3].

Mahumedani unde.

Reformati unde.

13. Quodsi de recentioribus pseudo-reformatæ ecclesiæ hæreticis loquamur, ipsa novitas eos non reformatores (quo quidem nomine se vocari volunt), sed destructores declarat Christianæ Religionis. Eorum reformatio nequaquam spectabat morum correctionem; — quandoquidem falsis suis doctrinis omnem legibus vel humanis vel divinis obedientiam tollendo, nulli vitio non aperuerunt viam; — sed ipsa petebat Religionis dogmata; quod Romanam Ecclesiam, adulteratis Jesu Christi institutis, defecisse mentirentur. Verum Romana Ecclesia (ut suprà consideravimus), semel constituta ab ipso Redemptore, adjectâ promissione, numquam ab inferorum viribus eam expugnatum iri, jam deficere non poterat. Si ergo aliquando vera fuit, fateri necesse est, eam semper et fuisse et futuram esse veram, ac certo falsam, quæcumque ab

[1] *Joan.*, III, 5. — [2] *Matth.*, XVI, 18. — [3] 1ª 2æ, qu. 107, art. 1, ad 2m.

eâ dissentiat religio. Quapropter, si omnes hæresiarchæ, qui post Messiæ adventum prodierunt, Arius, Nestorius aliique, et nuper *Lutherus* et *Calvinus*, exierunt de Romanâ Ecclesiâ (quod profecto negari nequit); fatendum est, eam unice veram esse Ecclesiam, ita permanentem, sicut eam condidit Jesus Christus: *Hæreses omnes* (inquit S. Augustinus) *de illâ exierunt tamquam sarmenta inutilia, de vite præcisa; ipsa autem manet in radice suâ* [1]. At illud argumentum pluribus explanabitur Cap. V, Part. III.

Objectio. **14.** At, inquient, si ex Catholicæ Religionis propagatione demonstretur ejus veritas, idem asseri oportet de sectâ *Mahumedanâ*, de schismate Græco ac similiter de Protestantium seu reformatorum societatibus; nam iis quoque brevi temporis spatio multi populi nomen dederunt. — Hic vero notandum est, sectas illas ex solâ vel lasciviâ vel superbiâ esse oriundas. Lex *Mahumedana* omnem hac in vitâ carnis libidinem permittit, nec nisi majorem ejusdem generis licentiam in alterâ vitâ futuram pollicetur. Græcorum schisma ex Arii, Nestorii, Macedonii aliorumque talium Luciferi ministrorum superbiâ exortum est. Superbia unà cum libidine et Ecclesiæ bona occupandi avidâ cupiditate ortum dederunt sectis *Lutheri* et *Calvini;* hi enim, Romanæ Ecclesiæ rebelles, omnique sceleri laxatis habenis, castitatem, obedientiam et reliquas virtutes tollere conati sunt; quod dicerent, neutiquam peccata nostra impedire, quominus ad salutem nos perducat divina misericordia. *Quanto sceleratior es*, ita prædicabat *Lutherus, tanto citius Ipse (Deus) gratiam infundit* [2]. Neque aliter *Calvinus: Sublatâ legis mentione*, inquit, *et omnium operum cogitatione sepositâ, unam Dei misericordiam amplecti convenit* [3]. Eamque ob causam impios illos fidei magistros secuti sunt tot miseri, qui veram fidem abjecerunt, ut ad suam libidinem sineque legis freno vivere liceret. Quodsi ita est, quis umquam credere potest, a Deo esse propagationem sectarum, quæ ex superbiâ tantum, impudicitiâ et cupiditate originem habuerunt; quum tamen in suis operibus nihil aliud sibi proponat Deus, nisi ut et gloriam suam consequatur, et a nobis avertat omne vitium, utpote suo honori nostræque æternæ saluti contrarium? [4].

Responsio.

[1] De Symbolo ad Catechumenos, sermo I, cap. 6. — [2] Sermo VII, De Piscatura *Petri; Luc.*, V (Articuli CCCCC *M. Lutheri*, ex sermonibus ejus XXXVI. Quibus singulatim responsum est a *Joanne Cochleo Wendelstino*, 1526, Art 65). — [3] Instit., lib. III, cap. 19, n. 2.

[4] *Bayle* (*a*), de moribus incredulorum disputans, ac nominatim de moribus atheorum, cum quibus jampridem magnam contraxit amicitiam, alios *vitio*, alios *systemate* atheos distinguit. Quos *vitio* atheos vocat, eos nempe qui Deum negant, ut liberius vivere possint, moribus dissolutos esse fatetur. Reliquos vero, qui *systemate* athei sunt, i. e. qui recte meditando ad illud pervenerunt, honestis ait moribus vivere. — Primum respondemus: Siquis recte affectus et solius mentis lumine adhibito, ea quæ in hoc mundo sunt, ejus constitutionem, ordinem et harmoniam meditetur, quî fieri potest, ut Deum esse dubitet? Quæcumque dixerunt increduli, sophismata sunt et manifestæ cavillationes. Præterea omnino falsum est, bonos mores habere posse, qui Deum, virtutis remuneratorem et vindicem delictorum, existere non credat. An forte qui *systemate* athei sunt, ab impetu passionum immunes esse possunt? Et quomodo honeste vivere poterunt sine auxilio gratiæ et sine fidei lumine? Etiam ii, qui apud Catholicos in peccato vivunt, sine novis peccatis vivere nequeunt; quomodo ergo recte vivat, qui nec Deum esse credat neque alterius vitæ pœnas? — Sed (ita alio loco reponit *Bayle* (*b*)) ad recte vivendum satis est homini insita ratio. — Atvero multi fideles male vivunt, quantumvis æterni supplicii fide refrenentur; atheus ergo, qui iisdem jactatur passionibus neque ad æternas rationes revocat animum, quomodo pravis appetentiis resistet? — Sed, inquit *Bayle* (*c*), bona fama, quam expetit, et timor pœnarum temporalium, satis eum refrenabunt. — Sed quis non videt, nullam esse virtutem, ubi prava in animo remaneat affectio? *Reus est*, inquit S. Augustinus, *qui vult facere, quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri* (*d*). Ac similiter ante eum dixerat Cicero: *An corporis pravitates... habebunt aliquid offensionis, animi deformitas non habebit?* (*e*).

(*a*) *Pensées diverses* § *177.* — (*b*) *Continuation des Pensées*, § *152.* — (*c*) *Diction. Premier Eclaircissement sur les Athées, n. 2.* — (*d*) Ep. 145 ad *Anastasium*, n. 4. — (*e*) De Legibus, lib. I, cap. 19.

Eadem responsio confirmatur.

15. Nostra vero fides, ut diximus, ea docebat, quæ sensui ac libertati erant contraria; eamque amplexa est tanta multitudo hominum, ut Tertullianus Gentilibus scribere non dubitaverit: *Vestra omnia implevimus, urbes, insulas,... conciliabula, castra..., decurias,... senatum, forum* [1]. Itaque non soli plebeji sed etiam docti Jesum Christum secuti sunt. Tertio sæculo tota societas Romana Christiana fuit. In Germaniâ quidem, Hungariâ, Suecîâ, Daniâ et circumjectis regionibus Gentiles septimo tantum, octavo et nono sæculo ad fidem accesserunt; sed jam antea Christianæ erant Græcia, Italia, Gallia, Ægyptus, Palæstina, Asia Minor, Armenia, Persia et Chaldæa. Quid autem eos populos induxisset, ut austeram et carnis cupiditatibus contrariam legem amplecterentur, nisi ad eam persuadendam et ratio et divina gratia conspirassent? Non diffitemur, eos conversos maximâ ex parte plebejos fuisse et ineruditos; sed multi quoque nobiles fuerunt et doctrinâ eruditi, ut in suis Epistolis refert S. Paulus, et S. Lucas in Actibus Apostolorum. Ac nominatim S. Paulus in secundâ Epistolâ ad Timotheum, cap. ultimo, plures doctos commemorat, suos adjutores, nonnullosque citat ex regiâ domo Aristoboli [2]. Apud Eusebium [3] testatur Hegesippus, jam inde ab Apostolorum temporibus ad Christum se adjunxisse nonnullos ex primoribus Hierosolymitanis. Et Episcopi, qui per trecentos annos numero plurimi in Asiâ, Africâ et Europâ fuerunt, nonne omnes antea Gentiles erant litterisque eruditi? Similiter fidem amplexi sunt plurimi iique docti philosophi, ut S. Justinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Arnobius, Pantænus aliique. *Viros insignes litteris et pietate numerari non posse,* ait Eusebius [4].

Alia solvitur quorumdam difficultas.

16. Sed, inquiunt increduli, quî ergo fit ut per tot sæcula Indiæ derelictæ fuerint, et vix ducentis abhinc annis receperint lumen fidei? — Certum quidem est, non simul ubique acceptatum fuisse Evangelium; nam modo hic, modo illic prædicatum est. Nec licet hujus rei rationem a Deo quærere Eique dicere: *Cur ita fecîsti?* [5] Ut ejus judicia adoremus, satis esse debet, ea esse rectissima. Ceterum, quo Apostoli ad prædicandam Evangelii legem non pervenerunt, eo saltem sonus pervenit, juxta Davidis vaticinium: *In omnem terram exivit sonus eorum* [6]. Et quod ad Indias Orientales spectat, in vitâ S. Francisci Xaverii a *Massei* conscriptâ legimus [7], extra urbem Meliaporam [*Meliapour*] a nostris repertam fuisse lapideam columnam, quæ a S. Thomâ Apostolo

[1] Apologeticus, cap. 37. — [2] 2 *Tim.*, IV; *Rom.*, XVI. — [3] Hist. Eccl., lib. II, cap. 23 (*a*). — [4] Lib. III, cap. 37 (*b*). — [5] *Job.*, IX, 12 (*Cur ita facis?*). — [6] Ps. XVIII, 5. — [7] *Massei, S. J., Vita di S. Franc. Saverio, lib. II, cap. 1, n. 1.*

(*a*) *Sed omnium accuratissime,* inquit, *Hegesippus, qui Apostolorum temporibus proximus fuit, in quinto Commentariorum libro...: Quum ergo multi ex ipsis etiam primoribus crederent, tumultuari cœperunt Judæi et scribæ ac Pharisæi* (Nota edit.).

(*b*) Verba sunt *Antonii Genuensis* (Elementa Metaphysicæ, pars 2, cap. 10, prop. 42), ita *Eusebium* referentis. En ipsa *Eusebii* verba: *Præter hos alii quoque complures eodem tempore viguerunt, inter Apostolorum successores principem obtinentes locum. Qui utpote discipuli tantorum virorum admirabiles plane ac divini, Ecclesiarum fundamenta, quæ variis in locis Apostoli prius jecerant, additis ædificiis exstruxerunt... Siquidem plerique ex illius temporis discipulis, quorum animos ardentioris philosophiæ desiderio Verbum divinum incenderat, Servatoris nostri præceptum jam antea expleverant, divisis inter egentes facultatibus suis... Ceterum quum fieri nullo modo possit, ut singulos nominatim recenseamus, quotquot primis illis Apostolicæ successionis temporibus per omnes orbis terrarum Ecclesias antistites aut evangelistæ fuerunt: eorum duntaxat nomina hic commemorare statuimus, quorum monumenta apostolicam illorum doctrinam continentia adhuc supersunt.* — De *Pantæno,* ex Stoico philosopho Christianæ scholæ Alexandrinæ Præfecto, præclara leguntur apud *Eusebium,* Hist. Eccl. Lib. V, Cap. 10 (Nota edit.).

erecta dicebatur. In eâ autem, litteris illic usitatis, inscripta erat prophetia, quum mare, tunc quadraginta millia passuum distans, ad imam columnam processisset, e longinquo venturos esse viros, qui fidem a S. Apostolo prædicatam redintegrarent; porro quum Lusitani ad eam urbem accederent, mare ad columnam pervenerat. Præterea[1] in Dioscoridis (seu Dioscuriâ) insulâ [*Zocotora*] ad fauces Sinûs Arabici, ab iisdem Indiis parum dissitâ, S. Franciscus Xaverius constantem famam esse percepit, eo advenisse ipsum S. Thomam Apostolum; ejusque rei indicium erat antiquissimum templum, quod ab Apostolo exstructum asseverabat traditio; incolæ autem Christianos se esse gloriabantur, quum plerique viri nomen alicujus Apostoli haberent, mulieres pleræque Maria vocarentur, licet ceteroquin Christi legem fere penitus ignorarent.

Totius capitis conclusio.

17. Sed ut argumentum initio hujus Capitis propositum concludamus: ex conversione Gentilium duo manifeste probantur, Jesum Christum esse verum Messiam a Deo promissum, et unice veram esse Christianam Religionem. Et hic notandum est, multa vaticinia, quæ Messiam respiciunt, et inter alia illud de conversione Gentilium, tam singularia narrare, et tam accurate in Jesu Christo fuisse impleta, ut numquam ab alio pseudomessiâ imitando effingi possint. Prædictum fuit, verum Messiam ultimâ ex septuaginta a Daniele descriptis hebdomadis in mundum esse venturum; Eum prius adventurum esse quam secundum templum everteretur; Ecclesiæ suæ constitutionem Eum inchoaturum esse apud Hebræos, idque Hierosolymis (*De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem*[2]. — *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat... prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma*[3]); Eum rejectum iri ab ipso populo Hebraico, priusquam dispergeretur, quæ quidem dispersio futura esset ejus obstinationis pœna; tandem futurum esse, ut conversionem Gentilium Redemptor quidem perfici vellet, postmodum tamen ejus discipuli reverâ perficerent. Jamvero Danielis hebdomadæ diu præterierunt; templum periit, jam eversum est; Jerosolymis infideles et peregrini habitant; Hebræi dispersi sunt omnes; ac tandem jam evenit conversio Gentilium. Ergo in Jesu Christi personâ jam advenit Messias; neque alius ante Eum potuit, nec poterit post Eum implere, quæ de Messiâ vaticinati sunt Prophetæ. Ergo alius quilibet Messias, Jesu Christo vel prior vel posterior, certo falsus est, et certo ac unice vera Jesu Christi Religio.

CAPUT XI.

SCRIPTURARUM NOVI TESTAMENTI DEMONSTRATUR VERITAS.

Vera est Evangelica historia.

1. Inter Novi Testamenti libros præcipuum locum obtinent quatuor Evangelia, quæ de rebus a Jesu Christo gestis de ejusque doctrinâ loquuntur. Certissima alicujus historiæ veritatis argumenta sunt, primum ut scriptores eorum quæ referunt oculati testes fuerint; deinde, ut eadem confirmentur ab aliis ejusdem ætatis scriptoribus, qui item iis rebus interfuerint; ad hæc, ut subsequentibus ætatibus ea communiter probentur. Illa autem argumenta, unà cum aliis, Evangelicæ historiæ veritatem demonstrant.

Probatur 1. Auctores ea narrasse quibus ipsi interfuerunt.

2. Et primum constat, Evangeliorum scriptores, sicut eos quoque, qui reliquos Novi Testamenti libros conscripserunt, re-

[1] Ibid., *lib. I, cap. 8, n. 5.*

[2] *Is.*, II, 3. — [3] *Luc.*, XXIV, 46 et 47.

rum quas referunt, fuisse æquales. *Quod vidimus et audivimus*, inquit S. Joannes, *annuntiamus vobis* [1]. Et S. Petrus: *Non enim doctas fabulas secuti*, inquit, *notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis* [2]. Ceteri autem sacrorum Voluminum scriptores, licet inter Apostolos non numerarentur, erant saltem in numero discipulorum Christi; ut ita sermonibus et miraculis Redemptoris et ipsi interfuerint. S. Lucas, qui solus septuaginta duos discipulos commemorat [3], juxta nonnullos antiquos Patres, unus ex iis fuit; quinimmo S. Epiphanius [4] et S. Gregorius [5] affirmant, S. Lucam unum fuisse ex duobus illis, quibus in Emmaus pergentibus Jesus Christus resuscitatus apparuit. Porro quamvis dicat S. Lucas, ea se scribere, quæ ab Apostolis audiverat: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis* [6]; et S. Marcus referat (ut ait S. Hieronymus [7]) quæ audiverat a S. Petro; duo tamen illi Evangelistæ sine ullâ dubitatione in iis saltem erant quingentis, quibus Jesus Christus post resurrectionem apparuit, ut refert S. Paulus [8], qui item Eum videndi gratiâ fuit donatus. Itaque octo illi Novi Testamenti scriptores omnes saltem oculati testes fuerunt resurrectionis Domini, quod est mysteriorum mysterium. Neque abs re est hic notare, S. Petrum, quum Judæ apostolatui alius substitui deberet, affirmasse, eum esse aggregandum, qui resurrectionis testis fuisset: *Oportet... testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis* [9].

Objectio. **3.** Sed, inquiet aliquis incredulus, quis sciat, an sacri scriptores asserant quidem, se vidisse ea quæ referant, quamvis illud verum non sit? — Respondemus primum, admisso tali *quis sciat*, nulli umquam scriptori fidem jam esse adjungendam, quantumvis affirmet, rebus narratis semetipsum interfuisse. Præterea dicimus, moraliter fieri non posse, ut auctor quidam, designatis tempore, loco et personis, multa mendacia promat, nec postea falsum detegatur. Sacri auctores nostri plurima singillatim commemorant; Hebræorum tunc viventium conditionem, dominium Romanorum, quibus subjecti erant, Præsidum successionem aliaque plura; nec tamen, ne ab extraneis quidem, ullus umquam error notatus fuit. Deinde, quod etiam magis veridicas reddit eorum narrationes, inter se prorsus connexæ sunt res narratæ, ut una aliâ confirmetur. Sic v. g. S. Petrus, ut refertur in Actibus cap. III et IV, ad publicum Judæorum concilium adducitur; quid ita? Quia claudo per miraculum sanitati restituto, prædicatione suâ quinque millia hominum ad fidem convertisset. — Post multos annos S. Paulus, antiquæ legis sacrificium oblaturus, in templo comprehenditur; quod quidem referens S. Lucas [10] ostendit, templum iis temporibus exstitisse, et a Tito postea esse eversum. S. Petri ab Herode indicta inclusio ejusque liberatio (quod narratur in Actibus, cap. XII) vivum ostendunt iis diebus Herodem, qui postmodum, quum Cæsaream pervenisset, in delicti pœnam ab Angelo percussus est, ibique vermibus consumptus interiit.

Responsio.

Alii ab aliis confirmantur. **4.** Præterea constat, res ab iis narratas confirmari a ceteris auctoribus sacris, qui ejusdem ætatis erant pariterque oculati testes eorum, quæ referuntur. Scripsit enim

[1] 1 *Joan.*, I, 3. — [2] 2 *Petr.*, I, 16. — [3] *Luc.*, X, 1 seq. — [4] Hær., 51, n. 11 (*a*). — [5] Præfatio in Moralia, cap. 1, n. 3 (*b*). — [6] *Luc.*, I, 2. — [7] De Viris illustribus, cap. 8. — [8] 1 *Cor.*, XV, 6. — [9] Act., I, 21 et 22. — [10] Act., XXI, 26 seq.

(*a*) Affirmat, eum fuisse ex 72 discipulis. De duobus vero, quibus Christus apparuit: *Eodem etiam pertinet*, inquit (Hæres. 23), *quod Lucas asserit, Salvatorem a mortuis excitatum, Nathanaeli ac Cleophæ in via apparuisse* (Nota edit.). — (*b*) *Quem profecto alium*, inquit, *dum tam studiose tacuit, ut quidam dicunt, seipsum fuisse monstravit* (Nota edit.).

S. Matthæus, ut juxta antiquos codices Græcos ajunt S. Athanasius [1], Theophylactus [2], Euthymius [3], Nicephorus [4] et Eusebius [5], octo annis post Resurrectionem Domini; nec multum refert, ut alii volunt, paulo posterius illud fuisse: hoc certum est, S. Matthæum primum omnium suum conscripsisse Evangelium. S. Marcum decem vel duodecim annis post Jesu Christi Ascensionem suum Evangelium composuisse volunt; aut saltem (ut ait S. Irenæus [6]) non multo post, quum S. Petrus illud ratum habuerit. S. Lucam porro certum est scripsisse ante S. Joannem, sed post S. Matthæum, ut probat Grotius [7] ex antiquâ traditione, quæ innititur S. Irenæi et Tertulliani auctoritate; idque colligitur ex ipso S. Lucâ, qui eadem narrat, idque nonnumquam iisdem verbis, quæ S. Matthæus atque etiam S. Marcus adhibuerunt. Sed in hoc satis est argumenti, ipsum S. Lucam initio sui Evangelii (Cap. I, vers. 2) asserere, ceteris se esse posteriorem. Eum autem scripsisse ante S. Joannem, novimus ex S. Epiphanio [8], Eusebio [9] et S. Joanne Chrysostomo [10], qui asseverat, S. Joannem suum exarasse Evangelium centesimo suæ ætatis anno, et centum viginti annos natum ex hac vitâ decessisse. Et apud Eusebium hoc reperitur documentum: *Quum tria Evangelia jamdudum præscripta, quum in aliorum jam omnium, tum in ipsius* (Joannis) *etiam manus pervenissent, fama est, eum ea magnopere approbavisse, et constanti testimonio omnia in illis vere fuisse scripta confirmasse* [11].

Objectio. **5.** Itaque Evangelistæ ceterique hagiographi in rebus essentialibus inter se consentiunt. Sed fortasse dicet aliquis: Cur non potuerunt omnes mentiri, communicato inter se consilio, quid quisque scriberet? — Verum ut ita mentirentur, magnâ deliberatione conspirare debuissent; quod suspicari nefas est. Primum, quia singuli Evangelistæ diverso utuntur stylo: populari potius ac diffuso S. Matthæus, breviori S. Marcus, S. Lucas cultiori, simpliciori denique S. Joannes, at simul magis mirabili, quod eâdem simplicitate res altissimas enarret. Deinde talis conspiratio fieri non potuit, quod res inter se compositas omnes simul conscribere debuissent et statim post illud consilium habitum; atvero suprà vidimus, scripsisse S. Matthæum post octo circiter annos, reliquos autem longo spatio interposito et S. Joannem multo etiam posterius. Præterea constat, singulos scripsisse per peculiarem quamdam occasionem, ut vel adversariorum commenta respuerent, vel demonstrarent, quam falso et inepte prædicatam a Jesu Christo doctrinam interpretarentur. Accedit, quod neque ambitionis neque ullius emolumenti sui causâ historiam Evangelicam exarare potuerunt; sed in eâ scribendâ populisque annuntiandâ prævidebant, periculum sese adire, non tantum fortunas sed etiam vitam amittendi, quam postea in obsequium fidei reverâ amiserunt. Responsio.

Eadem responsio confirmatur. **6.** His adde, sacros Evangelistas scripsisse, quum disjunctis inter se locis commorarentur: S. Matthæus Hierosolymis aut saltem in Judææâ. S. Marcus vel Romæ vel in Ægypto, probabilius tamen Romæ; S. Lucas in Achaiâ vel Alexandriæ; S. Joannes Ephesi vel in vicinis illi urbi regionibus; ita referunt S. Hieronymus [12], S. Athanasius [13], Origenes, Euse-

[1] *Calmet* et *Maldonatus* citant *Synops. S. Script.*, quæ tamen falso tribuitur *S. Athanasio*, neque indicat, quo tempore *S. Matthæus* scripserit (Nota edit.).

[2] In Evangel. *Matth.* Præfatio. — [3] Comment. in *Matth.* Proœmium.

[4] Citatur quidem a *Calmet*, sed immerito; ait enim (Hist. Eccl., lib. II, cap. 45): *Matthæus... Evangelium suum, elapsis quindecim post Christi Ascensionem annis, scripsit* (Nota edit.).

[5] Chronicon ex interpretatione *Hieronymi*; Olymp., 204, a° 2-3. — [6] Contra Hæreses, lib. III, cap. 1; cfr. tamen *Migne* in h. l. — [7] In *Lucam*, I, 1. — [8] Advers. Hæreses, lib. II, Hær., 51, n. 19. — [9] Hist. Eccl., lib. III, cap. 24. — [10] In *Joann.*, Homil. 88, n. 2. — *Suidas*, Historica; art. *Joannes*. — [11] L. c. — [12] De Viris Illustribus, cap. 3 et 8; — Comm. in *Matth.* Prologus. — [13] Divinæ Scripturæ Synopsis (Edit. *Basileensis*. — Falso ei tribuitur. Nota edit).

bius [1] et alii. Hæc omnia demonstrant, Apostolos non scripsisse de communi consilio. Ceterum, si de rebus scribendis inter se consensissent, singuli omnia plene narrassent; at alium alia facta, alium alia adjuncta narrare constat. Illudque magis confirmatur ex eo, quod nonnulla inter se contraria proferre videntur; a quibus profecto declinassent, si scripsissent ex composito. — De iis autem, quæ inter se pugnare videntur (quod inter alia incredulis difficultatem movet) in sequenti capite acturi sumus.

3. Evangelica historia ab antiquis auctoribus Christianis approbatur.

7. Novæ Legis librorum veritas etiam confirmatur, quod eos approbaverunt et commemorant alii auctores sanctitate conspicui et Jesu Christi discipulis coævi, ut S. Ignatius Martyr, S. Clemens et S. Polycarpus; itemque S. Hermas, S. Pauli discipulus, cujus mentio fit in Epistolâ ad Romanos [2], ac præterea Papias, Episcopus Hierapolitanus et S. Polycarpi socius, Quadratus, qui (ut refert Eusebius [3]) Evangelii epitomen conscripsit, auctor Epistolæ, quæ S. Barnabæ inscribitur, Apollonius, Athenagoras, Tatianus et Theophilus Antiochenus.

4. Approbatur ab auctoribus Hebræis.

8. Nec desunt ad confirmandam historiam Evangelicam testimonia aliorum ex Hebræis et Gentilibus auctorum, qui Apostolorum æquales vel fere æquales erant. In *Talmud* [4] pro veris proferuntur Jesu Christi miracula. Josephus Hebræus plura refert eorum, quæ in Evangeliis narrantur: Baptistam, postquam Judæos ad virtutes colendas incitasset, ab Herode fuisse interfectum [5]; S. Jacobum, Domini fratrem, inique oppressum esse a Judæis [6]. Item commemorat Pilatum et Caipham [7], Festum ac Felicem [8], quemadmodum de iis loquitur S. Lucas. En, quid nominatim de Jesu Christo dicat in libro: De Antiquitatibus Judaicis: *Fuit autem hoc tempore Jesus, vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus; quumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum cœperant. Nam post tertium diem redivivus iis apparuit, quum divini vates hæc aliaque quamplurima de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus* [9]. Multi dubitant, num reverâ Josephi sint hæc verba; sed *Huetius* [10] ita esse prorsus existimat: certum est autem, inde a S. Hieronymi temporibus nullum esse Josephi operum exemplar, in quo non reperiantur; sicut etiam aderant in Codice Vaticano, priusquam deleta essent Hebræi alicujus (ut conjicitur) malitiâ; et ad hæc usque tempora apparet litura, in defensionem Cardinalis Baronii [11], qui item hunc Josephi textum pro genuino habebat. Nec fieri potuisse videtur, ut aliquis, doctis vel saltem adversariis nihil reclamantibus, ea verba in omnibus hujus libri exemplaribus dolose interposuerit. Ceterum Hebræo nimium honorem tribuerunt nonnulli auctores Protestantes, ut *Carolus Daubuz* [12] et *Ernestus Grabe* [13], qui tantopere desudarunt, ut hunc textum reverâ Josephi esse assererent: non indiget Ecclesia inimicorum suorum testificatione, et fides dedignatur inniti testimonio eorum hominum, quos Ecclesia in filiorum numero non habet.

5. Approbatur a Gentilibus.

9. Exstant præterea non pauca testimonia auctorum Gentilium, qui Apostolorum tempore vel non longe ab eo vi-

[1] Hist. Eccl., lib. II, cap. 15; lib. III, cap. 24; lib. V, cap. 8. — [2] *Rom.*, XVI, 14.

[3] Hist. Eccl., lib. IV, cap. 3 (*Huic* [*Adriano*], inquit, *Quadratus obtulit orationem, quam pro defensione religionis nostræ... conscripserat.* Nota edit.).

[4] Pars IV, lib. VI, *Abod. Elilim.*, cap. 1 (Apud *Huet.*, Demonstr. Evang., Propos. 3, n. 6). — [5] De Antiquit. Jud., lib. XVIII, cap. 10. — [6] Lib. XX, cap. 16. — [7] Lib. XVIII, cap. 4; de Bello Jud., lib. II, cap. 8. — [8] De Antiq. Jud., lib. XX, cap. 9-13. — [9] Lib. XVIII, cap. 6. — [10] Demonstratio Evangelica, prop. 3, n. 11. — [11] Annales, a° 34, n. 226. — [12] Pro testimonio *Flavii Josephi* de *Jesu Christo*. — [13] In Præfatione Operis *Car. Daubuz.*

ventes, Jesu Christi mentionem fecerunt; ut sunt Porphyrius [1], Lucianus [2], Tacitus [3], Plinius Junior [4]; et Suetonius: *Judæos*, inquit, *impulsore Chresto assidue tumultuantes, Româ expulit* [5]. Græcos et Romanos pro Christo *Chrestum* dixisse adnotant Tertullianus [6] et Lactantius [7]. Ait autem Suetonius *impulsore Chresto*, quod Romæ propter Jesum Christum inter Judæos et Christianos magnus exortus est tumultus, eamque ob causam omnes inde expulsi sunt. Celsus (apud Origenem [8]) Jesum Christum natum esse inquit in Judææ pago ex pauperculâ puellâ, fabri conjuge, quæ postea in Ægyptum aufugit. Apud S. Justinum [9] legimus, Romanos in censuales tabulas retulisse: *Christus in Bethlehem natus.* Et apud Eusebium Phlegon [10], Hadriani libertus, Christum prophetam fuisse ait. Alii Gentiles ad magis particularia Redemptoris gesta descendunt. Chalcidius Magorum adventum describit: *Est quoque alia sanctior et venerabilior historia, quæ perhibet ortum stellæ cujusdam, descensum Dei ad humanæ conversationis gratiam. Stellam quum conspexissent Chaldæorum sapientes viri, quæsiisse dicuntur recentem ortum Dei; repertaque illa majestate puerili, veneratos esse, vota Deo tanto convenientia nuncupasse* [11]. Macrobius refert innocentium stragem, ab Herode indictam; et dixisse Augustum, audito, Herodem in illâ cæde filium quoque interfici jussisse: *Melius est Herodis porcum esse quam filium* [12]. Phlegon [13] et Thallus [14] commemorant tenebras et terræmotum ejus diei, quâ Jesus Christus mortem obiit: *Quarto autem anno olympiadis 202 magna... inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta. Dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint; terræque motus in Bithyniâ Nicænæ urbis multas ædes subvertit* [15]. Porphyrius (apud Eusebium [16]) Christi, quamquam supplicio affecti, sapientiam et pietatem laudat; tum vero stulte dolet, post divinum cultum ab humano genere Ei adhibitum, reliquos deos omnem amisisse potestatem. Lampridius [17] describit divinos honores Jesu Christo tributos ab Hadriano itemque ab Alexandro Severo, quem eo processisse narrat, ut distinctum Ei templum exstruxerit. — Nec refert, nonnullos ejus temporis auctores de Jesu Christo non meminisse; idcirco enim falsa dici nequeunt, quæ ceteri retulerunt. Plura narrat Herodotus, quæ Thucydides omittit; plura Thucydides, de quibus nullam mentionem facit Xenophon; similiter non pauca a Polybio relata, prætermisit Livius, præteritque Tacitus, quæ Suetonius narravit: num ideo falsa censeri debent?

6. Ecclesia Evangelium diligenter custodivit. *a* Rejecit libros *apocryphos*.

10. Sed relictis paganis ad certiora veniamus sacrorum librorum fundamenta. Et primum quidem (ut adnotat S. Irenæus [18]) omnem diligentiam semper adhibuit Ecclesia, ut genuinas Scripturas ab adulterinis discerneret. Jam inde a primis sæculis varia prodierunt Pseudoevangelia, diversis nominibus inscripta: *secundum Ægyptios, secundum Hebræos, secundum Bartholomæum, secundum Thaddæum, secundum Mathiam*, unum *secundum duodecim Apostolos*, aliud *Nicodemi* nomine, alia *Basilidis, Apollinis, Tatiani*, cet. Item plures spurii divulgati sunt Actus Apostolici, ut *Andreæ, Philippi* et *Thomæ;* variæ quoque Pseudoepistolæ S. Pauli, una *ad Laodicenses*,

[1] Apud *Eusebium*, Demonstratio Evangel., lib. III, cap. 7. — [2] De Morte Peregrini. — [3] Annales, lib. XV, n. 44. — [4] Epist., lib. X, Ep. 97. — [5] *Claudius*, n. 25. — [6] Apologeticus, cap. 3. — [7] Div. Instit., lib. IV, cap. 7. — [8] Contra *Celsum*, lib. I, n. 28. — [9] Apologia I, n. 31. — [10] Apud *Origenem*, contra *Celsum*, lib. II, n. 14 (*Verumtamen Phlegon*, inquit, *in 13 aut, ni fallor, in 14 Chronicorum, rerum quarumdam futurarum præscientiam Christo tribuit, quamvis erret in nomine, Petrum pro Jesu appellans.* Nota edit.).

[11] Comment. in Timæum *Platonis*. — [12] Saturnalium, lib. II. — [13] Olymp. Chron., lib. XIII; apud *Eusebium*, Chronicon, lib. II.

[14] Hist. Syr., lib. III, apud *Julium Africanum*. Cfr. *Migne*, Patr. Græc., tom. VII; - apud *Tertullianum*, Apologeticus, cap. 21.

[15] *Phlegon*, l. c. — [16] Demonstr. Evang., lib. III, cap. 7; Præpar. Evang., lib. V, cap. 1. — [17] Vita *Alexandri Severi* — [18] Contra Hæreses, lib. I, cap. 17, alias 20.

sex *ad Senecam;* aliæ quoque Apocalypses, *Petri, Pauli, Thomæ* et *Stephani,* aliique innumerabiles sacri libri apocryphi, quos omnes ideo rejecit Ecclesia, quod non haberent certa illa argumenta, quibus reliqui iique genuini libri innituntur.

b Rite examinavit *deuterocanonicos.*

11. Hic vero notandum superest, antiquitus nonnullos libros nomen habuisse *clandestinos,* eosque numquam auctoritatem habuisse in Ecclesiâ. Alii vocabantur *controversi* vel etiam *deuterocanonici;* tales olim fuerunt Apocalypsis S. Joannis, S. Pauli Epistola ad Hebræos aliæque scripturæ, quæ nunc Canoni nostro insertæ sunt. Hæ scripturæ non omnem auctoritatem habebant apud quasdam Ecclesias, solis suorum Archivorum Codicibus addictas et minoris æstimantes reliquos Codices æque certos apud eas Ecclesias, ubi asservabantur; decursu temporis vero item in universâ Ecclesiâ pro *canonicis* recepti fuerunt illi libri, quum satis firmâ ratione constaret, eos reverâ esse sacros, neque aliud quidquam iis deesset, nisi quod pro sacris non ab omnibus agnoscerentur. Quapropter Ecclesiarum in iis acceptandis consensus (quem consensum universalem esse jam declaravit Ecclesia) non novus dici potest, sed tantum latius patens quam antea. Ceterum Ecclesia nullam umquam Novi Testamenti scripturam pro sacrâ recepit, nisi certo comperisset, ejus auctorem fuisse aliquem ex Jesu Christi discipulis.

c Impedivit quamlibet corruptionem.

12. Ad hæc omni cautione semper provident Ecclesia, ne sacri libri corrumperentur; id quod efficere conati sunt antiqui novique hæretici, et maxime quidem Pseudoreformati, qui etiam satis magnam Novi Testamenti partem adulteraverunt. Atque ita, ut hæreticorum scripturas confutaret, eas semper comparavit cum antiquis exemplaribus, quorum usus in Ecclesiâ esset communis: *Quotidie reformant illud,* inquit Tertullianus, *prout a nobis quotidie revincuntur*[1]. Et S. Augustinus adversus eos hæreticos, qui ad arbitrium mutabant scripturas: *Dicas,* inquit, *inde probo hoc illius esse, illud non esse, quia hoc pro me sonat, illud contra me. Tu es ergo regula veritatis? Quidquid contra te fecerit, non est verum?*[2] — S. Paulus, licet fidei veritates a Domino sibi essent revelatæ, eas tamen, quo securior esset, cum Apostolis Petro, Jacobo et Joanne conferre voluit: *Ascendi autem secundum revelationem; et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus... ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem*[3]. Itaque Ecclesia semper obligatam se agnovit (et ad illud officium exsequendum summâ cum diligentiâ incubuit), ut illæsum servaret Scripturarum depositum, sicut per traditionem illud receperat. Quapropter posteris ita illud transmisit, ut fideles gradatim ascendere possent ad cognoscendam Scripturarum originem, divinam nempe traditionem, per manus Apostolorum factam.

d Nihil in iis mutavit.

13. Evangelicæ Scripturæ apud Christianos semper ita sacrosanctæ habitæ sunt, ut in iis quidquam immutare ne Angelo quidem liceret; et qui illud ausus fuisset, hoc ipso ab Ecclesiâ recisus duceretur: *Sed licet nos,* inquit Apostolus, *aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*[4]. Ergo sicut verum est, Jesu Christi Ecclesiam jam inde a suo principio ab erroribus immunem semet servasse, et semper ita usque ad finem mundi se esse servaturam (juxta ipsius Redemptoris promissionem: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*[5]); ita semper verum erit, Christianas Scripturas usque ad finem mundi incorruptas servari debere.

Quod asseruit S. Paulus, illud quoque S. Petrus prorsus confirmavit: *Sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut*

[1] Adversus *Marcionem,* lib. IV, cap. 5. — [2] Contra *Faustum Manichæum,* lib. XI, cap. 2. — [3] *Gal.,* II, 2. — [4] *Gal.,* I, 8. — [5] *Matth.,* XVI, 18.

et in omnibus epistolis, loquens in eis de his; et deinde adjungit: *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur, fratres, præscientes custodite; ne insipientium errore traducti excidatis a propriâ firmitate*[1]. Declarat ergo S. Petrus, sub pœnâ æternæ damnationis omnibus prohibitum esse, ne ullam immutent Scripturam, neve eam detorqueant ad alium sensum, sensui ab Ecclesiâ definito contrarium.—Sed dicet aliquis: Cur S. Petrus vel reliqui Apostoli aut saltem Ecclesia non mutaverunt vel explanarunt difficiles ambiguosve sacrorum scriptorum locos, ut a ceteris errandi periculum omnino propulsarent?—Illud facere noluerunt, quod et Apostoli et Ecclesia omnem semper adhibuerunt diligentiam, ut sacra volumina, prout a suis auctoribus prodierunt, illibata servarentur.

7. Evangelia nullam subire potuerunt adulterationem.

14. Itaque pro certo teneri debet, sacras Scripturas nullam umquam subire potuisse adulterationem. Illud certo accidere non potuit quo tempore conscribebantur, quum adessent ipsi auctores aliique multi, qui rebus ibi narratis oculati testes interfuerant. Neque post eorum mortem; quum ab Ecclesiis plura millia exemplarium ex illis codicibus exscripta essent. Idque eo magis, quod pastores, qui in Apostolorum vicem successerant, semper invigilarunt, ut sacrum Scripturarum depositum custodiretur. Invigilarunt quoque eorum adversarii, Hebræi atque Gentiles. Et re quidem verâ, ut refert Origenes, jam objecit Celsus: *Quosdam fidelium quasi per temulentiam permittere sibi quidvis in mutandâ Scripturâ Evangelicâ tribus modis, quatuorve aut pluribus, ut sic retractata possint negare, quoties arguuntur*[2]. Sed errabat Celsus; non enim fideles, sed hæreticos ita egisse respondet Origenes: *Equidem a nemine alio mutatum Evangelium scio, præterquam a Marcionis et Valentini et fortasse Luciani discipulis; quod crimen non est Evangelii, sed eorum, qui id ausi sunt depravare temere;* ita Origenes[3]. Ad hæc, quî fieri poterat, ut Catholici in Scripturis quidquam mutarent, quum acriter reprehenderent quamlibet mutationem ab hæreticis peractam? Illud Gnosticis quoque objiciebant, qui (ut scribit S. Irenæus[4]) temerarie gloriabantur, Evangelium semet reformasse. Illud Theodotianis, Asclepiodotianis et Hermophilitis, quæ singulæ sectæ (ut refert Eusebius[5]) Scripturam ita mutaverant, ut una ab aliâ dissonaret. Hic vero cernitur, quantam suarum Scripturarum curam Deus habeat: adulteratæ illorum hæreticorum Scripturæ temporis decursu evanuerunt, quum Catholicorum omnia exemplaria servata remanserint, eaque in substantiâ saltem, inter se conformia.

8. Evangelium confirmatur communi omnium consensu.

15. Altera gravissima ratio, quâ probatur Evangelii libros genuinos esse et incorruptos, hæc est, quod ab Apostolis ad hæc usque tempora omnes omnino fideles communi consensu eos receperunt et constanter servarunt. Quod quidem constat ex testimoniis Sanctorum Patrum aliorumque scriptorum, ex quibus appareret, numquam interruptam fuisse traditionem. S. Clemens, S. Ignatius Martyr, S. Polycarpus, S. Justinus, S. Irenæus, S. Papias ejusdem temporis fuerunt cum Apostolis vel saltem eorum discipulis, et easdem citant sententias, quæ nunc in sacris libris leguntur. Post eos (vivebant autem secundo sæculo) Origenes, Tertullianus, S. Dionysius Alexandrinus, S. Cyprianus aliique Patres tertii sæculi easdem citarunt Scripturas; et sic subsequentium Patrum doctorumque scripta gradatim comprobant et stabiliunt scripta auctorum antecedentium. Cicero autem: *Opinionum enim commenta,* inquit, *delet dies*[6]. —Item novimus, complures primorum sæculorum Patres effudisse sanguinem in confirmationem veritatum, quas illæ Scri-

[1] 2 *Petr.*, III, 15-17. — [2] Apud *Origenem*, contra *Celsum*, lib. II, n. 21. (Edit. *Basil.* 1571); al. n. 27. — [3] Ibid. — [4] Contra Hæreses, lib. III, cap. 1 et 2. — [5] Hist. Eccl., lib. V, cap. 28. — [6] De Natura Deorum, lib. II, cap. 2.

pturæ continent. — Quis ergo non videt, valde temerarium esse, non dico judicare, sed vel suspicari, sacros Novi Testamenti libros, tot argumentis munitos, falsos esse aut non omnes incorruptos?

9. Deus Evangelia intacta servare debuit.

16. Aliud quoque convincens habetur argumentum, quo Evangelicorum librorum demonstratur veritas: Si de aliquâ earum scripturarum parte dubitari posset, nobis jam non existeret nec fides nec religio, quam cum salutis securitate sequi liceret. Perspicua est ratio: Jesus Christus enim doctrinam suam non scripsit, sed disposuit, ut eam scriberent Apostoli, a quibus eam reciperemus in Scripturis, quas ut fidei regulam nobis reliquerunt. Si ergo posset dubitari de aliquâ parte Scripturarum, quas Ecclesia pro divinis tenendas nobis proponit, dubium cadere posset in totum Evangeliorum codicem: sic autem nobis jam deesset fides et religio, quam sine errandi periculo sequi possemus. Nos vero ex Veteris Testamenti Scripturis novimus, promissum Messiam unicum nobis futurum esse magistrum, qui legem nos doceret: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum* [1]. Præterea didicimus, novam illam legem Hierosolymis esse promulgandam: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* [2]. Atqui Messias jam advenit, et certo (ut suprà Cap. X probavimus) fuit Jesus Christus; Jerusalem urbs autem jam eversa est. Ergo nova illa lex in eâ civitate, priusquam everteretur, jam fuit promulgata. Sed de eâ lege et prædicatâ a Redemptore doctrinâ nos nihil aliud habemus nisi quæ scripta reliquerunt Apostoli, ab ipso Christo nobis designati, qui velut ejus legati nos instruerent: *Sicut misit Me Pater, et Ego mitto vos* [3]. — *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, cet.* [4]. Si ergo nobis deessent veræ Scripturæ, ab Apostolis nobis relictæ, item deesset vera religio veraque fides. Et sic pariter adventus, prædicatio et mors Jesu Christi inutiles nobis remansissent. Atque ita confirmatur quod suprà diximus, numquam potuisse Deum permittere, ut corrumperentur suæ Legis volumina, quæ sancta Ecclesia pro veris habenda nobis proponit. Et satis est, nobis constare, ab Apostolis ea volumina esse conscripta, ut ea pro divinis habere teneamur.

10. Apostoli testantur, divinum esse Evangelii verbum.

17. Ideo semper asseverabant Apostoli, non secundum humanam, sed secundum divinam sapientiam se loqui: *Non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrinâ Spiritus* (textus Græcus habet: *sed in verbis, quæ docet Spiritus-Sanctus*); ita S. Paulus [5]. Et alibi protestatus est, non se, sed per se Jesum Christum loqui: *In me loquitur Christus* [6]. Quapropter alio loco dixit: *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum; qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis* [7]. Et Galatas [8] monuit, ne crederent vel Angelo e cælis delapso, neque sibimetipsi, si umquam traderet Evangelium, ab eo diversum, quod antea prædicasset.

11. Apostoli sanguine suo Evangelium obsignarunt.

18. Accedit, quod magno sane argumento probarunt Apostoli, divinos esse libros a se conscriptos, quum suo sanguine scripta velut obsignarunt. Fieri quidem potest, ut quis moriatur pro falsâ aliquâ doctrinâ, quam ipse veram esse credat; sed numquam evenit neque umquam eveniet, ut quis mori velit ad sustinenda facta commenticia, quæ ipse excogitasset. Quam gloriam vel quod emolumentum sibi obventurum esse speraret ex morte toleratâ ad confirmandam fraudem, quam tempus ipsum certo detegeret? Talia suspicari cum ratione pugnat. Aliquoties etiam accidit, ut quis tormenta sustineret, haud ignarus, fraudis confessionem morte sibi esse luendam; sed quis mentiri pergeret, si compertum haberet, verum fatendo impune se esse abiturum? Tandem fieri potuit, ut quis innocens, tormentis vexatus, confessus fuerit delictum

[1] *Isai.*, XXX, 20. — [2] *Is.*, II, 3. — [3] *Joan.*, XX, 21. — [4] *Matth.*, XXVIII, 19. — [5] 1 *Cor.*, II, 13. — [6] 2 *Cor.*, XIII, 3. — [7] 1 *Thess.*, IV, 8. — [8] I, 8 et 9.

non commissum, etiamsi sciret post eam confessionem sibi esse moriendum: potuit enim ipsam mortem ejusmodi tormentis anteponere; sed nemo umquam repertus est, qui mori voluerit, ne mendacium a se confictum retractaret. Quid multa? Tacitus, Livius aliique multi historici profani rebus a se scriptis fidem obtinere potuerunt; neque eam obtinebunt viri sanctitate conspicui, qui ne sua negarent Evangelia, vitam profundere non dubitarunt? — Hæc quidem per transennam; sed in tertiâ parte fusiori sermone agemus de fidei argumento, quod Martyres præbuerunt constantiâ suâ, quæ non poterat nisi a Deo provenire.

CAPUT XII.

DE INCREDULORUM OBJECTIONIBUS CONTRA LIBRORUM EVANGELICORUM VERITATEM.

Objicitur 1. Evangelii auctores non erant eruditi.

1. Nunc audiamus, quid Deistæ opponant contra Novi Testamenti Scripturas, quarum veritas ex ipsâ difficultatum futilitate splendidior fulgebit. — Opponunt 1^um^, earum Scripturarum auctores viros fuisse adeo rudes, ut res scribendas vix aliis dictare possent; sed quum ipsi litteras nescirent, nec postea explorare potuisse, num quæ ipsi dictassent, fideliter essent exscripta. — Respondetur primum: S. Matthæus, quum telonio præfuisset, sine ullâ dubitatione litteris eruditus fuisse debuit. Idem dicendum de S. Lucâ, qui medicus fuit (ut testatur S. Hieronymus [1]) et philosophus. S. Paulus Gamalielis in lege Mosaicâ discipulus fuit, eumque doctum fuisse nemo ignorat. S. Marcus, quum Alexandrinus Episcopus fuerit destinatus, item pro litterato est habendus. Dubium illud solummodo cadit in S. Petrum, S. Jacobum, S. Joannem et S. Judam, qui piscatores erant. Sed non ideo asseverare possumus, eos scribendi legendique artem non didicisse; nam Judæi fere omnes, etiam plebeji, litteris studebant, ut in lege instruerentur. — Præterea, si adventus Spiritûs-Sancti Apostolos idoneos reddidit ad ita loquendum, ut ab hominibus diversi sermonis intelligerentur, cur eos non poterat ad legendum et scribendum idoneos reddere? — Ad hæc, si scripta Jeremiæ et Baruch veridica habentur, quamquam per scribas ea exararunt, eccur de sanctis Apostolis idem dici nequit? — Itaque, postquam omnes vulgo fideles eorum libros pro sacris agnoverunt, quam ineptum Deistæ proferunt argumentum, quum dicunt: *Sed fieri potest, ut Apostoli scribere non didicerint.* Ergone idcirco eorum scripturæ pro veris non sunt habendæ?

Respondetur.

2. Opponunt 2°, in Evangeliis plura inter se contraria reperiri; et inter alia dissentire S. Matthæum et S. Lucam, quod S. Lucas (qui scripsit post S. Matthæum) Jesu Christi genealogiam aliter referat ac S. Matthæus; quâ de causâ Celsus [2], Porphyrius [3] et Julianus [4] asserebant, ambo illa Evangelia nullâ esse fide digna. — Sed obtrectatores illos jam confutarunt S. Hieronymus, Origenes, S. Cyrillus Alexandrinus aliique. Nonnulli Patres respondent, ex unâ parte S. Matthæum humanam Jesu Christi genealogiam descripsisse usque ad S. Josephum, a Davide oriundum primo per Salomonem et ultimo per Jacob; ex alterâ parte S. Lucam, quando S. Josephi patrem dicat Heli (qui a Davide per Nathan originem ducebat), ejus patrem legalem nominasse: Heli vi-

Objicitur 2. In Evangeliis contradictoria leguntur. a de Christi Genealogia.

[1] De Viris Illustribus, cap. 7; — Comment. in *Isaiam*, VI, 9. — [2] Confer *Origenem*, Contra *Celsum*, lib. II, n. 32. — [3] Confer *Hieron.*, Comm. in *Daniel.*, I, 1. — [4] *Jul. Apost.* Apud *S. Cyrill. Alex.* Contra *Julianum*, lib. VIII.

delicet antea uxorem habuisse ipsam S. Josephi matrem, quæ post ejus obitum maritum sibi elegisset Jacob, carnalem S. Josephi patrem. — Alia explicatio, quæ est S. Ambrosii [1] et aliorum quorumdam, omnino contrarie procedit: Heli enim secundum carnem, et Jacob secundum legem S. Josephi patrem nuncupat. — Tertia denique explicatio, cui magis acclamant recentiores, ut *Vossius* [2], *Grotius* [3] *et Calmet* [4], hæc est: S. Lucam a Davide enumerare dicunt genealogiam Mariæ Virginis, S. Matthæum vero S. Josephi genealogiam. Atque ideo volunt S. Josephum fuisse solummodo Heli (*a*) (patris Mariæ) filium adoptivum, ut ejus generum et hæredem; et sic ajunt ex utroque Evangelistâ colligi originem Jesu Christi et jus hæreditarium, quod in Judææ regnum, etiam temporale, habuit: per S. Josephum, ex iis quæ refert S. Matthæus, et per Mariam, ex iis quæ scribit S. Lucas. — Ceterum, sive prima, sive altera, sive tertia explicatio vera est, fides nos docet, Jesum Christum certo ab Abrahamo et Davide descendere, juxta promissiones a Deo iis factas. Illud credere debemus, quia sic nobis credendum proponit Ecclesia. Quo posito, item debemus credere, duo illa Evangelia in substantiâ unum ab altero non dissentire, quia utrumque est Verbum Dei.

b de cæco apud S. Matth. S. Marc. et S. Luc.

3. Alia quoque afferunt, in quibus Evangelia inter se pugnare videntur; sed quorum facilior est enodatio. Primum est de cæco prope Jericho sanato. S. Matthæus et S. Marcus referunt, Jesum Christum inde exeuntem illud fecisse: *Et proficiscente Eo de Jericho* [5], *cet.* — *Egredientibus illis ab Jericho, cet.* [6] S. Lucas contrà scribit, Dominum, quum eo esset ingressurus, cæcum ad sanitatem restituisse: *Quum appropinquaret Jericho, cet.* [7] — Sed ad solvendum illud dubium satis est ea Evangelia legere; S. Lucas enim de uno tantum cæco loquitur, quem Jesus sanavit, priusquam Jericho ingrederetur: *Cæcus quidam sedebat secus viam, cet.* [8] Cæci vero, de quibus S. Matthæus et S. Marcus loquuntur, sanati quum Jesus de Jericho exiret, duo erant: *Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est Eum turba multa; et ecce duo cæci, cet.* [9] Nec refert, S. Marcum de uno tantum mentionem facere: *Filius Timæi, Bartimæus cæcus, cet.* [10] Hunc solum nominat utpote forsitan magis cognitum.

Respondetur.

c de centurione.

4. Item opponunt, inter se pugnare, quæ de centurione referuntur. S. Matthæus dicit, ipsum centurionem Jesum Christum adiisse, ut ægrotanti servo sanationis gratiam ab Eo peteret: *Accessit ad Eum centurio, rogans Eum et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, cet.* [11] S. Lucas vero scribit, eum misisse nonnullos amicos, qui illam gratiam peterent, simulque dicerent ipsius nomine, indignum eum se credere, qui coram Domino sese offerret: *Misit ad Eum centurio amicos, dicens... me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad Te, cet.* [12] Sed hic quoque facilis est solutio, eamque dedit S. Augustinus [13], esse scilicet usitatum, ut aliqua actio facta dicatur ab eo, qui eam faciendam curaverit. Cujus quidem rei plura exempla in Sacris Scripturis occurrunt. *Auferet Pharao caput tuum* [14]. Et de Josue dicitur: *Circumcidit*

Respondetur.

[1] Exposit. Evang. sec. *Lucam*, lib. III, n. 15. — [2] De Genere *J. C.* Dissertatio, cap. 3 et 4. — [3] In *Lucam*, III, 23. Confer tamen, quæ de Heli et Jacob ibidem affirmat (Nota edit.). — [4] Dissertatio de Genealogia *J. C.* — [5] *Marc.*, X, 46. — [6] *Matth.*, XX, 29. — [7] *Luc.*, XVIII, 35. — [8] Ibid. — [9] *Matth.*, XX, 29 et 30. — [10] *Marc.*, X, 46. — [11] *Matth.*, VIII, 5 et 6. — [12] *Luc.*, VII, 6 et 7. — [13] Contra *Faustum Manichæum*, lib. XXXIII, cap. 7. — [14] Gen., XL, 19.

(*a*) Ex *Calmet* (l. c.) adjungere libet: *Fatemur quidem, S. Lucam Joachimi nomen non expressisse, sed tantum Heli. Verum ambo haec nomina idem valent; sunt enim apud Hebræos synonyma* Heli, Helcias, Eliakim *et* Joakim (Nota edit.).

filios Israel [1]. Similiter de Pilato: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit* [2]. Quæ singula certo non ab ipso Pharaone, Josue et Pilato, sed per alios facta intelliguntur.

d *S. Matth.* et *S. Marcus* de virga Apostolorum.

5. Item objiciunt quæ legimus de Apostolis, quum ad prædicandum in Judæam mitterentur. Nam ex iis, quæ scribit S. Matthæus, prohibuit Jesus Christus ne ullam rem, neque ipsum baculum, secum portarent: *Nolite possidere aurum, neque argentum... non peram in viâ... neque virgam* [3]. Sed S. Marcus narrat, Eum permisisse, ut secum haberent baculum: *Præcepit eis, ne quid tollerent in viâ nisi virgam tantum* [4]. Quæ verba alii aliter explicant interpretes: nonnulli cum *Du-Hamel* [5] apud S. Matthæum prohiberi dicunt eum baculum, ex quo pera suspenderetur; quum vellet Dominus, nulla eos secum ferre cibaria, sed sustentari ab incolis locorum, ubi Evangelium prædicarent; eamque ob causam (inquit citatus auctor) apud S. Matthæum adjicitur hujus prohibitionis ratio: *Dignus enim est operarius cibo suo* [6]. Alii cum *Tirino* [7] dicunt, S. Matthæum loqui de baculo, defensionis causâ asportato, ut indicat vox *Scheueth*, quæ telum quoddam significat; S. Marcum vero de eâ virgâ, quae *Mischam* vocatur et soli fulturæ erat viatoribus. Utraque explicatio nodum expedit.

Respondetur.

e de iis, quæ post Resurrectionem acciderunt.

6. Item opponunt quæ narrantur de apparitione Angeli, post Domini Resurrectionem cum sanctis mulieribus colloquentis. S. Matthæus (cap. 28) narrat, Angelum revolvisse sepulchri lapidem, et super eum consedisse, indeque custodes remansisse exterritos; tum vero Angelum ad mulieres conversum dixisse: *Nolite timere vos:... Jesum, qui crucifixus est, quæritis,... surrexit,... sicut dixit* [8]. At vero S. Lucas (cap. 24) refert, mulieres quod lapidem a monumento revolutum invenissent, eo esse ingressas, duosque ibi vidisse Angelos, qui dixerunt, Jesum surrexisse. S. Joannes denique (cap. 20, v. 1) de eâdem re agens, solam Mariam Magdalenam nominat, nullâ mentione habitâ de reliquis mulieribus, quas ceteri tres Evangelistæ commemorant. — En, Deistæ exclamant, quam multa inter se contraria! — Res tamen sic se habuit: omnes illæ sanctæ mulieres, duce Magdalenâ, summo mane ad sepulchrum se contulerunt, ut corpus Domini ungerent aromatibus, quæ vespere paraverant: inde jam aufugerant custodes exterriti ab Angelo, qui ad aperiendum sepulchrum descenderat. Ingressæ igitur mulieres, super sacro monumento sedentes viderunt angelum ejusque comitem, quorum alteruter monuit, ne timerent, Dominique resurrectionem nuntiavit. — Ex iis autem rebus rerumque circumstantiis aliud alius refert Evangelista. Ceterum nihil asseritur ab uno, quod ab altero negatur, et hoc satis est ad auferendam omnem discrepantiam.

Respondetur.

f de temporis spatio, quo Christus in sepulchro fuit.

7. Præterea Jesus Christus: *Sicut enim fuit Jonas*, inquit, *in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* [9]. Objiciunt Deistæ, vix duobus Christum in sepulchro fuisse diebus. — Respondetur, tres dies noctesque intelligi dies legales; quod vel ipsi Judæi, Hebraicæ legis interpretes, in dubium non vocant; itemque declarat *Grotius*, singulorum dierum singularumque noctium partem hoc loco intelligi; fuit autem Dominus in sepulchro aliquâ parte diei Veneris, totâ die Sabbati et primâ parte Dominicæ sequentis; sufficere porro ait *Grotius* etiam semihoram posteri illius diei, ad diem legalem constituendum [10].

Respondetur.

In summâ, a principio Ecclesiæ ad hæc usque tempora omnes illæ discrepantiæ molestiam attulerunt nonnullis tantum exiguæ mentis et exiguæ fidei viris. Sed divina Providentia horum incredulorum scandalum potius quam eam suspicionem permittere voluit, quæ fidelium commu-

[1] *Josue*, V, 3. — [2] *Joan.*, XIX, 1. — [3] *Matth.*, X, 9 et 10. — [4] *Marc.*, VI, 8. — [5] Comment. in h. l. — [6] v. 10. — [7] Comment. in *Matth.*, X, 10. — [8] v. 5 et 6. — [9] *Matth*, XII, 40. — [10] *Grotius* in *Matth.*, XII, 40.

nitati oriri potuisset ex omnimodâ Scripturarum similitudine. Talis enim similitudo omnia, vel ipsa essentialia, in dubitationem potuisset adducere, ac si hagiographi res suas ex communi consilio scripsissent, conventione factâ, se uno eodemque modo res omnes cum iisdem adjunctis esse descripturos (ut superiori Capite, n. 6 notavimus).

Objicitur 3. Antiqui nonnullos libros rejecerunt.

8. Opponunt 3°, nonnullos libros Evangelicos ab antiquis fuisse rejectos: sic a Carpocrate Evangelium S. Lucæ, ab Alogis Evangelium S. Joannis, a Cerintho et Severianis Actus Apostolorum et S. Pauli Epistolas. — Ergone, respondemus, negandum erit, Virgilium composuisse Æneidem, quia illud negat *Harduinus?* [1] Herodoti historiam ad Constantini tempora referri debebit, quia secus eam negaret *Jacobus Gaulterius?* [2] Sed quam stolidum esset, sacrum aliquem librum, jam communiter ab Ecclesiâ receptum, ideo in dubium vocare velle, quod nonnulli hæretici (quales fuerunt, quos suprà nominavimus) eum approbare noluerunt! Nec quisquam ignorat, eorum esse consuetudinem eas omnes negare Scripturas, quæ ipsorum adversentur erroribus. Ideo S. Joannis Evangelium negarunt Alogi, quod ipsi negarent, Christum esse λόγον, i. e. Verbum. Ideo Cerinthus S. Pauli libros rejecit, quod circumcisionem necessariam esse vellet.

Respondetur.

Objicitur 4. Christiani Evangelia mutarunt.

9. Atvero, inquit *Collins* [3], auctor infamis libri: *De cogitandi libertate* (hac in re vestigiis insistens Angli cujusdam doctoris, nomine *Mills* [4]), Catholici quoque Evangelia emendarunt; quandoquidem in suis Chronicis narrat *Victor, Tunnunensis* Episcopus, sexto sæculo, jussu Imperatoris Anastasii, correcta fuisse omnia Evangelia. En ejus verba: *Messala Consule,... jubente Anastasio Imperatore, sancta Evangelia, tamquam ab idiotis Evangelistis composita, reprehenduntur et emendantur* [5]. — Sed rerum series explicatur a Liberato [6], Carthaginiensi Diacono, qui scripsit iisdem temporibus; et hæc est: imperator ille Anastasius plus unâ infectus erat hæresi, Eutychetis nempe et Manichæorum; idem in Ecclesiam Constantinopolitanam pro Euphemio intruserat Macedonium, impium virum, qui postmodum a Severo Monacho apud ipsum imperatorem accusatus est, quod sancta Evangelia adulterasset; quapropter jussit Anastasius ex officio amoveri novum Patriarcham, et corrupta Evangeliorum exemplaria juxta genuinos codices emendari; et sic factum est. — Nunc ergo, inquiet aliquis, Ecclesia utitur Anastasiano codice? — Præclara sane conclusio! Quasi nulla uspiam exstitissent exemplaria præter codicem Anastasii, qui comburendos curasset reliquos omnes codices ubicumque terrarum asservatos. Usa est Ecclesia utiturque non eo codice, quem Anastasius emendandum curavit, sed veridico codice Apostolorum, collatione factâ cum exemplaribus Anastasio antiquioribus, et cum antiquorum Patrum ac theologorum commentariis.

Respondetur.

Confirmatur eadem responsio.

10. Et hoc loco notandum est, tantopere sanctos Patres religioni habuisse, sacros libros incorrupte servari, ut S. Spyridon [7] non dubitaverit Triphyllium, Episcopum Ledrensem reprehendere, quod in oratione quadam allegando hunc textum: *Tolle grabatum tuum, et ambula* [7], grammaticâ tantum adjectâ mutatione, non *grabatum* sed *lectum* dixisset; quare S. Spyridon his eum verbis corripuit: *Tune præstantior es eo qui grabatum dixit?* [8] — Narrat præterea S. Augustinus [9], Episcopum quemdam, quum Scripturæ locum recitaret, pro *cucurbita* dixisse *he-*

[1] Observationes in *Æneidem*, § 1. — [2] Tabula Chronographica (*Lugduni*, 1616) Quartum Sæcul., pag. 281. — [3] *Discours sur la Liberté de penser (trad. de l'Anglais), sect. 2, chap. 7, n. 6-8.*

[4] Prolegomena in Nov. Testam. *Joannis Millii.* — *Victoris* quidem verba refert (Oxonii, 1707, pag. XCVIII); sed ita factum esse, parum credit, ac tandem adjungit: *Hujusmodi Evangelia nulla usquam in publicum prodiisse... certum est* (Nota edit.).

[5] Chronicon, a° 505. — [6] Breviarium, cap. 19. — [7] *Marc.*, II, 9. — [8] *Nicephorus*, Hist. Eccl., lib. VIII, cap. 42. — [9] Ep. 71 ad *Hieronymum*, n. 5.

deram (ut idem fecerat S. Hieronymus [1]); sed ob eam mutationem adeo tumultuatum esse populum, ut ille Episcopatûs amittendi periculum subierit. Item novimus, S. Ambrosium [2], licet in dicendo ornatum, dicere maluisse *præsepium* juxta Vulgatam, quam *præsepe* cum purioris Latinitatis sæculo. Similiter S. Hieronymus scribere non renuit *cubitos*, quum dicere debuisset *cubita;* unde: *non enim curæ nobis est*, inquit, *vitare sermonum vitia, sed Scripturæ Sanctæ obscuritatem quibuscumque verbis disserere* [3].

Verumtamen hominum in Sacrorum Librorum deposito conservando vigilantia plus quam humana esse non potuit; quocirca nonnulli defectus (numquam tamen substantiales) non potuerunt evitari. Neque ipse Deus, qui semper providit, ne ulla in sacras Scripturas essentialis irreperet mutatio, sine necessitate illud patrare voluit miraculum, quo ab ejusmodi defectibus eas vindicaret. *Ludovicus Cappellus* [4], eruditus auctor, quum omnium sæculorum exemplaria in diversas linguas translata immenso studio investigasset, in Opere: *De Variis Scripturarum Lectionibus* demonstrat, nullum umquam in ea irrepsisse substantialem errorem contra fidem, mores vel historiam Evangelicam.

Objicitur 5. Nonnulla sunt interpolata.

11. Itaque omnino falsum est id quod nonnulli asserunt: locos aliquos non genuinos alienâ manu Novo Testamento fuisse insertos. Licet enim in nonnullis exemplaribus non reperirentur illi textus, in aliis tamen item antiquis et probatis jam aderant; eosque admisit Ecclesia, quia sine ullâ dubitatione eos cognovit traditione Apostolicâ innixos.

a S. Marc. XVI 9 20. Inter alios sunt duodecim illi versiculi, qui in nonnullis antiquis exemplaribus desunt, et nunc in fine Evangelii S. Marci leguntur [5]. Reperiuntur tamen in omnibus versionibus Latinis, Syriacis et Arabicis; item in duobus omnium antiquissimis Græcis Evangeliorum Codicibus, qui Cantabrigiæ *(Cambridge)* et Alexandriæ asservantur; item in reliquis fere omnibus exemplaribus, sive typis excusis sive manu scriptis; eumque textum S. Irenæus [6] quoque citavit.

Alius textus, a nonnullis in dubium vocatus, adulteræ [7] complectitur historiam. Hic quoque receptus fuit in omnibus Ecclesiis Græcis, itemque translatus reperitur in exemplaribus Syriacis et Arabicis; similiter refertur ab Ammonio Alexandrino [8], tertii sæculi scriptore, et a Tatiano [9], qui Ammonio etiam antiquior, secundo sæculo vixit.

b S. Joan. VIII 3-11.

Alius textus est versiculus ille S. Joannis: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum et Spiritus-Sanctus: et hi tres unum sunt* [10]. Deest in quibusdam codicibus; in aliis tamen magis accuratis nec minus antiquis reperitur. Allegatur quoque a S. Cypriano [11], ab antiquo auctore disputationis, in Concilio Nicæno contra Arianos habitæ [12], a S. Fulgentio [13] et a quadringentis Episcopis Africanis in Professione fidei, quam ut refert Victor Uticensis [14]) Hunerico, Vandalorum regi, obtulerunt. Unde etiam Erasmus, quum in duabus Testamenti editionibus, Græce et Latine exornatis, hunc textum omisisset, in tertiâ editione, ab antiquo Britannico apographo inductus, eum denuo inserendum esse intellexit. Atque idem fecerunt Novi Testamenti editores Collegii Complutensis *(Alcala)*, secuti (ut ipsi dicunt) *exemplaria antiquissima, quibus fidem abrogare nefas videretur.*

c I Joan. V, 7.

[1] Commentar. in *Jonam*, IV, 6. — [2] Exposit. Evang. sec. *Lucam*, lib. II, n. 42. — [3] Comment. in *Ezechiel*, cap. 40. — [4] Critica Sacra, sive de Variis, quæ in sacris Veteris Testamenti Libris occurrunt Lectionibus, lib. VI, cap. 2; et passim. — [5] *Marc.*, XVI, 9-20. — [6] Contra Hæreses, lib. III, cap. 10, n. 6. — [7] *Joan.*, VIII, 3-11. — [8] Harmonia Evang., cap. 120. — [9] SS. Evangeliorum Diatesseron, seu Harmonia 4 Evangeliorum, cap. 12 (Reperitur in Bibl. Max. Vet. Patr., tom. II, pars 2, pag. 203). — [10] 1 *Joan.*, V, 7. — [11] De Unitate Ecclesiæ, n. 6. — [12] Disputatio in *Nic. Conc.* contra *Arium* (In edit. *Basil.*, 1564; inter Opera *S. Athanasii*). — [13] De Trinitate, cap. 4. — [14] De Persecutione *Vandalica*, lib. III, n. 11 (Victor non *Uticensis*, sed *Vitensis* Episcopus fuit; cfr. *Migne*, tom. LVIII, pag. 148. Nota edit.).

Objicitur 6. Quæ Patres citarunt, in Evangelio non semper reperiuntur. Respondetur.

12. Quodsi nonnumquam a Patribus citari videmus sacrorum librorum sententias, quas alio modo illic legimus, vel etiam aliquem textum, quem nullo modo ibi reperimus, hoc ideo fieri potuit (ut scribit Eusebius [1]), quia antiqui illi Patres Scripturarum sententias memoriter citarent et sic verbis quidem dissentirent. Atque illud non sine ratione deducitur ex eo, quod sæpius Scripturas in universum commemorant, nullo libri auctore vel loco indicato. Sic v. g. S. Ignatius (ut refert Eusebius [2]) in epistolâ ad Smyrnæos: *Apprehendite*, inquit, *et contrectate me, et videte, quod non sum incorporeus spiritus.* Sed apud S. Lucam ita legitur: *Palpate et videte; quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut Me videtis habere* [3]. — Præterea antiqui Patres nonnullas allegabant sententias, quæ ex solâ traditione erant cognitæ, vel etiam sine malitiâ nonnumquam utebantur libris apocryphis, tunc quidem a canonicis non rite distinctis. Antiquitus (ut referunt Fabricius [4] et Simon [5]) pro libris canonicis habebantur liber *Pastoris*, *Evangelium Petri*, *Evangelium Mathiæ*, *Evangelium secundum Hebræos* (ex quo assumpta creditur hæc, quæ citata reperitur, sententia; *Estote probi nummularii*), et aliæ quædam Apostolorum epistolæ, quas in aliquo Concilio Gelasius Papa [6] apocryphas esse declaravit. Sed omnes eos libros Ecclesia reprobavit, utpote ab hæreticis introductos; ut scribunt S. Irenæus [7], S. Epiphanius [8] et Eusebius [9].

Ceterum Deistæ, etiamsi afferant longum catalogum triginta millium varietatum, nullam umquam possunt varietatem proferre, quæ in rebus fidei vel morum attingat substantiam. — Ad hæc, nihil mirandum est, quod longo temporis interjectu et exemplarium tot millibus divulgatis, nonnulli irrepserunt errores, septemdecim sæculorum spatio facillime invecti imperitiâ vel incuriâ typographorum aut amanuensium. Si porro varietates illæ cum antiquis commentatoribus conferuntur, dilucide apparet, eas nullam afferre sententiæ corruptionem, et plerasque ad grammaticam potius spectare quam ad sensûs varietatem. Interdum notæ, quæ in margine adjectæ erant, per errorem exemplaribus insertæ fuerunt; et hæc est causa, cur in Patrum operibus nonnulla reperiatur variata sententia; sed paucissimæ sunt eæ varietates, neque doctrinam neque historiam Evangelicam, sed eas tantum res attingunt, quæ licet ignorentur, integram relinquunt doctrinam et historiam. Et quod ad verborum varietates attinet (quibus fere unice constat longus ille catalogus, quem Deistæ afferunt), nihil movere possunt eum, qui linguam Græcam rite calleat.

7. Inepta quædam Deistarum dubia.

13. Deistæ duas alias difficultates, sed eas superioribus etiam magis ineptas, adversus libros Evangelicos movent. — Prima hæc est, quod nonnulli hagiographi non referunt, sicut ceteri, totam eventuum seriem. — Sed idcirco pro falsis haberi debent, quæ referunt? Ergone quod apud Sallustium, Livium vel Cæsarem non tota habeatur Ciceronis historia, ideo dici debet, falsum esse, quidquid de Cicerone retulerunt?

Altera difficultas, quam *Spinosa* movet [10], hæc est: Quum Deus loquitur, non utitur argumentis et ratiocinationibus, sicut homines facere solent; sed in suis scriptis Apostoli ratiocinationibus utuntur; ergo (inquit *Spinosa*) non loquuntur Dei spiritu, neque ergo eorum verbum pro divino haberi potest. — Paucis respondetur, hac in re Prophetas atque Apostolos, et maxime S. Paulum se accommodasse ad

[1] Hist. Eccl., lib. III, cap. 36 (*Quædam ejus* (Christi) *verba recitat (Ignatius)*, inquit, *quæ unde acceperit, ignoro.* Nota edit.).
[2] L. c. — [3] *Luc.*, XXIV, 39. — [4] Codex Apocryphus Novi Testamenti. — [5] *Histoire Critique du Texte du N. T., chap. 3.* — [6] *Gelas.* I, *Conc. Rom.*, a° 494.
[7] Contra Hæreses, lib. III, cap. 11, n. 9 (Hermæ tamen librum *Pastoris* [contra Hæreses, lib. IV, cap. 20, n. 2] pro authentico habet. Nota edit.).
[8] Adversus Hæreses. Hær. 62. — [9] Hist. Eccl., lib. III, cap. 25. — [10] Tractatus Theologico-politicus, cap. 11.

debilitatem hominum, qui ratione se conduci amant. Ceterum tam multas leges ac fidei dogmata promulgantes, rationes non adhibuerunt Apostoli, sed opus fuit, Deum ipsum miraculis aliisque argumentis demonstrare, Apostolos ab Ipso missos esse et Ipsius ore loqui.

Sed quid est, quod Jesus Christus, quum res dilucide explicare posset, tam obscure loqui voluerit per parabolas, quas postea quidem litteris mandarunt Apostoli, sed ne ipsi quidem intelligere potuerunt? — Respondetur, Dominum enucleate quidem locutum esse de suo adventu, de suo Mediatoris officio et de reliquis, quæ ad fidei substantiam spectent: obscure per parabolas locutus est de quibusdam arcanis tantum, quæ tunc iis patefacere non expedire judicaret.

En quantum desudent Deistæ, ut sanctam fidem nostram tenebris obscurent; sed tam clarâ luce refulget, ut ejus splendor neque in præsenti neque umquam deficere possit, quidquid ipsi objicere conantur.

CAPUT XIII.

DE SANCTA ET DIVINA JESU CHRISTI DOCTRINA.

Peccatum ruinam intulit.

1. Perfecta sunt omnia Dei opera; quomodo ergo Dominus hominem creavit ita inordinatum, propensum ad perversas libidines, impudicitias, vindicationem, ambitionem atque invidiam, quæ omnia rectæ rationi adversantur? — Illius inordinationis originem Capite primo hujus Partis indicavimus. Primum hominem Deus cum originali rectitudine creavit, sensibus nempe rationi subjectis, ipsâque ratione subjectâ Deo. Adam vero peccat, atque ita, quum unà cum posteris divinâ gratiâ excidat, sensus adversus rationem, ratio adversus Deum rebellat. Deus, ut hominem a tanto exitio redimat, Filium suum mittit; sed priusquam Redemptor in mundum veniat, suos mittit Prophetas, a quibus annuntietur, ut homines, ejus meritorum spe innixi, salutem consequi conentur. Et ne post ejus obitum ullum hominibus remaneat dubium, omnes Prophetarum vaticinationes omnesque circumstantias, quæ ad Redemptoris adventum, opera, vitam et mortem spectant, in Sacris Scripturis consignandas curat. Tum suam in Judæâ condit Ecclesiam, ibique suas leges promulgat, ut homines non solum naturæ lumine sed his etiam legibus adjuti, quid sibi faciendum, quibus vero sibi abstinendum esset, melius intelligerent. En tandem in terras venit Verbum æternum; humanâ carne assumptâ, nascitur, ac suam gratiæ promulgat legem, postmodum in Evangeliis perscriptam, quæ non destruit sed adimplet et perficit antiquam. Inde, ne errarent fideles in dubiis et obscuris, quæ de divinâ hac lege oritura essent, novam suam statuit Ecclesiam, quæ ab ipso Deo illuminata fideles doceret, quidquid circa mysteria credere et circa mores agere deberent. Quam quidem Ecclesiam constituit veritatis columen et fundamentum, neque eam inferorum viribus umquam victum iri promisit: *Ecclesia Dei vivi*, inquit Apostolus, *columna et firmamentum veritatis* [1]. Et Christus Petrum compellans: *Ædificabo Ecclesiam meam*, inquit, *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [2].

Dei Filius hominem redemit.

Christianam Ecclesiam instituit.

2. Hæc porro Ecclesia est, quâ Deum, ultimum nostrum finem, cognoscimus. Divinam nos docet ejus naturam, nullamque Ei deesse perfectionem ostendit. Æternum præmium justis paratum commonstrat, et peccatoribus destinatam pœnam æternam.

Ecclesia mentem instruit.

[1] 1 *Tim.*, III, 15. — [2] *Matth.*, XVI, 18.

Mores dirigit. Et quod ad mores attinet, legem nobis tradit prorsus sanctam, plenam caritatis et rectissimam, quâ docemur inordinatos appetitus superare, proximum sicut nosmetipsos, Deum super omnia diligere. Ecclesia in summâ nobis ostendit tam divinas quam humanas leges, quas debemus et, divinâ gratiâ opitulante, item possumus servare. Proponit quoque divina consilia, quæ præceptorum observantiam faciliorem nosque Deo gratiores reddunt. Præterea nos docet, quibusnam adjumentis divinam gratiam servare debeamus, et quomodo sit recuperanda, si misere acciderit, ut eam amiserimus: quæ quidem adjumenta sunt Sacramenta, a Jesu Christo instituta; quibus et peccata nobis remittit, et gratias per passionis suæ merita nobis comparatas, impertitur. Ad hæc nos monet, impares nos esse, qui nostris viribus divina servemus præcepta et de inimicis, ad ea violanda incitantibus, reportemus victoriam; atque idcirco precibus assidue ad Deum esse recurrendum, ut ad ea servanda ab Eo impetremus auxilium.

Quam fœda sit aliorum doctrina. **3.** Numquid sanctiorem, rectiorem vel magis ordinatam ullam legem aut reperiri aut excogitari fas est? Ac simul videamus, quid contrà doceant reliquæ, eæque falsæ, religiones. — Judæorum religio recta quondam sanctaque fuit; ubi vero repudiarunt novam gratiæ Legem, obcæcati sunt et in sexcenta inepta atque impia prolapsi. Asserunt horum temporum Hebræi (qui hodie *Talmudistæ* vocantur, utpote amplexi doctrinam *Talmudicam*, libri cujusdam seu legis, fabulis, erroribus et blasphemiis redundantis), legem in *Talmud* traditam, esse ab alterâ Moysis lege distinctam, eique vivâ voce exhibitam. Itaque ejus inventores librum divulgantes præceperunt, ut singula illic injuncta, velut leges divinæ serventur; refragantibus etiam capitis pœnâ impositâ. Circa divina mysteria docent, Deum aliquâ noctis parte velut leonis rugitu edito exclamare: *Heu! Me domum meam evertisse, concremasse templum, atque in servitutem redegisse filios!* Ad hæc, unam diei partem Eum insumere in legis et ipsius quoque *Talmud* studio, aliam in instruendis parvulis qui infantes mortui sunt, aliam in mundo judicando; tribus autem ultimis horis cum dracone quodam, *Leviathan* nomine, Eum ludere. Item ante hunc mundum conditum, plures Eum mundos et fecisse et dissolvisse; nunc vero post mundum conditum, noctu Cherub velut equo insidentem duodeviginti millia mundorum, quos creavit, visitare. Eum quoque, ut inter Abraham et Saram componeret pacem, mendacium aliquando dixisse. Denique Eum, quod præ lumine solis attenuavisset lunæ splendorem, Moysen jussisse bovem mactare ad errati illius veniam impetrandam [1]. — Circa præcepta moralia porro recentes Hebræi multa erroris et stultitiæ plena asserunt, quæ infrà (Parte III[a], Cap. III) partim recensebimus.

Judæi.

Talmud.

Mahumedani. Alcoranus. **4.** *Mahumedanorum* secta autem non quidem *Talmud*, sed *Alcoranum* legem fideique regulam sequitur. Huic probatur quæcumque religio Deum colit; quandoquidem iis omnibus salutem pollicetur, qui secundum legem ultro electam vivunt, etiamsi pro suo quisque arbitratu ab unâ ad aliam transiret. Inter alia dogmata hoc habet, damnatos etiam, dummodo *Alcorano* fidem adjungant, ex inferno ereptum iri. Atque illud est, cur *Mahumedani*, caput sibi radentes, unum nihilominus servent cirrum, quo *Mahumedes* ex inferno ipsos extrahere possit. Omnibus videlicet, qui ipsum secuti fuerint, die judicii saltem, precibus suis salutem eum impetraturum esse sperant. Quod porro ad reliquos damnatos spectat, *Alcoranus*, redintegrato Origenis errore, iis non ultra mille annos duraturas esse ait inferni pœnas [2]. — Paradisum porro promittit,

[1] Vide *Gaulterium*, S. J. Tabula Chronographica Status Eccl[æ] Cathol., cap. 1, De Talmudistis; passim. — [2] Confer in hoc Tractatu, partem III[am], cap. 4.

cujus vel ipsas bestias puderet, si ratione essent præditæ: paradisum dico, corporis voluptatibus refertum. Adeo ut *Avicenna*[1], *Mahumedis* discipulus, tali promissione erubescens, eum allegorice locutum esse dixerit; quam tamen *Avicennæ* interpretationem nusquam admittit *Alcoranus*.

Alcorani lex moralis.

5. Quod ad mores spectat, permittit *Alcoranus*, ut ad suum quisque arbitrium furetur; tot habeat uxores, quot sustentare possit; suâ voluntate divortium faciat, omnique indulgeat libidini cum feminis, dummodo servæ sint vel subditæ. Bellum et vindicationem, ut gloriosa quædam, præcipit. Si quis *Alcorano* fidem adjungere renuat, interfici eum jubet. Cum dæmoniis haberi vult commercium, ut per incantamenta et sortes divinatio fiat. Sed de iis, quæ singillatim ad *Mahumedanorum* sectam pertinent, distinctius in tertiâ parte agemus.

Lutheri et Calvini doctrina.

6. Prætermitto reliquas sectas hæreticas cum suis cujusque erroribus et nequitiis; sed paucis attingere opus est ultimas hæreses in septentrionali Europâ exortas, quæ omnes Reformatæ Religionis nomine vocantur. Ea pseudoreformata religio (cujus capita fuerunt *Lutherus* et *Calvinus*) inter alia duo velut fundamenta statuit impia dogmata, quæ bonis operibus omnem bonitatem et meritum auferunt, viamque aperiunt cunctis vitiis. Primum dogma est, nasci omnes homines originali peccato pariter ita infectos, ut singula hominis opera, sive bona sive mala, etiam post susceptum Baptismum, perversa pœnisque æternis digna sint. — Alterum est, solam fidem, nullâ aliâ virtute requisitâ, homini et justitiam et salutem afferre; videlicet, non per caritatem sive gratiam homini peccata remitti; sed fiduciam, quâ per merita Jesu Christi divinâ misericordiâ innitatur, hoc efficere, ut jam non sua ei peccata, sed Redemptoris justitia imputetur; eumque sic justum fieri et salutem consequi. Præterea multos alios docent errores, ex his duobus deductos: hominem post Adami peccatum amisisse liberum arbitrium, et sic ea tantum velle et nolle debere, quæ sunt a Deo prædeterminata; Deum nec homini præbere virtutem recte operandi nec solum permittere malum; sed Eum ipsum omnes in nobis operari tam bonas quam malas actiones; — nihil ad nos pertinere divina præcepta, quod ea servare non possimus; — Sacramenta ad obtinendam Dei gratiam nihil valere; — eum, qui Jesu Christi fidem habeat, infallibiliter in gratiâ perseverare et salutem certo consequi, etiamsi pessima quæque scelera committat. — Hæc est igitur egregia illa reformata religio, quæ hominem in inferni monstrum convertens, omnem ei abstulit legem, præbuitque facultatem, in immanissima etiam peccata, infidelitate exceptâ, sese immergendi. En quid dicat *Lutherus*, neque erubescat litteris consignare: *Vides, quam dives sit homo Christianus!... Nulla... peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cetera omnia, si... stet fides,... absorbentur per eamdem fidem*[2]. *Calvinus* autem ulterius progreditur, et bona opera non solum non prodesse, sed fidei etiam repugnare affirmat: *Tum fidei justitiæ locus est, ubi nulla sunt opera, quibus debeatur merces*[3].

Quodnam esset illius doctrinæ consequens.

7. Juxta eorum igitur fidei instituta tenendum esset, omnes Christianos, qui ante novos illos religionis magistros vixerint, fuisse damnatos; quandoquidem erravissent in fide omnes vere Christiani, atque imprimis Sancti et Martyres, quibus omnibus erat persuasum, ad salutem sola Jesu Christi merita satis non esse, sed præter fidem, bona opera requiri. Præterea, licet Jesu Christi meritis confisi salutem sperarent, non tamen fide crediderunt, se esse prædestinatos, quin etiam ad mortem usque timuerunt; nec se peccare exstimarunt, quum ad consequendum paradisum bonis operibus da-

[1] Lib. IX de prima Phil. (Apud *Segneri, L'Incredulo senza scusa, parte II, cap. 24, n. 7*).

[2] De Captivitate Babylonica Ecclesiæ; de Sacr. Baptismi. — [3] Instit., lib. III, cap. 11, n. 18.

rent operam: quæ omnia cum novatorum fide pugnant. Atvero, ut recte ait *P. Segneri*[1], horum fides et doctrina atheismo pejor est; atheus enim, qui haud facile penitus sibi persuadeat, Deum non existere, numquam sine timore malum perpetrat; quum reformati isti timorem sibi temperent, hac spe confisi, secundum religionem a Deo impositam se agere.

Alia perversa eorum dogmata.

8. Præterea docent, justificationis gratiam solis prædestinatis a Deo dari; reliquos omnes a Deo prædestinari ad malum et ad æternam damnationem; et quod consequens est, Jesum Christum non pro omnibus, sed pro electis tantum esse mortuum. Hic autem considerari oportet, quam impios atque ingratos se præbeant illi Jesu Christi Crucis inimici; licet enim Christus pro omnibus mortuus sit, illi, persuadere volentes, pro solis prædestinatis Eum esse mortuum, falsâ atque impiâ suâ doctrinâ amorem erga Jesum Christum auferunt. Oh immanem barbariem! Deus vitam profudit, ut ab omnibus diligeretur; isti vero impii censent, pro solis electis Jesum Christum mortem subiisse! S. Paulus: *Si unus* (Christus), inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*[2]. Et deinde subjungit: *Et pro omnibus mortuus est Christus; ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed Ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit*[3]. Quid dicere debuisset Apostolus, ut clarius significaret, pro omnibus mortuum esse Jesum Christum? Sed quid mirum, eos qui rebellant veræ Ecclesiæ, in quâ solâ lux veritatis resplendet, in sexcentos incidere errores?

Catholicæ Ecclesiæ doctrina omnino sancta.

9. Nostræ contrà Catholicæ Religioni hoc inter alia magno est argumento, quod ne minimo quidem errore tenetur. Mysteria, quæ credenda proponit, quamvis alta et rationem superantia (ut jam diximus), nihil tamen cum ratione pugnant. Prorsus sancta pariter et æqua sunt præcepta, quæ servari jubet. Quid æquius quam Deum, summum Bonum, plus diligere quam reliqua bona, quæ cum Deo collata, pro umbrâ et fumo sunt habenda? Quid æquius quam amare nosmetipsos, sed id amore recte ordinato, qui non fallaci brevique delectatione nos decipiat, sed ad felicitatem nos perducat, perpetuo duraturam? Quid æquius quam proximum amare sicut nosmetipsos, quoniam vocati sumus ad convivendum his in terris, ubi bonis exemplis et caritatis officiis tamquam comites in itinere ad æternitatem alii alios adjuvemus, ut quum in paradisum simul pervenerimus, beatæ illius patriæ socii unàque æterni cives futuri simus?

In Ecclesia multi sanctitate conspicui.

10. Fatendum quidem, divinæ legis præcepta in seipsis difficilia esse humanis viribus; at facilia tamen cum divino auxilio; quod quidem auxilium cuilibet petenti et promisit et concedit Deus; quum Ipse dixerit: *Petite et accipietis*[4]. Quapropter sacra Tridentina synodus: *Deus impossibilia non jubet*, inquit, *sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat ut possis*[5]. Nec negari potest, multos semper in Ecclesiâ Catholicâ sanctos fuisse homines, qui tot egregia præbuerunt exempla humilitatis, abnegationis, castitatis, justitiæ ac reliquarum virtutum omnium; recteque viventes nemini molestos fuisse aut odiosos nisi iis, quibus odio esset vitæ integritas, quæ perditos ipsorum mores reprehendere videretur. Certum est, neminem umquam Catholicum, qui honeste viveret, ad hæreticos vel infideles transiisse; multi contrà hæretici et infideles, qui vitam si non bonam, minus certe inordinatam quam reliqui, agebant, salutis consequendæ causâ, nostram fidem amplexi sunt: quod evidenti indicio est, in nostrâ tantum Ecclesiâ veram sanctitatem veramque salutem reperiri.

Objectio.

11. Opponunt Naturalistæ: Evangelium nos ad perfectionem tendere jubet: *estote*...

[1] *L'Incredulo senza scusa, part. II, cap. 24, n. 10.* — [2] 2 *Cor., V,* 14. — [3] v. 15.

[4] *Joan.*, XVI, 24. — [5] Sess. 6, cap. 11.

perfecti [1]. Sed juxta Apostolum [2] major habetur perfectio in virginitate. Ergo datur aliquod consilium naturæ contrarium itemque repugnans his ipsis Dei verbis: *Crescite et multiplicamini* [3]. — Respondet vero S. Thomas [4], virginitatem et reliqua consilia non ipsam perfectionem constituere; esse vero media ad perfectionem, neque ea necessaria sed magis tuta; quocirca opus non est, ut omnes ea sequantur. Et quod ad Dei verbum attinet: *crescite et multiplicamini*, non singulis peculiariter hominibus illud dicitur; secus enim unusquisque (id quod nemo affirmat) statum conjugalem amplecti deberet, sed illud præceptum universæ imponitur hominum societati.

Responsio.

CAPUT XIV.

DE JESU CHRISTI MIRACULIS, EJUS DOCTRINAM CONFIRMANTIBUS.

Christus vera miracula patravit.

1. Miracula inexpugnabile constituunt fidei veritatis argumentum; quia, ut suprà (Cap. III) probavimus, Deus nullum umquam miraculum permittere potest in falsæ alicujus fidei confirmationem. Verumtamen diligenter examinari oportet, num facta, quæ referantur, vera sint, ac præterea, num vera sint miracula. Prodigia, a Jesu Christo patrata, et relata in Evangeliis, vera fuisse, suprà (Cap. XI) hoc ipso jam probavimus, quod ipsorum Evangeliorum demonstravimus veritatem. Nunc videamus, utrum prodigia, illic narrata, vera fuerint miracula, an vero diabolicâ arte fieri potuerint. — Et primum quidem, celebre fuit Jesu Christi miraculum, quum quinque panibus hordeaceis et duobus piscibus satiavit quinque millia virorum, præter mulieres et parvulos; et ita quidem, ut finito prandio, Apostoli collegerint duodecim cophinos fragmentorum, quæ remanserant. Cujus miraculi testes fuerunt ultra quinque millia hominum, illudque referunt tres Evangelistæ, S. Matthæus (XIV, 14), S. Marcus (VI, 38) et S. Joannes (VI, 5).

Panem et pisces multiplicat.

2. Præterea narrant S. Lucas (VIII, 26) et S. Marcus (V, 2), quum Dominus ad regionem Gerasenorum venisset, occurrisse Ei virum dæmoniacum adeo furiosum, ut non potuisset (ne damnum inferret) vinculis illigari: sæpius enim catenas diruperat. In speluncis vivebat, clamans et concidens seipsum. Cujus misertus Dominus dæmoniis, quæ numero plurima erant, jam inceperat præcipere, ut ab eo corpore exirent; maligni vero spiritus Jesum Christum precati sunt, ut vel ipsos ex eo viro ne expelleret, vel saltem sineret se ingredi in gregem duorum millium porcorum illic pascentium. Quod ubi Jesus permisit, illico porci præcipites in mare abierunt et suffocati sunt: vir ille dæmoniis liberatus remansit. Illud sub oculis aliorum accidit, et certo nuntiatum fuit multis incolarum, qui illorum animalium erant possessores.

Dæmoniacum liberat.

3. Longo jam tempore totum mundum servitute oppressum tenebant dæmones, qui honorem Deo debitum sibi vindicantes, divinum ab hominibus requirebant cultum. Ubique terrarum idola et sacrilega altaria; ubique dæmones cæli et terræ dominos se jactabant. Advenerat quidem Jesus Christus, ut ex injuste occupato dominio hostem illum expelleret; sed prius hoc erat efficiendum, ut homines cognoscerent et suam infelicem conditionem et debilitatem spirituum infernalium. Quibus ideo multorum corpora ingredi permisit, ex unâ parte ut in omnium odia incurrerent, ex alterâ ut Ipse eos ejiciens simul

Cur Deus talia dæmoni permiserit.

[1] *Matth.*, V, 48. — [2] 1 *Cor.*, VII, 25 seq. — [3] Gen., I, 28. — [4] Contra Gent., lib. III, cap. 130.

monstraret et eorum debilitatem et suam potentiam: ad hoc enim advenerat, ut Luciferi regnum deleret: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* [1]. Unde, visis miraculis a Christo patratis, dæmones Dei Filium Eum esse fatebantur: *Et spiritus immundi, quum Illum videbant, procidebant Ei, et clamabant dicentes: Tu es Filius Dei* [2]. Jesus Christus, dum his in terris vivebat, obvios quosque liberabat a dæmoniis: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* [3]. Et post mortem suam permisit dæmoniis in hominum corpora frequenter invadere, ut sic agnoscerent gentiles, quantam potestatem Ipsius discipuli in illos adversarios haberent: nec raro etiam coegerunt diabolos fateri, se decipere homines, quum sub vocabulo falsorum numinum sibimet-ipsis divinum cultum exigerent; quæ confessio ad mundi conversionem multum contulit. Refert Tertullianus [4], singulos Christianos, qui Baptismi gratiam servassent, diabolum ad eam fraudem fatendam compellere potuisse; et re quidem vera historiæ sacræ plura ejusmodi exempla narrant [5].

Christus cæco nato visum restituit.

4. Item mirabile fuit prodigium, quod Salvator noster (ut refert *S. Joannes*, cap. IX) in cæco nato operatus est. Eum sanavit Jesus Christus, quod super oculos ejus linivit lutum sputo mixtum, jussitque ut illico in natatoriâ Siloe se ablueret; quâ quidem aquâ usus est Redemptor, ne Pharisæi dicerent, medicinali quâdam aquâ visum ei fuisse redditum. Nec tamen Pharisæi sibi persuadere voluerunt, reverâ miraculum esse patratum: interrogarunt igitur cæcum; qui, quid factum esset, ingenue narravit. Necdum contenti rursum ex eo quæsierunt, quid sentiret de eo, a quo sanitati jam esset restitutus. Ad quod cæcus, suo judicio Eum esse prophetam, respondit. Judæi, obstinate in suâ permanentes sententiâ, nec credere volentes, miraculum illud fuisse, ejus parentes ad se vocarunt. Hi autem confirmarunt, cæcum natum fuisse filium, et ad eum diem fuisse cæcum. Cæco iterum arcessito: *Da gloriam Deo*, inquiunt, *nos scimus, quia hic homo peccator est* [6]. Hic vero: *Si peccator est, nescio*, respondit; *unum scio, quia cæcus quum essem, modo video.... Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri?* [7] Quibus auditis verbis, Pharisæi ei maledixerunt, et ejecerunt eum extra civitatem. Jesus ergo, quum eum obvium haberet, hortatus est ut crederet; hic autem sectatoribus ejus se adjunxit.

[1] *Joan.*, XII, 31. — [2] *Marc.*, III, 11 et 12. — [3] Act., X, 38. — [4] Apologeticus, cap. 23.

[5] Nonnulli dicunt, post Jesu Christi aut saltem post ejus discipulorum obitum, obsessos non amplius fuisse. Dubium non est, quin perpauci sint vere obsessi; nescio tamen, quomodo asseri possit, falsa esse omnia exempla, quæ de liberatis a dæmonum obsessione in vitis Sanctorum atque etiam in Sanctorum Patrum operibus referuntur. *Cuniliati* (*Controv. litterar.* tom. 1, pag 36 seq.) plura collegit hujus generis facta, quæ his ultimis temporibus acciderunt, ac nominatim refert, anno 1739 in diœcesi Aquilensi obsessi cujusdam liberationem id effecisse, ut celeber Hebræus, *Ventura Cormons* nomine, ad fidem converteretur. Legatur erudita Dissertatio, quam *de Energumenorum Veritate* conscripsit *Calmet*, ad demonstrandum, eos reverâ esse obsessos. — Quid mirum, dæmonem invadere posse et occupare Christianorum corpora, quum non ignoremus, eum posse tentare eorum animas, etiam divinâ gratiâ exornatas? Verum est, in præsenti dæmones non eam habere corpora invadendi libertatem, quam antiquitus ante Redemptoris adventum haberent; sed negari nequit, sæpius permisisse atque etiam voluisse Dominum, ut aliquis Christianus, ob peculiarem quamdam suam culpam, et nonnumquam sine culpâ ad majus meritum acquirendum, talem vexationem pateretur. Porro, si Jesus Christus (ut apud S. Matthæum legitur, *cap. IV, v. 5 et 8*) a Lucifero in templi pinnaculum et montis verticem asportari non recusavit, mirum nobis videri non debet, ab inimico exagitari nonnumquam et vexari Christianos. Sed ad credendum, obsessos reverâ in hoc mundo haberi, illud maxime nos inducere debet, quod Ecclesia numquam desinit distinctum ordinem conferre Exorcistis, quibus hanc ipsam tribuit potestatem, ab obsessis expellendi dæmones. An forte dicendum erit, frustra in Ecclesiâ eum ordinem conferri? S. Carolum Borromæum solitum fuisse novimus, de industriâ hunc ordinem etiam pueris conferre, ut hæreticis ostenderet potestatem, quam contra dæmones habent Ecclesiæ Catholicæ ministri.

[6] *Joan.*, IX, 24. — [7] v. 25-27.

Mortuos ad vitam revocat.

5. Præ ceteris autem inclyta fuerunt ea Jesu Christi miracula, quibus plures defunctos ad vitam revocavit, unicum nempe viduæ filium ex civitate Naim, et filiam principis Synagogæ; sed omnium maxime portentosum fuit miraculum resurrectio Lazari, quam S. Joannes (cap. XI) particulatim enarrat. — « Si ego (ita *Spinosam* locutum esse refert *Petrus Bayle* [1]) mihi persuadere possem, reverâ ad vitam rediisse Lazarum, meo systemate rejecto, Christianus fierem. » Atvero tot rationibus comprobatur illud miraculum, ut *Spinosa* magnæ temeritatis excusationem non habeat, quod illud sibi persuadere noluerit. Rem ipsam inspiciamus. — Quodam die quum Salvator Bethaniam venisset ad domum Marthæ et Mariæ, earum fratrem Lazarum quatriduo mortuum et sepultum reperit; Hierosolymis autem ejus obitus jam ubique innotuerat, et quum illic familia esset conspicua, multi ex civitate Bethaniam se contulerant, ut sororum mœstitiam solarentur. Jesu eo appropinquanti lacrimantes occurrerunt sorores, ac nominatim Maria, quam multi sequebantur: *Domine*, inquit, *si fuisses hic, non esset mortuus frater meus* [2]. Rogavit Jesus, ubi eum reposuissent, et quum ad locum sepulturæ pervenisset, primo lacrimatus est ac deinde sepulchri lapidem auferri jussit. Martha vero: *Domine*, respondit, *jam fœtet; quatriduanus est enim* [3]. Reposuit autem Jesus: *Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* [4] Tum vero *voce magnâ clamavit* (ideo clamavit, ut ad ultimum hunc conatum, quo Judæos convertere niteretur, increduli esse jam desinerent): *Lazare, veni foras* [5]. Qui quum statim e monumento prodiisset, fasciis ligatus, solvi a Christo jussus est, vitæque redditus. Post illud prodigium, coram magnâ multitudine patratum, *multi... ex Judæis... crediderunt in Eum* [6]. Alii autem, quid factum esset, retulerunt Pharisæis, qui hoc audito *collegerunt... concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* [7] Itaque ab eo die cogitaverunt de medio Eum tollere [8], quin et Lazarum quæsierunt interficere; verumtamen quia pro vero haberent miraculum, illud examinandum non susceperunt. Ceterum scribit S. Joannes, eo miraculo commotos multos, etiam ex principibus, in Eum credidisse [9]. Itemque Lazari resurrectio fuit causa, cur Jesus Christus Hierosolyma ingrediens tam honorifice exceptus fuerit: turba enim, quæ huic miraculo interfuerat, ceteros illud edocuit, omnesque simul Ei occurrerunt: *Propterea et obviam venit Ei turba, quia audierunt Eum fecisse hoc signum* [10]. Judæi vero illud credere pertinaciter renuerunt; et sic impleta est (ut adjungit *S. Joannes* [11]) Isaiæ prædictio: *Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, cet.* [12] Sed inter Domini adventûs signa hæc ipsa Judæorum incredulitas per eumdem Prophetam prædicta erat: *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum* [13]; S. Paulus hunc locum commemorans: *ad populum*, inquit, *non credentem et contradicentem* [14].

Paulum convertit.

6. His addatur magnum illud prodigium, quod post mortem suam Jesus Christus operatus est in conversione S. Pauli; quam conversionem Agrippæ regi Apo-

[1] *Diction. Hist. et Crit. Art. Spinoza*, nota N. — [2] XI, 32. — [3] v. 39. — [4] v. 40. — [5] v. 43. — [6] v. 45. — [7] v. 47.

[8] Et reverâ, ut Eum comprehenderent, postmodum perfecerunt Judæ operâ, qui triginta denariis Jesum Christum venumdedit, juxta Zachariæ prophetiam: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos* (XI, 12). S. Matthæus vero (XXVII, 9) *Jeremiam*, non *Zachariam*, hujus loci auctorem citat. Eum amanuensium errorem esse existimant sacri interpretes; vel etiam (inquit auctor quidam) in codice ab Esdrâ conscripto, omissæ fuerunt nonnullæ antiquorum Prophetarum sententiæ, ac postea voce transmissæ et posteriorum Prophetarum libris insertæ. Illudque valde probabile est apud *Zachariam*, qui plures priorum Prophetarum locos assumpsit; et refert *S. Hieronymus* (*In Matth.*, XXVII, 9) Nazarenum quemdam Hebræum sibi ostendisse codicem, in quo hujus sententiæ de triginta denariis *Jeremias*, non *Zacharias*, auctor appellaretur.

[9] *Joan.*, XII, 42. — [10] Ibid., v. 18. — [11] v. 38 seq. — [12] v. 40; cfr. *Isai.*, VI, 9 et 10. — [13] *Is.*, LXV, 2. — [14] *Rom.*, X, 21.

stolus ipse exposuit [1]. — Existimans (sic ipse narrat) adversus progredientem Jesu Christi fidem se agere debere, multum ad eam delendam verbis et sævitiis ubique laboraverat. Quodam vero die, pergens Damascum in Christianos invasurus, in ipso itinere magnâ luce circumfusus est; ad cujus splendorem quum ipse omnesque ejus comites in terram decidissent, vocem audivit hæc sibi dicentem: *Saule, Saule, quid me persequeris?* [2] Cui quum respondisset: *Quis es, Domine?* eadem vox reposuit: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Surge; volo enim, ad convertendas gentes te vadere* [3]. Comites lucem quidem viderunt itemque audierunt vocem; non tamen viderunt Jesum Christum, nec verba perceperunt. S. Paulus autem cæcus remansit, et sic Damascum introductus, tribus diebus, nihil manducans neque bibens, in eâ civitate commoratus est. Nec prius visum recuperavit, quam Ananias ejus capiti imposuisset manus, eumque baptizasset. Ex eo tempore in synagogis prædicare cœpit, eamque ob causam in ejus cædem conspirarunt Judæi; divino tamen præsidio incolumis servatus est tot populorum commodo, quos Jesu Christo acquisivit.

Jamvero quis umquam dicat, Deum vel talium prodigiorum non fuisse auctorem, vel in falsæ alicujus doctrinæ confirmationem ea permisisse?

De miraculis Gentilium.

7. Asserunt Deistæ, gentiles quoque sua habuisse miracula. Sed nemo nescit, miracula quibus gloriabantur, aut fabulas fuisse aut naturæ virium effectus: nihil aliud erant sanationes, quæ fieri dicebantur dei Æsculapii operâ, quum omnes Æsculapii sacerdotes simul medici essent, nec prius ægrotos suos sanitati solerent restituere quam medicamenta subministrassent. Ita referunt Lucianus [4], Arnobius [5] et is, qui Homilias Clementinas conscripsit [6]. Præterea scribit Lucianus [7], gentiles ut ea Æsculapii miracula celebrare possent, pretio nonnullos corrupisse, qui ægrotos ac deinde morbo liberatos se simularent. Ex eo colligi potest, quid valeret tabula illa (quam Romæ in Æsculapii templo appensam fuisse ferunt) cum indice cæcorum aliorumque, qui illius idoli operâ subito convaluissent: miracula, omnia quidem asserta, neutiquam vero comprobata. Tacitus quoque cæci cujusdam a Vespasiano sanati miraculum narrat; sed ipse simul asserit, ægrotum illum naturali remedio sanari potuisse; en ejus verba: *Postremo* (*Vespasianus*) *æstimari a medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humanâ superabiles forent. Medici varie disserere; huic non exesam vim luminis, et redituram, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari* [8]. Ceterum, etiamsi nulla alia esset ratio, intererat certe illorum sacerdotum et reliquorum, qui miraculum illud testati sunt, imperatoris gratiam sibi conciliare fingendo (id quod facile credi potest) eam cæcitatem eamque sanationem. Nonnulla quoque memorantur Hadriani miracula; sed ipse Spartianus, qui ea refert, hæc subjungit: *Quamvis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemoret* [9]. Confer Salmasium [10]. Hadrianus nempe visum restituisset duobus cæcis, quorum oculos paucis tantum aquæ guttulis aspersisset; sed hoc sine ullâ dubitatione domesticorum simulatione factum creditur ad recreandum principem, qui quum ex morbo convalescere non posset, ad desperationem pervenerat, seque ipse volebat interimere.

De famoso Apollonio.

8. Quod autem ad famosi illius Apollonii Tyanei miracula spectat, quæ Hie-

[1] Act., XXVI, 9-23. — [2] v. 14.

[3] v. 15-18. En ipsa Scripturæ verba: *Sed exsurge...: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum, et testem eorum, quæ vidisti... eripiens te de populo, et gentibus in quas nunc Ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem* (Nota edit.).

[4] Philopseudes, ante med. — [5] Adversus Gentes, lib. I, n. 48. — [6] *Pseudo-Clemens*, Homilia 9, n. 17 (Inter opera dubia *S. Clementis Romani*). — [7] Seu potius *Aristophanes*. Comœdiæ. *Plutus*, act. 3, scena 2. — [8] Historiæ, lib. IV, n. 81. — [9] *Hadrianus Cæsar*. — [10] In *Ælii Spartiani Hadrianum*, notæ.

rocles [1] cum Jesu Christi miraculis comparavit, primum Apollonius iste magiæ addictissimus habitus est; si ergo verum fuerit aliquod prodigium, naturæ vires non exsuperans, sed præter naturæ consuetudinem peractum, existimari debet, ejus auctores fuisse dæmones. Dixi *si verum fuerit;* ex omnibus enim prodigiis, quæ de Apollonio narrantur, merito nullum non fuisse mendacium creditur. Fertur enim ignotus quidam vir Juliæ Imperatrici, Septimii Severi uxori, nonnullas tradidisse chartas, quæ hujus magi vitam, a Damide ejus discipulo scriptam continerent. Eas autem chartas Julia dedit Philostrato, qui præsertim ex iis Apollonii historiam composuit. Ergo primum non probatur, scripturam illam reverâ a Damide fuisse exaratam; et etiamsi illud fecerit, quânam fide dignus est idololatræ et magi discipulus? — Præterea Huetius [2] demonstrat, historiam illam a Philostrato esse confictam, ut fidem Christianam, tunc per totum orbem invalescentem, deprimeret. Accedit, quod multa miracula, quæ ab Apollonio patrata dicuntur, prorsus ridicula sunt et absurda. Duo exempla afferre libet. Scribit Philostratus [3], Apollonium, quum ad nuptias esset invitatus Menippi, familiaris sui, et convivium jam esset apparatum, monuisse amicum, ejus uxorem esse dæmonium; ad ea autem verba ex oculis evanuisse et uxorem et totum convivii apparatum. — In eodem libro legitur [4], eum Ephesios, pestilentiâ conflictatos, hortatum esse, ut miserum quemdam mendicum lapidibus obruerent. Eos autem, postquam expirasset, quum lapidum congeriem ab eo removerent, molossum reperisse, leonis instar ore spumantem; et sic omnes Ephesios pestilentiâ fuisse liberatos. — Ecquis rebus adeo ineptis fidem adjungat?

De clade Gallorum.

9. Item velut magnum miraculum profertur clades Gallorum exercitûs, qui Apollinis Delphici templum in monte Parnasso adorti sunt, ut aurum illic depositum abriperent. Quos quidem armatæ virgines, in aëre iis objectæ, fulminibus profligasse dicuntur. Probati auctores vero dicunt, vel ex toto vel magnâ ex parte commenticiam esse eam historiam; et Strabo [5]: Non ignis cælestis, inquit, sed discordia inter eos exorta Gallos milites dispersit. Sed etiamsi in Parnasso Galli cladem subierint, ea non est Apollinis potentiæ tribuenda; scribit enim Pausanias [6], ideo depulsos fuisse Gallos, quamvis numero plurimos, quod Delphi sagittis suis ex montis illius recessibus multum eos vexarent, ac tandem Brennus, eorum dux, lethale vulnus acciperet: Gallosque idcirco omnes fugam arripuisse. Jamvero, re sic positâ, quodnam illic accidit miraculum?

CAPUT XV.

JESU CHRISTI RESURRECTIO, GLORIOSA EJUS ASCENSIO ET SPIRITUS-SANCTI ADVENTUS SANCTÆ FIDEI NOSTRÆ VERITATEM EVIDENTER DEMONSTRANT.

§ I. *De Jesu Christi Resurrectione.*

Certa est Christi Resurrectio.

1. Nullum miraculum tam multis comprobatur argumentis quam Salvatoris nostri resurrectio. Ad eam negandam Deistæ dicere debent, aut omnes Apostolos fuisse deceptos, quod Magistri sui resurrectionem ardenter cuperent; aut eos voluisse decipere. Et quod ad primum spectat, num ipsi decepti fuerint; ex eorum scriptis patet, eos in credendâ Domini resurrectione valde difficiles se præbuisse; quâ

I Apostoli non fuerunt decepti.

[1] Apud *Eusebium*, contra *Hieroclem*, cap. 4. — [2] Demonstratio Evangelica, prop. 9, n. 147. — [3] De Vita *Apollonii Tyanensis*, lib. IV, cap. 25. — [4] Ibid., cap. 10. — [5] Rerum Geographicar. Comment., lib. IV. — [6] *Græciæ* Descriptio, lib. X, cap. 23.

in re non fuerunt ab omni culpâ immunes. Suprà retulimus, sanctas mulieres, quæ ad sepulchrum se contulissent, ut Jesu Christi corpus ungerent, ab Angelo didicisse, resurrexisse Dominum. Cujus rei sine morâ certiores fecerunt Apostolos; hi vero, licet Magdalena dixisset, suis oculis se Dominum resuscitatum vidisse, credere noluerunt, illudque habebant pro feminarum somnio: *Nuntiaverunt hæc omnia illis undecim* (Apostolis) *et ceteris omnibus.... Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista; et non crediderunt illis* [1].

a Mulieribus credere noluerunt.

2. Eodem illo die duobus discipulis Emmaus pergentibus in ipso itinere Dominus apparuit. Initio tamen non permisit, ut Ipsum agnoscerent; sed interrogavit, quâ de re colloquerentur. Ad quod unus ex iis, se de Jesu Nazareno de ejusque obitu sermocinari respondit; tum vero addiderunt: *Nos autem sperabamus, quia Ipse esset redempturus Israel.... Sed et mulieres quædam... venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt Eum vivere* [2]. Itaque de ejus resurrectione ut de re incertâ loquebantur; quocirca his eos verbis increpavit Dominus: *O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ!* [3] Ex quo liquet, quantam moram in admittendâ Christi resurrectione discipuli interposuerint.

b Christus duos discipulos increpavit.

3. Deinde Christus resuscitatus Petro ac Joanni, et postmodum reliquis Apostolis apparuit; et quo certiores eos redderet, etiam permisit, ut sacrosanctam suam carnem tangerent: *Palpate, et videte; quia spiritus carnem et ossa non habet* [4]. Ac nihilominus (ut subjungit S. Lucas) ne tum quidem acquieverunt: *Adhuc autem illis non credentibus, cet.* [5] Quare opus fuit, ut Dominus aliquid cibi peteret, et quum partem piscis porrexisset, manducavit eosque tandem ad credendum induxit. S. Thomas vero non adfuerat, neque ei persuaderi potuit, Christum reverâ surrexisse; sed: *Nisi videro*, inquiebat, *in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* [6]. Itaque post octo dies quum simul essent Apostoli, clausis januis intravit Jesus Christus et Thomam his verbis allocutus est: *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis* [7]. Tum vero credidit dixitque S. Thomas: *Dominus meus et Deus meus* [8]. — Exinde discipulis suis sæpius apparuit; et S. Paulus narrat, Eum aliquando conspiciendum Se præbuisse quingentis hominibus, quorum multos tunc etiam superstites esse affirmat [9]; Eumque S. Lucas per quadraginta dies discipulis Se ostendisse refert: *Quibus et præbuit Seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis;* et subjungit, *loquens de regno Dei* [10]: namque iis diebus eos edocuit quæ ad Ecclesiam, ad sacramenta et ad disciplinam spectant, multaque alia de regno Dei, quæ postmodum per totum orbem prædicarent; quandoquidem priusquam moreretur dixerat, multas postea Se aperturum esse doctrinas, quarum nondum essent capaces: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* [11].

c Christus tandem ad credendum induxit Apostolos.

Ex quibus omnibus manifestum est, in suspicionem venire non posse, omnes illos sanctos discipulos fuisse deceptos, et Jesu Christi resurrectioni fidem temere adjunxisse. Jesu Christi resurrectio, inquit S. Joannes Chrysostomus [12], hoc in Apostolis effecit, ut qui Jesum vivum negarent, pro Jesu crucifixo vitam profunderent. Conclusio.

4. Sed quid est, quod Jesus resuscitatus non omnibus Hebræis apparuerit, quum sic omnes ad fidem se convertissent? — At eodem modo quæritur: cur ad eos convertendos non item omnibus Solvitur difficultas.

[1] *Luc.*, XXIV, 9-11. — [2] Ibid., v. 21-23. — [3] v. 25. — [4] v. 39. — [5] v. 41. — [6] *Joan.*, XX, 25. — [7] v. 27. — [8] v. 28. — [9] 1 *Cor.*, XV, 6. — [10] Act., I, 3. — [11] *Joan.*, XVI, 12. — [12] Homil. 4ª in principium Actuum Apostolorum, n. 8 (*Migne*, Patr. Gr., tom. 51, col. 109).

gentilibus Se ostendere debuisset? Visiones, quibus tot discipulis conspiciendum Se præbuerat, satis superque testimonio suo ad persuadendum valuerunt, a mortuis Eum surrexisse. Ergo ut tunc increpavit eos, qui credere nolebant sanctis discipulis, licet Eum resuscitatum vidissent: *Et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis; quia iis, qui viderant Eum resurrexisse, non crediderunt* [1]; sic in præsenti omnes increpat incredulos, qui nunc ceteroquin non acquiescerent, etiamsi tunc omnibus Hebræis omnibusque gentilibus apparuisset. Præterea Jesu Christi resurrectio non secus ac ejus mors, mysterium est, cujus fidem usque ad extremum diem perdurare oportet; illudque ex Dei voluntate credere debemus, juxta illud Salvatoris ad S. Thomam: *Beati qui non viderunt et crediderunt* [2].

II Apostoli decipere noluerunt.

5. Sed ad argumentum redeamus. Posito igitur, hac in re decipi non potuisse Apostolos, superest ut videamus, num resurrectionem confingendo alios decipere potuerint. Atvero ut genus humanum in errorem inducerent, omnes ad eam fictionem conspirare debebant. Sed quomodo suspicari possumus, omnes Apostolos unà cum tot aliis discipulis, Domini resurrectionem jam exspectantibus, contexere voluisse adeo protervum mendacium, quod sine ullâ dubitatione mox patesceret? Accedit, quod in eâ conspiratione mulieres quoque suas fabulæ partes agere debebant, immo fraudis initium ordiri. Sed præterea, quis umquam existimet, inter quingentos homines tamdiu secreto tegi potuisse eam fallaciam, seu potius tot fallacias, quot visiones accidisse dicerentur?

a Deprehensum fuisset mendacium.

b Apostoli a mendacio abhorrebant.

6. Apostoli studiosissime ad sinceritatem hortabantur. S. Petrus: *Deponentes igitur*, inquit, *omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, cet.* [3] Et S. Paulus: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem, cet.* [4] Gravissimas pœnas mentientibus denuntiabant; et reverâ, mendacium quod dixerunt S. Petro Ananias cum Saphirâ uxore, morte luerunt [5]. Quomodo ergo poterant ipsi decipere alios, merum ubique prædicando mendacium?

c Confirmatur ex indole S. Pauli.

S. Paulus antea quidem persecutus erat Christianos; deinde vero ab ipso Salvatore, quem in itinere viderat, ad fidem conversus, Hebræos convincere cœpit, ex Scripturis demonstrans, Messiam, quemadmodum eventu jam completum esset, mori debuisse et a mortuis resurgere. Jamvero quid S. Paulum quoque obstrinxerat ad defendendam resurrectionis fabulam? Ignorantia? Sed reliquis Apostolis litterarum studiis antecellebat. An pecunia? Sed pauper erat, et Jesu Christi fidem prædicando nihil ab hoc mundo sperabat, cupiebatque solam Dei gloriam et salutem animarum; ipse præterea dicebat: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra* [6]. Nec quisquam ignorat, quantopere laboraverit ad fidem in Oriente et Occidente propagandam.

Ex quibus colligitur, non sine temeritate existimari posse, Apostolos ad diffundendam fabulam falsamque fidem, sine ullâ exspectatione cujusvis terrenæ commoditatis, tantum laborem suscipere voluisse.

d Confirmatur ex tota Apostolorum vita.

7. Ad hæc nemo nescit, Apostolos ex die Pentecostes, quâ prædicationem inceperunt, vitam egisse pauperem, ærumnis affectam et fidei adversariorum persecutionibus obnoxiam, eosque tormentis et morti se obtulisse. Quanta ergo eorum fuisset dementia, si ad fabulam sustinendam tot incommoda suscipere et ipsam mortem subire voluissent? Quis non videt, tales vires solâ Dei gratiâ eos acquirere potuisse?

Apostoli quoties fideles hortabantur ad vitæ mala patienter toleranda, Jesu Christi resurrectionem proponebant, spem eorum erigentes, quod ipsi resurgendo in regnum cælorum introirent, sicut Christus

[1] *Marc.*, XVI, 14. — [2] *Joan.*, XX, 29. — [3] 1 *Petr.*, II, 1. — [4] *Ephes.*, IV, 25. — [5] Act. V, 1-11. — [6] 1 *Cor.*, XV, 14.

a mortuis surrexisset. En quid S. Petrus discipulis suis scribat: *Benedictus Deus,... qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis* [1]. Et similiter en verba S. Pauli, quibus Timotheum discipulum ad fidem propagandam excitat: *Labora sicut bonus miles Christi Jesu.... Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis* [2]. Atque eodem modo Philippenses alloquitur [3].

§ II. *De Jesu Christi Ascensione.*

Christus revera in cœlum ascendit.

8. Locus Jesu Christi resuscitati prius cælum erat, utpote animarum corporumque beatorum domicilium; voluit tamen alios quadraginta dies his in terris subsistere, sæpiusque (ut suprà diximus) discipulis suis Se ostendere, quos de suâ resurrectione certos faceret. — At vero quemadmodum resurrectionem iis manifestam esse voluit, ita quoque judicavit, compertam iis esse debere suam in cælos ascensionem. Quapropter priusquam hunc mundum relinqueret, Hierosolymis ultimo apparuit Apostolis, iisque præcepit, ne inde discederent, donec Spiritum-Sanctum accepissent. Postmodum, quum omnes essent in monte Oliveti, denuo impositis quæ antea imposuisset, speciatim ut per totum orbem euntes Evangelium promulgarent, elevatis manibus benedixit eis, et dum nubes ab eorum oculis Eum auferret, abiit ascenditque in cælum; quod quidem S. Lucas in Actibus his verbis refert: *Et quum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est; et nubes suscepit Eum ab oculis eorum* [4]. Et in suo Evangelio: *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cælum* [5]. Tum duo viri in vestibus albis apparuerunt, iisque nuntiarunt secundum adventum, quo Jesus Christus judex in terras descenderet [6]. Deinde discipuli humi procumbentes Eum adorarunt, omnesque Hierosolyma regressi sunt, ut promissum sibi Spiritum-Sanctum exspectarent [7].

Ipsæ circumstantiæ omne dubium auferunt.

9. Hic singula rerum adjuncta notari expedit. Numerus eorum, qui Jesum Christum in cælum ascendere viderant, et deinde Hierosolyma reversi in cœnaculo commorabantur, ad centum viginti erat [8]. Angeli, qui in monte apparuerunt, iis testificati sunt, Salvatorem in cælum ascendisse. — Omnes discipuli gaudio et spe impleti fuerunt, atque inde abierunt, ut continuos dies in oratione perseverarent. — Tum in cœnaculo acceperunt Spiritum-Sanctum, indeque exeuntes primo in Samariâ ac deinde per totum orbem (ut Dominus præceperat) Jesu Christi fidem prædicare, et simul (juxta promissam iis potestatem) miracula patrare cœperunt. — Quibus positis, quis umquam in dubium vocare potest gloriosam illam Jesu Christi ascensionem?

Ascensionem David prædixerat.

10. Accedit, quod eam ascensionem David pluribus locis jam prædixerat. *Attollite portas principes vestras et elevamini, portæ æternales; et introibit rex gloriæ* [9]. Et alio loco distinctius: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem; accepisti dona in hominibus* [10]. Quem textum S. Paulus clarius sic profert: *Propter quod dicit: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus* [11]. *Captivitatem* intellige sanctos illos, in limbi carcere detentos, quos Jesus Christus in cælum ascendens Secum eduxit. — Alibi: *Sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum* [12].

Solvitur difficultas.

11. Sed cur Jesus Christus in cælum ascendens non omnibus Judæis manifesto apparuit, quos sic omnes ad suam fidem convertisset? — At primum quis adeo temerarius erit, ut a Deo eorum omnium quæ fecit, rationem quærere audeat? — Præterea scribit Apostolus: *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ*

[1] 1 *Petr.*, I, 3. — [2] 2 *Tim.*, II, 3 et 8. — [3] *Phil.*, III, 8 et 20. — [4] Act., I, 9. — [5] *Luc.*, XXIV, 51. — Act., I, 10 et 11. — [7] *Luc.*, XXIV, 52. — [8] Act., I, 12-15. — [9] Ps. XXIII, 7. — [10] Ps. LXVII, 19. — [11] *Ephes.*, IV, 8. — [12] Ps. CIX, 1 et 2.

verba eorum [1]. Quibus verbis S. Paulus dicere voluit: Quid opus erat, Dominum omnibus Judæis suam ascensionem ostendere, ut ad fidem amplectendam eos induceret? *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* [2]. Satis superque dilucida erant fidei veritatis signa, quæ sacris Scripturis et Apostolorum prædicatione Judæis omnibusque hominibus data fuerunt. Quapropter incredulitatis suæ nemo incredulus excusationem reperiet in extremo judicio, in quo siqui (ut nunc faciunt) Jesu Christi agendi rationem arguere voluerint, Ipse justitiam suam utique justificare sciet: *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris* [3].

§ III. *De Spiritus-Sancti Adventu.*

Spiritus-Sanctus in Apostolos descendit.

12. Quum complerentur dies Pentecostes, et sancti illi discipuli unà cum Dei Matre omnes simul essent in Cœnaculo, ecce, *factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum; et repleti sunt omnes Spiritu-Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus-Sanctus dabat eloqui illis* [4]. Pro: *dispertitæ linguæ* textus Græcus habet: *linguæ dissectæ*, i. e. quæ varias flammulas spargebant, indicantes linguarum varietatis donum, Apostolis concessum, ut ab omnibus nationibus intelligerentur. — Hunc quidem Spiritus-Sancti descensum item prænuntiaverant prophetæ: *Et erit post hæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri, cet.* [5]. Similiter Isaias: *Effundam spiritum meum super semen tuum* [6]. Atque illud S. Petrus Hebræis declarare voluit: *Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Joël: Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus), effundam de spiritu meo super omnem carnem, cet.* [7].

Quem descensum prædixerant *Joël* et *Isaïas.*

Descensus ipse probatur ex effectibus.

II Apostolorum fortitudo.

13. Inde Apostoli, ubi Spiritum-Sanctum juxta Jesu Christi promissionem acceperunt, illico exeunt ad prædicandum Evangelium. Variis linguis ita loquuntur, ut rite intelligantur ab hominibus cujuslibet nationis, tum Hierosolymis commorantibus; eoque miraculo omnes admiratione obstupescunt. Hæc autem Apostolorum fortitudo in prædicandâ novâ lege Hierosolymis apud Judæos sibi inimicos, probe declarat, Spiritum-Sanctum super eos descendisse, eosque igneum illum jam recepisse baptismum, quem Joannes Baptista iis promisisset: *Ipse vos baptizabit in Spiritu-Sancto et igni* [8]. Ille Baptismus, ut ajunt S. Hieronymus [9] et S. Cyrillus [10], ipsâ die Pentecostes Apostolis collatus est, quum Spiritum-Sanctum acciperent. In publico prædicabant, in oculis omnium, etiam eorum, qui Jesu Christo mortem paraverant. Neque abstinebant quominus dicerent, Jesum resuscitatum esse Eum ipsum, quem illi cruce affecissent. Tunc omnes agnoverunt Scripturarum scientiam, a rudibus illis piscatoribus acquisitam. Quam libere S. Petrus loquitur de impletâ Joelis prophetiâ [11] et de hoc alio vaticinio, quo David prædixerat, moriturum et resurrecturum esse Jesum Christum: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* [12]. Quare omnes, et vel ipsi Hebræi, non poterant tantam constantiam tantamque scientiam non mirari: *Videntes autem Petri constantiam et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur, cet.* [13]. Unâ oratione S. Petrus tria millia hominum [14], et aliâ quinque millia ad fidem convertit [15]. Idque apud populum, qui de Jesu Christo ut de viro infami et malefico retinuisset opinionem. — Quomodo vero tam ingentes conversiones fieri poterant, quum ipse

b Eorum scientia.

c Multitudinis conversio.

[1] *Rom.*, X, 18. — [2] Ps. XCII, 5. — [3] Ps. L, 6. — [4] Act., II, 2-4. — [5] *Joël*, II, 28. — [6] *Is.*, XLIV, 3. — [7] Act., II, 16-17. — [8] *Luc.*, III, 16. — [9] *S. Hieronymi* Translatio Homiliarum *Origenis* in *Lucam*. Homil. 24. — [10] *S. Cyr. Hieros.*, Catechesis 3 de Baptismo, n. 9. — [11] Act., II, 16. — [12] Ps. XV, 10. — [13] Act., IV, 13. — [14] Act., II, 41. — [15] Act., IV, 4.

Jesus suâ prædicatione tam paucos homines convertisset? Sed illud quoque prædixerat Dominus: *Qui credit in Me, opera quæ Ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet*[1].

d Fidelium sanctimonia.

Præterea primi illi fideles ab Apostolis ad fidem conversi, ut eorum exemplum sequerentur, omnes vitæ perfectæ se addixerunt, suisque etiam bonis venditis, ut refert S. Lucas[2], operam dabant soli cultui divino, orationi et caritati erga proximum: qui totidem Spiritûs-Sancti gratiæ sunt effectus.

Tunc Lex complementum accepit.

14. Atque ita complementum et perfectionem accepit lex, quæ jam non est externa, ut antiqua (ostendens quidem hominis officia, non tamen eorum amorem infundens), sed interna (hoc efficiens, ut imposita officia amentur): *Dabo legem meam*, ita jam prædixit Jeremias[3], *in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam.* Quibus adjungit: *Et non docebit ultra vir proximum suum... dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent Me*[4]. Quibus verbis Propheta dicere voluit, antiquitus fideles, ut legem cognoscerent, a doctoribus erudiri debuisse; in novâ lege vero singulos cum ipso Baptismo quem suscipiunt, simul recipere internam lucem et pium erga legem voluntatis affectum, quo ipsa lex diligitur. Necessaria quidem est externa quoque doctrina pastorum, quos secus frustra in Ecclesiâ suâ Dominus constituisset; sed interna affectio est, quæ operatur et fructum obtinet per gratiam divinam. Olim, inquit S. Augustinus, quod deesset auxilium divinum, lex erat littera occidens; sed hodie in novâ lege Spiritus-Sanctus efficit, ut id quod antea extrinsecus scriptum, timorem incuteret, nunc in corde inscriptum, amorem sibi conciliet: *Illa enim (lex) sine adjuvante Spiritu procul dubio est littera occidens; quum vero adest vivificans Spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri*[5]. Antiquum fœdus figura erat hujus novi fœderis; unde desinere debuit, quum scriptum est novum, *non in tabulis lapideis*, inquit Apostolus, *sed in tabulis cordis carnalibus*[6].

CAPUT XVI.

QUANTOPERE CHRISTIANAM RELIGIONEM ITEM CONFIRMENT APOSTOLORUM MIRACULA.

Christus virtutem miraculorum Apostolis tribuit.

1. Jesus Christus discipulos dimittens ad fidem primum in Judæâ et deinde per totum orbem prædicandam, miraculorum potestatem iis impertiit: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite*[7]. Quam quidem potestatem experiri cœperunt Apostoli, quum Redemptor his in terris viveret; eos enim refert *S. Marcus*[8], ubicumque prædicarent, sanitati restituisse ægrotos et obsessos a dæmone liberasse. Majori tamen admiratione digna fuerunt miracula, quæ post mortem ejus patrarunt. Eorum hic commemorabimus nonnulla præ ceteris conspicua, quæ in confusionem incredulorum Evangelii veritatem magnopere confirmant.

S. Petrus claudum sanat.

Et primum quidem S. Petrus prodigio claudum illum sanavit, quem ad templi januam sedentem, ut eleemosynam peteret, his verbis allocutus est: *Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi... surge et ambula*[9]. Et quum ejus manum apprehendisset, adeo convaluit, ut exsiliens et laudans Deum, cum ipsis Apo-

[1] *Joan.*, XIV, 12. — [2] Act., II, 44 seq. — [3] XXXI, 33. — [4] v. 34. — [5] De Spiritu et Littera, cap. 19. — [6] 2 *Cor.*, III, 3. — [7] *Matth.*, X, 8. — [8] VI, 12, 13. — [9] Act., III, 6.

stolis in templum intraverit. Quare omnibus ad eos in porticu concurrentibus, S. Petrus Jesum Christum prædicare cœpit, licet Judæi tantum excitarent strepitum, ut post orationem in custodiam eos incluserint. Hæc fuit oratio, quâ ad fidem conversi sunt quinque millia hominum [1]. Postridie convenerunt Judæi, et ad se vocatos Apostolos interrogarunt, quâ auctoritate prædicassent. Tum majori constantiâ S. Petrus, in nomine Jesu Christi ab ipsis crucifixi ægrotum illum sanatum fuisse respondit, neque extra Jesum Christum ullam dari salutem: *Non est in alio aliquo salus* [2]. Rabie fremebant sacerdotes; quum vero miraculum omnibus notum esse haud ignorarent, non quidem in Apostolos sæviendum esse putarunt, sed solum prohibuerunt, ne deinceps prædicarent Jesum Christum. Illi vero quum respondissent, non hominibus, sed Deo esse obediendum, ab iis dimissi, fidem prædicare ardentius institerunt [3].

Hoc miraculo fides confirmatur.

2. Jamvero, omnibus hujus miraculi circumstantiis perspectis, ecquis fidei veritatem in dubium vocare possit? Vir ille ex ipso natali die per quadraginta annos ad ingrediendum invalidus fuerat: ingens adest testium numerus: quinque millia hominum ad fidem convertuntur: Apostolorum et ipsius claudi in carcerem inclusio magis compertum reddunt prodigium: Judæi quoque fatentur, miraculum negari non posse: *Notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem; manifestum est, et non possumus negare* [4]. Quocirca, ne magis etiam divulgaretur, satis habent Apostolis prædicationem interdicere, eosque custodiâ liberant. Inde vero fides in dies singulos latius disseminatur: *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum* [5]. Pontifex denuo in carcerem conjicit Apostolos; sed Angelus Domini accedit, eosque liberans: *Ite*, inquit, *et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus* [6]. Quare diluculo rursus adsunt in templo prædicantes; et ministri quum carcerem inspexissent, sacerdotibus denuntiant: *Carcerem quidem invenimus clausum... aperientes autem neminem intus invenimus* [7]. Janitorum præfectus ad templum se confert, et Apostolos, quos ibi reperit, ad principem sacerdotum conducit. Hic autem: *Nonne præcepimus vobis*, inquit, *ne ultra vestram prædicaretis doctrinam? Vos vero nihil cessatis.* Cui S. Petrus: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* [8]. Judices, ut narrat S. Lucas, *dissecabantur, et cogitabant interficere illos* [9]. Tum Gamaliel: Considerate, Israelitæ, inquit, Theodam etsi quadringentos viros orationibus suis pellexisset, occisum esse, et cum eo totum incœptum ad nihilum recidisse; idemque accidisse Judæ Galilæo. Meum ergo audite consilium: *Sinite illos* (Apostolos): *quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud* [10]. Itaque dimiserunt Apostolos; at prius flagellis eos ceciderunt, iterato prædicandi vetito. Illi vero *omni... die non cessabant, in templo et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Jesum* [11]. Ac proinde ita multiplicatus est fidelium numerus, ut etiam ex sacerdotibus multi fidem amplecterentur: *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei* [12].

Miracula apud Gentiles patrantur.

3. Tum secutum est S. Stephani martyrium; sed S. Martyris nece non solum nihil defecit, sed contrà accrevit conversionum numerus. Apostoli enim de Judææ exeuntes, primo in Samariam descenderunt et deinde transierunt ad Gentilium regiones, ubi fides ex innumeris miraculis, eorum operâ patratis, magnum profectum habuit. Quæ quidem miracula ipsi Gentiles commemorant. Phlegon (ut refert Origenes [13]) nominatim loquitur de miraculis S. Petri, et Porphyrius (apud

[1] Act., III et IV. — [2] Act., IV, 12. — [3] Act., IV. — [4] Act., IV, 16. — [5] Act., V, 14. — [6] Ibid., v. 20. — [7] v. 23. — [8] v. 29. — [9] v. 33. — [10] v. 38, 39. — [11] v. 42. — [12] Act., VI, 7. — [13] Contra *Celsum*, lib. II, n. 14 (Adjungit Origenes: *Quamvis erret in nomine, Petrum pro Jesu appellans.* Nota edit.).

S. Cyrillum [1]) de iis, quæ ad sepulchra Apostolorum fiebant. Ejusmodi quoque prodigiis abundant apologetica, imperatoribus et Romanorum præfectis porrecta a Tertulliano, Origene, S. Justino et Arnobio. Atque ex eo tempore numquam Ecclesiæ defuit miraculorum gratia. S. Irenæus testificatur, plures defunctos miraculo ad vitam fuisse revocatos [2]. Et S. Augustinus refert [3], miraculi, quo mortui ad vitam rediissent, quinquies se testem oculatum fuisse. Legantur ea, quæ in hujus operis Parte III, Cap. I, § II, de miraculis per alios suos famulos a Deo in Ecclesiâ Catholicâ patratis referemus.

S. Petrus mulierem resuscitat.

4. Item celebre fuit primis illis temporibus miraculum, quo S. Petrus mulierem quamdam, Tabitham nomine, in Joppe mortuam, resuscitavit. Quo quum venisset S. Petrus et aliquamdiu orasset, ad mulierem defunctam conversus dixit: *Tabitha, surge.* Illa autem, apertis oculis, in feretro resedit, manumque porrigente Apostolo surrexit. Et eo miraculo multi ad fidem conversi sunt [4]. — Ad ea prodigia accedit Ananiæ et Saphiræ mors repentina, quâ mendacii S. Petro dicti pœnam sustinuerunt [5]. Accedit prodigiosa ipsius S. Petri e carcere liberatio [6]. Accedit prodigium, quo S. Paulus, uno verbo prolato, cæcum reddidit Elymam magum, quod a fide avertere voluisset Sergium Paulum proconsulem. Denuntiavit ei Apostolus: *Eris cæcus, non videns solem usque ad tempus* [7]; ad quæ verba quum illico visum amisisset, proconsul conversionem suam perfecit [8].

Ananiae et Saphirae repentina mors.

S. Petri liberatio.

Elymae cæcitas.

S. Paulus claudum sanat.

5. Accedit illud, quod (S. Petri miraculo haud absimile) S. Paulus Lystris patravit. Erat ibi vir quidam, claudus ab ipsó natali die, cui quum dixisset Apostolus: *Surge*, sanatus est cœpitque ambulare. Unde obstupescens populus hunc præclarum S. Paulo tribuit honorem, ut *Mercurium* eum vocaret, et sacerdotem cum tauris et coronis ad sacrificandum accingi voluerit. Sed Apostolus conscissâ tunicâ exclamavit: *Viri, quid facitis? Nos mortales homines sumus, qui idcirco huc venimus, ut verum et unicum Deum adorandum vobis nuntiaremus.* Quibus verbis, ne sibi immolarent, effecit. Supervenerunt autem quidam ab Iconio Judæi, et persuaserunt turbis, ut S. Paulum lapidarent; et quem paulo ante ut deum erant veneraturi, postmodum lapidibus appetiverunt, nec multum abfuit, quin sanctum Apostolum interimerent. Itaque amici pro mortuo eum traxerunt extra civitatem, unde profectus est, ubi ad ingrediendum vires redierunt [9].

6. Accedit miraculum, ab eodem S. Paulo Troade factum, ubi adolescentem, Eutychum nomine, qui de tertio ædium cœnaculo ceciderat et jam mortuus erat, solo amplexu ad vitam revocavit [10].

S. Paulus juvenem resuscitat.

Ea omnia miracula patrata sunt, non in occulto sed coram magnâ multitudine hominum, et quum ea describeret S. Lucas, oculatorum testium non pauci supererant; si ergo non vere narrata fuissent, ii ipsi, qui interfuerant, illud detexissent.

7. Ex iis autem tum Jesu Christi (quæ Cap. XIV exposuimus) tum ejus Apostolorum miraculis hoc adversus incredulos conficitur dilemma: Jesus Christus ejusque discipuli aut reverâ ea fecerunt; et nos credere debemus, verum Messiam Eum fuisse veramque esse legem ab Eo promulgatam: aut ea non fecerunt; et majus miraculum fuisset, totum orbem pro vero Messiâ ac Deo Eum habuisse, et amplexum esse legem sensui adeo difficilem, postquam Ille cum tantâ ignominiâ cruci affixus esset a Judæis.

Dilemma contra incredulos.

8. Quid Deistæ ad hæc dicere poterunt? — En quid dicat *Rousseau* Calvinista: *Sed ego nullum umquam miracu-*

Objectio.

[1] *S. Cyrill. Alex.*, contra *Julianum*, lib. X. — Cfr. *S. Hieron.*, Ep 130 ad *Demetriadem*, n. 14. — [2] Contra Hæreses, lib. II, cap. 32. — [3] De Civit. Dei, lib. XXII, cap. 8. — [4] Act., IX, 40-42. — [5] Act., V, 3 et 11. — [6] Act., XII. — [7] Act., XIII, 11.

[8] Exinde Apostolus jam non *Saulus* sed *Paulus* vocari voluit, eoque nomine usus est, quum ad Corinthios scriberet (1 *Cor.*, XVI, 21). — [9] Act., XIV, 7 seq. — [10] Act., XX, 9-12.

lum vidi, neque ullam audivi prophetiam[1].

Responsio. Ergone quod ille nullum miraculum vidit et nullam proferri audivit prophetiam, idcirco omnia Jesu Christi ejusque discipulorum miracula omniaque vaticinia falsa sunt et commenticia? Eximiam sane argumentandi methodum!

Alia objectio. Judæos forsitan vel etiam Gentiles sequentur, qui (ut Celsus et Porphyrius) quum nihil aliud haberent, quod opponerent, ea Christianorum miracula ma-

Responsio. gicis artibus tribuebant? — Sed hæc calumnia ultro corruit; quum ipsum Evangelium, quod Apostoli prædicarent, quodlibet cum inferorum spiritibus commercium severe prohibeat. Quare inter alia huic diligentissimam dabant operam, ut omnia oracula, incantamenta, auspicia et diabolicas superstitiones exstirparent; et dæmones inviti Apostolis obedire coacti sunt. Narrat S. Lucas[2], in oppido Philippis puellam fuisse, a spiritu Pythone (i. e. a dæmone fatidico) obsessam, quæ divinando magnum quæstum dominis suis præberet. Hæc ubi vidit Apostolos, clamare cœpit: *Hi viri probi sunt Deique servi, qui huc venerunt, ut viam salutis annuntient.* Nihilominus S. Paulus spiritui præcepit, ut ab eâ exiret; et spiritus obtemperare debuit. Sed ejus domini, amisso lucro, accusarunt Apostolos, quod pacem turbassent, ac demum a magistratibus consecuti sunt, ut virgis cæsi et in carcerem missi, compedibus vincirentur. Adeo Jesu Christi discipuli dæmones eorumque opera semper aversati sunt![3].

[1] *Emile, liv. IV (Tom. 2, pag. 93).* — [2] Act. Apost., XVI, 16 seq.

[3] Nonnulli pro certo habent, magicam existere artem, quâ multæ operationes diabolicæ obtineantur. Alii e contrario eam prorsus negant, itemque infitiantur, ullam dari externam dæmonum actionem, saltem in Christianos post Jesu Christi adventum. Quam quidem sententiam in suâ Epistola: *De arte magicâ sublatâ* secutus est vir litteratus, Marchio Maffei (*a*), his innixus Apocalypsis verbis: *Et vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu suâ. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per mille annos* (Apoc., XX, 1 et 2). Ex quibus infert, post Redemptionem ita ligatum esse dæmonem, ut prodigia hominibus perniciosa patrare nequeat per mille annos, id est, usque ad tempora Antichristi, quando ea prodigia rursus fient. — Hoc quidem certum est, in atrâ illâ professione non dari artem veram vel certis regulis ordinatam, nec servari expressas vel tacitas cum diabolo pactiones, quum semper falli possint, et plerumque fictæ sint ac simulatæ. Ceterum negari nequit, dæmonem, etiam post Christianam religionem conditam, in naturalis suæ potentiæ sphærâ multa operari; cujus generis plura de Simone Mago referunt S. Irenæus (*b*), S. Justinus (*c*), S. Cyrillus (*d*), S. Epiphanius (*e*), Tertullianus (*f*) et Theodoretus (*g*); et plura quoque de Apollonio Tyaneo Origenes (*h*), Lactantius (*i*), Eusebius (*l*) et alii. Equidem, sine temeritate, dicere non ausim, omnes illos doctrinâ et sanctitate conspicuos viros hac in re fuisse deceptos. Idque eo magis, quod ex ipsis Evangeliis constat, ob justos fines Deum diabolicas illas præstigias permittere. Redemptorem ipsum audiamus: *Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ; et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* (*Matth.*, XXIV, 24). Et de Antichristo Apostolus: *Cujus est adventus,* inquit, *secundum operationem satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus* (2 *Thessal.*, II, 9). Ad textum autem, quem ex Apocalypsi profert Maffei, cum Tostato (*m*), Maldonato (*n*), Calmet (*o*), Du-Hamel (*p*) aliisque respondetur, hodie in genus humanum non eam vim habere dæmonem, quam prius haberet; non tamen ei prorsus ablatam esse magicis ludibriis utendi potestatem. S. Athanasius: *A superventu Salvatoris,* inquit, *... dæmones non eodem modo... magicis fraudibus imposturas facere (De Humanit. Verbi, cet.)* (*q*). Itaque in præsenti quoque, sed minori impetu, adversarius conari potest magicis illis prodigiis illudere homines, quatenus a Deo sibi permittitur. Ita quoque in suo opere: *De vi imaginativâ* sentit celeber

(*a*) *L'Arte Magica dileguata, n. 11.* — (*b*) Contra Hæreses, lib. I, cap. 23. — (*c*) Apologia I, n. 26 et 56. — (*d*) *S. Cyr. Hieros*, Cateches. 6, n. 15. — (*e*) Adversus Hæreses., Hær. 21. — (*f*) De Præscriptionibus, cap. 33. — (*g*) Hæreticar. Fabular. Compend., lib. I, cap. 1. — (*h*) Contra *Celsum*, lib. VI, n. 41. — (*i*) Divin. Instit., lib. V, cap. 3. — (*l*) Contra *Hieroclem.* — (*m*) Comm. in *Matth.*, XII, quæst. 66. — (*n*) Comm. in *Lucam*, X, 18. — (*o*) In Apocal., XX, 3. — (*p*) Comm. in Apocal., XX, 1 et 2.

(*q*) Ita legitur in edit. *Basileensi*, 1564. Apud *Migne* vero (Oratio de Incarnatione Verbi, n. 55): *Post Salvatoris adventum... neminem quoque jam dæmones... incantamentis decipiunt* (Nota edit.).

Recapitulatio. Cap. XI-XVI. Evangeliorum veritas probatur.

9. Ut tandem paucis complectamur, quæ de Novi Testamenti veritate diximus; interroganti, quomodo probetur, Novum Testamentum esse librum divinum, respondemus: probatur ex constanti traditione; ex ipso testimonio scriptorum, qui rebus a se narratis interfuerunt; ex eo quod res ibi scriptæ iis ipsis prædicatione annuntiatæ sunt, qui rerum narratarum testes fuerant; ex contextu aliorum ejusdem ætatis auctorum; ex diligentiâ, a fidelibus jam inde a principio adhibitâ in sacris libris tam sedulo conservandis, ut mortem potius subirent quam tyrannis eos traderent, ac simul rejiciendis iis scripturis, quas per manus Apostolorum non accepissent; ex sinceritate, quâ Apostoli scriptores suas debilitates fatentur, ambitiones, fugam quum captus est Magister, incredulitatem, quum a mortuis surrexit; ex conformi rerum gestarum et doctrinæ expositione, quamquam diversis temporibus et locis factâ. Ea omnia adeo certum reddunt, Scripturas esse divinas, ut nullus relinquatur dubitandi locus. Nemo dubitat, quin Scipio Carthaginem deleverit, quin Cæsar in senatu interfectus sit, vel se ipse interemerit Nero; quum plures auctores eodem modo ea referant, neque adsit dubitandi ratio. Quomodo ergo dubitari potest, sintne vera Evangelia, quum tam multa veritatem eorum omnino certam reddant?

CAPUT XVII.

DE DEI ERGA CREATURAS PROVIDENTIA AB INCREDULIS NEGATA.

Dei Providentia mundum gubernat.

1. Olim Democritus et Epicurus negarunt, itemque in præsenti negant Deistæ, Deum mundi curam habere. Sed ad negandam divinam Providentiam, dicere debent, Deum aut non esse mundi creatorem, aut fortuito et inconsulte agere, neque ullo sibi proposito fine. Si enim universum creavit ob aliquem finem, prudentia exigit, ut ei provideat, et ad finem propositum dirigat quæcumque creavit. Idque eo magis, quod Dominus, creaturas conservans, assidue eas producit, omnesque ordinat ad gloriam suam suasque manifestandas perfectiones. Quod etiam cognoverunt gentiles philosophi totumque genus humanum; eamque ob causam omnes universim nationes sacrificiis et precibus divinitatem semper coluerunt.

Deus providet sine ullo labore.

2. Stultum est asserere, Deum, utpote nostri minime indigentem, non decere rerum nostrarum curam gerere et Secum cogitare, quomodo rebus creatis, etiam exiguis muscis ac terræ vermiculis, provideat. Stultum, inquam; ut enim Deus rebus nostris provideat, nullus in Eo labor requiritur: infinitâ suâ mente omnia videt ac comprehendit, suâque infinitâ sapientiâ omnibus rebus providet, et creaturis suis omnibus benefaciendo Semetipsum pro divinâ suâ naturâ diffundit: Eique honori est, cunctis rebus providere, ut cuncta ad universi perfectionem conspirent; quan-

ille Ludovicus Muratorius (*a*); idemque postea admisisse videtur ipse Maffei, ut ille refert qui vitam Muratorii conscripsit.

Verumtamen Deus numquam omittet, omnino manifestum reddere discrimen inter prodigia diabolica, quæ solummodo videntur esse prodigia ac tendere solent ad aliquod agentium peccatum, et miracula vere divina, quæ semper prosunt aut alicujus corpori vel saltem animæ, aut ceterorum ædificationi; eamque ob causam semper colligata sunt cum verâ religione verâque doctrinâ. — Num porro vere obsessi inter fideles existant, vide: *Cap. XIV, num. 3, nota.*

(*a*) *Della forza della fantasia umana, cap. 10.*

doquidem omnia conferunt ad ejus gloriam. Illud nobis persuadeamus oportet, Dei mentem non esse, sicut nostram, circumscriptam et debilem, ut concurrentibus duobus tribusve magni momenti negotiis, conturbetur et æstuet: mens divina infinitæ est sapientiæ, sine studio omnia intelligit, sine confusione vel labore omnia disponit et gubernat. Certum est porro, quæcumque in mundo fiant, a Deo fuisse disposita, quum in omnibus præfulgeat admirabilis ordo, quem casus nequeat producere; et ea ipsa, quæ nobis inordinata videntur, hunc ordinem magis servant ex divinis nobisque ignotis judiciis.

Dei Providentia ad omnia se extendit.

Objicitur 1. Providentia malum permittere nequit.

3. Objiciunt Deistæ 1^um^: at, si Deus bonus est et providus, quomodo congruunt cum ejus bonitate et providentiâ tam multa hujus mundi mala, tot molestæ tempestates, tot insoliti calores nimiæque siccitates, aquarum proluvies, terræmotus, ægrotationes? « Si homo (inquit Bayle [1]) ab uno solo factus est principio summe bono, sancto et potenti, quî fit, ut morbis sit obnoxius, frigori, calori, fami, siti, doloribus et tristitiæ? Et quomodo tantopere ad pejora propensus est et tam multa peccata committit? Suprema Sanctitas numquid producere potest creaturam peccatricem? Vel suprema Bonitas creaturam infelicem? Summa Potentia conjuncta cum infinitâ Bonitate nonne potius opus suum bonis cumulabit? » — Ita loquitur vir ille pessimus; sed nequaquam ignorat, docere religionem, non Deum sed peccatum horum omnium malorum fuisse causam. Deus hominem rectum creaverat et felicem; ille vero, contra Deum insurgens, hæc omnia sibi attraxit detrimenta, quorum maxima sunt obscuritas mentis, et voluntatis ad malum propensio. Hisce vero Redemptor nimiâ bonitate impulsus passione suâ remedium attulit iis omnibus, qui eo uti velint. Siquis igitur, remedio illo neglecto, in perniciem ruit, nonne de seipso tantum conqueri potest?

Respondetur: Mali causa peccatum est.

4. Quoniam vero Jesus Christus tantopere dilexit homines, ut eorum causâ sanguinem vitamque profuderit, cur non simul a multis illis hujus vitæ miseriis eos vindicavit? — Respondetur, Deum altissimâ sapientiâ cuncta disponere. Calamitates illas immittit, vel ut probetur patientia nostra, vel ut ex malorum cognitione agnoscamus beneficia collata, atque etiam ut ex malorum temporalium experientiâ æterna mala effugere nitamur. Namque unica malorum causa peccatum est; et Dominus, ut ab æternis malis liberemur, hic temporalibus illis nos afficit miseriis.

Instant: Redemptor malum auferre debuisset.

Respondetur: sapienti ratione illud permittit.

Objicitur 2. Cur inæqualitas; cur bonorum cruciatus?

5. Objiciunt 2°: Si justus est Deus, cur tot pauperes videmus vix in singulos dies sustentari, tot opulentos vero abundare divitiis? Cur Deus non omnibus æqualiter providet? Præterea si justus est Deus, cur in hoc mundo tot boni in molestiis et contemptu vivunt, quum tot improbi gaudeant et honoribus augeantur?

Ad utrumque per ordinem respondeamus.

Respondetur: Deus æternam vitam respicit.

Quid est, quod Deus multos divites esse velit, alios vero (qui quidem majorem constituunt partem) inopiâ laborare? — Respondetur, in singulis hominibus divinam Providentiam non tam vitam temporalem quam æternam vitam respicere; hic unicus finis est, cui Deus nos creavit, ut his in terris Eum diligamus, Eoque fruamur in æternitate: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* [2]. Divites autem in hoc mundo constituit, ut bonis suis pauperum necessitates sustineant; pauperes vero, ut serviant divitibus. Et ex eo sapientia divina et providentia elucent. Quodsi omnes divites essent, quis agris colendis daret operam, quis domos exstrueret, quis reliqua artificia exerceret, vitæ humanæ adeo necessaria? Sin omnes egestate preme-

Inæqualitas ad rectum ordinem est necessaria.

[1] *Diction. hist. et critique, Art. Manichéens, Not. D.*

[2] *Rom.*, VI, 22.

rentur, quis tandem rempublicam gubernare, quis in studia incumbere ad erudiendos populos vel errores confutandos, quis in dirimendis litibus occupari, vel prædicationi, audiendis confessionibus ceterisque officiis ad animarum culturam necessariis operam dare posset? Unusquisque in comparando victu totum diem consumere deberet.

Priori difficultati abunde satisfactum existimo; ad alteram veniamus.

Bonorum cruciatus ipsis prodest.

6. Si justus est Deus, cur tot bonis adversam, tot improbis prosperam reddit fortunam? — Respondetur repetendo, Deum, quidquid in hoc mundo circa nos constituat, ad salutem nostram ordinare. Famulos suos cruciari sinit, ut hic pœnas solvant culparum, a quibus nemo Adami filius immunis est; ac simul ut in fiduciæ et patientiæ virtutibus exerceantur. Non existerent sancti, qui benefaciunt iis a quibus injuriam accipiunt, si non existerent persecutores; nec haberentur martyres, si nulli essent tyranni; atque idcirco Deus ad sanctorum martyrumque gloriam persecutores et tyrannos esse sinit.

Bona improborum fortuna caduca est.

7. Sed quid est, quod improbis obsecundet? Hoc ipsum Jeremias a Domino quæsivit: *Justus quidem Tu es, Domine... quare via impiorum prosperatur?* [1] Sed audiamus, quid Deus responderit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis* [2]. Impios illos in mortali vitâ tolerat; sed quemadmodum hædi in septo inclusi ad lanienam reservantur, sic ad pœnam æternam sceleratos servat tamquam victimas divinæ suæ justitiæ *in die occisionis*, i. e. eo die, quo justæ ultionis tempus advenerit.

Etiam hac in vitâ scelerati nonnumquam puniuntur. *Herodes.*

8. Verumtamen in sceleratissimos quosdam Deus hac in vitâ etiam ultricem manum protulit. Herodes, qui Salvatorem sprevit ac postmodum Cæsareæ divinos honores sibi dari voluit, ab Angelo percussus est, (ut narrat S. Lucas [3]) et vermibus consumptus periit. — Nestorius hæresiarcha primum quidem a barbaris in Ægypto, quo relegatus erat, pessime tractatus est; deinde (ut refert Cedrenus [4]) lingua putrefacta e faucibus excidit; cui adjungit Evagrius [5], fœtidissimos e linguâ erupisse vermiculos, qui paulatim totum os corroderent (pœna condigna exsecrandis ejus in Deiparam blasphemiis); et quum ita, inquit Theodoretus [6], pœnas in æternâ vitâ impiis reservatas his in terris pati cœpisset, paulo post infelix homo obiit obstinatus ut semper vixerat. — *Nestorius.* Diocletianus, omnium Imperatorum acerrimus Christianorum persecutor, audito, Constantini operâ Romæ triumphare Christianam Religionem, quam ipse prorsus delere statuisset, tantam inde ægritudinem percepit, ut in rabiem actus cibum capere renuerit, et in desperationem abjectus anno 313 solâ fame voluerit exstingui. — *Diocletianus.* Maximinus Imperator, qui item valde crudeliter Ecclesiam persecutus est multosque martyrio affecit, quum prœlio victus esset a Licinio, desperans rebus suis ultro venenum hausit, quo tamen non illico interemptus est, sed horribilem sibi attraxit morbum. Itaque diu noctuque intolerandis intestinorum doloribus exustus, tanto furore abripiebatur, ut caput in parietes impingeret atque ita tandem oculi ex orbiculis propellerentur: quam pœnam multis insontibus Christi confessoribus constituerat. Demum ipse mortem inclamans, et ultro confitens, hanc pœnam merito a Deo sibi irrogari, tam dire agitatus infelicem exspiravit animam. — *Maximinus.* Zeno, similiter imperator, qui post vitam infamem ad imperium evectus hæreticos tuendos suscepit, en quomodo punitus sit a Deo. Testantur Evagrius [7] et Zonaras [8], eum quum ex morbo caduco in deliquium incidisset, sepultum fuisse velut mortuum. Et adjungit Cedrenus [9], vociferanti Zenoni, ut ex sepulchro eriperetur, respondisse custodes, frustra eum *Zeno.*

[1] *Jerem.*, XII, 1. — [2] v. 3. — [3] Act., XII, 23. — [4] Historiar. Compend., a° 24 *Theodosii* minoris. — [5] Hist. Eccl., lib. I, cap. 7. — [6] Hæreticar. Fabular. Compend., lib. IV, cap. 12. — [7] Hist. Eccl., lib. III, cap. 29. — [8] Annales, lib. XIV, n. 2. — [9] Historiar. Compend., a° 17 *Zenonis.*

clamare, quum jam alius pro eo regnaret; et post paucos dies aperto tumulo, miserum corrosis brachiis inventum fuisse, quod fame adactus ea devorasset.

Improbi non sunt felices.

Ceterum, etsi nonnulli impii hac in vitâ felices et fortunati videntur, si tamen intima præcordia inspici liceret, planum fieret, omnium hominum eos esse infelicissimos.

Objicitur 3. Dei Bonitas peccatum permittere nequit.

9. Objicit 3° *Petrus Bayle*[1]: At tam multa peccata et tot miserorum damnationem permittere, quomodo congruit cum Dei Bonitate? Aut ea impedire non potest, neque est omnipotens; aut impedire non vult, et est malignus. — Respondeamus.

Respondetur: *a* Libertas hominis ad majorem Dei Gloriam confert.

Potuisse Deum omnia impedire peccata, minime negamus; poterat enim homini peccandi libertatem auferre, eumque creare ita in gratiâ confirmatum, ut perseveranter Ipsum amasset neque injuriam Ipsi potuisset inferre. Sic facere poterat, sed non fecit; et quum non ita fecerit, indicium est, illud majori suæ gloriæ non convenisse. Sed et ipsa naturalis ratio demonstrat, majori ejus gloriæ congruisse, ut homini libertatem relinqueret, ad suum arbitratum aut bene aut male agendi. Et primum quis non videat, ad majorem principis gloriam conferre, quod suâ sponte subditi eum diligant eique obtemperent, quam si merâ necessitate adacti illud agant? — Deinde ad majorem Dei gloriam confert peccati permissio propter divinæ et justitiæ et misericordiæ manifestationem.

b Peccati permissione Deus ostendit misericordiam et justitiam.

10. Quam misericordem Se præbuit Deus, quum proprium Filium mitteret ad redimendum hominem peccato perditum? Peccato commisso, totum genus humanum iræ tantum divinæ et æternæ pœnæ objectum erat. Si Deus, quemadmodum misericordiam exercuerat, quum hominem crearet, tot muneribus donisque ornatum, justitiam pariter exercere voluisset, in perpetuum condemnati fuissent omnes homines et divinâ gratiâ ac paradiso destituti. At non ita; sed Unigenitum suum in terras mittere voluit, ut homo fieret, et morte Filii ab æternâ morte liberaretur homo. Sic ex unâ parte patefecit infinitam suam Justitiam, quod Filium suum, qui hominum culpas in Se suscepisset, morti addixerit; et ex alterâ parte infinitam suam Bonitatem, quod suum erga hominem amorem demonstraverit; simulque infinitam Sapientiam, quâ modum repererit adeo mirabilem suæ plane satisfaciendi justitiæ, suumque erga hominem explendi amorem, Jesu Christi morte omnino subveniendo ruinæ, quam homini peccatum intulisset. Quin etiam, ut ait S. Leo, plus boni Jesus Christus suâ morte nobis attulit, quam Adami peccato diabolus intulerat damni: *Ampliora adepti (sumus) per... Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam*[2]. Quod idem clare significavit Apostolus: *Non sicut delictum, ita et donum.... Ubi... abundavit delictum, superabundavit gratia*[3]. Magnum quidem fuit Adami delictum; sed multo major gratia, quam Jesus Christus nobis promeruit; quod et Ipse asseruit, quum diceret: *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant*[4].

Deus infinite bonum se ostendit.

11. Jamvero, tanti amoris tantæque misericordiæ opere completo, quis umquam asserere potest, cum divinâ Bonitate non congruere permissionem peccati hominumque damnationem? Ecquid majus amoris sui suæque bonitatis testimonium nobis dare potuisset Verbum æternum, quam ut in terras descenderet, homo fieret, et post vitam adeo humilem, pauperem et incommodis obnoxiam in cruce moreretur, ad nos homines a morte æternâ liberandos et secum conducendos in paradisum? O ingratos homines! Postquam eorum amore Deus mortuus est, et innumera testimonia atque argumenta hujus veritatis præbuit, talem-ne reperiri, qui ausu temerario Ipsius Bonitatem carpere velit!

[1] *Diction. Hist. et Critique; art. Manichéens, note D; art. Sociniens, note L; art. Pauliciens, note G.* — [2] Sermo 73 (de Ascensione 1), cap. 4. — [3] *Rom.*, V, 15 et 20. — [4] *Joan.*, X, 10.

Objicitur 4. Multos damnari, probat, hominem non esse redemptum. Respondetur: Negligentiâ suâ homines in perniciem incurrunt.

12. Sed, inquiunt Deistæ, si Deus ad salutem omnibus afferendam mortem subiit, quid est, quod etiam post Redemptionis beneficium permittat, ut tam multi pereant? — Qui sic loquitur, non perspicit, quam gravem ruinam Adami peccatum humano generi intulerit. Scire nos oportet, peccato obscuratum remansisse hominis intellectum ad rationis veritatem cognoscendam; voluntatem autem adeo inordinatam, ut a concupiscentiâ continuo ad malum se inclinari persentiat. Summa unicuique adhibenda esset diligentia, ut tam in fidei quam in morum argumentis veras sententias a falsis discerneret; item summopere curare deberet, ut iis uteretur adjumentis, quæ ad recte vivendum Jesus Christus nobis reliquit, ac potissimum oratione et sacramentis; secus enim carnis dæmonisque suasionibus suis viribus resistere non poterit. Atvero homines, ne belluinis delectationibus abstineant, ad lucem oculos claudunt; adjumenta, quibus ad salutem pervenirent, adhibere negligunt, atque ita vitiis indulgent et in æternam incurrunt perniciem: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem* [1]. Infideles claudunt oculos ad naturale rationis lumen; atque ita nec fidei lumen accipiunt. Hæretici claudunt oculos ad lumen Evangelii, et sic divisi remanent a verâ Ecclesiâ, extra quam non datur salus. Peccatores catholici claudunt oculos ad lumen gratiæ, atque ita in peccata immerguntur. En, cur tam multi pereant. Verumtamen, etsi adeo perversi Deoque ingrati sunt homines, quis comprehendere potest, quot gratias Dominus assidue iis dispenset? Quot collustrationibus infideles et hæreticos illuminat, tum interne tum per sacerdotes, quos ad veritatem iis prædicandam mittit! Quoties misericordiam cum peccatoribus exercet! Quamdiu eos exspectat! Quam sæpe ad pœnitentiam eos vocat! Quis umquam homo repertus est adeo misericors erga alios, quam erga nos se præbet Deus! Ah, infinita nisi esset divina misericordia, quomodo nos perferret? Ad hæc, quis verbis explicare possit, quanto amore animas Se diligentes diligat Deus et quam immensas gratias iis largiatur? Increduli ergo immensam Dei nostri Bonitatem (eam si renuunt amare) negare saltem desinant.

Deus gratias assidue dispensat.

[1] *Joan.*, III, 19.

Inferni pœna multos a malo retrahit.

13. At, reponunt Deistæ, posset tamen Deus, si vellet, tot hominum damnationem impedire. — Posset utique; sed reorum pœna, si ipsis nihil prodest, prodest tamen atque etiam necessaria est ad bonum commune. Eorum, qui in mundo vivunt, pauci profecto ad salutem perveniunt; si vero perversis non constituta esset inferni pœna, quanto minor esset numerus eorum, qui salutem consequuntur! Si tam pauci recte vivunt, etiamsi vident, propter nefariam vivendi rationem tam multos perire; quanto pauciores essent boni, nisi multos eorum, qui male vivunt, Deus puniret, permittendo, ut in peccatis moriantur et in inferno proruant? — Sed dummodo vellet, etiam peccata impedire posset; cur ea non impedit? Quia libertatem, hominibus concessam, non vult auferre. Si peccata impediret, increduli conqueri possent, quod Deus, postquam ipsis libertatem peccandi suoque genio indulgendi dedisset, postmodum eamdem voluisset adimere. — Sed, etiamsi non auferretur libertas, nonne Deus majorem singulis concedere posset gratiæ abundantiam, quâ peccato abstinerent? Eccur Judæ negavit gratiam, S. Petro præstitam? Eccur gratiam, bono latroni datam, perverso latroni dare renuit? — Atvero, num tenetur Deus abundantes illas gratias, nonnullis quidem concessas, omnibus concedere? Si gratiæ sunt, Deus eas dispensare non tenetur. Ad vindicandam Dei Bonitatem satis est, si unicuique sufficientia præbeat auxilia, quibus, si velit, ad salutem possit pervenire. Siquis a principe sufficientem victum acceperit, num conqueri possit, quod non dederit majores divitias?

Instant: Cur Deus non impedit peccata? Respondetur: Hominem libertate donavit.

Urgent: Eccur non auget gratiam?

Respondetur: Quia gratia non est debitum.

Instant: Eccur inæqualitas?

14. Cur autem plus uni quam alteri? Siquis pater, inquit *Bayle*, omnes filios ex morte eripere posset, nonne personarum acceptor et crudelis esset, si alios vellet, alios nollet servare? — Sed ei respondetur, bonitatem increatam atque infinitam a creatâ ac finitâ multum differre. Creata bonitas necessario a Creatore suo dependet, atque idcirco communicari debet juxta legem, a Creatore impositam. Ideo pater, si ex morte omnes filios eripere possit, ad illud faciendum tenetur; quum divina lex jubeat, pietatem et amorem debitum erga singulos pariter exerceri. Deus vero, Bonitas increata atque independens, nullam habet legem, quæ præscribat, quantum creaturis suis communicari debeat. Quando vult et quantum vult, Semetipsum communicat, prout suæ convenit gloriæ. Ad reverenda divina judicia, nobis quidem hoc satis esse debet, Deum infinite justum esse et rectum: nec postulandum, ut ejus judiciorum rationem perspiciamus. In humanis quoque scientiis certa dantur principia, sed simul insolubiles nonnumquam difficultates. Num idcirco, quod eas solvere non possumus, certa principia negare licebit? Et sine temeritate vel nequitiâ injusta vocare licebit divinæ Providentiæ consilia, a mente infinitâ profecta, quod nos eorum rationem indagare non possumus? Siquis rudis, inquit S. Augustinus [1], intraret officinam, ubi ferrum elaboraretur, nonne temerarium se præberet, si fabro vellet objicere, quod frustra illic asservaret malleos, incudes et folles? — Itaque argumentum concludamus: Vult quidem Deus, omnes homines salvos fieri, eamque ob causam pro omnibus mortuus est Christus, singulisque sufficientem tribuit gratiam, quâ, si velint, legem servare et ad salutem pervenire possint. Sed singulis quoque peccandi, si voluerint, reliquit libertatem. Quibus positis, quis non videt, eos qui damnentur, ideo damnari, quia damnari voluerint; quodsi damnari velint, æquum est, eos damnari; illudque omne eorum culpâ accidit.

Respondetur: Bonitas increata, quantum vult, Semet communicat.

Deus omnibus sufficientes distribuit gratias.

Qui damnatur, suâ culpâ perit.

15. Sed, inquiet incredulus, vos ipsi theologi dicitis, ut lex divina actu servetur, satis non esse gratiam sufficientem, sed requiri gratiam intrinsece efficacem. Hanc autem Deus non omnibus concedit; si enim omnes eam haberent, omnes salvarentur (quandoquidem gratiam esse efficacem idem significat ac effectum suum habere), quum reverâ major pars hominum pereat. Quomodo ergo Dei Justitia exigere potest, ut ii legem servent, quibus gratiam efficacem non concedat; et quomodo eam violantes inferno potest punire?

Objicitur 5. Requiritur gratia efficax, quæ non datur omnibus.

16. Alii juxta suam sententiam responderent, gratiam efficacem fieri ex voluntatis consensu; quo fit, ut præceptorum observantia ex hominis arbitrio pendeat, prout impulsioni gratiæ ordinariæ, quæ omnibus conceditur, aut velit aut nolit consentire. Ego vero non ita respondeo; sequor enim sententiam contrariam, ad præcepta divina actu servanda necessariam esse gratiam ex se et *ab intrinseco* efficacem. Quæ quidem hodie communior est theologorum sententia, et magis consentanea apparet Scripturæ sacræ, quæ pluribus locis satis declarat, Deum esse qui omnipotentiâ suâ humanam voluntatem moveat ad libere volendum, quæ Ipse velit: *Cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud* [2]. — *Spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam ut in præceptis meis ambuletis* [3]. Quare S. Augustinus: *Ille facit ut faciamus*, inquit, *præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis* [4]. Et S. Thomas Angelicus: *Deus movet... voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis* [5].

Respondetur ab aliis: Homo ipse gratiam reddit efficacem.

Ego respondeo: Requiritur gratia efficax ex seipsâ.

17. Ergo, dicet incredulus, quum juxta communiorem sententiam actualis divinæ legis observatio pendeat ex intrinsecâ gratiæ efficacitate, quomodo potest actu legem servare is, cui hæc gratia deest?

Quilibet habet medium talem gratiam obtinendi.

[1] De Genesi contra *Manichæos*, lib. I, cap. 16, n. 25. — [2] Prov., XXI, 1. — [3] *Ezech.*, XXXVI, 27. — [4] De Gratia et Libero Arbitrio, cap. 16. — [5] De Malo, quæst. 6, ad 3^{m}.

Et eam actu non servans, quomodo puniri potest, quum desit auxilium necessarium ad actu eam servandam? — Equidem respondeo, Deum si non omnibus concedat gratiam efficacem ad bonum operandum, omnibus tamen certum concedere subsidium, quo, si velint, eam obtineant. Quod quidem subsidium, sancta precatio est. Sic ergo omnes, gratiam efficacem a Deo petentes, servare legem, perseverare et salutem consequi possunt. Plenum est Vetus Novumque Testamentum Dei promissis, exauditurum se esse precantes: *Clama ad Me, et exaudiam te* [1]. — *Invoca Me... eruam te* [2]. — *Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* [3]. — *Omnis enim, qui petit, accipit; et qui quærit, invenit* [4]. — *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis* [5]. Reliquos eosque innumerabiles locos tacitus prætereo.

Probatur 1. ex Scriptura sacra;

18. Inde Cardinalis *Gotti*, de gratiâ perseverantiæ loquens (et idem valet de gratiâ efficaci): *In potestate... hominis aliquomodo dicitur esse*, inquit, *quod ipse per Dei gratiam potest habere, et ab Eo petere et obtinere; et hoc modo in hominis justi potestate dici potest esse, ut habeat auxilium ad perseverandum... necessarium,... illud impetrando... orationibus* [6]. Idem ait Cardinalis *Norisius*, quum docet, auxilio *sine quo non*, seu gratiâ ordinariâ, quæ omnibus communis est et efficit, ut precationem adhibeamus, obtineri auxilium *quo*, seu gratiam efficacem, quâ præcepta servantur: *Etiam in statu naturæ lapsæ dari adjutorium* SINE QUO NON, *secus ac Jansenius contendit; quod quidem adjutorium efficit in nobis... actus debiles, nempe... orationes minus fervidas pro adimplendis mandatis, in ordine ad quorum exsecutionem adjutorium* SINE QUO NON *est tantum auxilium remotum, imperatorium tamen auxilii* QUO, *sive gratiæ efficacis,... quâ... mandata... implentur* [7]. Ait præterea, orandi potentiam, singulis fidelibus concessam, non esse remotam (tamquam si alia requiratur potentia, ut quis precari possit), sed proximam; quo fit, ut unusquisque solius ordinariæ gratiæ auxilio actu possit precari: *Manifestum est, potentiam ad orandum debere esse proximam in justo sive fideli; nam si fidelis sit in potentiâ remotâ ad simpliciter orandum (non enim hic loquor de fervidâ oratione), non habet is aliam potentiam proximam pro impetrandâ oratione; alias procederetur in infinitum* [8].

2. ex theologis;

19. Frustra ergo diceretur, orationem, ut gratiam efficacem impetret, fervidam esse debere. Quandoquidem idem auctor respondet, tepidâ oratione saltem fervidiorem obtineri, et eâ deinde gratiam efficacem: *Colligo... ipsammet tepidam orationem fieri a nobis cum adjutorio* SINE QUO NON, *ac ordinario concursu Dei, quum sint actus... debiles, cet.... Eâ tamen tepidâ oratione impetramus spiritum ferventioris orationis, qui nobis adjutorio* QUO *donatur* [9]. Quod confirmat auctoritate S. Augustini, in Psalm. XVI ita loquentis: *Quoniam ut hanc habere possem, exaudisti me infirmius orantem* [10].

Objectio. Responsio.

20. Sed nemo clarius quam S. Augustinus illud explicat, præcepta servandi gratiam precando nos obtinere: *Ideo*, inquit (*Deus*) *jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus* [11]. Et præterea: *Nulli enim homini ablatum est scirè utiliter quærere* [12]. Omnium vero S. Augustini significantissima verba ea sunt, quæ postea suâ auctoritate rata habuit Concilium Tridentinum: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat, ut*

3. ex S. Augustino;

4. ex Conc. Trid.;

[1] *Jerem.*, XXXIII, 3. — [2] Ps. XLIX, 15. — [3] *Matth.*, VII, 7. — [4] *Luc.*, XI, 10. — [5] *Marc.*, XI, 24. — [6] Theol. De Gratia, quæst. 1, dub. 13, § 3, n. 20. — [7] *Jansenii* erroris calumnia sublata. cap. 3, § 1. — [8] L. c. — [9] L. c., cap. 4. — [10] In Ps. XVI, n. 6. — [11] De Gratia et Libero Arbitrio, cap. 16. — [12] De Libero Arbitrio, lib. 3, cap. 19 (Alii legunt: *utiliter quæri*. Nota edit.).

possis [1]. Quod idem alio loco confirmat: *Eo... ipso quo firmissime creditur, Deum... impossibilia non potuisse præcipere;... admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus* [2].

Fidelem esse Deum, ait Apostolus, neque umquam permissurum, ut supra vires tentemur, sine sufficienti ad resistendum auxilio: *Fidelis... Deus,... qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* [3]. Ea verba, sibi molesta, Jansenius de solis prædestinatis intelligi asserit. Attamen S. Paulus alloquitur omnes fideles Corinthios, quos certo non omnes prædestinatos arbitrari poterat; quare S. Thomas ea merito de omnibus universim hominibus dicta intelligit: nec fidelis esset Deus, inquit, si nobis non concederet (quantum ad Ipsum spectat) eas gratias, quarum ope salutem consequi possumus: *Non autem videretur* (*Deus*) *esse fidelis, si... nobis denegaret, quantum in Ipso est, ea per quæ pervenire ad Eum possemus* [4].

5. ex S. Thoma.

Conclusio: nemo justam habet excusationem.

21. Sed etiamsi nulla alia esset ratio, satis est ipsum Deum dixisse: *Petite et accipietis* [5], ut persuasum habeamus, Eum precantes exaudire. *Quis falli timeat*, inquit S. Augustinus, *quum promittit Veritas?* [6] Posito autem, orationis ope a Deo obtineri posse gratiam efficacem, perseverantiam, æternam salutem et quidquid postulemus (promisit enim Dominus, Se daturum esse sine ullâ exceptione quæcumque voluerimus, dummodo ea petamus: *Quodcumque volueritis, petetis et fiet vobis* [7]); quam excusationem afferre possunt peccatores, si pereunt? Dicent: Deus non impertivit gratiam efficacem. Deus vero respondebit: Siquis eam petivisset, accepisset utique; non ergo de Me, sed de vobis tantum querimoniam habete. — At reponet incredulus, abundantiorem gratiam concedere poterat, quamvis nihil peterem. — Sed, num Deus illud facere tenetur? Gratia, ideo quod non debetur, gratia nuncupatur. Num Deus forsitan eam misericordiam exhibere tenetur omnibus, etiam incuriosis et obstinatis? An etiam salutem dare tenetur ei, qui salutem consequi nolit? Ergone semper misericordiam, numquam vero justitiam in rebelles exercere debebit? — Minime vero; temeritatem illam, quâ nunc deista forte dicet: *Quid est, quod Deus sine meis precibus salutem mihi non afferat*, in divino judicio reprobi non habebunt: ipsum peccatum vocem iis præcludet: *Omnis iniquitas oppilabit os suum* [8].

CAPUT XVIII.

DE ANIMÆ IMMORTALITATE.

Nonnulli immortalitatem negant.

1. Non pauci Deistæ contendunt, hominis animam non esse immortalem sed unà cum corpore mori. *Montaigne: Mors*, inquit, *est aliquid omnino momentaneum, cruciatus ad horæ quadrantem perdurans, nihil efficiens, nullum detrimentum afferens, nec digna est peculiaribus præceptis* [9]. Ab eo non dissentit *Saint-Evremond* [10], qui quum ex Tacito [11] refert, Petronium quemdam morti vicinum aurem præbuisse recitationi amœni alicujus carminis, miserum istum extollit, quod indif-

[1] Sess. 6, cap. 11. — De Natura et Gratia, cap. 43, n. 50 (Ipsa S. Augustini verba hæc sunt: *Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis.... Medicinâ poterit, quod vitio non potest.* Nota edit.). — [2] De Natura et Gratia, cap. 69, n. 83. — [3] 1 *Cor.*, X, 13. — [4] In Ep. 1 ad *Cor.*, cap. 1, lect. 1. — [5] *Joan.*, XVI, 24. — [6] Confessiones, lib XII, cap. 1. — [7] *Joan.*, XV, 7. — [8] Ps. CVI, 42. — [9] *Essais, liv. III, chap. 12.* — [10] *Jugement sur Petrone (Oeuvres mêlées, tom. II, p. 8).* — [11] Annales, lib. XVI, n. 19.

ferenter et sine ullâ vitæ futuræ curâ mortem obierit [1]. Neque ab eâ sententiâ multum abhorruisse videtur *Voltaire* [2], quandoquidem non dubitasset concedere, animam esse substantiam a corpore non distinctam et consistere in subtiliori quâdam structurâ, quæ in morte, tabescente corpore, dissolvatur.

Objectio ex Patribus.

2. Sed dicet *Voltaire*, idem asseruisse Ecclesiæ Patres; quum Tertullianus [Lib. *de Anima*, Cap. 7] et S. Irenæus [*Contra Hæreses*, Lib. 5, Cap. 7] existimarent, ani-

Responsio.

mam esse substantiam materialem. — Dubium non est, quin priscis illis temporibus, quum parum dilucidata essent argumenta metaphysica, falsam hi Patres tenuerint sententiam, animam constare ex æthereâ eâque tenuissimâ materiâ; quam tamen dicebant distinctam esse ab organis corporeis, neque ab iis pendere, sed, quum ex seipsâ subsisteret, solum corpus in morte corrumpi, animam vero, utpote naturâ diversam, immortalem persistere. Deistæ contrà, asserentes animam ejusdem materiæ esse ac corpus organis conformatum, hoc ipso dicere debent, animam non secus ac corpus, esse mortalem.

Immortalitas probatur 1. ex Conciliis. Est de fide.

3. Asserere autem, animas nostras esse mortales, est error contra fidem, ut diserte declaravit Concilium Lateranense V (Sess. VIII), Leone X Summo Pontifice celebratum: *Damnamus... omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse... et hæc in dubium vertentes; quum illa non solum... per se et essentialiter humani corporis forma existat,... verum et immortalis... sit* [3]. Idemque antea docuerant Concil. VI, *Act. XVIII* [4] et Concil. VII, *Act. VII* [5]. — In divinis Scripturis

2. ex Scriptura.

quoque enuntiatur, non mori hominum animas, sicut corpus moriatur. In libro Machabæorum legimus, Judam Machabæum sacrificia offerri voluisse pro animis defunctorum suorum militum: *Duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans* [6]; additur enim: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* [7]. Præterea apud S. Matthæum hæc habentur Jesu Christi verba: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete Eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* [8]. Similiter refert S. Matthæus (cap. XVII) in monte Thabor Petro, Jacobo et Joanni apparuisse Moysen et Eliam.

Objicitur a Eccl. III, 19.

4. Sed videamus, quid contra hæc Scripturæ testimonia opponant Deistæ. Primum opponunt hunc Ecclesiastæ textum: *Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati: et omnia pergunt ad unum locum: de terrâ facta sunt, et in terram pariter revertuntur* [9]. Itaque, inquiunt deistæ, eadem est hominis et brutorum animalium conditio: quemadmodum hæc mortalia sunt, ita mortalis est homo. Sed, ut recte advertunt S. Hieronymus [10], S. Bonaventura [11], Albinus [12] aliique multi, hic nulla mentio fit de animâ rationali, quæ de terrâ non est facta, sed solum agitur de corpore, quod non secus ac anima-

Respondetur.

[1] *Valsecchi*, (*Dei Fondamenti della Religione, lib. I, cap. 5*) a præclaro quodam viro se audivisse narrat, eum quum Londini moraretur, sibique renuntiatum esset, *Saint-Evremond*, familiarem suum, a morte non procul abesse, ad eum se contulisse et his verbis eum esse allocutum: *Providistine, amice, ut te cum bono Deo nostro reconciliares?* Moribundum vero respondisse: *Vellem equidem, amice, reconciliari posse cum cibi appetentiâ, quam prorsus amisi;* eumque paulo post exspirasse animam. Et sic moriens quam bene imitatus est magistrum suum Petronium!

[2] *Dictionnaire Philosophique*, *art. âme*; passim. — [3] Bulla «*Apostolicæ Regiminis*», 19 Dec. 1513.

[4] i. e. *Constantinop.* III. Renovat, quæ Synodus V (*Const.* II) statuerat contra negantes pœnarum æternitatem (Nota edit.).

[5] i. e. *Nicæn.* II. Iterum anathematizat, qui pœnarum æternitatem negant (Nota edit.).

[6] 2 *Mach.*, XII, 43. — [7] v. 46. — [8] *Matth.*, X, 28. — [9] Eccl., III, 19 et 20. — [10] Comment. in Ecclesiasten, III, 18-21. — [11] Expositio in Eccl., III, 19 et 20. — [12] Comment. super Eccl., III, 18-21.

lium corpora de terrâ factum est; quocirca de utroque dicitur: *De terrâ facta sunt, et in terram pariter revertuntur.* Ac proinde, ut vitæ præsentis bonorum vanitatem proponat *(cuncta subjacent vanitati)*, hominem mori ait, sicut moriantur animalia; sed neutiquam mori asserit hominis animam.

Objicitur. b Eccl. III, 21. **5.** Opponunt 2° ejusdem Capitis III versiculum 21, qui verba allata proxime sequitur: *Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum;* id est, ut in terrâ corrumpatur. — Nonnulli interpretes ea verba ad impium loquentem referunt. Alii vero melius, ut *Calmet* [1], *Du-Hamel* [2], cet., respondent, Salomonem hic solum dubium movere, sitne hominis anima immortalis, an mortalis sicut bestiarum anima, illudque postea solvere *(cap. XII, v. 7)*, ubi declarat, hominis morientis corpus iterum terram fieri, spiritum vero ad Deum redire, qui eum creavit: *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum;* quibus verbis clare significat, post corporis mortem vivam remanere animam.

Respondetur.

Objicitur c Sap. II. **6.** Opponunt 3° hunc libri Sapientiæ textum: *Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ... et post hoc erimus tamquam non fuerimus, cet. Cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tamquam mollis aër. Sap. II, 1* et seq. — Sed hic quoque perspicua est responsio; Salomon enim loquentes inducit incredulos: *Dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum, cet.*, ut suprà (vers. 1). Et postmodum (vers. 21): *Hæc cogitaverunt*, inquit, *et erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum... nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem.*

Respondetur.

Objicitur d Eccl. IX, 5. Præterea impius *Collins* [3] in infami suo libro: *De cogitandi libertate* hunc alium opponit Ecclesiastæ textum (cap. IX, v. 5): *Viventes enim sciunt se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum.* — Sed quid in suam sententiam ex his verbis colligere potest? Sapiens hoc loco de solâ vitâ præsenti agens, mortuos ait nihil amplius cognoscere, i. e., amisisse cognitionem, quam antea hic haberent de bonis hujus mundi, in quo partem habere jam desierunt, ut illic (vers. 6) subjicit: *nec habent partem in hoc sæculo.*

Respondetur.

Objicitur e Eccl. IX, 10. Item objicit ejusdem capitis versiculum 10: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opes, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* — Ad hoc similiter manifesta est responsio, et tota res dilucidatur his Evangelii verbis: *Venit nox, quando nemo potest operari* [4]. In summâ, dicere voluit Sapiens, post mortem non amplius dari tempus operandi ad acquirenda vitæ æternæ merita, neque iterum accepti et expensi rationem dari debere, neque sapientiam vel experientiam haberi, quâ suo quisque commodo provideat: tunc enim quod egimus, hoc egimus; quamobcausam illud bonum, quod hic facere possumus, illico et sine morâ faciendum esse subjungit.

Objicitur f 1 Tim. VI. Respondetur. Denique objiciunt illud Apostoli: *Qui* (Deus) *solus habet immortalitatem* [5]. — Quæ verba significant, Deum ex Seipso eam habere; homini vero opus esse, ut Deus eam sibi conservet.

Probatur 3. ex ratione. **7.** Sed omissâ Scripturarum auctoritate, ipsa nobis ratio naturalis persuadet, rationalem hominis animam immortalitate præditam esse, non eâ quidem essentiali (hæc enim soli Deo competit) sed naturali. *Fides*, inquit *Voltaire* [6], *animam immortalem credere jubet; ratione vero illud non demonstratur.* Quod omnino falsum est; nam pluribus rationibus clare probatur ea veritas. Et primum quidem, quod in Deo, si unà cum corpore periret anima,

[1] Comment. in h. l. — [2] Comment. in h. l. — [3] *Discours sur la Liberté de Penser (trad. de l'Anglais), sect. 3, chap. 6, n. 11.* — [4] *Joan.*, IX, 4. — [5] 1 *Tim.*, VI, 16. — [6] *Lettres philosophiques, lettre 13 sur Locke; Diction. philosoph., art. Ame.*

neque providentia esset neque justitia.

a Ex Dei Providentia.

Nulla in Eo esset providentia. Ait quidem Epicurus, hominis animæ non alium propositum esse finem, nisi ut animet corpus; sed qui ipsum hac in re sequatur, Epicurus non reperiet: ac si anima, quæ corpore multo nobilior est, mente ac ratione a naturâ prædita, non alio spectaret nisi ut serviret corpori, quod brevi in putredinem et pulverem resolvi debet. Deus creavit hominem, ut in hac vitâ Ipsius legibus obtemperando, Ipsi serviat Ipsumque diligat; eamque ob causam rationalem animam, ad suam imaginem creatam, ei donavit. Jamvero, si animæ humanæ cum corporis morte finem haberent, Deus utique, nullâ post hanc vitam constitutâ neque obsequentibus remuneratione nec pœnâ violatoribus, parum providisset fini, cui consequendo homines creavit, ut nempe hac in vitâ operam darent exercitandis virtutibus propter spem bonorum, quæ in vitâ futurâ iis paravit, vitiisque declinandis ob timorem pœnarum futurarum, quas minitatus est. Quocirca S. Justinus, de pœnis agens, quas reprobi in alterâ vitâ sustinent: *Nisi ita res se habeat,* inquit, *vel Deum non esse; vel si sit, nihil Illi curæ esse res humanas, atque nec virtutem esse neque vitium*[1]. Præterquam quod (ut in capite I, n. 9 diximus) si mortales creasset animas humanas, Deus bruta animalia magis dilexisset quam homines. Illa enim hac in terrâ nobis fortunatiora fuissent, quum et sensuum oblectamentis magis fruantur et simul careant animi passionibus, angoribus conscientiæ rerumque futurarum formidine.

b Ex Dei Justitia.

8. Præterea, si mortales forent animæ nostræ, nulla in Deo esset justitia; impii enim contenti essent (aut saltem contenti sibi viderentur) in explendis inordinatis appetentiis, neque ullam inde acciperent pœnam; sancti vero sensibus suis mortificandis molestiâ afficerentur, neque ullum præmium perciperent. *Thomas Hobbes*[2] immortalitatem animæ negat, quod differentiam inter bonum et malum morale rejiciat; et hanc differentiam admittere renuit, quod ipsum Deum esse infitietur. Hic vero non alloquimur atheos, ejus socios, de quibus in primâ parte egimus, quum demonstravimus reverâ existere Deum, creatorem et conservatorem rerum omnium; loquimur cum Deistis, qui fatentur Deum existere sapientem, non inconsulto operantem, et justum, virtutem remunerantem ac punientem vitia. Quum autem hominem ratione et libertate donaverit, neque id frustra, sed ut secundum rationem agat, existimari necesse est, existere bonum et malum, virtutem et vitium: hominis actiones cum ratione congruentes honestæ sunt; pravæ, quæ cum ratione discrepant. Quo posito, hominibus altera vita constituta esse debet; et quid ita? Quia justus est Deus, nec sine mercede ullam honestam actionem, neque ullam pravam sine pœnâ esse patitur. Verumtamen hac in vitâ tot improbos divitiis, oblectamentis, honoribus abundare, tot probos egestate, ærumnis et contemptu laborare cernimus. Si in alterâ vitâ, inquit S. Joannes Chrysostomus, non foret judicium, quo remuneratione virtus, vitium pœnâ afficeretur, justus non esset Deus: si autem Deus non esset justus, jam nihil subsisteret, nec Deus neque ulla veritas a fide proposita, neque ergo (quod consequens est) existerent virtutes vel vitia: *Si non est judicium, Deus non est justus;... si... non est justus, nec est Deus; si Deus non est, temere feruntur omnia, nihil est virtus, nihil vitium*[3].

[1] Apologia 2, n. 9.

[2] Cfr. *Valsecchi, O. P., Fondamenti della Religione, lib. III, parte 1, cap. 4.* Cum eo ex illius incredüli libris hæc pauca exscribere juvat. De Cive, *cap. 12, § 1: Regulas boni et mali... esse leges civiles.... Actio... omnis suâ naturâ adiaphora est.* — Leviathan, cap. 34: *Corpus et substantia idem significant, et proinde vox composita « substantia incorporea » est insignificans; æque ac siquis diceret « corpus incorporeum »* (Nota edit.).

[3] In Ep. ad *Coloss.*, Homil. 2, n. 5.

Rejicitur Stoicorum explicatio.

9. Neque dicas cum Stoicis, jucunditatem quam secum ferat ipsa virtus, et ægritudinem, quæ comitetur vitium, esse præmium bonorum et improborum pœnam. Namque illud præmium illaque pœna a nobismetipsis oriretur; quum vero Deus sit, qui bonum facere et a malo declinare jubeat, a Deo, non vero a nobis præmia et pœnæ oriantur oportet. Ad hæc, admodum exigua foret remuneratio, si justo rem bonam admodum difficilem peragenti non alia merces daretur nisi quod gauderet, se ita egisse. Martyres nullum suæ mortis præmium reciperent. Accedit, quod in probis viris hujus vitæ afflictiones, ut corporis infirmitates, persecutiones, rei familiaris jacturæ, parentum vel amicorum obitus, et præsertim animi ægritudines, æternæ damnationis timores, tentationes dæmonum, anxietates conscientiæ, tot et tantæ sunt, ut nonnumquam longe superent delectationem, quam secum afferat virtus; quapropter si aliud in alterâ vitâ non haberent præmium, sine ullâ remuneratione manerent. Improbis contrà conscientiæ morsus, quo post peccatum anguntur, parum sufficiens foret pœna. Idque eo magis, quod increscente iniquitate, decrescit angor conscientiæ. Verum est, illud fieri in graviorem eorum pœnam; si vero cum corporis morte finem haberet anima, qualis esset justitia, minuere culpam ei, qui culpam augeat?

Non sufficit bonum conscientiæ testimonium.

10. Libelli cujusdam *(De Animâ ejusque immortalitate)* impius auctor [1], *bonis* ait *remunerationem esse testimonium conscientiæ vel ceterorum hominum bonam existimationem; pœnam vero malis ignominiam et castigationem, quum detegantur.* O præclaram argumentationem! Itaque bonos in suæ conscientiæ testimonio remunerationem habere asserit. Concedo, conscientiæ testimonium aliquid consolationis afferre, minime vero remunerationem; quandoquidem pax, quâ bonorum conscientia his in terris fruitur, numquam plena est, quod semper turbetur formidine, ne propter peccata, saltem occulta, amissa sit gratia Dei. *Sunt justi,* inquit Sapiens, *atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta* [2]. Quam quidem formidinem omnibus servis suis constanter adesse voluit Dominus, ut in animi humilitate permaneant. S. Paulus a Jesu Christo vas electionis denuntiatus, non ideo sine metu vivebat: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est* [3]. Itaque his in terris bona conscientia non est felicitas, sed spes vel ad summum pignus felicitatis, rem tamen semper incertam relinquens, id quod multum cruciat eos, qui Deum vere diligunt. Præterea, quum homo ad vitam æternam promerendam molestiis carnem subjicere debeat, ne sancti quidem dolorem non percipere nequeunt. S. Augustinus de Sanctorum ærumnis loquens: *Pœna,* inquit, *auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ* [4]. En quid dicat Apostolus de remuneratione, justis a Deo tribuendâ: *Qui reddet unicuique secundum opera ejus. Iis quidem qui secundum patientiam boni operis... incorruptionem quærunt, vitam æternam* [5], *cet.* Si ergo patientia, quâ sancti hujus vitæ molestias perferunt, vitæ futuræ mercedem promeretur, quomodo eorum virtutum præmium consistere potest in jucunditate his in terris perceptâ? Minime vero; si præter hujus vitæ jucunditatem non aliud justorum virtutibus constitutum foret præmium, omnium hominum, inquit idem Apostolus, quantumvis infidelium et impiorum, essent miserrimi: *Si in hac vitâ tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* [6]. Impii Manetis erat sententia, malum deum ex innatâ iniquitate suoque humani generis odio dele-

[1] *Mirabaud, De l'âme et de son Immortalité, chap. 3.* — [2] Eccl., IX, 1 et 2. — [3] 1 *Cor.*, IV, 4. — [4] De Civitate Dei, lib. XIII, cap. 6. — [5] *Rom.*, II, 6 et 7. — [6] 1 *Cor.*, XV, 19.

ctari, quum hujus vitæ ærumnis affligat hominem; atvero Deus noster, qui mera Bonitas est, quum calamitatibus nos exercet, non odio, sed amore ducitur, ut patientia nostra majus vitæ æternæ meritum nobis acquirat.

Non sufficit laus hominum.

11. Auctor, quem suprà commemoravimus, bonos ait saltem in reliquorum hominum existimatione remunerationem suam habere. — Ergone ceterorum existimatio satis erit præmii ad justorum virtutes remunerandas? Sed primum, numquid bonorum virtutes a mundanis semper bene æstimantur? Quam multi odio, contemptu et vexationibus in hoc mundo laborant hanc ipsam ob causam, quod colunt justitiam! Horum autem quænam est remuneratio? — Sed vera responsio est, numquam posse existimationem hominum veri Christiani esse remunerationem. Qui vere Jesu Christi discipuli sunt, bonam opinionem vel honorem mundanum non ambiunt; quin potius molestiam capiunt ex bonâ hominum opinione: vitâ absconditâ et contemptione delectantur, ut similes fiant Magistro suo, qui his in terris vitam mortemque adeo despectam Sibi elegit.

Improbi hic non satis puniuntur.

12. Asserit præterea idem auctor, puniri improbos ignominiâ et castigatione, quum detegantur. — Ergone ad puniendum impium satis erit ignominia, quâ maleficio detecto afficitur? Sed num condigna pœna erit iis, qui suâ gloriantur iniquitate, cui haud raro pro ignominiâ plausus et præconium tribuitur a perversis, quorum major in hoc mundo est numerus? — Dicit: detecto maleficio. Si ergo non detegitur, quod prorsus occultum sit, numquid nulla omnino iis constituta erit pœna? Minime vero; veniet tempus, quo æternus judex etiam abditissimas iniquitates patefaciet, *illuminabit abscondita tenebrarum* [1], easque pro merito punire sciet.

Sed ad reliqua immortalitatis argumenta veniamus.

13. Animæ immortalitas item ex eo probatur, quod omnes homines plenam et perpetuo mansuram felicitatem appetunt. Quam felicitatem Epicurus quidem asserit in fruendis hujus vitæ oblectamentis consistere; experientia vero demonstrat, omnia hujus mundi bona, utpote finita, explere non posse hominis animum, bonum infinitum appetentem. Videmus Salomonem omnes quidem reges terræ divitiis et gloriâ superare, neque ullâ abstinere jucunditate, quam expeteret animus; nec tamen contentum se dicere, sed potius exclamare: *Universa vanitas et afflictio spiritus!* [2] Jamvero si illud plenæ felicitatis desiderium est omnium hominum commune, simul est naturale; quodsi naturale est, a Deo, naturæ auctore, provenit. Natura autem *nihil agit frustra* (quod axioma est omnium philosophorum); nec Deus tyrannus est, sed ipsâ naturâ bonitas. Si ipse Deus homini injiceret desiderium perfectæ felicitatis, quam tamen numquam consequi posset; crudeliorem Se præberet eo, qui gelidam sitienti porrigeret aquam, non ut ejus desiderio satisfieret, sed ut siti torqueretur. Quum ergo Deus cupiditatem nobis infundat perfectæ felicitatis, certo credere debemus, in vitâ futurâ eam nobis esse præparatam, dummodo hic in ejus servitio ejusque dilectione inviolatam Ei servemus fidem.

e ex plenæ felicitatis desiderio.

Objectio cum responsione.

14. Minime; inquit auctor orationis *De nova cogitandi libertate;* illud plenæ felicitatis desiderium non a Deo oritur, sed ita *nos decipit amor nostri* [3]. — Sed in homine distingui debet rectus amor sui et amor sui inordinatus. Si loqui voluerit de recto amore sui, qui est proprii verique boni amor, amor ille non est hallucinatio sed ipsius naturæ dictamen, ordinatum ac necessarium, quo omnes res ad esse, ad bene esse et ad semper esse inclinant. Sin vero loquatur de inordinato amore sui, talis amor nequaquam com-

[1] 1 *Cor.*, IV, 5. — [2] Eccl. I, 14.

[3] *Nouvelles Libertés de Penser. Sentiments des Philosophes sur la Nature de l'âme, chap. 4 (Une telle croyance,* inquit, *est moins une preuve de cette immortalité, que de l'amour propre des hommes.* Nota edit.).

pletæ felicitatis desiderium efficere potest, quum completa illa felicitas obtineri nequeat, quin dometur et proteratur ipse inordinatus amor sui.

d ex cura futurorum.

15. Item probatur animæ immortalitas ex diligentiâ, quâ homines suis rebus provident in illud tempus, quod mortem consequetur; quocirca Cicero: *Omnibus curæ sunt*, inquit, *et maxime quidem, quæ post mortem futura sint* [1]. — Præterea conscientiæ angor, qui etiam post occultissima delicta nos excruciat et conterret per totum vitæ spatium, rite declarat, singulas culpas aut in hac aut in alterâ vitâ pœnâ esse luendas.

In eâdem oratione *Collins* (*a*), *magistratus* ait *ideo secundasse eam* (immortalitatis) *opinionem, ut alterius vitæ pœnarum formidine perversos coercerent* [2]. Eique consonat Voltaire [3], quum fatetur, *postulare commune generis humani bonum, ut anima immortalis habeatur* (*b*). — Ergone cum Voltaire omnes omnino magistratus ad bonum commune necessarium esse putarunt, ut animæ immortalitas admittatur; Deus vero de eâ re non cogitavit?

e ex spirituali animæ natura.

16. Denique animam esse immortalem ex hoc demonstratur (et hæc est ratio omnium præcipua), quod est spiritualis. In primâ parte (Cap. V) clare probavimus, animam non esse materiam sed purum spiritum; secus mentem vel cogitationem habere non posset. Si autem spiritualis est anima, actu quoque est immortalis. Cujus rei Cicero, ut paganus, solo rationis lumine ductus, his verbis affert rationem: *Quum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi: quodsi non possit, non posse interire* [4]. Quum ergo substantia simplex sit et spiritus, nullam continet partem divisioni obnoxiam nec proindè corruptionis principium, quo destrui possit. Fatendum quidem, Deum, si vellet, eam destruere posse atque etiam ad nihilum redigere, sed quoniam Deus est auctor naturæ, animamque creavit naturâ suâ immortalem, neque ulli corruptionis principio subjectam, rationabiliter pro certo credere debemus, velle Eum, ut juxta naturam ei datam immortalis servetur. Quod etiam magis confirmatur ex fine ei præstituto et ex desiderio, quod ei injecit, perfectæ felicitatis, quæ sine immortalitate numquam perfecta esse posset. Et quod ad bruta animalia spectat, quum non sint facta nisi ut serviant homini, utique dici potest, eorum animas, etiamsi forent spirituales (ut infrà dicam), expleto officio, cum corporis morte destrui.

Objectio ex brutis animalibus.

17. Bestiæ quoque, inquit incredulus, spiritualem habent animam; patet enim, eas plura particularia cognoscere, et nominatim beneficia et maleficia accepta recordari: ergo consequens esset, eas quoque esse immortales. — Ad hoc alii respondent, bestias esse mera automata et materiales machinas sine ullo spiritu. Alii putant eas constare substantiâ sanguineâ, spirituum plenâ, qui tamen spiritus prorsus materiales sint. Alii existimant, brutum animal animam habere materialem simul et sensitivam, ita ut ejus substantia sit aliquod medium inter spiritum et materiam; illud vero repugnantiam continet, aliquid simul materiam esse et spiritum: si partes habet, est materia, si non habet, spiritus est; quocirca bestiarum anima aut materia aut spiritus esse debet. Alii demum hanc sequuntur sententiam (quæ hodie communior est, atque etiam est probabilior), animalia verum spiritum habere; quod idem ad-

Respondetur.

[1] Tusculanæ Disput., lib. I, cap. 14. — [2] *Nouvelles Libertés*, l. c. — [3] *Lettres Philosophiques. Lettre 13 sur Locke.* — [4] De Senectute, cap. 21.

(*a*) Vel quisquis alius hujus orationis auctor. *Collins* scripsit: *de cogitandi libertate;* hic vero de alia oratione agitur (Nota edit.).

(*b*) *Le bien commun de tous les hommes demande qu'on croie l'âme immortelle.* Illas epistolas nonnulli inseruerunt in *Dict. philos., art. Locke* (Nota edit.).

misit S. Augustinus, quum diceret, animalia spiritu quidem, non vero mente vel ratione esse prædita: *Omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est....*[1] *Qui (Deus) et animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum; rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem*[2]. — Itaque consequens est, inquient, ut etiam immortales sint brutorum spiritus; hi autem post mortem quo ibunt vel quid de iis fiet? Quid de iis fiat, respondet *Calmet*[3], nec cognitum habemus nec scire possumus. — Eorum quoque mihi arridet responsio, qui dicunt, post mortem brutorum spiritus deficere, quod Deus ad eorum conservationem concurrere desinat; et valde probabilis est ratio: quum enim Deus in solum hominis servitium neque ratione prædita ea creaverit, neque ideo ad meritum neque ad præmium vel poenam sint idonea, expleto servitii sui officio, a Deo non amplius conservantur et sic deficiunt. Homo vero, ad æterni Dei gloriam creatus, et ab Eo ratione præditus (quo fit, ut meritum sibi vel demeritum acquirere possit) non ut bestiæ pro mortali, sed pro immortali est habendus, idque non solum ex fidei testimoniis sed etiam ex sanæ naturalis philosophiæ præceptis, quod in hac vitâ nec sat magno præmio nec satis idoneâ pœnâ eum affici cernamus. — O magnam *spirituum fortium* sapientiam! Immortales a Deo creati, mortales, pecudum similes, se credere posse nituntur, ut pecudum more, sine lege et sine ratione vivant.

Instat *Voltaire.*

18. « Atvero, inquit *Voltaire*[4], bestiæ eadem organa habent easdemque perceptiones ac homo; memoriâ quâdam præditæ sunt et nonnullas notiones componunt. Si Deus non potuit animare materiam nec sensum ei præbere, restat ut bestiæ aut spiritualem animam habeant aut sint meræ machinæ. Non autem sunt meræ machinæ nec, vestro quidem judicio, habere possunt animam spiritualem. Ergo, vobis etiam invitissimis, nihil aliud superest, nisi ut dicamus, organis bestiarum (quæ materia sunt) Deum sentiendi cognoscendique præbuisse facultatem ». Sed fallitur *Voltaire;* non enim dicimus, bestias non posse meras esse machinas, neque eas non posse spiritualem habere animam; sed dicimus, nos illud nescire, sicut ipse *Voltaire* illud nesciat; atvero quia illud nescimus, non ideo negare licet id quod ex revelatione et ratione certum est, hominis nimirum animam, non sensu tantum et cognitione, sed etiam mente et ratione præditam, spiritualem esse et immortalem.

Respondetur.

Confirmatur a *Leibnitz.*

19. Ex solis rationibus igitur, quas naturæ lumen affert, certum est et exploratissimum, animas nostras esse immortales. Unde merito *Leibnitius* reprehendit illud *Pufendorfii*[5], solo verbo Dei de eâ veritate nos certiores fieri posse. Respondet enim Leibnitius[6], ex communi populorum consensu nostroque naturali immortalitatis desiderio, ac simul ex eo, quod his in terris nec boni condignam remunerationem nec mali condignam pœnam recipiunt, etiam sine fidei testimonio, plane demonstrari, animas nostras esse immortales.

Probatur 4. ex communi omnium consensu.

20. His omnibus additur, hac in re omnes olim consensisse populos, omnesque gentes hac nostrâ ætate, quantumvis idololatras, consentire. Ita docuerunt primi philosophi; quare de animæ immortalitate loquens Cicero: *Nec me solum ratio,* inquit, *ac disputatio impulit, ut ita crederem; sed nobilitas etiam summorum philosophorum et auctoritas*[7]. Et reverâ sic docuit Socrates, cujus deinde doctrinam secutus Plato, ejus discipulus, animam ajebat a corpore sejunctam, quoad substantiam, prorsus eamdem remanere: *Separata anima a corpore est ipsum id quod*

« Philosophi.

Socrates.

[1] De Trinitate, lib. XIV, cap. 16. — [2] De Civit. Dei, lib. V, cap. 11. — [3] Dictionarium S. Script. art. Bestia. — [4] *Lettres Philos. Lettre 13 sur Locke.*

[5] *Samuel* Baro *de Pufendorf.* De officio hominis et civis; præfatio § VIII. — [6] Epistolæ (*Lipsiæ* 1735) vol. II, Ep. XVI. Ad *Gerh. Wolth. Molanum,* n. 2. — [7] De Senectute, cap. 21.

Diogenes. Pythagoras. Pherecydes. Seneca.

est [1]. Idem ajebant Diogenes et (apud Ciceronem [2]) Pythagoras ac Pherecydes. Idem quoque, et clarius, Seneca: *(Animus) nititur illo, unde dimissus est* (i. e. redire ad suum principium); *ibi illum æterna requies manet* [3]. Et alibi, quum loquitur de malâ sorte corporis, tot morbis et miseriis conflictati: *Animus quidem,* inquit, *ipse sacer et æternus est, et cui non possunt injici manus* [4].

Aristoteles.

21. Aristoteles, quamquam alicubi de immortalitate dubitare videtur, pluribus tamen locis eam agnoscit. Sic anima, inquit, *potest separari a corpore, sicut perpetuum a corruptibili* [5]. Ejus igitur judicio corpus quidem corrumpitur, spiritus vero a corpore sejunctus remanet æternus. Alibi rationalem animam essentiam habere ait, gigni et corrumpi nesciam: *Mens videtur ingigni essentia quædam existens neque corrumpi* [6]. Item existimabat, mortuos aliquid solatii percipere ex prosperâ amicorum fortunâ, eorumque sentire calamitates; non adeo tamen, ut ex felicibus infelices inde fierent: *Ita tamen ac tantum, ut neque felices reddere infelices valeat* [7].

b Antiqui populi.

22. Et quod ad populos antiquos attinet, testatur Cicero, unam omnium fuisse sententiam, hominem post mortem vivere. Et alio loco: *Neque... assentior iis,* inquit, *qui nuper disserere cœperunt, cum corporibus simul animos interire;... plus apud me antiquorum auctoritas valet* [8]. Herodotus [9] testificatur, Ægyptios quoque putasse, animam esse immortalem; quam ob causam (ut adjungit Diodorus Siculus [10]) in exsequiis deos precabantur, ut in beatorum numero defunctos suos reponerent. Ait quidem *Voltaire,* talem fidem ab iis viris, qui illam nationem gubernarent, fuisse invectam; sed ad illud probandum nullum argumentum affert: temere, ut facere solet, illud asserit. Nos vero demonstramus, omnes populos, etiam efferatissimos, de eo consentire. Refert Herodotus, idem sensisse Getas [11], qui Daciam incolebant; et Trausos [12] flevisse ait, quum nascerentur filii, ob ærumnas, quibus hac in vitâ laborarent; lætitiâ vero exsultasse, quum propinqui morerentur, quos ad felicitatem post obitum pervenire crederent.— Idem de Chaldæis et de Indorum Brachmanis refert Diodorus Siculus [13]. Idem quoque de Arcadibus refertur [14].

Aegyptii. *Getae.* *Trausi.* *Chaldaei. Indi.* *Arcades.*

23. Idem Julius Cæsar scriptum reliquit de Gallis; quorum sacerdotes populum incitarent, ut immortalitatis memores, mortis formidinem contemnerent: *Im-*

Galli.

[1] Conferatur, lib. XXVI, Phædrus; lib. XXIX, Phædo; lib. XXXI, Dialog. X, de Justo. — [2] Tuscul. Disput., lib. I, cap. 16. — [3] Ad *Marciam* Consolatio, cap. 24. — [4] Consolatio ad *Helviam,* cap. 11. — [5] De Anima, lib. II, cap. 2. — [6] Ibid., lib. I, cap. 5. — [7] Ethicorum, lib. I, cap. 11. — [8] De Amicitia, cap. 4. — [9] Histor., lib. II, n. 123. — [10] Bibliotheca historica, lib. I, n. 92. — [11] Histor., lib. IV, n. 94. — [12] L. c., lib. V, n. 4. — [13] Biblioth. hist., lib. II, n. 31 et 40. [14] *Joan. Henrici Alstedii* Scientiarum omnium Encyclopediæ lib. XII. Pneumaticæ pars IV, cap. 2. De Immortalitate animæ *(Lugduni* 1649), pag. 90.

Antiquos credidisse, hominis animam non esse mortalem, pariter liquet ex epitaphiis Gentilium, in quibus leguntur verba: *Vale; gaude; have et vale, æternum have. Commendatum habeatis meum Carum.* Confer *Gruter (Inscriptiones Antiquæ. Indicis conspectus, cap. 16)* et *Montfaucon (Antiq. expliquée; Supplem., tom. 5, livre II, chap. 5, num. 2).* Idem infertur ex libationibus, ad sepulchra fieri solitis, quas defunctorum animis prodesse existimabant, ut refert *Gorus* (Museum Etruscum, Tab. 82, 83, cet.). Et Bonarota (*Buonarroti*): *Etruscis,* ait, *communem cum Græcis et Latinis de inferorum cruciatibus (qui in hac picturâ expressi videntur) opinionem fuisse (ad Monumenta Etrusca... Explicationes et Conjecturæ, § 26).* Ab Etruscis autem Virgilius narrat, per Dardanum originem ducere Trojanos (Æneid., lib. III, v. 167, 168; lib. VIII, v. 134): antiquissima hæc notetur vetustas. Præterea in Dissertatione quâdam *(De usu suffragiorum pro Defunctis apud Paganos; De l'usage de la Prière pour les Morts parmi les Paiens; Hist. de l' Académ. des Inscript., tom. 2, pag. 119)* Morinus ostendit, paganos pro defunctis suis preces adhibuisse, et credidisse, eorum animas a pœnis ad gaudia transire. Quare iis applicabant sacrificia, quæ Græci τελετάς, Romani *justa* vocabant, iisque animas purificari opinabantur. Idem auctor (ibid., p. 125) fragmentum aliquod refert, a Porphyrio asservatum, quo patet, eamdem fuisse Ægyptiorum consuetudinem. Quam porro consuetudinem reliquos paganos ab Ægyptiis mutuatos esse ait, Ægyptios autem a Judæis. — Inde quoque tantâ celebritate commemorantur *Tartarus* et *Campi Elysii* a poetis, de quibus Plato: *Quicumque poetarum divini sunt homines, traduni animam esse immortalem (Meno, ante med.).*

primis hoc volunt persuadere (Druides), *non interire animas* [1]. Itemque de Germanis Appianus: *(Germani)*, inquit, *mortis... contemptores persuasione futuri in vitam reditûs* [2]. Idem de Gothis refert *Joannes Magnus* [3]; idem *le Mascrier* [4] de Sinarum incolis, qui pro defunctis preces adhibere solent; idem de Japoniis *Kircher* [5], de Peruvianis *Garcias Laso* [6]. Et *P. Hayer* in opere: *De Spiritualitate et Immortalitate animæ* [7] multos enumerat prorsus incultos populos, qui animæ immortalitatem credunt.

Germani. *Gothi.* *Sinenses.* *Japonii.* *Peruviani.*

Quæ omnia planum faciunt, eam fidem esse naturæ sententiam; si autem a naturâ proficiscitur, pro verâ haberi debet; quandoquidem natura non dictat falsum: *Omni autem in re*, inquit Cicero, *consensio omnium gentium, lex naturæ putanda est* [8]. Tum vero adjungit: *Atque hæc ita sentimus naturâ duce, nullâ ratione, nullâque doctrinâ. Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare* [9]. Et propter hanc omnium hominum consensionem Seneca: *Quum de animorum æternitate disserimus*, inquit, *non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium; utor hac publicâ persuasione* [10].

Bayle ambigue loquitur.

24. Non est ita, inquit *Bayle; siquis dicat, verum esse id quod doceat natura, illud equidem nego, et monstrabo, ad acquirendam sapientiam nihil magis esse necessarium, quam non obsequi impulsionibus naturæ, ad vindicationem et superbiam instigantis* [11]. — Tu vero, *Bayle*, quum vindicationem et superbiam nominas, de naturâ loqueris, quæ animi passionibus se duci sinit; quum nos de naturâ loquamur, quæ ducem adhibet rationem: hæc autem et vindicationem et superbiam reprobat; quapropter immerito negas, verum esse id quod doceat natura.

25. Quid multa? — Indi, Japonii, Turcæ aliique barbari nos immortales esse credunt. Quid ergo est, quod apud Christianos, atque etiam in hac nostrâ Italiâ (ut ex pluribus locis ad me perfertur) tam multi asserant, hominem meram esse machinam, quæ in morte dissolvatur et esse desinat? Atque idcirco talia jactant, ut licentiæ frenum auferatur, et cujuslibet iniquitatis horror evanescat. Eheu! quo miseriæ devenimus! Tam horrenda nequitia plures doctos piosque viros impulit (ex quorum laboribus me collegisse fateor, quæ in hoc opusculo scripsi) ad componenda plura volumina, quibus explicarent nobisque persuaderent, nos æternos esse, non mortales; spiritus, non machinas; homines, non bestias.

Quod Barbari credunt. Christiani rejiciunt!

26. Atvero, inquiunt Deistæ, Hebræi eorumque etiam Patriarchæ et Prophetæ, nequaquam immortalitatem animæ vitamque æternam crediderunt. — Sed merum mendacium proferunt; nam primum in historiâ creationis, quam Moyses juxta patrum suorum traditionem conscripsit, probe distinguitur corpus ab animâ, et quum corpus *pulvis* dicatur, anima dicitur spiritus seu *spiraculum vitæ* [12]. Præterea Jacob vitam suam his in terris peregrinationem esse existimabat; Pharaoni enim interroganti, quot annos natus esset: *Dies peregrinationis meæ*, respondit, *centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt* [13]. Peregrini sunt, qui extra patriam degunt, et ad eam pervenire contendunt; eoque spectabant Patriarchæ, ut monet Apostolus, qui de Abraham, Isaac et Jacob loquens: *Confitentes*, inquit, *quia peregrini et ho-*

Dogma immortalitatis apud Hebræos: a apud Patriarchas et Prophetas: Moyses. *Jacob.* *Abraham. Isaac.*

[1] De Bello Gallico, lib. VI, cap. 14. — [2] Romanæ Historiæ; De Bellis Gallicis Liber; post med. — [3] *Joannis Magni, Gothi, Archiepisc. Upsalensis* Hist. de omnibus *Gothorum* Regibus, lib. I, cap. 13.

[4] *Histoire... des... Coutumes religieuses (Paris,* 1741), *tom.* V, *chap.* 4, *pag.* 380. Immo potius adorari et coli defunctos narrat (Nota edit.).

[5] China illustrata, pars 3, cap. 2. — [6] *Histoire du Pérou.* — [7] *La Spiritualité et l'Immortalité de l'Ame; tom. III; v. fin., p. 305 seq.* — [8] Tuscul. Disp., lib. I, cap. 13. — [9] Ibid., cap. 14. — [10] Ep. 117, ad *Lucilium.* — [11] *Réponse aux Questions d'un Provincial, part. 2, chap. 105.* — [12] Gen., II, 7. — [13] Gen., XLVII, 9.

spites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant, se patriam inquirere [1].

Balaam. **27.** Ad hæc Balaam exclamabat: *Moriatur anima mea morte justorum!* [2] Qui sic loquitur, ostendit, hac vitâ defunctum

David. alteram vitam se exspectare. — David quum dicit: *non derelinques animam meam in inferno* [3], mortuorum resurrectionem se credere declarat. Item pluribus locis æternam beatitudinem memoravit: *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo; delectationes in dexterâ tuâ usque in finem* [4]. Et alio loco: *Satiabor*, inquit, *quum apparuerit gloria tua* [5]. Et alibi de beatis pronuntiat: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* [6]. Quæ omnia designant, eum credidisse, æterna bona præparata esse

Daniel. animis. — Similiter Daniel: *Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi: et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum* [7]. Sed impius *Collins* non erubescit asserere (pag. 222), *tam gravem veritatem a Salomone liquido negari* [8]. Quâ in re iis textibus innititur, de quibus suprà (*num.* 4, 5 et 6) egimus. Ad eos autem satis idoneum responsum reddidimus; quum ex alterâ parte multi adsint ejusdem Sapientis loci, quibus animæ immortalitatem apertissime explicat.

Salomon. En quomodo in Libro Sapientiæ loquentes inducat improbos, qui in inferno jam commorantur: *Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra.... Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt* [9]. Quid clarius desideratur? — Alibi affirmat: *Sperat autem justus in morte suâ* [10]. Quid in morte sperare potest justus nisi bona post mortem sibi reservata? — Præterea: *Memento*, inquit, *Creatoris... antequam... revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* [11]. Hîc indicat discrimen inter corporis et animæ conditionem post mortem.—Isaias Propheta scribit: *Justus perit.... Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione suâ* [12]. Moritur quidem justus, sed pacem reperiet et requiem propter bonam vitam his in terris exactam. Idem alio loco: *Vivent mortui tui*, inquit, *interfecti mei resurgent* [13]. Quomodo mortui vivunt, nisi quod ad meliorem vitam resurgunt? — Et clarius etiam in hunc modum locutus est Daniel: *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, et alii in opprobrium..., et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ (fulgebunt) in perpetuas æternitates* [14].

Isaias. Daniel.

28. Neque ii tantum, qui apud Hebræos doctrinâ erant eruditi, cognitam habebant animæ immortalitatem, sed etiam populares, quibus parentes et doctores illud tradere non omittebant. Quod quidem maxime ex iis patet, quæ acciderunt, quum Saul ab hostibus premeretur neque ullum a prophetis vel sacerdotibus responsum habere posset. Illico enim pythonissam adiit, ut evocaret animam Samuelis. Qui quum ei apparuisset, imminentem ruinam denuntiavit [15]. Rex ergo et populus credebant, post corporis mortem animas vivere. Quare Tobias: *Quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab Eo* [16].

[b] apud plebem. Pythonissa. Tobias.

29. Accedit testimonium Josephi Hebræi, qui de suâ natione refert: *Futurum omnino credunt, ut illis, qui leges servaverunt... vitæ vicissim alterius longeque melioris fructum Deus largiatur* [17]. Origenes quoque Judæos testatur, *vix natos et adhuc balbutientes didicisse animæ immortalitatem, subterranea tribunalia, mercedem recte viventibus destinatam* [18].—Fallitur ergo *Arnaldus (Arnauld)*, quum as-

Testimonium Josephi. Testimonium Origenis. Arnauld.

[1] *Hebr.*, XI, 13 et 14. — [2] Num., XXIII, 10. — [3] Ps. XV, 10. — [4] Ibid., v. 11. — [5] Ps. XVI, 15. — [6] Ps. XXXV, 9. — [7] *Dan.*, VII, 18. — [8] *Discours sur la Liberté de Penser, sect. 3, chap. 6, n. 11.* — [9] Sap., V, 8-14. — [10] Prov., XIV, 32. — [11] Eccl., XII, 1-7. — [12] *Is.*, LVII, 1 et 2. — [13] XXVI, 19. — [14] *Dan.*, XII, 2 et 3. — [15] 1 Reg., XXVIII, 5 seq. — [16] *Tob.*, II, 18. — [17] Contra *Appionem*, lib. II. — [18] Contra *Celsum*, lib. V, n. 42.

serit: *Summæ ignorantiæ est, in dubium vocare hanc veritatem, quæ numeratur inter vulgatissima Christianæ Religionis effata, et ab omnibus Patribus rata habetur, Veteris Testamenti promissiones solummodo terrenas fuisse, et Judæos non coluisse Deum nisi propter bona carnalia* [1]. Sed his verbis in opere suo: *De Moribus Israelitarum* eum refellit clarissimus *Fleury: Judæi distincte noverant, non esse nisi unum tantum Deum..., Eumque post hominum mortem singulas eorum actiones judicare; ex quo illud consequitur, animam esse immortalem et alteram vitam existere* [2]. Sed etiamsi ad *Arnaldum* redarguendum nulla alia ratio afferri posset, satis essent ea verba, quibus unus ex Machabæis fratribus respondit Antiocho, quum ad violandam legem provocaretur: *Tu quidem, scelestissime, in præsenti vitâ nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit* [3].

Machabaei.

30. Asserit Deista quidam, Judæos, quum apud Persas paganos captivi degerent, ab iis didicisse eam animæ immortalitatem. — At si Judæi doctrinam a Persis mutuati essent, item ab iis accepissent, duplex dari principium, bonum unum, alterum malum, atque etiam adorari debere solem et lunam. Sed tantum abest, ut Judæi secuti sint Persarum doctrinam, ut eam contrà detestarentur; quod probe monstrarunt ii, qui cum Nehemiâ in patriam reversi sunt: et similiter qui in Perside remanserant, fidem tamen suam retinuerunt, quam occasionem Aman arripuit, ut ex edicto regis eos omnes interimeret. — Item falso asseritur, numquam accidisse, ut Judæorum aliquis morti se offerret, ne legem perfringeret. Constat enim, Sidrach, Misach et Abdenago in ignem se conjici maluisse quam ut regis Nabuchodonosor statuam adorarent. Daniel pariter, quum religionis causâ persecutionem pateretur, in lacum leonum lætus descendit.

Deistæ cujusdam calumnia.

Martyres apud Judæos.

CAPUT XIX.

DE VITÆ FUTURÆ PRÆMII AC PŒNÆ ÆTERNITATE.

Quare æterna sint præmia et pœnæ.

1. Sed, inquiunt increduli, si bonis in alterâ vitâ remuneratio, malis pœna tribuitur, quid causæ est, quod utraque æterna esse debeat? — Quid causæ est? Paucis respondeo: Paradiso Deus amorem remuneratur; si illic beatorum amor in æternum durat, æquum est, æternam quoque esse eorum mercedem. Inferno contrà Deus punit peccatum; si in æternum ibi durat peccatum damnatorum, æquum est, æternam quoque esse eorum pœnam. — Alia ratio est perfectæ felicitatis naturale desiderium, ab ipso Deo singulorum hominum animis infusum; quæ ratio non solam animæ immortalitatem demonstrat (ut diximus in superiori Cap., *n. 13*), sed etiam mercedis æternitatem. Si enim animæ felicitas non foret æterna, non solum imperfecta esset, sed ex eo quod deberet vel posset deficere, amara fieret et cruciatu plena. — Ceterum, ut certa nobis fiat ea veritas, satis est Dei verbum, quo docemur, æternam esse alterius vitæ et felicitatem et miseriam. Unde extremo sæculorum die his verbis divinus Judex electos compellabit: *Venite benedicti..., possidete... regnum* (illud nempe regnum, cujus *non erit finis* [4]); reprobos vero: *Discedite a Me, maledicti, in ignem æternum* [5].

a Rationes intrinsecæ.

b Scripturæ testimonia.

[1] *Seconde Apologie de Jansenius, liv. II, chap. 8.* — [2] *Mœurs des Israélites, part. 2, chap. 20.* — [3] 2 *Mach.*, VII, 9. — [4] *Luc.*, I, 33. — [5] *Matth.*, XXV, 34 et 41.

Non solum ignis, sed ipsa pœna semper durabit. Probatur.

2. Nec dici potest (cum iis, qui reprobos pœnâ eximere volunt), ignem quidem æternum esse futurum, non vero æternam eorum pœnam. — Nam respondetur primum, si non aliam ob causam a Deo creatus est ille ignis nisi ad puniendos maleficos, ut ajunt Scripturæ: *Ignis succensus est in furore meo* [1]. — *Siquis in Me non manserit..., colligent eum, et in ignem mittent* [2]; cur creatus esset æternus, si non esse deberet æternum instrumentum, quo castigarentur peccatores? Respondetur secundo, si eo textu non exprimatur, pœnam esse æternam, ex multis aliis textibus illud constare: *Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam* [3]. Itaque sicut in præmium justis datur vita æterna, sic æternum supplicium reprobis in pœnam. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini* [4]. — *Vermis eorum non morietur* [5]. — *Dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum* [6]. — *In stagnum ignis et sulphuris, ubi... cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum* [7]. — *Quærent homines mortem, et non invenient eam; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis* [8].

Idem declaravit Synodus V [9], in quâ (ut referunt Evagrius [10], Nicephorus [11], Theophanes [12], Photius [13] aliique apud Tournely [14]), Vigilio Summo Pontifice, damnatus est Origenes [15], qui asserebat: *Omnium impiorum hominum et etiam dæmonum tormenta finem habitura.* Idem quoque Synodus VI [16] (Act. 18) et VII [17] (Act. 1). Et Concilium Lateranense IV: *Reprobos in pœnam æternam ituros* [18]. Idem denique Tridentina Synodus [19].

Justa est pœnæ æternitas:

3. At, inquit unus ex nostræ ætatis incredulis, ecquæ justitia est, æternam constituere pœnam culpæ momentaneæ? — Respondemus, divinam Justitiam merito æternam illam pœnam expetere ab offensione Deo illatâ, idque ob plures easque evidentes rationes. Et primum quidem, quum sit delictum malitiæ quodammodo infinitæ (ut ait S. Thomas [20]) ob despectum Deum infinitæ Majestatis, infinita ei deberetur pœna: quod autem pœnæ *intensive* infinitæ capax non sit creatura, juste ei irrogatur pœna *extensive* infinita. Et (inquit S. Augustinus [21], directe adversariis respondens) quæ umquam lex statuit, tempus pœnæ æquale esse debere culpæ tempori? Humanæ leges etiam in momentanea delicta perpetuas in totam vitam pœnas constituunt.

a peccati malitia;

4. Secunda ratio hæc est: Sicut anima est corporis vita, sic gratia est vita animæ; quo fit, ut grave peccatum dicatur mortale, quod animæ tollat gratiæ vitam. Quemadmodum autem, occiso homine, corporis mors sine divinæ Potentiæ miraculo est irreparabilis, ita pariter irreparabilis est mors animæ, quam peccator peccando interemit. Et quamquam pro suâ misericordiâ Deus hac in vitâ multis animis veniam dare et amissam gratiæ vitam restituere solet, non ita in alterâ vitâ agit; quandoquidem hanc legem statuit ejus Providentia, ut in præsenti vitâ temporali, non vero in æternâ vitâ misericordiam cuiquam tribuat.

b mors animæ;

5. Tertia ratio: Hac in vitâ Deus peccatori ignoscit; sed ei tantum peccatori, quem deliquisse pœnitet; secus ne Deus quidem veniam ei tribuere posset. Atqui

c damnati obstinatio;

[1] *Jerem.*, XV, 14. — [2] *Joan.*, XV, 6. — [3] *Matth.*, XXV, 46. — [4] 2 *Thess.*, I, 9. — [5] *Isai.*, LXVI, 24. — [6] *Judith*, XVI, 21. — [7] Apoc., XX, 9 et 10. — [8] Apoc., IX, 6. — [9] i. e. *Constantinop.* II. Adversus *Origenem*, can. 12 et 13. — [10] Historia Eccl., lib. IV, cap. 38. — [11] Hist. Eccl., lib. XVII, cap. 27. — [12] Chronographia, a° 545. — [13] Syntagma Canonum, tit. 1, cap. 1; Epist. 1. — [14] Comp. Theol. De Angelis, quæst. 11, art. 4.

[15] Comment. in Ep. ad *Romanos*; lib. V, n. 7; lib. VIII, n. 11 (*Quamvis permaneat quis in peccato* [inquit, lib. V, n 7], *quamvis sub mortis regno et potestate perduret, non tamen ita æternum istud mortis esse arbitror regnum, ut est vitæ atque justitiæ; maxime quum novissimum inimicum, mortem, ab Apostolo audiam destruendum.* Nota edit.).

[16] i. e. *Constantinop.* III. — [17] i. e. *Nicæn.* II. —

[18] Cap. 1, de Fide Cathol.: *Resurgent... ut recipiant... illi (damnati) cum diabolo pœnam perpetuam* (Nota edit.).

[19] Sess. 6, can. 25; sess. 14, can. 5. — [20] Opu-sc. 2, Compend. Theologiæ, cap. 183. — [21] De Civit. Dei, lib. XXI, cap. 11.

peccatorem in peccato morientem gratia deserit; quin etiam ejus voluntas adeo remanet in peccato et in Dei odio obstinata, ut etiamsi Deus peccatum condonare vellet, ille tamen veniam ejusque gratiam respueret. Damnatus omne mali remedium recusat; quo fit, ut desperata sit curatio. *Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari?* [1] Itaque quum æterna sit anima (ut suprà probavimus), et æternum ejus delictum, pœna quoque debet esse æterna; quod his verbis declarat S. Marcus: *Non habebit remissionem in æternum; sed reus erit æterni delicti* [2].

d separatio a Christi meritis.

6. Præterea peccator ex semetipso non potest placare Deum; neque ejus pœnitentia divinæ Justitiæ offensæ dignam exhibere satisfactionem: hac in vitâ Deus ei ignoscit, quatenus ei applicantur Jesu Christi merita, quorum quidem capax est hac in vitâ, et per quæ satisfit divinæ Justitiæ. At in inferno, ubi *nulla est redemptio* [3], Deum jam placare nequit, utpote non amplius idoneus, cui applicentur Redemptoris merita; et sic recipiendæ veniæ remanet inhabilis.

Falsa incredulorum doctrina.

7. Auctor epistolæ *de essentiali hominis religione* [4], Deum ait, peccatum interdicere, non ob injuriam, quam Sibi infert, sed propter damnum, quod in alterâ vitâ affert peccatori; quamquam (subjungit) tale damnum non diu durabit: quum enim Dominus hominem creando non alium habuerit finem, quam ut felicem eum redderet, certo a pœnis omnes damnatos eripiet, ut hunc attingat creationis finem. Huc quoque recidit alius auctor ejusdem furfuris, qui *de Moralis Philosophiæ Principiis* agens, peccatorum in alterâ vitâ pœnam positam esse ait in dolore, quod leges violaverint; sed ipse dolor, inquit, *quod viam felicitatis reliquerint, eos coget,* Refellitur. *iterum in eam redire viam* [5]. Ex quibus patet, quibus erroribus teneantur, qui a fidei principiis recedunt. — Ideo sane Deus hominem creavit, ut felicem eum redderet; hac tamen conditione, ut ad finem suum consequendum suam quoque operam conferat. Quodsi homo, spreto Deo, finem suum spernat, non potest Dominus inde non offendi, suumque non damnare offensorem; quo casu, si non glorificabitur misericordiæ manifestatione, ex manifestatione justitiæ gloriam consequetur.

Objicitur 1. Vox *æternum*. Respondetur.

8. Objiciunt *Sociniani* primum, in divinis Scripturis vocem *æternum* non semper æternitatem, sed sæpe longum temporis spatium significare; idque ex pluribus textibus colligunt. — Respondetur, naturâ suâ vocem *æternum* sine ullâ dubitatione significare *sine fine*. Est autem theologorum certa regula, divinas Scripturas proprio et naturali sensu esse interpretandas, quoties ad aliam interpretationem non cogant sermonis adjuncta; id quod hic certe non accidit, sed ex iis, quæ suprà diximus, prorsus contrarium inferri debet. — Sed ex ipsis Scripturis constare ajunt, non esse æternam inferni pœnam; dicit enim David: *Miserator et misericors Dominus; longanimis et multum misericors. Non in perpetuum irascetur; neque in æternum comminabitur* [6]. — Instant: *David* Ps. CII. Respondetur. Verum talia dicuntur de iis, qui contrito animo ad Deum se convertunt; quum Deus non ignoscat neque ignoscere possit peccatori, nisi ad Deum convertatur: *Convertimini ad Me, ait Dominus exercituum; et convertar ad vos* [7]. Præterea dicuntur de præsenti vitâ; nam in alterâ quicumque in peccato mortuus fuerit, jam non est idoneus, ut peccato doleat, nec habetur, qui eum redimat a peccato: *Non est, qui redimat, neque qui salvum faciat* [8]. Impio igitur, qui impius moritur, nulla spes salutis remanet: *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes* [9].

Objicitur 2. *S. Paulus* Rom. XI.

9. Objiciunt secundo illud S. Pauli: *Conclusit enim Deus omnia in increduli-*

[1] *Jerem.*, XV, 18. — [2] *Marc.*, III, 29. — [3] Offic. Defunctor. — [4] *Lettere sulla Religione essenziale all'uomo* (Apud *Valsecchi, Fondam. della Relig., lib. III, parte 1, cap. 10, n. 4.* — [5] *Principes de Philosophie Morale; Génève, 1754, § 163, 164* (Apud *Valsecchi*, l. c., n. 7). — [6] Ps. CII, 8 et 9. — [7] *Zach.*, I, 3. — [8] Ps. VII, 3. — [9] Prov., XI, 7.

tate; ut omnium misereatur [1]; ex quo colligere volunt, damnatorum pœnam non esse in æternum duraturam. — At S. Augustinus [2] explicat, ea verba non esse dicta de misericordiâ damnatis tribuenda; sed significare, Deum Hebræos ad fidem vocando, iis exhibiturum esse eam misericordiam, quam Gentilibus tribuit.

Respondetur.

3. Finis creationis.

10. Objiciunt tertio, Deo quidem dignum esse, æternam salutem afferre hominibus, quum ad eum finem eos creaverit; sed ob eamdem rationem divinæ Bonitati non convenire, in æternum eos damnare. — Respondetur cum S. Thomâ [3], Deum licet homines æternæ felicitati creaverit, voluisse tamen, ut non solius gratiæ viribus, sed suâ quoque cooperatione eam sibi acquirerent. Quapropter solius hominis culpa omnis est, quum ad salutem cooperari renuens in perniciem incurrit. Deus porro justis de causis peccatum permittit, et ut rectus universi ordo servetur, et ut magis resplendeat justorum fidelitas: *Oportet et hæreses esse,* inquit Apostolus, *ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis* [4].

Respondetur.

4. Homo ad nihilum redigetur.

11. Objiciunt quarto, æternam illam damnatorum pœnam non consistere in æternis cruciatibus, sed in eo sitam esse, quod post temporariam et delictis consentaneam pœnam a Deo ad nihilum redigantur; illudque commentum inniti ajunt divinis Scripturis, quæ declarant, perditionem et interitum reprobis servari: *Nullum est operimentum perditioni* [5]. — *Vasa iræ, apta in interitum* [6]. Voces illæ *perditionis* et *interitûs* (inquiunt) consummationem et finem designant. — At respondetur, declarare ipsum Apostolum, idcirco reprobos vocari mortuos, quatenus Dei visione in perpetuum privati sint et æternis pœnis addicti: *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini* [7].

Respondetur.

5. Inutilis esset pœnæ æternitas.

12. At, inquit impius ille *Bayle* [8], pœnæ constituuntur vel ad correctionem delinquentium vel etiam ad reliquorum exemplum. Quid ergo proderit damnatos in æternum cruciari, quum nulla spes remanserit neque eorum correctionis neque exempli aliis ponendi? — Respondetur primum, nonnullas quidem pœnas esse in medicamentum, alias vero in vindicationem et punitionem ipsius culpæ. — Respondetur secundo, allatam regulam in judiciis humanis, non autem in Dei judiciis valere: puniendo humanus judex respicit tantum reipublicæ bonum, eamque ob causam non aliud quærit nisi aut correctionem delinquentis aut ceterorum exemplum; Deus vero damnatos puniens non tantum consulit correctioni vel exemplo, sed hoc potissimum spectat, ut sua manifestentur attributa; quocirca æternæ reproborum pœnæ, quamvis in consummatione sæculi neque iis neque aliis profuturæ sint, valebunt tamen, ut divinæ Justitiæ ordo resplendeat.

Respondetur.

Beatorum præmium semper durabit.

13. Et quemadmodum æternus est infernus, quem Deus perversis minitatur, ita quoque æternus est paradisus, quem justis promittit. Quod ut certum nobis fiat, satis est audire sententiam, quam in finali judicio Jesus Christus pronuntiabit: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* [9]. Neque ignoramus, Jesu Christi regnum non habere finem; quod S. Gabriel B. V. Mariæ his verbis enuntiavit: *Et regni ejus non erit finis* [10]. Atque idem in Eucharistiâ Se sumenti promittit Dominus: *Qui manducat meam carnem... habet vitam æternam; et Ego resuscitabo Eum in novissimo die* [11]; promittit, ad vitam æternam Se eum esse resuscitaturum.

Probatur.

Christus tali promissione suos erigit.

14. Eâ promissione nos incitat ad hujus vitæ ærumnas quieto animo tolerandas, quod in alterâ vitâ iis, qui salutem consequantur, mortem ultra non esse ostendat: *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra* [12]. Si

[1] *Rom.*, XI, 32. — [2] De Civ. Dei, lib. XXI, cap. 24, n. 6. — [3] Contra Gentes, lib. III, cap. 1. — [4] 1 *Cor.*, XI, 19. — [5] *Job*, XXVI, 6. — [6] *Rom.*, IX, 22. — [7] 2 *Thess.*, I, 9. — [8] *Diction. histor. et crit., art. Socin, not. L.* (Socinianos loquentes inducit. Nota edit.). — [9] *Matth.*, XXV, 34. — [10] *Luc.*, I, 33. — [11] *Joan.*, VI, 55. — [12] Apoc., XXI, 4.

in cælis mors ultra non erit, vita erit æterna. Eodem modo nos excitat, ut terrenis despectis, comparemus cælestes thesauros, qui numquam deficient neque umquam auferri possunt: *Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo; ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur* [1]. Ita denique asseverat Apostolus, breves levesque hujus vitæ ærumnas numquam desituram gloriam nobis esse allaturas: *Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* [2]. Quid multa? Beatus in cælo ipsius Dei beatitudinis particeps fiet: *Euge, serve bone et fidelis,... intra in gaudium Domini tui* [3]. Itaque sicut Dei felicitas æterna erit, sic quoque æterna erit gloria beatorum, qui (ut ait David [4]) in sæcula sæculorum laudabunt Dominum.

Conclusio contra incredulos.

15. Ergo, si ad salutem pervenerimus, æterna nobis erit felicitas; sin vero in damnationem inciderimus, pernicies æterna. Quibus positis, equidem assero: Etiamsi increduli, qui *spiritus nulli præjudicatæ opinioni obnoxios* se vocant, nonnullas sibi probabiles haberent rationes pro falsis suis opinionibus, Deum videlicet non existere, animam unà cum corpore mori, posse unumquemque in qualibet religione salutem consequi, neque æternum esse infernum; ad summum tamen dubiæ ipsis essent illæ opiniones. Si porro fidei nostræ veritates ideo negent, quod eas (licet nobis evidentes sint) sibi tamen dicant non esse evidentes, profecto numquam credere poterunt, fidem nostram evidenter esse falsam. Ex alterâ parte negari nequit, Christianam nostram religionem et propter auctoritatem tot hominum, qui doctrinâ eruditi omnique pravo sensuum affectu liberi, eam amplexi sint, et propter rationes, quæ pro eâ militent, saltem (illâ voce hic utamur) saltem probabilem esse et verisimilem. Vel ipsi increduli, quantumvis contrarium sibi persuadere conentur, nequeunt tamen excutere formidinem, quâ in ipsâ incredulitate anguntur, tum potissime, quum mentis aciem minus obscuratam habent libidinum impetu et belluino sensuum fomite.

Amplectenda esset fides, etiamsi esset dubia.

16. Atqui licet etiam dubia essent fidei nostræ dogmata, omnis tamen ratio et prudentia expostularent, ut ea sequeremur. Nonne stultus esset mercator, qui ut unius nummi lucrum faceret, totius patrimonii amittendi adiret periculum? Nonne stultus rex, qui ad viculum quemdam adipiscendum, totum regnum in aleam daret? Nec pro stulto id habebitur, cum incredulis sequi sententiam, quæ si vera esset, nullum utilitatis fructum præberet; sin falsa (qualis certo est), æternam afferat perniciem? Ex uno eorum, qui ut ad suum arbitrium vivere possint, omnia in dubium vocant, quod nostræ religionis veritates certas non esse contendant, equidem quærere vellem: Numquid de opinionum tuarum veritate eam sponsionem facere velles, ut in discrimen dares vitam tuam? Minime quidem. Atqui æternam vitam in discrimen dare non renuis? Nonne vides, cæco impetu amplecti quidquid placet, sine ullo vel legis vel rationis respectu, non esse hominis sed pecudis, ratione carentis? Non ad animi cupiditates, sed ad rationem et fidem dirigenda est religio. Fidei nostræ mysteria, si nobis evidentia non sunt, sunt tamen evidenter credibilia et certa. Religionis veritates speculativæ, intellectu credendæ, non physicis nec geometricis argumentationibus probari possunt, sed rationibus, ad fidem menti faciendam accommodatis.

Sic præcipit vera prudentia.

17. At, inquiet, regula est, certum pro incerto relinqui non debere. — Respondeo primum, eam esse non posse communem rerum quarumlibet regulam. Quodsi ita esset, nemo ad lucrum percipiendum mercaturas jam facere deberet, nemo ad scientiarum studia incumbere, nemo in bellis vitam exponere, ut honoribus vel fortunis augeretur: incerta enim

[1] *Matth.*, VI, 20. — [2] 2 *Cor.*, IV, 17. — [3] *Matth.*, XXV, 23. — [4] Ps. LXXXIII, 5.

sunt et lucra et fortunæ; idque eo magis, siquis lucro non percepto, omnia perdere deberet; quod reverâ hic accideret, quum non solum agatur de æterno regno et gaudiorum pleno bonâ vitâ acquirendo, sed etiam de æternâ calamitate malâ vitâ sibi attrahendâ. — Respondeo præterea, item incerta esse oblectamenta. Quis nobis pollicetur, ea nos esse consecuturos? Ecquis, ut iis frui possimus, valetudinem certo nobis sustentabit? Maxime si immoderate ea quæsiverimus, quum talibus oblectamentis necessario profligetur valetudo? Quis saltem annuntiabit, ad ea perfruenda vitam et tempus non esse defuturum, quum adeo incerta sit vita nostra? Quodsi incerta sunt omnia, nonne stultus esset, qui incertum nummum se consecuturum sperans, spem abjiceret comparandi sibi decies centena millia nummorum? Nec stultus erit, qui et boni æterni abjiciat spem, et simul periculum adeat in æternum malum incurrendi, quod speret, pauca et brevia se adepturum esse oblectamenta, eaque etiam venenata? Quandoquidem illicitum delectamentum plus doloris quam gaudii affert ob angoris formidinisque venenum, quod culpa secum importat. Si duas homo haberet animas, earum unam (licet tum quoque inconsulte ageret) in aleam dare posset: quum vero unam tantum habeat, eam si perdiderit, æterna est et irreparabilis ejus pernicies. Quapropter, etiamsi incerta esset nostra fides, prorsus expostularet ratio, ut unusquisque abstineret paucis illis et exiguis bonis, quibus his in terris frui possit, ad comparandam sibi immensam atque æternam felicitatem, et declinandum periculum in æternam miseriam ruendi.

Ita consulitur veræ felicitati.

18. Præterquam quod, si verum fateri volumus, in præsenti etiam vitâ, dulcedinem reverâ afferunt sola licita oblectamenta: hæc quippe pura sunt et ab omni culpâ remota neque obnoxia dolori, angoribus et formidini, quibus se subtrahere nequeunt dissoluti homines. Et frustra quidem omnibus modis sibi persuadere conabuntur, falsas esse æternas veritates; funesti enim illi peccatorum effectus minime oriuntur ex præjudicatâ educationis opinione, ut somniant increduli; sed ipsâ naturâ imprimuntur. Quod nisi ita esset, cur timeat incredulus, si nullam se admisisse culpam arbitretur? Cur libere et aperte exercitatur virtus, vitium timide et cum rubore? Qui autem et recte credit et bene vivit, ætatem quietam traducit nec timet, quum culpæ sit immunis. Accedit, quod virtutes, ut castitas, justitia, temperantia, animæ sunt comites, quæ non solum ejus tranquillitatem servent, sed etiam improborum venerationem habeant. Antiqui philosophi omnibus sensuum delectationibus anteponebant virtutes, licet in iis non esset nisi vana quædam virtutis species, utpote quæ ex gloriæ cupidine oriretur. Oh, quantopere oblectamenta animi sensuum oblectamentis antecellunt! — Quæ omnia argumento sunt, bonum et malum non esse tantum humanæ mentis commenta, sed reverâ etiam existere: Deus enim infinitæ Bonitatis in naturâ impressit virtutis amorem et horrorem vitii.

Quænam sit infidelitatis origo.

19. Sed quid est, inquiunt increduli, quod eædem illæ veritates manifestæ sint vobis, nobis vero abditæ? Idcirco ita accidit, respondeo, quia mentem obscurant vitia. Videt quidem oculus; at fasciâ obtectus jam non videt, quantumvis magna lux resplendeat. Qui vitiis abstinet, haud difficulter recte credit; numquam vero recte credere potest, qui vult male vivere. Siquis male vivit, sua interesse existimat, omnem fidem abjicere, ut sine conscientiæ angore peccare sibi liceat; sic autem ad commodum, non ad rationem se dirigi sinit. Nec quisquam Deum ejusque veritates umquam negavit, quin prius Eum offenderit. Cogitatio pœnæ, quæ culpam sequitur, impedit quominus homo illicitis hujus vitæ oblectamentis libere fruatur; eamque ob causam qui vitiis est deditus, facile exoptat, ut vitiose viventibus nulla constituta sit pœna; qui autem talia exoptat, eo facile procedit, ut idem vel credat vel certe in dubium revocet, quo peccata

minus remordeant. Si quis statuerit dubium habere ultimum Symboli articulum: *Credo in vitam æternam*, jam in eo est, ut in dubio ponat et primum articulum: *Credo in Deum.* — Si ergo probabilia tantum vel dubia essent fidei nostræ dogmata, existere nempe Deum remuneratorem, corpus quidem mori, immortalem vero esse animam, pœnas dari æternas; tutiorem tamen sequi religionem (ut diximus) omnino deberemus; quum de æternâ salute agatur, quâ in re si quis erraverit, et ea vera sint, quæ Christiana Religio tradat, in æternum jam corrigi nequit error. Minime vero; dogmata illa non dubia, sed certa sunt et evidentia: quamquam enim (ut initio diximus) ipsa religionis nostræ mysteria nobis non evidentia sunt, sed obscura (in hoc quippe consistit fidei meritum, quod ea credimus, quæ non intelligimus); hoc est tamen evidens, fidem nostram esse veram fidem, et certa, quæcumque nobis credenda proponat. Miseri illi increduli, qui dum flagitiose vivunt, omnia in dubium et controversiam vocant, ut se expediant conscientiæ angore pœnæque formidine, jamjam morituri percupient sane, fidem se habuisse vitamque egisse vere Christianam, sed illud iis accidet, quod illi incredulo, quem morti vicino memoranda hæc protulisse verba legimus: *Tandem equidem credo, quæcumque antea negavi; sed jam serius est, quam ut gratiam resipiscendi sperare possim.* Quibus dictis, animam efflavit [1].

Recapitulatio alterius partis.

20. Sed jam ad alterius hujus partis conclusionem veniamus. Unusquisque hominum cupit felix esse, idque in perpetuum. Eo autem pervenire nequit his in terris, ubi paucis annis commoratur, nec quidquam reperit, in quo animus plene acquiescat; quin etiam in seipso assiduam experitur pugnam, quum rationi caro semper adversetur. Quænam hujus rei causa sit, et quomodo felicitatem suam in tuto collocare possit, ignorat. Audit, ea omnia a Deo esse revelata; quapropter inquirit, cuinam populo concreditum sit hujus revelationis depositum. Judæi partem quidem, sed non omnia ei detegunt. *Mahumedani* etiam plura de præsenti et de alterâ vitâ ei loquuntur; at vero quid dicant, non reperiunt. Ad Christianos recurrit, et hi religionis suæ antiquitatem demonstrant rationibus, quas suppeditant ipsi Judæi adversarii, qui cum sanctis Scripturis primas Dei revelationes acceperant. Esse autem verum hunc sacrum librum, probant ipsa Judæorum obstinatio et miseranda eorum conditio, quæ antequam dispergerentur, jam prædictæ erant in eodem libro. Quo palam fit, hunc librum neque ab ipsis Judæis fuisse confictum, neque a Christianis, quibus illud certo a Judæis objiceretur; quum præterea et ante et post Judæorum ruinam toto orbe tam multa exemplaria diffusa essent, ut singula corrumpi nullo modo potuissent. Sacrum illud volumen seipsum confirmat miraculis, in eo relatis, quæ coram infinitâ hominum multitudine atque in eorum oculis patrata sunt. Præterea confirmatur ex prophetiis ante rerum eventus conscriptis; quas quidem prophetias ob eamdem rationem, quam suprà attulimus, Christiani confingere non potuerunt. Hic autem liber detegit mundi originem, creationem hominis et causam perturbationis, quæ in homine cernitur. Ibi clare prædictæ leguntur redemptio hominum, electi populi rejectio, conversio gentium et nova lex a Messiâ statuenda. Tum ejus adventus novæque legis constitutio mille signis iisque certissimis comprobantur: impletione eorum omnium, quæ prædicta erant; Judæorum pœnâ; conversione mundi et miraculis, a Jesu Christo ejusque Apostolis patratis. Quis ergo in dubium vocare possit religionem, pro quâ tot evidentes veritatis notæ militant?

[1] *Nieuwentijt. Het recht gebruik der werelt-beschouwingen ter overtuiging van ongodisten en ongelovigen* (*Amsterdam, bij Joannes Pauli*, 1730): *Dat hij nu geloofde al wat hij tevoren geloochend hadde; doch dat het nu te laat was, om genade te hoopen. Voorrede; bladz. 7* (Nota edit.).

Exhortatio ad patresfamilias.

21. Hic tandem patresfamilias precari non omittam, ut videant quam diligentissime, quò filios ad scientias addiscendas mittant, ne pro litterarum scientiâ vitiis et erroribus imbuantur. Sperare libet, eam perniciem in hac nostrâ urbe, Neapoli, non reperiri; sed utinam ne adesset in multis aliis Europæ civitatibus, in quibus recentes errores haud invitos sequaces et fautores sibi conciliarunt. Qui quidem errores, ab auctoribus novæ philosophandi methodi dolose prolati et speciosis adornati rationibus, miserorum adolescentium tantopere præoccupant et perturbant mentem, ut obscuratâ fidei luce, peccati horrorem amittant, et simul juvenilis animi æstu abrepti, se abjiciant in pessima quæque flagitia. Quo facillime accidit, ut cum delictorum numero animi quoque hallucinatio magis magisque accrescat, ac tandem fidei lumen in eorum mentibus prorsus exstinguatur.

TERTIA PARS.

ADVERSUS HÆRETICOS QUI ECCLESIAM CATHOLICAM UNICE VERAM ESSE NEGANT.

CAPUT I.

DE ECCLESIÆ CATHOLICÆ VERITATE.

§ I. *Ex Catholicæ Ecclesiæ Notis manifesto demonstratur, eam esse veram Dei Ecclesiam.*

Ecclesia, magistra veritatis.

1. Quum fidei dogmata humanum intellectum superent, morum præcepta inordinatis hominis appetentiis adversentur, tuta requiritur veritatis schola, quæ omnes jam inde a principio hujus mundi a Deo revelatas veritates incorruptas servet, ut homines sine errandi periculo ab eâ accipere possint, quid credere, quid observare debeant, et corpus fidelium semper caveat a depravatione, fidei vel moribus Christianis ab impiis inferendâ. Ipsa autem Jesu Christi Ecclesia est schola illa ac simul magistra veritatis, omnibus visibilis, quæ conjunctos servavit omnes fideles, eosque ad finem usque sæculi conjunctos servabit, ut in viâ salutis recte ambulent. Quapropter Salvator edixit, eum, qui Ecclesiæ non obediat, jam non pro Christiano, sed pro infideli esse habendum: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [1]. Ac proinde quicumque extra hanc salutis arcam versatur, in æternum peribit.

Legem tradit rectissimam.

2. Jamvero inter omnes Ecclesias nulla alia reperitur neque umquam reperiri poterit, quæ notas illas et signa veritatis habeat, quibus instructa est Ecclesia Catholico-Romana. Hujus Ecclesiæ, quod nemo ignorat, fundator fuit Jesus Christus, verus Messias, a Deo missus ut mundum redimeret et novam simul constitueret legem. Quæ lex non injusta est neque impia, ut ceteræ omnes pseudoreligionum leges, sed prorsus recta et rationalis hominis dignitati consentanea; docet enim debitum Deo amorem et honorem tribuere, proximum diligere sicut seipsum, seipsum autem, divinis præceptis servandis, non falso sed vero amore diligere, et ita tandem post hanc vitam a divinâ Bonitate æternam beatitudinem sperare.

Nova Lex antiquam perfecit.

3. Hac lege perfectionem et complementum accepit lex antiqua, quæ solum externa erat. Hæc enim ostendebat quidem hominis officia, sed eorum amorem non infundebat. Jesu Christi vero nova lex item interna est, cordibus nostris ita inserta, ut diligamus ea, quæ a lege imponantur. Quo fit, ut non solum extrinsecus, sed etiam intimo corde eam exsequi possimus; quod quidem Deus per Jeremiam his verbis prædixerat: *Ecce dies venient, dicit Dominus; et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum.... Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.... Et non*

a antiqua erat externa, nova est interna;

[1] *Matth.*, XVIII, 17.

docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent Me [1]. Hæc ultima verba significant, antiquitus magistros multis verbis legem docere debuisse; quum in novâ lege unà cum baptismo anima internam mentis illustrationem et piam voluntatis affectionem erga legem recipiat. Quod tamen non ita intelligendum est, ac si prædicatio externa jam non requireretur: tunc enim pastores et doctores inutiles forent; sed verborum sensus hic est, unà cum baptismo recipi gratiam, quâ diligamus idem illud, quod olim solummodo timeretur: *Illa enim (lex) sine adjuvante spiritu procul dubio est littera occidens; quum vero adest vivificans spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri* [2].

b antiqua terrena erat nec perfecte diligebat;

4. Hebræi, legem servantes, nihil aliud sperare vel inquirere solebant nisi terrena præmia, et sola temporalia timebant mala; Deum intuebantur in spiritu timoris, neque ex animo Eum diligebant; tunc solum quærebant Dominum, quum ab Eo castigarentur: *Quum occideret eos, quærebant Eum* [3]. — Et quod ad caritatem proximi spectat, Scribæ licitam esse ajebant legem talionis. pro quâ hunc allegabant Levitici textum: *Oculum pro oculo, dentem pro dente restituet* [4]. Et ex his aliis ejusdem libri verbis: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, cet.; Diliges amicum tuum sicut teipsum* [5], Pharisæi hanc iniquam inferebant conclusionem (ut apud S. Matthæum legitur): *et odio habebis inimicum tuum* [6]; falso sic ratiocinantes: Quum Deus jubeat amicos diligere, odio habendi sunt inimici. Quam ob causam his quoque diebus Hebræi sibi licere existimant, adversus Christianos eosque omnes, qui Hebræi non sint, odium exercere. Et *Rabbinus Levi Ben-Gerson* docuit, nationem suam quantumlibet malum extraneis inferre debere; cujus sane doctrinæ effectus apparuerunt in Judæorum conjuratione, Trajani temporibus initâ [7]. Et pro iis omnibus, qui Hebræi non sunt, hanc vulgo adhibent orationem: *Omnes sectarii pereant.* — Hæc erat, inquit S. Augustinus [8], *Pharisæorum justitia.* Sed ideo Jesus Christus nos omnes, suos discipulos, monuit: *Quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* [9].

nova cœlestis est et perfectæ caritatis.

5. Lex vero Salvatoris tota caritas est; præcipit, ut inimicos etiam diligamus. Quemadmodum Deus totus caritas est, ita vult legem quoque suam plenam esse caritatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.... Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet* [10]. Et Jesus Christus, qui venerat ad manifestandam hanc legem caritatis, Ipse quoque pro suis inimicis moriendo, ejus exemplum præbere voluit: *Vix enim,* inquit Apostolus, *pro justo quis moritur.... Commendat autem caritatem suam Deus in nobis: quoniam quum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est* [11]. — Pharisæi quidem dicebant: *oculum pro oculo;* Dominus vero: *Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram* [12]. Quibus subjungit: *Audistis, quia dictum est: diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros* [13], cet. Priusquam mundus præclaram hanc caritatis legem cognosceret, homines unam cupiditatem nisi per aliam vincere nesciebant, vel unum relinquere commodum, nisi ut aliud sibi compararent. Jesus Christus

[1] *Jerem.*, XXXI, 31-34. — [2] *S. August.*, De Spiritu et Littera, cap. 19, n. 32. — [3] Ps. LXXVII, 34. — [4] Levit., XXIV, 20. — [5] Levit., XIX, 17 et 18. — [6] *Matth.*, V, 43. — [7] *Eusebius*, Hist. Eccl., lib. IV, cap. 2. — [8] De Sermone Domini in Monte, cap. 21, n. 70. — [9] *Matth.*, V, 20. — [10] *Matth.*, XXII, 37, 39, 40. — [11] *Rom.*, V, 7-9. — [12] *Matth.*, V, 38 et 39. — [13] Ibid., v. 43 et 44.

vero, vitiosum hunc amorem sui reprobans: *Siquis vult post Me venire*, inquit, *abneget semetipsum* [1].

Nova Lex moralem disciplinam sursum extulit.

6. Doctus quidam auctor probe definit, quid inter se Christianorum et philosophorum moralis disciplina differant. Animi quietem philosophus in seipso, in Deo Christianus quærit. Philosophus religionem constituit moralis disciplinæ partem, Christianus totam moralem disciplinam ad religionem revocat. Stoici in scientiâ ultimum suum finem reponebant; alii in præsentis vitæ felicitate. Lex Christi vero omnia rite ordinavit: docet enim, ultimum finem nobis esse, ut virtutibus hac in vitâ Deo placeamus, et in alterâ Eo fruamur in æternum. Simul indicat, quænam reverâ sint tam internæ quam externæ virtutes; et hæc omnia ordinantur caritate, quæ singulis vitam et vigorem tribuit, quum secus umbræ tantum essent et mortua virtutis simulacra.

Non est naturæ opposita.

7. Sed, inquiunt Deistæ, lex Evangelica naturæ contraria est: aufert legem talionis, quâ accusare licet eum, qui injuriam intulit; dicit enim: *Non resistere malo; sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram* [2]. Præcipit, ut bona propria abjiciamus: *Vade, vende quæ habes, et da pauperibus* [3]. Cælibatum nuptiis præfert, juxta illud Apostoli: *Noli quærere uxorem* [4]. — Respondetur vero, præcepta a consiliis esse distinguenda. Siquis injuriam nobis fecerit, præceptum est, eum non odisse sed diligere; consilium autem, eum non accusare et alteram ei præbere maxillam. Ceteroquin vetitum non est, apud judicem eum accusare, ut pro merito puniatur, dummodo hoc fiat sine vindicandi animo. Quamquam hic notari oportet, offensum, quum accuset eum, qui injuriam intulit, perdifficiliter omni vindicationis desiderio vacare. Similiter bona abjicere non est præceptum, sed solum perfectionis consilium. Quocirca in Evangelio Jesus Christus juvenem monuit: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata* [5]. Subjunxit autem: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus* [6]. Cælibatus quoque consilium est; quare S. Paulus eodem loco: *Porro*, inquit, *hoc ad vestram utilitatem dico, non ut laqueum vobis injiciam* [7].

Addunt adversarii: Lex Christi non tantum suadet, sed etiam præcipit, ut vitam amittamus: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam* [8]. Præcipit, ut denegando nobis omnem oblectationem, nosmetipsos odio habeamus, ac præterea ut odio nobis sint parentes, uxor, filii et fratres: *Siquis venit ad Me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, cet., non potest meus esse discipulus* [9]. — Sed illa verba significant, in odio nobis esse debere eam vitam, quæ divinæ legi contraria est, et parentes nostros in iis rebus, in quibus animæ utilitati se opponunt. Itaque quidquid vetitum est, simul vergit in detrimentum nostrum; quidquid nobis injungitur, in bonum nostrum vergit.

Extra eam felicitas non reperitur.

8. Et illud quidem persuasum habeamus, hac etiam in vitâ veram pacem nisi in divinâ lege servandâ non reperiri. Fatendum quidem, sensuum appetentiis non esse suavem Christianam disciplinam moralem: quin potius aperta earum inimica vocari debet; quum ejus sit officium, assidue eas impugnare: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* [10]. Verumtamen unusquisque sibi persuadeat, peccato sensibus indulgendo pacem inveniri non posse. Non est pax ei, qui Deo resistat: *Quis restitit Ei, et pacem habuit?* [11] Vera pax animi ab eo tantum invenitur, qui renuit, quæ sibi placent, ut Deo placeat. Amorem, quem creaturæ, lutum videlicet, vanitates et sordes, sibi postulant, in Deum conferamus; et eam reperiemus pacem, illud animi gaudium, quod omnes

[1] *Matth.*, XVI, 24. — [2] *Matth.*, V, 39. — [3] *Matth.*, XIX, 21. — [4] 1 *Cor.*, VII, 27. — [5] *Matth.*, XIX, 17. — [6] Ibid., v. 21. — [7] 1 *Cor.*, VII, 35. — [8] *Matth.*, XVI, 25. — [9] *Luc.*, XIV, 26. — [10] *Gal.*, V, 24. — [11] *Joh.*, IX, 4.

sensuum delicias exsuperat. Si libertatem diligimus, non eam diligamus libertatem, quæ nos cupiditatum nostrarum ac dæmonis mancipia reddit, sed eam, quæ nos Dei filios efficit animique nostri dominos. Quapropter monuit Apostolus: *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis* [1]. Quæ vox *carnis* non solum significat impudicitiam, sed etiam crapulas, ambitiones, invidias, rixas, quæ omnes filiæ sunt concupiscentiæ, inimicæ nostræ.

Ipsa non dura, sed suavis est.

9. Atvero, reponunt, negari non potest, legem esse arduam et contrariam naturæ. — Respondeo: Contraria est naturæ corruptæ, et ardua est ei, qui legem servare voluerit suis tantum viribus confisus; ei vero, qui in Deo confidit ejusque auxilium petit, lex non ardua, sed facilis est et suavis. Hoc est singulare Jesu Christi legis privilegium, quod precantibus facilitatem præbet ipsam observandi. Idcirco nos exhortatur Dominus: *Venite ad Me omnes, qui laboratis et onerati estis, et Ego reficiam vos* [2]. Et promittit, Se concessurum esse quidquid petamus circa finem nostrum ultimum, qui in salute æternâ consistit: *Petite, et dabitur vobis* [3]. Quâ in re ostendit, quantopere nos diligat et quanto utilitatis nostræ desiderio teneatur. Quid majus amico suo quispiam offerre potest, quam si dicat: quidquid vis, a me postula; morem tibi geram?

Ecclesiæ Sanctitas.

10. Itaque in nostrâ tantum Ecclesiâ invenitur verus amor Dei et proximi, verus spiritus propagandæ fidei et vigilantia pastorum in eâ conservandâ. Ibi solum reperitur victoria de diaboli impugnationibus, sanctarum precationum usus, beatæ mortis jucunditas et prægustata sanctarum paradisi deliciarum voluptas. Quæ quidem deliciæ velut manna absconditum ignotæ sunt iis omnibus, qui extra Ecclesiam Catholicam versantur; hi tamen, sanctarum animarum testimonio confisi, utique credere deberent, millies eas terrenis antecellere deliciis, quum ipsi suâ culpâ eas minime percipiant.

Ecclesiæ Apostolicitas.

11. Insignis porro nota, quâ clare dignoscitur, Ecclesiam nostram esse fortunatum illud ovile, a Jesu Christo conditum, ejusque religionem unice esse veram, hæc est, quod ex eo tempore, quo propagata fuit ab Apostolis, semper æquabilis remansit sibique constans, eadem semper docens dogmata, quæ credere, et divina præcepta, quæ servare debemus. Hac fidei unitatis dote, inquit S. Irenæus [4], Ecclesia nostra solis instar per totum orbem refulget. Atque ex eo cognoscitur, eas regiones extra veram Ecclesiam versari, ubi alia docentur ab iis, quæ Ecclesia Catholica doceat. In illud maximâ curâ intenderunt Apostoli et pastores, ut antiquam doctrinam semper illæsam servarent. Hoc ipsum Jesus Christus Apostolis imposuit: *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* [5]. Hoc item discipulis suis semper imposuerunt Apostoli. S. Petrus: *Verbum autem Domini*, inquit, *manet in æternum; hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos* [6]. S. Joannes: *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat* [7]. S. Judas: *Deprecans (vos) supercertari semel traditæ sanctis fidei* [8]. S. Paulus: *Solliciti servare unitatem spiritus.... Donec occurramus omnes in unitatem fidei* [9]. Et alio loco: *Non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ* [10]. Hoc item, inquit S. Augustinus, egerunt boni Ecclesiæ pastores: *Quod invenerunt in Ecclesiâ, tenuerunt; ... quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt* [11].

Unitas.

Deest apud Judæos.

12. Reliquæ vero sectæ omnes unà cum tempore dogmata mutarunt. Judæi constanter tenuerunt dogmata antiquæ Ecclesiæ, quæ vera fuit Ecclesia usque ad Messiæ adventum; quum vero Messias advenisset, neque illi amplecti voluissent Evangelii legem, obstinatione excæcati, antiquam etiam legem deturparunt, atque

[1] *Gal.*, V, 13. — [2] *Matth.*, XI, 28. — [3] *Matth.*, VII, 7. — [4] Contra Hæreses, lib. I, cap. 10, n. 2. — [5] *Matth.*, XXVIII, 20. — [6] 1 *Petr.*, I, 25. — [7] 1 *Joan.*, II, 24. — [8] *Jud.*, v. 3. — [9] *Eph.*, IV, 3 et 13. — [10] 1 *Cor.*, I, 10. — [11] Contra *Julianum* Pelagianum, lib. II, cap. 10, n. 34.

in præsenti (ut infrà videbimus) religionem sequuntur, ineptiis, erroribus et blasphemiis admixtam. — *Mahumedani*, licet initio *Mahumedis*, capitis sui, doctrinam tenerent, eo tamen defuncto, adeo eam mutarunt, ut ad sexaginta eorum sectæ numerentur. — *Lutherani* intra quinquaginta annos in tres sectas abierunt, *Lutheranorum*, *Semi-lutheranorum* et *Anti-lutheranorum*. Deinde *Lutherani* rursus in undecim alias, item in alias undecim *Semi-lutherani*, et *Anti-lutherani* in sexaginta quinque divisi sunt, ut refert *Lindanus*[1]. Similiter *Calvinistarum* schola mox in plures diffluxit sectas, quæ plus centum numerantur. Adiri potest Natalis Alexander [2]. Quot nominatim in Angliâ dantur Calvinistarum sectæ! *Puritani*, qui puram *Calvini* doctrinam sequuntur; *Piscatoriani*, quos in Galliâ *Calvinistæ* hæreticos declararunt; *Anglo-calvinistæ*, qui (id quod reliqui *Calvinistæ* facere renuunt) et episcopos consecrant et ordinant sacerdotes; *Independentes*, qui neque in ecclesiasticis neque in politicis rebus superiorem agnoscunt; *Anti-Scripturistæ*, qui divinas Scripturas omnes rejiciunt; *Quakeri*, qui se continuo et ecstases pati et revelationes habere gloriantur; *Rantheri*, qui pro licito habent quidquid natura corrupta appetit. — Hollandia porro aliquando in duas factiones, *Arminianorum* et *Gomaristarum*, scissa erat; postea vero in quodam eorum Conciliabulo, anno 1618 habito, tamquam schismaticus condemnatus est *Arminius*, alterius sectæ princeps; quam sententiam quum accipere noluissent *Grotius* et *Barnefeldius* Cancellarius, ille conjicitur in carcerem, hic capite plectitur. — En quâ eximiâ constantiâ fideique unitate emineant illæ Novatorum societates! Hoc efficit spiritus superbiæ, ut quemadmodum ab Ecclesiæ obedientiâ se divellant hæresiarchæ, sic eorum discipuli ab ipso magistrorum obsequio divellantur, et nova systemata novasque sectas constituant.

Deest apud *Mahumedanos.*

Deest apud *Lutheranos.*

Deest apud *Calvinistas.*

13. Sed quid mirum, *Lutheri* et *Calvini* discipulos tantopere inter se discordare, quum a seipsis etiam dissentiant magistri? Adeatur historia mutationum Ecclesiarum Protestantium, a *Bossuet*, Meldensi *(Meaux)* Episcopo conscripta [3]; illic reperies, quam diversa et secum ipsa pugnantia dogmata prædicaverint et litteris consignaverint Lutherus et Calvinus. Quæ identidem de fidei articulis inter se contraria et pronuntiavit et scripsit *Lutherus* (*Lutherus*, inquam, quem omnes Protestantes primum puræ fidei fontem proclamant, et quem Apostolum vocabat *Calvinus*, qui hæc scribere non dubitavit: *Res ipsa clamat, non Lutherum initio locutum, sed Deum per os ejus* [4]), ex seipsis satis demonstrant, falsam esse ejus fidem. Antea dixerat, bona opera ad salutem non esse necessaria; postmodum, necessario ea requiri fatetur. De justificatione, de fidei efficaciâ et de numero Sacramentorum millies contraria asseruit. De solâ Eucharistiâ triginta sententias, quæ sibi non constant, percenseri licet. Unde *Georgius*, Catholicus *Saxoniæ* Princeps, ipsius *Lutheri* temporibus scite dicere solebat, nescire *Lutheranos* hodie, quid eras sibi esset credendum. — Porro *Calvinus* quot de Eucharistiâ mutavit sententias! Item apud *Bossuet* [5] recognosci poterunt. — Atvero non recte dixi, tam multa inter se contraria, satis demonstrare, impios illos fidei magistros falsam tradidisse doctrinam; nam vel semel sibi non constitisse, satis ostendit, divino spiritu eos non fuisse imbutos: *Qui semel mentitur* (ut ipse *Lutherus* fatebatur [6]) *ex Deo non est.* Unus est Spiritus-Sanctus atque immutabilis; quare, ut scribit Apostolus, *negare Semetipsum non potest* [7]. Itaque falsò admodum *Lutherus*, superbiâ imbutus, Jesu Christi spiritu in do-

Deerat apud ipsos eorum duces.

[1] Dubitantius... instructus, Dial. II, cap. 2. — [2] Hist. Eccl., sæc. XV et XVI, cap. 2, art. 12, § 3. — [3] *Histoire des Variations des Eglises Protestantes.* — [4] De Libero Arbitrio contra *Pighium*, lib. I. — [5] *Hist. des Var., liv. IX, chap. 23 seq.* — [6] Apud *Segneri, L'Incredulo senza scusa, part. II, cap. 21, n. 5.* — Cfr. *Luth., Omnium Articulor. cet.*, Assertio 25. — [7] 2 *Tim.*, II, 13.

ctrinâ suâ propagandâ ornatum se his verbis gloriabatur: *Certissimus sum, quod doctrina mea non sit mea, sed Christi* [1]; melius dixisset: « sed diaboli ».

Conclusio. **14.** Stabilitas contrà et doctrinæ unitas in rebus fidei, quas ab initio, ex quo a Jesu Christo condita est, Catholica Ecclesia tenuit, veram sane Ecclesiam eam demonstrant. Numquam non eadem fuit quibuslibet temporibus; eædem illæ veritates, quas hodie credimus, primis quoque sæculis creditæ fuerunt.

Objicitur. **15.** At, inquiunt, Romana Ecclesia plura subinde credenda definivit, quæ antea de fide non erant; ergo in rebus fidei semper sibi similis non fuit. — Respondetur, ex eo quod Ecclesia temporis decursu identidem plura definierit dogmata, quæ antea non essent definita, non sequi, eam in fidei articulis non semper sibi fuisse æqualem; illud enim non probat, Ecclesiam mutavisse dogmata, sed solum demonstrat, eam Scripturis et Traditione innixam identidem declarasse fidei esse articulos plures veritates, quæ antea quidem ut tales declaratæ non essent, licet reverâ de fide fuerint, priusquam ab Ecclesiâ definirentur.

Respondetur.

§ II. *Ecclesiæ Catholicæ Veritas item probatur ex ejus miraculis.*

Deus miracula facere potest. **16.** Vera miracula *Spinosa* [2] ait fieri non posse, quum naturæ ordo interrumpi vel mutari nequeat, quin simul mutetur Deus, qui in suis decretis immutabilis est. — Respondet vero S. Thomas [3], distinguendum esse duplicem rerum ordinem: est enim alius ordo universalis, alius particularis. *Universalis* rerum ordo, quem Deus ut prima Causa *ab æterno* statuit, immutari non potest: nam si mutaretur, mutatio esset in Voluntate Dei, qui immutabilis est; sed *particularis* naturæ ordo, qui quidem a Deo pendet, simul tamen pendet a causis secundis, ita a Deo immutari potest, ut non mutentur æterna ejus decreta. Quandoquidem ea, quæ præter naturalem ordinem accidunt, item fiunt secundum decreta divina, quæ in miraculis non mutantur, sed peraguntur. Recte nihilominus advertit *Bayle*, illud *Spinosæ* valere in ejus systemate, quo Deum materialem sibi fingit, seu ad divinitatem extollit materiam, quæ non libere, sed ex solâ necessitate agit; quare his verbis *Bayle Spinosæ* fautores alloquitur: *Aperte loquimini et sine verborum ambiguitate; affirmate, ideo nihil evenire posse, quod naturæ legibus contrarium sit, quia leges naturæ non sint conditæ a libero legislatore, opus suum probe cognoscente, sed a causâ cæcâ et necessariâ procedant* [4]. — Quum ergo Deus libere agat, utique fieri possunt miracula, *ab æterno* ab Eo decreta; neque ideo mutatur ejus Voluntas.

Miracula non fiunt in confirmationem erroris. **17.** In secundâ parte (Cap. XIV) jam diximus, vera miracula, utpote naturæ vires superantia, ab eo tantum patrari posse supremo auctore, qui est supra naturam. Ac proinde certum est, eam religionem, quæ in suæ doctrinæ confirmationem vera miracula efficiat, non veram esse non posse, quum Deus falsam doctrinam suorum miraculorum testimonio comprobare nequeat.

In secundâ parte (Cap. XIV et XVI) jam egimus de miraculis, quæ Jesus Christus et per Eum Apostoli fecerunt. Hic tantum sermo erit de iis miraculis, quæ Deus per alios servos suos in Ecclesiâ Catholicâ perfecit.

Gentiles non habuerunt miracula. **18.** Procedant singulæ sectæ, et vel unum exhibeant miraculum ab iis patratum. Referunt Gentilium auctores, Vespasianum valetudini restituisse duos æ-

[1] Contra *Henricum* Regem Angliæ (*Certus enim sum*, inquit, *dogmata mea habere me de cælo.* Et ex CXXXII Articulis excerptis ex Libro *M. Lutheri* contra Ecclesiasticos a *Joanne Cochleo*, Articulus VIII[us]: *Ita ut qui doctrinam meam non acceptaverit, salvus fieri non possit, quia Dei est, non mea.* Nota edit.).

[2] Tractatus Thologico-politicus, cap. 6. — [3] 1[a], qu. 105, art. 6. — [4] *Dict. Hist. et Crit., art. Spinoza, nota N.*

grotos [1], et Hadrianum duobus cæcis visum restituisse [2]; sed in citato capite monstravimus, ea quæ de Vespasiano dicuntur, naturalibus remediis esse adscribendum; quæ vero narrantur de Hadriano, aulicorum fuisse simulationem, ut Hadriano adularentur. Item ajunt, virginem Vestalem in cribro aquam ita tenuisse, ut nihil effunderetur. Sed etiamsi detur, illud reverâ accidisse, credere non repugnat, Deum, quod illa virgo immerito impudicitiæ esset accusata, tali prodigio testatam voluisse ejus castitatem.

Post Christi adventum Judæi non habent miracula.

Procedant Judæi, apud quos sine ullâ dubitatione multa eaque vera patrata sunt miracula, dum viguit antiqua lex; tunc enim veram constituebant Ecclesiam. Sed Redemptoris adventu repudiatâ antiquâ lege, omnino cessarunt eorum miracula,

Mahumedanis desunt miracula.

Procedant *Mahumedani*. At *Mahumedes*, eorum dux et magister, protestatur, miracula se Christo cedere; sibi videlicet satis valere gladium ad declarandam religionis suæ veritatem [3]. Quamquam et ipse in *Alcorano* (cap. LIV) se jactat miraculum aliquod perpetrasse in lunâ, quam e cælis prolapsam et in duas partes fractam, in integrum restitutam suo reposuisset loco [4]; illud refert Card. Bellarminus [5], simulque adnotat Cornelius a Lapide [6], Turcas ob eam rationem insigne sibi elegisse lunam. Sed credi nequit, esse quemquam sanæ mentis, qui fabulam adeo ridiculam pro vero miraculo accipere possit.

Recentes hæretici miracula non patrarunt.

Procedant reliquæ sectæ universæ, ut aliquod afferant miraculum. Quid vero! Si illud ad plebem decipiendam misere aliquando simulare voluerunt, mox patuit commentum; quod nominatim *Luthero* et *Calvino* accidisse, Cap. VI, num. 6, narrabimus.

Vera Religio miraculis confirmatur.

19. Itaque hæretici, quod suas sectas nullo miraculo a Deo confirmatas vident, asseverant, *miracula non esse veræ religionis signa; nempe Pharaonis quoque magos ea perpetrasse, suaque etiam prodigia (ut scribit S. Joannes) habiturum esse Antichristum.* Hæc quidem *Piceninus* [7].

At respondetur primum, ex divinis Scripturis perspicuum esse, Deum in veræ doctrinæ indicium miracula fecisse. Moysi concessa potestas patrandi miracula, ut in Exodo legitur, Hebræis argumento esse debebat, Dei nomine ad ipsos eum loqui: *Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus.... Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis* [8]. Quocirca ipse *Calvinus*, Picenini magister, de Moysi miraculis: *Tot... insignia, quæ refert, miracula*, inquit, *totidem sunt... proditæ...* (a Moyse) *doctrinæ sanctiones* [9]. Et ut Baptista crederet, Jesum esse verum Messiam, idem illud miraculorum signum ipse Christus ejus discipulis proposuit: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis* [10]. Eodem quoque argumento Judæos de incredulitate objurgavit: *Si Mihi non vultis credere, operibus credite* [11]. Et postmodum eos dixit excusatione indignos, quod miraculis, quæ ipsi vidissent, fidem noluissent adjungere: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et Me, et Patrem meum* [12]. Si miracula non essent veræ fidei signa, non dixisset Jesus Christus, eos futuros esse veros fideles, qui ejusmodi prodigia facerent: *Signa... autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent* [13], *cet.*; atque immerito S. Paulus Apostolatûs sui signa esse miracula his verbis declarasset: *Signa Apostolatûs mei facta sunt super vos, in omni patientiâ, in signis et prodigiis* [14].

Moyses. *Christus.* *Fideles.* *S. Paulus.*

[1] *Tacitus*, Historia, lib. IV, n. 81. — [2] *Marius Maximus*. Apud *Ælium Spartianum: Hadrianus* Imp. — [3] Alcor., sura 11, a. 14; sura 4, a. 67, cet. — [4] Sura 54. — [5] De Conciliis et Ecclesia, lib. IV, cap. 14. — [6] In Apoc. XIII, 11. — [7] *Apologia, cap. 1, n. 13.* — [8] Exod. IV, 5 et 8. — [9] Instit., lib. I, cap. 8, n. 5. — [10] *Matth.*, XI, 4. — [11] *Joan.*, X, 38. — [12] *Joan.*, XV, 24. — [13] *Marc.*, XVI, 17 et 18. — [14] 2 *Cor.*, XII, 12.

Eja vero, quî potest asserere *Piceninus*, miracula non esse veræ religionis signa?

Quid de prodigiis magorum et Antichristi.

20. Quod porro ad prodigia attinet, a Pharaonis Magis perpetrata; non vera miracula erant, sed oculorum ludibria et vanæ imagines, quæ dæmoniorum virtutem non excedebant. Atque idem dicendum de prodigiis Antichristi. Ne autem homines propter ea prodigia fidem adjungerent nefando illi viro, in antecessum nos monuit Dominus, ea non esse futura nisi præstigias et fallacias diaboli: *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus* [1]. — Ceterum Dominus miraculorum virtutem peccatori quoque vel etiam infideli concedere potest, quemadmodum et Balaam et Caiphæ spiritum prophetiæ concessit; sunt quippe gratiæ *gratis datæ*, quas pro divinis suis judiciis, cui vult, communicat. Sed, ut recte docet S. Thomas [2], ab impio viro tum fieri possunt vera miracula, quum veram fidem prædicat et invocat nomen Christi; minime vero, si ad falsam fidem confirmandam ea vellet operari; Deus enim, præcipuus miraculorum auctor, permittere non potest miraculum ad errorem quemdam comprobandum. Quare, ut ait Tertullianus [3], gentilium miracula, seu potius præstigiæ, utpote destinatæ ad falsam fidem confirmandam, ubi vera Jesu Christi apparuit fides, ad quam vocati erant Gentiles, compertâ fraude, defecerunt. Sed vel unum verum miraculum (inquit), in confirmationem nostræ religionis factum, satis validum erat ejus veritatis argumentum.

Donum miraculorum in Ecclesia duravit.

21. Sed innumera miracula per servos suos ad hæc usque tempora Deus in Catholicâ Ecclesiâ patrare non cessavit; quod quidem futurum esse his verbis promiserat Jesus Christus: *Qui credit in Me, opera quæ Ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet* [4]. Erant quidem in primævâ Ecclesiâ frequentiora quam postmodum miracula, utpote ad propagandam fidem magis necessaria; noluit tamen Deus, in suâ Ecclesiâ umquam ea deficere. Miracula quippe fieri oportet, ut novæ gentes ad fidem convertantur; quapropter in Indiis *S. Franciscus Xaverius*, *S. Ludovicus Bertrandus* aliique Evangelii ministri his ultimis quoque sæculis quamplurima prodigia fecerunt. Præterea Christianos in fide rectoque vitæ instituto confirmant; et simul valent ad gloriam afferendam sanctis, quos etiam his in terris Deus in honore vult haberi.

Fidem iis negare, nefas est.

22. Siquis autem denegaret fidem rebus mirabilibus, quas numero plurimas referunt annales Ecclesiæ et Vitæ sanctorum, ab eo quærere vellem: ergone credere debemus iis, quæ a Tacito, Suetonio vel Plinio narrantur; sed nullam fidem adjungere S. Athanasio, S. Basilio, S. Hieronymo, S. Gregorio aliisque tam multis piisque auctoribus, qui miracula per sanctos facta esse testantur? Qui si putassent, mendacium in tali materiâ aut nullam aut exiguam esse culpam, ne tunc quidem in dubium vocare deberemus, quæ afferunt. Quoniam vero cum omnibus Catholicis pro certo tenuerunt (ut reverâ est), mendacium in tali materiâ esse morte æternâ dignum, non sine temeritate existimari potest, tam multos Sanctos vel pios scriptores non aliam ob causam ita mentiri voluisse, nisi ut quibusdam adularentur vel plebem illusam tenerent. Idque eo magis, quod facillime ipsarum rerum testes, qui etiam vivebant, quum eorum libri in lucem prodirent, de mendacio eos potuissent arguere.

Perpetua etiam adsunt miracula.

23. Voluit præterea Deus, ad frangendam audaciam incredulorum, qui miraculorum decus Catholicæ nostræ Ecclesiæ denegare cupiunt, ut mirabilia nonnulla perenni miraculo in eâ durarent.

[1] 2 *Thessal.*, II, 9. — [2] 2ª 2æ, qu. 178, art. 2 ad 3m. — [3] Apologeticus, cap. 23.

[4] *Joan.*, XIV, 12.

In solo Neapolitanorum regno quot ejusmodi prodigia singulis annis habentur! *S. Nicolaus.* Barii ex sacris S. Nicolai ossibus manna scaturire numquam desinit. Neapoli in monasteriis S. Liguori (*a*) et earum monialium, quæ a Donnaromita (*b*) vocantur, *S. Joannes Baptista.* sanguis S. Joannis Baptistæ singulis annis in festo Decollationis liquescit, quum in Missâ recitatur Evangelium. Item *S. Stephanus.* in monasterio S. Gaudiosi sanguis S. Ste- *S. Pantaleon.* phani, et in urbe Ravello sanguis S. Pantaleonis, diebus eorum memoriæ sacris, ex concreto liquidus fieri cernitur.

S. Januarius. **24.** Est porro per totum orbem Christianum celebre miraculum, quo singulis annis sæpius, per duas nempe integras octavas, sanguis S. Januarii, sacro ejus capiti admotus, coram ingenti multitudine deliquescit. Sed expedit, paulo diutius immorari in miraculo nostratis hujus sancti, quum rem adeo portentosam effrenatius impugnent hæretici. Et primum dico, ante reformatos hæreticos neminem umquam scriptorem miraculum illud in dubium vocasse a sæculo decimo, quo incepisse creditur; quamquam alii existimant, ejus initium repetendum esse a tertio sæculo, quo sanctus Martyr obiit. Soli ergo, ut jam innui, reformatæ ecclesiæ pseudomagistri totis viribus ad fidem huic miraculo derogandam incubuerunt; idque his innixi difficultatibus: *Objectio.* Opponit *Petrus Molinæus* [1], Calvinista, ideo sanguinem ebullire, quod in eum nostri fraudulenter calcem injiciant. — *Responsio.* Sed (mirum dictu) non dubitavit hæreticus quidam *Lutheranus Calvinistam* refellere, eumque stultum vocare et temerarium; scribit enim (quæ verba satis valent ad confutandum quidquid, ut infrà videbimus, opponunt adversarii): *Quî potuit in tam magnâ civitate fraus illa per tot annos abdita manere?* (*c*). — Sed præter hæc testatur Benedictus XIV [2], experientiâ comprobatum esse, calcem numquam efficere posse, ut ebulliat sanguis; et multo minus ut concretus sanguis liquefiat.

Alia objectio. **25.** Ibi quoque refert idem Pontifex, medicum quemdam hæreticum, *Gasparum Neumann* nomine, domi suæ coram amicis tres in mensâ posuisse phialas, quæ sanguinei coloris continerent liquorem; hunc autem antea concretum, in oculis omnium diffluxisse, atque ita hæreticum virum illudere voluisse S. Januarii nostri miraculum. — Sed præsto est eaque perspicua responsio.

Responsio. Et primum quidem, liquor ille non erat sanguis, sed (ut probabile est) admixtio quædam, quæ effervescendo postmodum liquesceret. Deinde mixtura illa semel tantum liquata est; quis vero eam, quum eadem maneret, sæpius concretam ac sæpius rursum liquefactam conspexit? Illud quippe proprium est sanguinis S. Januarii. — Accedit, quod credere debemus, mixturam ab illo præstigiatore confectam fuisse paulo antequam amicorum eam subjiceret oculis; sed quum a tot sæculis asservetur sanguis S. Januarii, eodem semper modo miraculum evenit.

Tertia objectio. **26.** Ab aliis objicitur, illud vi sympathicâ naturæ fieri. Quemadmodum, inquiunt, per antipathiam occisi viri sanguis coram occisore ebullire solet, et

[1] Vates, lib. V, cap. 14.

[2] De Beatificatione et Canonizatione, lib. IV, pars 1, cap. 31, n. 12.

(*a*) Cfr. *Notizie... della città di Napoli... dal canonico Carlo Celano.* Tom. II, *Giornata Terza*, pag. 206 (Napoli, 1758): In questa medesima strada vedonsi il... monistero... con la... chiesa, dedicata a S. Gregorio Vescovo d'Armenia, dal nostro volgo detto S. Liguoro.

(*b*) Ibidem, pag. 141: Siegue a questa chiesa l'antico Monistero di Donnaromita; e questo titolo vien corrotto dal volgo, dovendosi dire il Monistero delle Donne di Romania, dalle quali ebbe principio (Cfr. Tract. II, pag. 73).

(*c*) Confer *Acta Sanctor. (Bolland.)*, edit. 1867, tom. 46, Septemb. VI. Addenda de *S. Januario*, § 30, pag. 857; vel quæ inde excerpsimus in hoc volumine, pag. 73: de Fidei Evidentia, cap. 6, n. 9.

sicut magnes sponte suâ convertitur ad polum, vel succinum attrahit paleam; ita quoque per sympathiam sanguis S. Januarii, capiti ipsius admotus, deliquescit.

Responsio. — At respondetur, omnem magnetem ad polum converti, et a quocumque succino paleam attrahi; cur ergo in solo S. Januarii sanguine, coram ipsius capite posito, liquatio illa contingit, quum reliquorum hominum sanguis semper concretus maneat? Præterea numquam non ad polum convertitur magnes, paleamque semper attrahit succinum; atvero sanguis S. Januarii interdum concretus manet, etiamsi coram capite sit positus, interdum procul a capite liquescit; modo diffluit post pauca momenta, modo post longum temporis spatium; alias tantopere liquatur, ut impleta appareat phiala, alias non ita; nunc totus dissolvitur, nunc partim dumtaxat. — Et quod spectat ad sanguinem occisi, coram occisore bullientem, multi in fabularum numero illud reponunt; sed etiamsi verum esset, perraro certe accidit, quum sanguis S. Januarii ad caput admotus, sæpius in anno liquefiat. Ac tum forte ebulliit sanguis interfecti, quum etiam recentes essent plagæ et liquidus cruor; ecquis vero sanguinem interfecti, multis jam ab occisione elapsis annis, umquam ebullientem conspexit? Liquescit vero et ebullit sanguis S. Januarii, postquam obduruit et a sacro capite quatuordecim sæculis fuit sejunctus. Mira res! S. Januarii et reliquorum Sanctorum, quos suprà commemoravimus, sanguinis liquationem vi sympathicâ naturæ fieri asserunt hæretici; at, quæso, quid est, quod apud solos Catholicos, minime vero apud eos, ejusmodi vis sympathica reperiatur?

Quarta objectio. **27.** Præterea opponit *Piceninus*[1] *Calvinista*, liquefieri S. Januarii sanguinem, quod candelæ accensæ et homines adstantes multum illic excitent caloris. —

Responsio. Sed respondetur: 1^um^ experientiâ constare, tali calore ampullas, quæ sanguinem continent, numquam calidas, sed vix tepidas fieri. 2° Si propter candelas vel hominum multitudinem illud fieret, æstate magis quam hieme deberet contingere; at sæpius contrarium accidit, ac nominatim anno 1662 summâ hieme delicuit sanguis, æstivo vero tempore anno 1702 non ante secundam Missam. 3° Ecquis umquam, igne adhibito, sanguinem liquefieri conspexit? — Alii dicunt, non adesse ibi sanguinem, sed congelatum quemdam liquorem, qui manibus contrectatus paulatim liquescat. — Sed numquid congelatum, quod hiberno tempore delicuerat, æstate umquam congelari rursus incepit? — Alii liquationem ideo sequi asserunt, quod phialæ artificio quodam teneantur manibus. — Sed quoties in armario etiam liquescit! — Alii tandem Vesuvii vaporibus illud adscribere volunt. — Sed vapores illi plura millia passuum distant; et sæpissime, quamvis non adsint, sanguis deliquescit.

Quinta objectio. Responsio. Sexta objectio. Responsio. Septima objectio. Responsio.

In summâ, quo plus laborant hæretici, ut huic miraculo fidem auferant, eo magis illud confirmant. Conclusio

§ III. *Ecclesiæ Catholicæ Veritas item comprobatur ex constantiâ Martyrum.*

28. Mirabilius quam ipsa miracula credibilitatis signum est martyrum constantia; illa enim ex omni parte sunt divina opera, et ab ipso Deo in creaturis perpetrantur; quum fortitudo et victoria martyrum a Deo fiat per imbecillos homines, teneras etiam virgines et pueros. Agnes et Prisca tredecim habebant annos, Venantius et Agapitus quindecim, pueri erant Vitus et Celsus, aliique multi, ferreis ungulis lacerati, assati in craticulis, discruciati ardentibus facibus ad latera admotis, ignitis galeis capiti impositis, aliisque haud minoribus tormentis, omnem hominum sævitiam dæmonumque rabiem superarunt. Per plures annos quindecim Imperatores Romani Jesu Christi fidem delere nitebantur; tantusque fuit sanctorum Mar-

Constantia Martyrum religionis veritatem confirmat.

[1] *Apologia*, *Aggiunta*, n. 6.

tyrum numerus, ut in persecutione Diocletiani (quæ nona fuit) uno mense septemdecim millia Christianorum occisi sint, in solâ Ægypto centum et quadraginta quatuor millia trucidati et septingenta millia in exsilium ejecti. Satis erit referre, per totum imperium prodiisse decretum, quo unicuique permitteretur, eo quo voluisset modo vitam Christianis eripere. Tam horrenda denique decem persecutionum spatio facta est Christianorum cædes, ut eorum (inquit Genebrardus [1]) occubuerint centies et decies centena millia (11.000.000); cujus numeri si æqua partitio fiat, singulis diebus triginta millia numerantur. Verumtamen tanta interfectorum multitudo (identidem ad decem millia simul peribant) vivos adeo nihil conterrebat, ut iis augeret etiam desiderium pro fide moriendi. Imperatorem Trajanum certiorem fecit Tiberianus [2], Palestinæ præfectus, tam multos Christianos ad mortem pro Jesu Christo appetendam ultro se offerre, ut omnes necari jam non possent. Quod quidem induxit Trajanum, ut decretum promulgaret, deinceps Christianos vexari non debere [3]. — Jamvero (ita quærimus) nisi vera fuisset sanctorum Martyrum fides (quæ eadem erat ac nostra), et nisi Deus auxilio suo tam ingentem servorum suorum multitudinem corroborasset, quomodo potuissent usque ad necem acerbissimam reluctari?

Extra Ecclesiam veri Martyres non habentur.

29. Gloriantur nonnullæ sectæ, suos quoque sibi non deesse martyres; sed videamus, quale fuerit eorum martyrium. Consistit martyrium, ut docet Angelicus [4], in vitâ profundendâ in veritatis vel justitiæ testimonium. *Martyres veros,* inquit S. Augustinus, *non facit pœna, sed causa* [5]. Martyrem constituere nequeunt vel asperrima quæque tormenta; causa tantum, siquis nempe moritur pro fidei veritate vel justitiâ, verum martyrem efficit. *Mahumedani* martyres prædicant suos milites, qui aliena occupaturi in prælio ceciderunt: præclaram sane justitiam! Novatores quoque martyrii laudem tribuunt iis, qui propter hæresim supplicium solverunt; ea vero non animi firmitas, sed obstinatio fuit. Præterea pauci fuerunt et plerique viles atque imperiti homines, fraudibus misere in errorem inducti. Inter suos contrà martyres Catholica Ecclesia exhibet complures nobiles, consules, patricios, duces militum, episcopos, Pontifices, senatores et reges. Horum præterea maxima pars adeo sancte vixerant, ut non aliud crimen, nisi quod Christiani essent, inferre possent tyranni. Pseudomartyres hæreticorum vero, atque imprimis Anabaptistæ et Adamitæ, qui præ ceteris impavidos se mortem obire gloriantur, vitiis et turpitudini erant dediti, uxores promiscue haberi aliaque ejusmodi scelera admittebant; quapropter eorum perseverantia nequit vocari constantia, sed furor et pertinacia infusa a diabolo, qui eos invaserat: *Diabolo possidente, non persequente* [6], ut ajebat S. Augustinus de Donatistis, suorum temporum hæreticis, *in seipsis crudeliores et sceleratiores homicidæ* [7], qui vivos se comburebant, in aquam vel ex abruptis locis præcipites se dabant, et verberibus minisque alios cogebant, ut ipsos interficerent: *percussuros eos se, nisi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes* [8]; quæ omnia amentes illi ideo faciebant, ut deinde martyres vocarentur: martyres, esto, sed martyres diaboli. Atque ita factum est, ut quum sancti nostri martyres tranquillo lætoque animo, atque exsultantes etiam et Deo laudem canentes, mortem obirent; hæretici contrà, qui contumaciæ pœnas darent, cum furore et intolerandâ rabie occumberent: quod liquido monstrabat, mortem eos accipere, non Deo movente, sed impellente diabolo, qui audaciam ad mortem oppetendam suppeditare potest, virtutem præbere ad

[1] In Psalm. LXXVIII, v. 4. — [2] Ad *Trajanum* Relatio (Append. ad Martyrium *S. Ignatii*). — [3] Apud *Suidam:* Historica; art. *Trajanus.* — [4] 2ª 2æ, qu. 124, art. 1. — [5] Ep. 89 ad *Festum,* n. 2. — [6] Sermo 275, in Natali Martyris *Vincentii,* II, n. 1. — [7] In *Joannis* Evang. Tract. 51, n. 10. — [8] Ep. 185 de Correctione Donatistarum, cap. 3, n. 12.

eam cum animi tranquillitate subeundam non potest. *Michael Servetus*, infelix Arianismi renovator, quum ad rogum condemnatus, Genevæ flammis injiceretur, tanto furore exarsit, ut velut rabidus taurus mugiret, et judicum misericordiam implorans, cultrum exposceret, quo vitam sibi ipse posset eripere: quamquam suis eos precibus flectere non potuit (*a*).

Martyres gaudio exsultabant.

30. Numquid universæ illæ sectæ, a Catholicâ Ecclesiâ separatæ, umquam habuerunt martyrem, qui sicut S. Laurentius, quum in craticulâ combureretur, animi gestiret lætitiâ, et per ludibrium vel ipsum tyrannum invitaret, ut assatis suis carnibus vesceretur? Numquid martyrem, qui sicut S. Vincentius tanto cum gaudio pro Jesu Christo occumberet, ut alter Vincentius loqui (inquit S. Augustinus [1]) alter tormenta pati videretur? Numquid martyres, qui ut SS. Marcus et Marcellianus, quum clavis perforati essent pedes, tyranno exhortanti, ut se liberarent eo cruciatu, responderent: « Quid cruciatum commemoras? Majorem numquam percepimus delectationem, quam quum Jesu Christi amore talia nunc patimur ». Quibus dictis, divinas laudes cantare cœperunt, donec lanceis transfixi gloriosam obierunt mortem. Numquid martyres, qui ut SS. Processus et Martinianus, quum in equuleo membra ungulis dilaniarentur et candentibus laminis comburerentur carnes, nihil aliud facerent quam benedicerent Deo, cupidissime appetentes mortem, quam tandem obtinuerunt? — Quid plura? Adeo alacres moriebantur martyres, ut ad tantam lætitiam ipsi inimici et vel ipsi carnifices ad fidem se converterent; quocirca Tertullianus, Christianorum sanguinem, pro fide sparsum, velut fecundum semen esse ajebat, quo Jesu Christi sectatores multiplicarentur: *Semen est sanguis Christianorum* [2].

[1] Sermo 276, n. 2. — [2] Apologeticus, cap. 50.

Ultimis sæculis Martyres non defuerunt.

31. Priscis illis Martyribus gloriosos comites æmulosque his ultimis sæculis se adjunxerunt innumeri viri ac mulieres, qui in cruciatibus, quos humana crudelitas excogitare potuerat acerbissimos, pro Jesu Christo vitam profuderunt. In Japoniâ præsertim quot Christiani sæculo sextodecimo fidei causâ interempti sunt! Alii lento igne combusti perierunt; alii, cute detractâ forcipe; hi, frustatim discerptis carnibus; illi totâ hebdomade collo arundine paulatim resecato, donec mors sequeretur; alii suspensi ac tum in ferventissimas aquas identidem demissi; alii summâ hieme nudati et sub divo expositi, ut frigore morerentur. Hæc omnia legi possunt apud *P. Bartoli* [3], qui in suâ Japoniæ historiâ, indicatis locorum personarumque nominibus, singula persequitur. Inter alia narrat, mulierem Christianam, nomine Theclam, quum jam igni combureretur, infantulam trium annorum ulnis gestasse, et ad moriendum confirmasse, spe paradisi propositâ. Alia mulier, quum esset pauper, cingulum vendidit, ut sibi emeret palum, ad quem alligata pro Jesu Christo igni posset cremari. Alia quædam insectatoribus suam indicavit filiolam, ut secum pro fide mori posset. Idem auctor refert, puerum novem annorum ultro accurrisse, ut caput sibi abscinderetur, ac suâ sponte ad ictum detexisse collum. Aliam quoque puellulam, octo annos natam, quæ oculis esset capta, ad matrem se adstrinxisse, ut cum eâ igni concremaretur; ac reverâ mortem illic obiisse. Alius puer tredecim annorum quindecim annos se habere simulavit, ut inter condemnatos numeraretur. Alius quinquennis, e somno excitatus ut veniret ad supplicium, nihil perturbatus festum cultum induit, et ab ipso carnifice ad locum destinatum portatus, cervicem ultro porrexit. Tum vero penitus commoto car-

[3] *Istoria della Compagnia di Gesù. Il Giappone, lib. III, § 40, 76, 85; lib. IV, § 21, 69, 96.*

(*a*) Vide: Tractat. II, de Fidei Evidentia, cap. 7, n. 2; pag. 76, not. *a*, ubi explicavimus, quo sensu dici possit, *Servetum* cultro sive gladio perire voluisse (Nota edit.).

nifici ad eum occidendum defuit animus; quapropter arcessitus alius, at ille parum exercitatus, falcato gladio bis eum percussit, neque confecit nisi tertio ictu. — Quibus rebus ipsi hæretici Batavi, Ecclesiæ nostræ inimici, testes interfuerunt.

Objectio. Minime vero, inquit hæreticus quidam[1]; non pro fide occisi sunt novelli illi martyres, sed ut rebelles et conjurati, qui principes regno expellere molirentur. Quod quidem hæretici non solis Japoniæ martyribus, sed iis quoque objiciunt, qui *Elisabethæ* reginæ temporibus in Angliâ pro

Responsio. fide occubuerunt. — At quæso, si Catholici nostri rebelles fuerint et conjurati, numquid pariter conjuraverant inermes mulieres, virgines et pueri, quos item supplicio afficiebant? Et si reverâ rebelles essent Catholici, cur omni pœnâ liberati discedebant, ubi cruciatuum metu adacti ejurabant fidem? In Angliâ *Elisabethæ* ministri Catholicis nostris sic pollicebantur: *Dummodo in templis nostris vel semel sacris interesse volueritis, omni pœnâ eritis exempti*[2]. Ex quo perspicuum est, mortis eorum non rebellionem vel conjurationem, sed unam fidem fuisse causam. Reponit *Dodwellus*[3] hæreticus, non tam fidei profitendæ causâ, quam ut martyrii gloriam apud homines sibi acquirerent, martyres vitam profudisse. — Ad quod respondemus: Martyres aut fidem habebant; et religio prohibet, ne nostræ gloriæ causâ agamus, docetque, nihil in alteram vitam nos mereri, si ob eam gloriam actiones fiant: aut fidem non habebant; et quis umquam sibi fingat, eos, ut post mortem a deceptâ plebe vano honore colerentur, cruciatus, ignominias et mortem perferre voluisse?

Alia objectio.

Responsio.

32. Hactenus demonstravimus, Ecclesiam Catholico-Romanam esse veram Dei Ecclesiam. Superest, ut demonstremus, eam esse unice veram. Præter nostram religionem non aliæ nisi Gentilium, Judæorum, *Mahumedanorum* et hæreticorum existunt. Si demonstratum fuerit, earum non posse ullam esse veram, hoc ipso manifestum erit, unice veram esse nostram.

Transitus ad reliqua.

CAPUT II.

DE GENTILIUM RELIGIONE.

§ I. *Vera esse nequit Gentilium Religio.*

Falsa est gentilium religio. **1.** Ut vera sit religio, seu Ecclesia, quæ religionem docet, recta et sancta esse debet tam in materiâ fidei quam in morum regulâ. Quod ad fidei dogmata spectat, gentiles plures deos adorant. Quod solum satis demonstrat, falsam esse eorum religionem. Quid ita? Quia non potest nisi unus esse verus Deus. Et ratio hæc est: Esse Dei est summum, perfectissimum, necessarium et infinitum. Sed singulæ illæ qualitates, solius Dei propriæ, demonstrant, non posse nisi unum et unicum esse Deum. Summus est, ergo unicus esse debet, quum plura summa dari nequeant; summum enim est, quod nec majus nec sibi æquale habet: *Summo magno nihil sinit adæquari*, inquit Tertullianus[4]. — Deus est perfectissimus, ergo unicus esse debet; si enim diversa existunt æqualis perfectionis entia, eorum nullum perfectissimum esse potest. Nam vel eamdem habent substantiam, neque diversa essent sed unum tantum ens; vel suam quodque habet substantiam, et ea substantia ac perfectio, quam eorum unumquodque possidet, reliquis deest, neque ullum eorum

I. Polytheismus verus esse nequit. Probatur 1. ex natura Dei.

a Ens summum.

b Ens perfectissimum.

[1] *Picenino, Apologia aggiunta, n. 7.* — [2] *Daniel Bartoli, S. J., Dell' Inghilterra, lib. II, cap. 12.* — [3] Dissertationes Cyprianicæ, Diss. 12, § 9. — [4] Adversus *Marcionem*, lib. I, cap. 3.

esset perfectissimum; quum tamen Deus sit ens, *quo melius cogitari nequit.* — Præterea Deus est *necessarius* (ut in primâ parte, cap. III probavimus), et ideo quoque unicus esse debet, quum plura entia necessaria esse non possint. Si duo entia necessaria esse possent, cur non tria quoque? Cur non quinque vel decem? Minime vero; ubi entium numerus est, nullius esse potest necessitas.

c Ens necessarium.

2. Denique Deus est infinitus; ergo unicus esse debet. Namque ens infinitum necessario infinitum est in suis attributis: infinitum in immensitate, in potentiâ et in sapientiâ. Si autem plures dii essent, diversæ quidem substantiæ, sed inter se æquales, neque unus ab altero dependens, alter in altero non existeret; quo fit, ut neuter infinitus esset in suâ immensitate. Quum vero Deus unicus sit et solus omnium rerum creator, suas creaturas conservando, in earum singulis existit. Adhæc si plures dii essent, nemo eorum infinitus esset in potentiâ. Si Apollo destruere posset, quæ facit Mercurius, en jam ablata tibi Mercurii omnipotentia; si non posset, jam non esset omnipotens Apollo. Item si plures essent dii, nemo eorum in sapientiâ esset infinitus, neque omniscius; quum enim alter ab altero non penderet, alter scire non posset ea, quæ alter ei occultare vellet.

d Ens infinitum.

3. Itaque si plures forent dii inter se æquales, totidem dii essent imperfecti seu infelices; quum iis deessent omnes illæ perfectiones, quas, si unicus esset, Deus habere posset. Et væ nobis, si plures dii æquales, nec mutuo dependentes, hunc mundum gubernarent! Quanta quotidie esset ordinis perturbatio, quæ rerum confusio, quum unius opera ab altero dissolverentur, unius consilia disturbarentur ab altero!

2. Ex ordine universi.

4. Sed vos quoque, Christiani (inquiunt gentiles), tres personas divinas adorantes, tres deos colitis. — Respondemus, tres personas in Deo adorantes, nos unam tantum admittere divinitatem, quum tres personæ, licet inter se distinctæ ex propriâ uniuscujusque qualitate personali, non sint divisæ, sed unam eamdemque essentiam, unam substantiam, unamque naturam habeant. Itaque tribus personis una est immensitas, una potentia, una scientia, una voluntas; et nos unum solum Deum omnipotentem adoramus, unum solum Deum omniscium, unum solum Deum immensum. Non ita gentiles, qui singulis diis suum tribuunt, diversum cuique intellectum, diversam voluntatem.

Objectio. Responsio.

5. Hinc est, quod plures gentilium philosophi (ut scribit S. Cyrillus [1]), solo naturæ lumine ducti, existimarint, unum tantum existere posse Deum maximum, independentem absolutumque mundi dominum, a quo omnes reliqui dii pendeant. Ita (apud Stobæum) scriptum reliquit Onatus ex scholâ Pythagoræ philosophus: *Imperat omnibus is (Deus) qui... virtute præstat. Qui quidem sit universi moderator Deus. Reliqui vero dii sint, qui per cælum universi motu decurrunt, primum ordine sequentes Intellectum* [2]. Et Cicero: *Nec Deus,* inquit,... *alio modo intelligi potest nisi mens soluta... et libera... omniaque sentiens et movens* [3]. Et Aristoteles: *Omnes homines affirmant, deos esse sub imperio* [4]; id est, ceteros omnes uni Deo obedire. Atque ita omnes poetas sensisse ait Dio Chrysostomus (*a*): *Poetæ omnes primum principemque Deum universe parentem appellant rerum omnium* [5].

Apud gentiles doctissimi quique unum Deum maximum fatebantur.

[1] *S. Cyr. Alexandr.* Adversus *Julianum*, lib. I. — [2] *Stobæus.* Eclogæ, lib. I, cap. 3. — [3] Tusc. Disput., lib. I, cap. 27. — [4] De Republ., lib. I, cap. 2. — [5] *Dionis Chrysostomi* orationes LXXX (*Lutetiæ* 1604). Oratio 36 (pag. 446) ex interpretatione *Nageorgi: Ille,* inquit, *universi præfectus cæli et totius dominus essentiæ...; quem divini poëtæ... celebrant pariter laudibus, nominantque patrem deorum hominumque* (Nota edit.).

(*a*) De hoc *Dione* refert *Suidas* (Historica): « Pasieratis filius, Prusaensis,... quem Chrysostomum appellarunt, magnificentiam ita affectabat, ut etiam leonina pelle indutus, prodiret.... Maximam ætatis partem exegit apud Trajanum Cæsarem » (Nota edit.).

Et reverâ afferuntur exempla Orphei [1] et Sophoclis [2], Græcorum poetarum; et apud Latinos Plautus scripsit:

Qui est imperator divum atque hominum, Jupiter [3].

Virgilius:

O pater! o hominum divumque æterna potestas! [4]

Horatius:

... Parentis
...qui res hominum ac deorum...
Temperat horis [5].

Et Ovidius, ubi hominum ortum describit, satis explicat, unum esse mundi conditorem, *moderantem cuncta deorum* [6].— Refert Clemens Alexandrinus [7], Anaxagoram, Protagoram, Euhemerum et Diodorum a Græcis pro atheis fuisse habitos; sed reverâ tales non erant, quum rejectâ deorum pluralitate, unum esse crederent creatorem et conservatorem omnium. Et ob eamdem rationem ait S. Justinus [8], primos quoque Christianos, quod Gentilium deos non adorarent, atheos ab iis fuisse vocatos. Ideo Strabo in atheorum numero Judæos quoque reponit, qui (ut ait Tacitus) *mente solâ unumque numen intelligunt* [9].

Multi populi idem sentiebant.

6. Et quod ad antiquos Gentiles pertinet [10], narrat Berosus [11], Chaldæos docuisse, Belum (quem Jovem interpretantur) omnium rerum fuisse conditorem. — Æthiopes Strabo [12] refert credidisse, existere Deum immortalem, qui rerum omnium causa sit. — Zoroaster, Persarum gentis legislator, hanc reliquit Dei descriptionem: *Ens est primum, immortale, æternum,... sine socio aut æquali..., a se existens, perfectum* [13], *cet.* — Græci et Romani honoris causâ Jovem *Optimum Maximum* nominabant; unde colligitur, eum ut reliquis omnibus diis superiorem fuisse habitum. — Atque idem sensisse alios populos, ut Indos, Sinenses, Afros et Americanos, multi historici testantur (ut *Rochefort* [14], *du Tertre* [15] et *Sagard* [16]). — Adnotat S. Cyprianus [17], apud gentiles vulgus, licet plures deos adoraret, naturâ ipsâ tamen unum Deum supremum agnovisse, quum frequenter in ore haberet: *O Deus! Deus videt! Deo commendo! Deus tibi reddat.* Quas voces Tertullianus vocat *testimonium animæ naturaliter Christianæ* [18]. — Et doctus quidam auctor [19] scribit, Gentiles injuriam sibi fieri existimasse, quum Christiani ipsis objicerent, eos adorare plures deos inter se independentes; eosque respondisse, se unum Deum principem unamque omnium rerum causam uno ore fateri.

Confirmatur ex ipsa mythologia.

7. Deorum, quos gentilitas coluit, tres erant classes. Ad primam classem pertinebant heroes, seu homines virtute con-

[1] Orphica: Apospasmatia, n. 6 (Fragm. desumpt. ex *Proclo* in *Platonis* Timæum. — *Lipsiæ* 1805). — [2] Apud. *Clement. Alex.*, Cohortatio ad Gentes, cap. 7. — [3] Rudens, Prologus, v. 9. — [4] Æneid., lib. X, v. 18. — [5] Carminum, lib. I, carm. 12, v. 14-16.

[6] Metamorphos., lib. I, v. 79 (Ovidius: *finxit*, inquit, *in effigiem moderantum cuncta deorum.* S. Alphonsus secutus videtur Hooke, qui revera habet: *moderantem.* Ex *Ovidio* citari possunt: Metam., lib. I, v. 21 et v. 47-48. Nota edit.).

[7] Cohortatio ad Gentes, cap. 2. — [8] Apologia 1, n. 6. — [9] Historiæ, lib. V, cap. 5.

[10] Idololatria apud Ægyptios incepit, ab Ægyptiis ad Phœnices transiit, a Phœnicibus ad Græcos, a Græcis ad reliquos populos.

[11] Apud *Eusebium*, Chronicon, lib. I, cap. 2, n. 4-6. — [12] Rerum Geographicar. Comment., lib. XVII. — [13] Apud *Eusebium*, Præparatio Evangelica, lib. I, cap. 10 (al. cap. 7).

[14] *Histoire Naturelle et Morale des Iles Antilles, liv. II, chap. 13* (opus anonymum, quod a nonnullis *Cæsari de Rochefort* tribuitur. Nota edit.).

[15] *Hist. générale des Isles de S. Christophe, de la Guadeloupe, de la Martinique et autres dans l'Amérique, par le R. P. Jean Bapt. du Tertre, O. P., 5e partie, chap. 1, § 3.*

[16] *Le grand Voyage du Pays des Hurons, situé en l'Amérique, par Fr. Gabr. Sagard Theodat, O. S. F., première partie, chap. 18.* — Item: *Histoire du Canada et Voyages que les Frères Mineurs Recollects y ont faicts pour la conversion des Infidelles, par le Fr. Gabr. Sagard Theodat, O. S. F. (Paris, 1636), liv. II, chap. 30 et 31.*

[17] De Idolorum Vanitate, cap. 9. — [18] Apologeticus, cap. 17. — [19] *Hooke*, De vera Religione, pars 1, sect. 2, art. 2, Prop. Unicum esse Deum; Prob[is] pars 3.

spicui, post mortem super sidera elati; ut Hercules, Æsculapius, Castor, Pollux et alii. Nec defuerunt, qui probare conati sint, majores etiam deos, ut Jovem, Mercurium, cet., homines fuisse, de terris ad cælum evectos. — Alteram classem constituebant nobiliores hujus mundi partes, ut sol, luna, stellæ et ipsa quoque terra; qui quidem dii vocabantur Diana, Vesta, Cybele, cet.— Tertia classis iis constabat, qui dicebantur Genii, Dæmones et Lares, quos deos gentiles existimabant, naturæ cujusdam excellentioris esse quam homines [1].

a. Variæ deorum classes.

b Variæ affectiones rerumque virtutes.

8. Aliud quoque deorum genus affectionibus constabat seu proprietatibus earum rerum, in quibus aliqua virtus vel bonum aliquod cernebatur; cujusmodi erant pax, veritas, justitia, amor et similia; quibus numinibus aræ quoque dedicabantur. Quis vero asserat, putasse Gentiles, tales deos reverâ existere? Potius credere debemus, obsequiis devotum suum erga eas res testari eos voluisse animum. — Item aliam fingebant deorum classem, quorum unus cælo præsidebat, alius terræ, mari tertius, quartus autem inferis. Deam quoque sapientiæ sibi fingebant, deam justitiæ, deam belli, deam frugum deamque deliciarum. — Quæ tamen, inquit Seneca, tam multorum deorum nomina non totidem deos significabant, sed varia dona divinaque opera, quæ unus tantum Deus, omnium rerum causa, his in terris efficiebat: *Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare.... Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera. Hunc et Liberum Patrem et Herculem ac Mercurium nostri putant,... sic hunc Naturam vocas, Fatum, Fortunam, omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis suâ potestate* [2]. Idem testatur Tertullianus, quum de gentilium philosophis ait: *Imperium summæ dominationis esse penes unum, officia ejus penes multos ve-*

[1] Alii deorum classes alio modo distribuentes, nonnullos vocant Electos sive Majores summæque potestatis, alios Inferiores minorisque potestatis, alios denique tales, ut in cælo quidem commorentur et divini honoris sint participes, sed in mundi gubernatione nullam partem habeant. Majores dii viginti numerantur, mares duodecim, *Janus, Jupiter, Saturnus, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Genius, Sol, Orcus, Liber* pater; octo feminæ, *Juno, Diana, Venus, Minerva, Vesta, Ceres, Terra* et *Luna*. Inferiores dii essent *Saturnus, Pluto, Bacchus, Æsculapius, Castor, Pollux, Proserpina, Rhea* et alii. Tandem semideos esse dicunt homines aliquâ virtute præstantes, qui vitâ functi in cælites relati sint.

Item hanc deorum progeniem confingunt. Jupiter, qui inter deos majores principatum obtinet, Saturni et Rheæ filius, in Cretâ insulâ, eodem cum Junone partu editus, in Ida monte educatus est, inscio genitore, qui ex pactione cum Titane fratre eum occidere volebat. Quod quum perficere non potuisset, Jupiter ubi adolevit, Saturnum patrem e regno expulit, illudque cum fratribus Neptuno et Plutone divisit. — Saturnus ergo uxorem habuit Rheam sive Opim, ex quâ præter Jovem, Junonem et Neptunum, Vestam quoque et Cererem procreavit. — Jupiter quinque habuit uxores: *Majam,* ex quâ genuit Mercurium; *Junonem,* sororem suam, ex quâ Vulcanum; *Cererem,* ex quâ Proserpinam; *Semelen,* ex quâ Bacchum; *Latonam,* ex quâ simul Apollinem et Dianam suscepit. Item, sine ullius feminæ consortio, Jupiter ex cerebro suo Palladem seu Minervam generavit. Alium præterea filium habuit, Æsculapium, medicinæ deditum; sed quum fama esset, mortuos ab eo ad vitam revocari, Jupiter fulmine eum percussit, quod cæli fatum ab eo immutari judicaret. Narrant quoque, Jovem cycni specie furtim cum Ledâ, Tyndari, Spartiatarum regis, uxore concubuisse, et procreasse Castorem et Pollucem, fratres geminos, qui alio nomine *Dioscuri* vocantur.

Venerem natam esse dicunt sine patre vel matre (quamquam nonnulli Jovis et Dianæ filiam esse ajunt), ex spumâ maris cum cæli semine permixtâ. Eam Vulcano nupsisse fabulantur; postea vero, quod oris ejus lineamenta sibi displicerent, Martis amori indulsisse; Vulcanum autem, ubi illud animadvertisset, ex ferro rete confecisse, eosque in eo inclusisse, quum inter se luderent. Martem denique Junonis filium dicunt, ex floris contactu sine viro conceptum.

Hæc paulo accuratius describere volui, ut mirari liceret, quanta sit humana cæcitas, peccato illata, et quomodo homines ratione præditi adeo manifestis ineptiis fidem adjungere potuerint; ac præterea, ut ostenderetur artificium diaboli, qui tam nefandos deos ideo excogitavit, ut homines, rati deos suos omnibus vitiis esse deditos, adulteros, incestos, invidos, vindicandi cupidos, ipsi quoque talium vitiorum horrorem deponerent, eaque sine ullo conscientiæ angore amplecterentur.

[2] De Beneficiis, lib. IV, cap. 7 et 8.

lint[1]. Idem fuse probare conatur *Cudworth* in opere: *Systema Intellectuale*[2]; quamquam Laurentius Moshemius, qui huic operi suas subjungit adnotationes, contrarium statuere nititur[3]. — Veritatem autem his verbis aperuit S. Paulus: *Quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt... sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*[4]. Veri ac summi Dei cognitionem quidem habebant; sed vanâ cogitationum suarum gloriâ elatis stolidum cor vanitate obscuratum remansit, ipsique insipienter hominibus bestiisque divinitatis honorem decreverunt.

Objicitur. **9.** *Bayle* vero, quum de existentiâ Dei, omnium rerum dominatoris, loquitur: *Hîc*, inquit, *causa probari debet spiritibus fortibus, apud quos argumenta moralia non omni virtute necessariâ pollent*[5]. — Hoc quidem, ut sæpius diximus, sibi proposuit *Bayle*, fidem, religionem, Deum, Respondetur. omnia denique in dubium vocare. Sed respondemus, rationes etiam morales, dummodo sint evidenter certæ, cuilibet sanæ menti persuasionem afferre. Illi contrà *spiritus fortes*, qui Dei existentiam et summum imperium rejiciunt, pro se ne ullam quidem rationem habent, quæ saltem dubia videatur. Ciceronem audiamus: *Quid enim esse potest tam apertum... quum cælum suspeximus cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod ni ita esset, quî potuisset assensu omnium dicere Ennius: « Aspice hoc sublime, candens, quem invocant omnes Jovem »; illum verum et Jovem et dominatorem rerum et omnia nutu regentem... ac præpotentem Deum? Quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit an nullus sit, dubitare possit*[6]. Fuit ergo communis nationum sententia, Jovem esse universi rectorem. Illudque dubitare, inquit Cicero, idem est ac solem in dubio ponere. — At, reponit *Bayle*[7], communis Instat *Bayle.* hominum assensus non est satis idoneum argumentum, quum hominis natura peccato originali corrupta sit. — Ergone ex Respondetur. peccati corruptione Dei notio exoritur? Sed si Deus non existat, quomodo peccatum naturam corrumpere poterat? *Bayle* igitur, inquit *P. Valsecchi*[8], cui Deus non existit, a peccato originali immunis est.

II. Apud Gentiles perversa est morum doctrina. **10.** De barbaris porro Gentilium moribus jam egimus in alterâ parte (cap. I, n. 5). Atrocia sacrificia, quibus (ut referunt Tacitus[9], Plinius[10] et Plutarchus[11]) apud Græcos et Romanos mactarentur homines, ad Hadriani tempora durarunt. Alii (ut deplorant Tertullianus[12], Lactantius[13] et S. Augustinus[14]) liberos suos in præcipitia dejiciebant, ut eos alendi curâ se eximerent. Furta extra patriam facta vulgo licita fuisse ajunt Polybius et Diodorus Siculus. De rebus porro admodum obscœnis Apostolus quoque mentionem

[1] Apologeticus, cap. 24.
[2] *The true intellectual system of the Universe....* Ex Anglico Latine vertit, recensuit, variisque observationibus, dissertationibus illustravit et auxit *Joan. Laur. Moshemius, Lugduni Batavor.*, 1773. Cap. IV... Sapientes olim omnes unum summum Deum professos esse, ostenditur (Hoc opus, die 13 Apr. 1739 in Indicem librorum prohibitorum relatum est. Nota edit.).
[3] Notæ in h. l. — [4] *Rom.*, I, 21.
[5] *Continuation des Pensées*, § 23 (*Il ne faut la prouver* [*l'existence de Dieu*], inquit, *qu'aux esprits forts, et pour ceux-là les preuves morales n'ont pas toute la force nécessaire.* Nota edit.).
[6] De Natura Deorum, lib. II, cap. 2. — [7] L. c. — [8] *Dei Fondamenti della Religione, lib. I, cap. 10, n. 4, nota.* — [9] Annales, lib. XV, n. 47. — [10] Historia Naturalis, lib. VIII, cap. 34. — [11] Quæstiones Romanæ, n. 83; Parallela, n. 35. — [12] Apologeticus, cap. 9. — [13] Instit. Divin., lib. VI, cap. 20. — [14] De Civit. Dei, lib. VII, cap. 19 (*a*).

(*a*) Notandum censeo, S. Augustinum ibi agere de infantibus, qui Saturno immolarentur. Ubinam commemoret parentes, qui liberos educare detrectent, invenire non potui. Lactantius quidem (l. c.) de iis, qui filios *in prædam canibus objiciunt, et quantum in ipsis est, crudelius necant, quam si strangulassent: facultatum angustias conqueruntur*, inquit; *nec se pluribus liberis educandis sufficere posse prætendunt* (Nota edit.).

facit [1]. Sed illud magis mirandum est, etiam philosophos, majori tamen lumine præditos, tot iniqua docuisse; uxores promiscuas haberi, laudavit Plato [2]; Aristoteles [3] et Cicero [4] privatam vindicationem pro licitâ admiserunt. Jamvero, cui umquam in mentem veniet, fieri posse, ut religio erroribus ac vitiis adeo infecta, vera sit atque divina?

§ II. *De Gentilium Divinationum et Oraculorum Vanitate.*

11. Nonnulla hic dicamus de vanis idololatrarum divinationibus atque oraculis, ut appareat, omnia gentilium vaticinia (quâ in re a prophetiis divinis prorsus differunt), totidem fraudes esse et mendacia. — Duplex apud gentiles erat divinationum modus, artificialis unus, alter naturalis. *Naturalis* divinatio in somniis et vaticinationibus posita erat quorumdam hominum, quos animas suas a diis sumpsisse antiqui asserebant, atque ideo vim habuisse futura cognoscendi. Tunc autem futura prædicebant, quum vel somno tenebantur vel non longe a morte aberant; unde *dormitantes* et *vates* vocabantur. Quod vero illa vaticinia semper obscura essent, interpretes ea explicare debebant.

Divinatio *naturalis.*

Divinatio *artificialis.* *a* ex variis signis;

12. *Artificialis* divinatio ea erat, quâ ex certis quibusdam signis futura prædicebantur; et hujus divinationis infinitæ erant species. Nonnullæ ex hominibus vel rebus humanis petebantur; sic auguria fiebant ex hominis occursu vel ex ejus dicto, v. g. faustum erat signum, si Æthiops occurreret; infaustum siquis in convivio *incendium* nominaret; quod proprie dicebatur *ominatio*. Nonnumquam etiam ex aliquo facto; sic felix signum erat, si casu aliquid vini in vestem effunderetur, vel siquis post meridiem sternutaret; si vero sternutaret matutino tempore, infelix erat signum. Item auguria petebantur ex mortuorum vultu, manibus, ossibus et ventre.

b ex rebus arte factis;

13. Alia artificialis divinationis species erat ex rebus arte factis, ut ex annulis, clavibus, speculis, thure, farinâ vel pice in ignem conjectâ; ex vasis fictilibus vel vitreis, quibus cerei quidam ad oram circumponebantur; ex cribris, aut filo suspensis aut forcipi impositis. Præterea ex aquâ marinâ vel fontanâ; aut bibendo nempe ex illâ aut in eam aliquid projiciendo, ad videndum, utrum supernataret an mergeretur.

c ex elementis;

Item ad futura prænoscenda utebantur punctis, si quæ casu invenissent terræ impressa; item sacrificiorum igne, si tranquilla esset flamma et recta sursum attolleretur; salviæ foliis, quibus inscribebantur nonnulla verba; cinere ad auram exposito; foliis ficûs, si viridiora mansissent; lucernæ fumo, prout motus rectus esset vel obliquus.

d ex animalibus.

14. Alia divinationis species ex animalibus petebatur; quæ quidem, si ex avium volatu vel cantu fiebat, proprie vocabatur *auspicium; augurium*, si ex aliis animalibus, ut ex modo quo pulli vel pisces cibum sumerent, ex corde, jecore vel ex fibris quadrupedum, ex hinnitu equorum, vel ex animalium occursu, ut atri canis, lepusculi vel cervæ. — Alia divinationis species capiebatur ex eclipsibus, cometis, ex tonitru ac fulmine et ex planetarum conjunctionibus.

Earum fallacia.

Quam vana atque inepta essent hæc gentilium vaticinia, neminem latet. Ceterum inter doctos probe constabat, omnia auguria meras esse fallacias; neque aliam ob causam ea servabant, nisi ut plebs gubernantium voluntati subjecta retineretur, quum ad suum arbitrium ea interpretanda curarent ad dissidia vitanda. Cujus rei Cicero his verbis indicium præbuit: *Est in collegio vestro inter Marcellum et Appium, optimos augures, magna dissensio...; quum alteri placeat, auspicia*

[1] *Rom.*, I, 26 et 27. — [2] Dial. 5 de Republ. — [3] Ethicor., lib. IV, cap. 8 et 11; Ars Rhetorica, lib. I, cap. 12. — [4] Partitiones, cap. 37; Pro *Milone*, cap. 3.

ista ad utilitatem esse reipublicæ composita [1].

Oracula vana et ambigua.

15. Nec minus vana fuerunt oracula seu responsa, quæ ab idolis suis gentiles accipiebant. Eorum multa Chrysippus et Porphyrius in scriptis suis collegerunt; sed legenti patet, ea omnia ambigua fuisse et flexiloqua, ut illud: *Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse.* Alia obscura erant, ut Apollinis Delphici consilium, Atheniensibus datum, salvos eos esse futuros *in muro ligneo;* quæ verba alii sic interpretati sunt, quod in navibus salutem quærere deberent; alii, in fugâ, quum intra mœnia consistentes perirent.— Inter deos, oracula dantes, nonnumquam erant homines viventes; ut Hephæstion, quem deum fecerat Alexander Magnus; item Augustus imperator, a Romanis etiam vivus in deos relatus; Antinous quoque (Hadriano carissimus), quem Græci in deum consecraverant.

Oraculorum ministri dolosi.

16. Ministri, qui oraculis accipiendis præsidebant (ut referunt Herodotus [2] et Plutarchus [3]), bonâ mercede conducebantur; unde Demosthenes [4] suo tempore *Pythiam philippizare* ajebat, quod mercede corrupta, in oraculis interpretandis Philippo favere non omitteret. Haud raro tamen oraculorum fraudes detectæ sunt, ut sacerdotum *Beli* a Daniele et *Isidis* a Paulinæ marito ac Tiberio. Varias quoque eorum fraudes patefactas refert Herodotus [5].

Hunc in finem idola, a quibus oracula petebantur, posita erant in montibus, qui speluncis et locis subterraneis abundabant, ad occultandas fraudes aptissimis. Talia erant Apollinis Delphici templum in monte Parnasso (quod describit S. Justinus [6]), antrum Trophonii, Apollinis filii (a Philostrato [7] descriptum), et fana Serapidis, Apollinis Clarii, Sibyllæ Cumanæ et alia. Et quum deessent loci ipsâ naturâ fraudibus opportuni, sacerdotes arte supplentes tenebrosos eos reddebant, adjectis etiam interioribus latibulis aditibusque reconditis. Illudque Eusebius narrat in vitâ Constantini [8], locos nempe quibus fraudes in edendis oraculis tegerentur, repertos fuisse in iis templis, quæ imperator dirui jussisset. Item scire expedit, in eos locos non alios fuisse admissos nisi imperatores, reges vel proceres. Strabo [9], oraculum quoddam referens, a sacerdote soli Alexandro concessum fuisse narrat, ut in templum ingrederetur, et ceteros omnes foris tantum oraculum audivisse. Similiter Vespasianum referunt solum in Serapidis templum intrasse, ut oraculum acciperet.

Modus respondendi fraudulentus.

17. Modi autem, quibus oracula reddebantur, diversi quidem erant, sed singuli ad fraudem accommodati. Modo ipsa vox audiebatur, per longos tubos transmissa; confer quæ Theodoretus de oraculis Alexandrinis narrat [10]. Modo per sortes fiebant, quas deinde sacerdotes ad arbitrium suum interpretabantur. Alia reddebantur per tabulas obsignatas, hac nempe ratione: quæstiones in tabellâ cereo sigillo obsignatâ scribebantur, eamque sacerdos in certum quemdam templi locum portabat; deinde post aliquot dies integris sigillis reddebatur, adjectis præterea in eâdem tabellâ responsis.

In summâ, adeo fraudulenti erant omnes illi modi, ut vel ipsi gentiles paulo cal-

[1] De Legibus, lib. II, cap. 13. — [2] Hist., lib. V, cap. 63; cfr. lib. I, cap. 50 seq. — [3] Apud Hooke, l. c., Appendix; contra Paganos. — [4] Apud *Ciceronem*, de Divinatione, lib. II, cap. 57 (*a*). — [5] Hist., lib. V, cap. 62 seq. — [6] Seu potius *Strabo*, Rerum Geographicar. Comment., lib. IX. — [7] Vita *Apollonii Tyanensis*, lib. VIII, cap. 19. — [8] Lib. III, cap. 56 et 57. — [9] L. c., lib. XVII. — [10] Hist. Eccl., lib. V, cap. 22 (*b*).

(*a*) « Demosthenes », inquit, « ... jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat » (Nota edit.).

(*b*) *Æreas namque et ligneas statuas,* inquit, *cavas introrsum fabricantes earumque dorsa parietibus applicantes, meatus quosdam non conspicuos in parietibus relinquebant. Deinde per adyta subeuntes et in statuarum penetralia ingressi, quæque vellent, per has imperabant* (Nota edit.).

lidiores oracula illa contemnerent et derideren; ut referunt Chrysippus apud Ciceronem [1], et apud Eusebium [2] Porphyrius, qui et ipse multorum oraculorum vanitatem agnoscere non renuit.

Doctorum testimonia.

18. Et Ecclesiæ Christianæ Doctores, quamvis nonnulla oracula dæmonum artibus attribuissent, sæpenumero tamen animadverterunt, ea sacerdotum fraudes esse et fallacias. Ita Origenes [3] et Eusebius [4], qui ex ipsâ paganorum confessione argumentatur, et subdit, cum Christi adventu finem habuisse omnia oracula, quæ dæmonum operâ fierent. Atque idem habet Plutarchus [5].

De sibyllinis oraculis.

19. Et quod ad Sibyllina oracula attinet, prima hujus generis carmina Tarquinio regi vendita esse dicuntur [6]; quæ quum undique collecta essent, jussu Senatûs fuisse combusta (*a*). Scribit tamen Suetonius [7], Cæsarem Augustum supra duo millia oraculorum versuum cremasse, retinuisse vero Sibyllinos, eosque duobus loculis auratis condidisse. Sed, ut ait Dionysius [8], ea carmina, utpote a privatis tantum exscripta, valde exiguam auctoritatem habebant. Negari quidem non potest, ea Sibyllarum oracula, quæ Messiæ adventum et Christianam religionem vaticinarentur, a doctoribus nostris ad fidei causam defendendam sæpius fuisse allata. Ceterum illa Sibyllinorum carminum collectio, octo libris contenta, quæ in Bibliothecâ Patrum [9] reperitur, fere tota commentitia habetur. Nam licet auctor se nurum Noe jactet, asseratque se de Israelitarum ex Ægypto migratione vaticinari, legenti tamen patet, eum fuisse Christianum; et liquet, neque semper veridicum neque historiæ fuisse peritum. Et reverâ asseruerunt Gentiles, ut Celsus aliique (id quod referunt Origenes [10] et Lactantius [11]), Sibyllinis carminibus multa a Christianis dolose fuisse inserta. Et S. Augustinus [12], quamvis Sibyllarum oracula approbare videatur, suadet tamen, quum intemperanti Christianorum zelo conficta esse possint, ut in iis, quæ ad Christum spectent, fides Scripturâ sacrâ innitatur.

[1] De Divin., lib. II, cap. 56 (*b*). — [2] Præpar. Evangel., lib. VI, cap. 4 et 5. — [3] Contra *Celsum*, lib. VII, n. 3. — [4] L. c., lib. IV, cap. 1-3. — [5] De Oraculorum defectu. — [6] *Plinius*, lib. XIII, cap. 27 (al. 13). — [7] *Octavius*, n. 31. — [8] *Dion. Halicarn.*, Antiquit. Rom., lib. IV (*c*). — [9] Max. Biblioth. veterum Patr. (*Lugduni*, 1677). tom. II, pars 1, pag. 492 seqq. — [10] L. c., lib. VII, n. 53. — [11] Divin. Inst., lib. IV, cap. 15. — [12] De Civitate Dei, lib. XVIII, cap. 47.

§ III. *De falsa Manichæorum Sectâ.*

20. Hic quoque memorare libet Manichæos, qui ex parte similitudinem habent cum gentilibus, quod duos deos inter se distinctos admittunt. Asserunt igitur, duo esse principia, seu duos deos independentes et æternos; sed alterum alteri contrarium, unum summe bonum, alterum summe malum. Quis autem non videt, absurdum esse systema adeo impium et ridiculum? — In seipso repugnat existens aliquod principium solummodo malum; si enim illud principium intelligitur bono principio in omni re contrarium, non aliud esset nisi infinitum nihilum, sine ullâ perfectione, potentiâ, intelligentiâ atque ipsâ realitate carens. Si vero intelligitur principium, ceteris quidem perfectionibus, potentiâ, intelligentiâ et reliquis præditum, sed naturâ suâ malevolum, constabit attributis inter se pugnantibus. Si enim esset intelligens, videret profecto, quid rectum esset; sed quomodo, quod rectum est, intelligens, illud posset respuere? Sal-

Ens summum malum dari nequit.

(*a*) Sic legendum crediderim: « quæ quum » incendio periissent, alia, jussu Senatûs, undi- » que fuisse collecta » (Nota edit.).

(*b*) *Oraculis*, inquit, *Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime; partim flexiloquis et obscuris... partim ambiguis...* (Nota edit.).

(*c*) *Hi libri*, inquit,... *a privatis hominibus descripti: in quibus inveniuntur quædam suppositicia, quæ deprehenduntur acrostichidum, quas vocant, discrimine* (Nota edit.).

tem in illâ hypothesi injustus esset et infelix aliquis Deus: injustus, quia sine justâ causâ recto foret contrarius; infelix, quia odio haberet ipsam suam naturam adeo perversam, ut bono cognito infesta sit. — Præterea Deum omnes considerant, ut ens infinite perfectum; quomodo ergo ens summe malum pro Deo haberi potest, quum ei desit et misericordia erga infelices et benevolentia erga bonos!

Illa principia non possent operari.

21. Accedit, quod si duo illa principia, inter se contraria, existerent, eorum potentia aut inæqualis foret aut æqualis. Si *inæqualis*, aut prævaleret bonum principium, nec malum principium operari sineret; aut malum principium prævaleret, neque ullum bonum in hoc mundo esset. Si *æqualis* utriusque principii potentia fingeretur, assidua his in terris confusio esset ordinisque perturbatio; quod alterum alterius opera disturbare numquam intermitteret.

Pactio inter ea fingi nequit.

22. Etiam magis ridicula est pactio, quam a duplici principio initam ponit impius *Bayle* [1]. Quis, quæso, duobus illis principiis constituit terminos boni, quod bonum principium perficere vellet, et terminos mali, quod perpetrare cuperet principium malum; quandoquidem alterum ab altero est independens? Et utri data est facultas creandi homines? An forte utrique definitus est certus quidam animarum creandarum numerus? Quis autem hunc numerum determinavit? Et utrius erit condemnandi vel ignoscendi potestas? — Sed quid juvat, pactionem illam ulterius examinare, quum cogitari nequeat ens, quod Deus sit, nec simul (ut suprà diximus) summum, perfectissimum, omnipotens et omnium rerum sit gubernator?

CAPUT III.

VERA ESSE NEQUIT RELIGIO JUDAICA.

Post Messiæ adventum vera esse nequit.

1. Judæi veram religionem, veram legem veramque Ecclesiam aliquando habuerunt; sed post Messiæ adventum vera esse jam non potest eorum religio, quæ juxta prophetias, ab ipsis pro divinis habitas, aboleri et Novæ Legi cedere deberet. Jeremias enim: *Ecce dies venient, dicit Dominus*, inquit; *et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum* [2]. In quæ verba scribit Apostolus: *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est* [3]. Porro Messiam advenisse, eumque fuisse Jesum Christum, suprà liquido probatum fuit (Conf. part. II, cap. IV et seqq.), et constat ex ipsis Judæorum Scripturis, ex Salvatoris ejusque discipulorum miraculis, et ex obstinationis pœnâ, quam miseri Judæi tamdiu sustinent. Quæcumque Prophetæ annuntiaverant, eventu completa cernunt: Judææ imperium exstinctum, destructam Civitatem, templum igni absumptum, ablata sacrificia, seipsos per totum orbem dispersos, sine rege, sine sacerdotibus sineque altari; verumtamen miseri Salvatorem suum obstinato animo negare pergunt.

Objicitur.

2. Sed, inquiunt, ex Davidis et Isaiæ prophetiis, Messiæ adventum præcedere debebant flammæ et ignis, et Ipse postmodum venturus erat cum gloriâ et majestate. — Respondetur, illic agi de secundo adventu, quando Messias ut judex apparebit; sed de primo adventu, quum ut Redemptor his in terris viveret, luce clarius annuntiaverunt Prophetæ (ut vidimus in Parte II, cap. VII et VIII), pauperem Eum, humilem et despectum esse futurum, ac tandem moriturum esse cruci affixum.

Respondetur.

[1] *Diction., art. Manichéens, Note D.*

[2] XXXI, 31. — [3] *Hebr.*, VIII, 13.

Objicitur 2.

3. Præterea: Pro nostrâ synagogâ, inquiunt, eadem adstant signa quæ pro Christianorum Ecclesiâ Catholicâ. *Antiquitas* nempe, quum religio nostra sit omnium antiquissima; *universitas*, quod Judæi per totum orbem dispersi sunt; *perpetua visibilitas*, nam a Moyse ad hæc usque tempora religio Judaica ab omnibus cognoscitur; *miracula*, probe enim nota sunt ea, quæ Moyses, Josue aliique fecerunt; *sanctitas*, ut Patriarcharum et Prophetarum. — Ad quæ respondetur: Quod ad *antiquitatem* pertinet, quamquam vestra religio est omnium antiquissima, non tamen a Deo condita est, ut esset perpetua, sed temporaria usque ad promissi Messiæ adventum; quoniam igitur Messias jam advenit, in præsenti est religio mortua et a Deo repudiata; quod quidem omnibus patet, quum et templo et sacerdotibus et sacrificiis careat. Neque ad *universitatem* alicujus religionis satis est, plures familias per orbem dispersas eam sequi; sed requiritur, ut publice in cultu divino, ab ipsâ præscripto, apud omnes nationes exerceatur; quod hic dici nequit. Quodsi opponitur *perpetua visibilitas*, prorsus falsum est, post Evangelii prædicationem Synagogam esse visibilem, ut est Ecclesia Catholica: omnibus enim despicatui est, non Christianis tantum, sed etiam infidelibus. Quod tandem ad *miracula* et ad personarum *sanctitatem* spectat, post Jesu Christi adventum Judæi neque ullo miraculo neque ullo viro, sanctitate perspicuo, gloriari possunt. Frustra autem objiciunt suorum patrum miracula et sanctitatem; tunc enim evenerunt illa miracula et vixerunt sancti illi viri, quando veram religionem habebat Synagoga; neque illa in præsenti confirmant religionem, quæ Christum venturum adorat, sed eam quæ adorat Christum, qui jam advenit et cujus adventum innumera signa evidenter demonstrant.

Respondetur.

Talmud a Deum dedecorat.

4. Præterea Judæi veram religionem jam non possunt habere, quum non amplius habeant Scripturam divinam, cujus apud eos libri corrupti sunt. Suas hodie scripturas vocant librum *Talmud*, conscriptum a *Rabbinis*, qui legem ibi traditam, ab antiquâ distinctam, vivâ voce Moysi exhibitam fuisse asserunt. Itaque ejus inventores librum divulgantes præceperunt, ut singula in eo scripta, velut leges divinæ servarentur, et capite plecteretur, quisquis ea negaret. Atvero scire oportet, fabulis, erroribus et blasphemiis refertum esse eum librum. — Circa mysteria Deum ait abditum in cælis sibi reservasse locum, quo aliquâ noctis parte secedit, ut lacrymans et velut leo rugiens exclamet: *Heu! Me domum meam evertisse, concremasse templum, atque in servitutem redegisse filios!* Item ait Dominum, quoties Secum recogitet, quantopere populum suum afflictari permiserit, pectus suum percutere, duasque in Oceanum immittere calidas lacrymas. Item, unam diei partem Eum insumere in legis et ipsius quoque *Talmud* studio, aliam in instruendis parvulis, qui ante rationis usum mortui sunt, aliam in mundo judicando; tribus autem ultimis horis cum dracone, *Leviathan* nomine, Eum ludere. Item, ante mundi creationem, plures Eum mundos et fecisse et dissolvisse, ut artem addisceret fabricandi duodeviginta millia mundorum, quos deinde creavit, et nocturno tempore visitat, Cherub velut equo insidens. Eum quoque mendacium aliquando dicere debuisse, ut inter Saram et Abraham pacem componeret. Similiter Eum, quod præ lumine solis, lunæ lumen attenuavisset, Moysen jussisse bovem mactare ad errati illius veniam impetrandam. — Numquid stultiores ineptiæ et magis horrendæ blasphemiæ ullibi reperiri possunt?

b hominum mores pervertit.

5. Circa mores *Talmud* affirmat, non peccare eum, qui vel amore vel timore adactus idola veneretur. Neque eum committere culpam, qui parentibus vel ipsi Deo maledicat, dummodo ne proferat nomina *Adonai*, *Elohim* vel *Sabaoth*. Præterea siquis sodalem ligaverit et sic vel fame eum interire patiatur vel leoni obji-

ciat, talem non esse capite puniendum; secus vero, si non ligatum eum inediâ interficiat vel objiciat muscis. Similiter nefas esse ad mortem mitti eum, qui ab omnibus judicibus condemnatus sit; secus si nonnulli, ceteris dissentientibus, eum condemnaverint. Eum porro ad salutem certo esse perventurum, qui singulis sabbatis ter cibum sumere non omiserit. — Neque alia absurda ibi desunt; sed quæ commemoravimus, satis demonstrant, quo cæcitatis Judæi in pœnam obstinationis jam devenerint [1].

CAPUT IV.

VERA ESSE NEQUIT RELIGIO MAHUMEDANA.

De *Mahumedis* indole.

1. Ante omnia videamus, quæ fuerit indoles *Mahumedis*, conditoris hujus religionis, seu potius infamis hujus sectæ, quæ tot animas in infernum detrusit. Nonnullis commendabatur naturæ dotibus: egregiâ formâ, acuto ingenio, sermonis comitate, animo liberali ac beneficiorum memori. Simul tamen subjectus erat flagitiosæ libidini, ita ut quindecim uxores haberet et plus quam viginti quatuor concubinas, quâ in re divinitus sibi indultum esse finxit, quum aliis quatuor tantum uxores habere permitteret. Ideo etiam in *Alcorano* maximam æternæ felicitatis partem in carnis immunditiis reposuit. Parebat quoque superbiæ; quâ imperante, crudelis nonnumquam fiebat. Hoc satis erit testimonii: Quosdam, qui nonnullos ipsi camelos diripuissent, manibus pedibusque abscissis, et oculis candente ferro erutis, ita relinqui jussit donec animam reddidissent [2].

[1] Quod ad ea spectat, quæ de *Talmud* diximus, confer *Gaulterium:* Tabula Chronographica status Eccl. Cathol., cap. 1, de Talmudistis, n. 2-10 (*Lugduni*, 1616; sext. sæc., pag. 494); item *P. Segneri, l'Incredulo senza scusa*, parte 2, cap. 24, n. 12; et *Ludov. Granatensem*, Catechism. major., sive Introduct. in Symbol., lib. IV, cap. 22.

[2] *Mahumedes*, natione Arabs, ex nobilissimâ familiâ oriundus, natus est Meccæ, anno 571. Patre mortuo, ad mercaturam applicatus est a consanguineis; erat enim primo apud avum educatus ac deinde apud patruum, qui, quum tredecim esset annorum, in Syriam eum abduxit. Inde, ætatis anno vicesimo quinto, in patriam reversus, a *Kadidsja*, viduâ nobili ac diviti, annum agens vicesimum octavum, rei familiæ curator præpositus est. In hac altiori vitæ conditione constitutus, meditari cœpit Religionis mutationem, et sibi et patriæ faciendam; consiliumque iniit, ab idololatriâ, in quâ ipse educatus fuerat, avocandi Arabes et mundo restituendi (ut ajebat) primævam Religionem Adami, Noe, Abrahæ, Moysis et ipsius Christi, omnium denique veri Dei prophetarum. Ideo commentus est, colloquia se habere cum Gabriele Angelo in speluncâ *Hira*, non multum a Meccâ distante, in quam frequenter secedebat.

Annos quadraginta natus, quum ad eam usque ætatem idololatra fuisset, prophetæ assumpsit officium, et talis habitus est primo ab uxore et quibusdam conjunctis ac domesticis, et postmodum ab *Abu-Bekr*, magnæ auctoritatis viro, cujus ope multos sibi conciliavit potentes Meccæ incolas. Post tres circiter annos ad convivium convocavit cum *Ali*, patruele suo, alios quadraginta homines, ibique divinam (ut ajebat) missionem suam aperuit. Sed ab omnibus, præter *Ali*, derisus, hunc, animo nequaquam fractus, vicarium suum constituit, et publice Meccæ concionari cœpit. Initio quidem a Meccanis auditus est; ubi vero eorum deos reprobandos suscepit, ad necem quæsitus, nec nisi auctoritate ac prudentiâ cujusdam *Abu-Taleb* servatus fuit; verumtamen statuerunt Meccani, cum *Mahumede* ejusque asseclis nullum in posterum habere commercium. Quum vero iis diebus *Alcorani* partem jam composuisset, sæpius adversarios provocabat ad aliquid huic simile conscribendum, affirmans numquam eos vel unum capitulum esse confecturos. Et quum in missionis confirmationem aliquod miraculum postularent, divinitus missum se respondebat, non ad patranda miracula, sed ad solam veritatem prædicandam.

Idcirco *Mahumedani* miraculum legislatoris fuisse ajunt, suæ legis propagationem per majorem orbis partem. Sed ad illud respondetur, miraculum dici non posse acceptationem illius legis, quâ magis ad sensuum delectationem quam ad rationem vita dirigatur. Præterquam quod propagatio illa facta est in Arabiâ, ubi plerique gentiles, pauci Christiani et reliqui vel Judæi erant vel hæretici Ariani ac Nesto-

De *Alcorano.*

2. Nunc autem videamus, quid sit *Alcoranus* et quænam dogmata ac præcepta tradat. Alcoran idem est ac lectio seu liber lectionis. Alii sunt in aliis editionibus tituli. Dividitur in centum et quatuordecim *Suras* sive *Akoaras;* Suræ iterum dividuntur in *Ayat*, i. e. signa, diversæ longitudinis, quæ agunt de divinis attributis et de præceptis vel judiciis rerum mirabilium; signa desinunt in rythmum cum versu præcedente consonantem. *Alcoranus* puro Arabico sermone conscriptus est cum verborum elegantiâ, et modum quemdam propheticum affectat. Continet judicia, historias et adhortationes. Ad *judicia* pertinent leges, tam ad res sacras, preces, peregrinationes ac jejunia spectantes, quam ad res politicas, tribunalia, matrimonia, hæreditates. Ad *historias* multæ narrationes, partim e sacris libris, quamquam corrupte, desumptæ, partim fictæ vel excerptæ ex libris apocryphis ac præsertim ex *Talmud* Judæorum. Ad *adhortationes* referuntur invitationes ad novam religionem, ad bellum pro ejus defensione suscipiendum, ad preces et eleemosynas, gehennæ pœnas violantibus comminando, servantibus autem pollicendo paradisi delicias. Modo Deus vel Angelus loquens fingitur; modo *Mahumedes* ipse alloquitur Meccanos, Judæos vel Christianos. Nunc loquentes inducuntur beati in paradiso; nunc damnati in inferno; ita ut Alcoranus sit velut drama quoddam, in quo diversæ loquuntur personæ.

De *Alcorani* origine.

3. Alcoranum *Mahumedani* neque a *Mahumede* neque ab alio homine, sed a solo Deo compositum esse affirmant et a Deo Mahumedi traditum. De modo autem et tempore, quo hoc factum sit, sexcentas proferunt ineptias. Alii dicunt, *Alcoranum* esse æternum et semper præsentem fuisse ad Dei thronum in tabulâ quâdam, in quâ omnia præterita, præsentia et futura descripta essent. Alii, quâdam nocte mensis *Ramadan* (in quâ omnia a Deo disponi credunt), hunc librum a Dei throno fuisse demissum. Alii, Gabrielem Archangelum, quæcumque in *Alcorano* scripta sunt, Mahumedi revelasse. Alii, *Mahumedem* nonnullos subinde accepisse versiculos, quos in capsâ servandos curaret. Alii alia inepte garriunt. Ceterum in exemplaribus, quæ hodie supersunt, multæ habentur lectiones variæ, quæ immutant sententiam. Nostri auctores dicunt, *Alcoranum* composuisse Mahumedem, vel per se solum, vel adjutore Sergio quodam monacho, vel aliis adjuvantibus. Qui plura

riani, qui propter imperatorum edicta eo confugerant; omnes denique in summâ ignorantiâ versabantur. In Evangelii vero propagatione illud miraculum accidit, quum Evangelii lex carnis appetentiis sit contraria. Nihilominus *Mahumedes* quoque magnum miraculum se patrasse jactabat (sed miraculum scurrâ dignum); quum enim (ita in *Alcorani* Akoarâ 64ª narrat) lunæ fragmentum in suam manuleam incidisset, arte suâ illud reconcinnasset. Eamque ob causam Turcarum imperii insigne est luna curvata.

Post mortem *Kadidsjæ* uxoris et familiarissimi sibi *Abu-Taleb, Mahumedes* decimo fictæ suæ missionis anno ab omnibus fere derelictus, Meccâ recedere coactus est in *Tayef*, locum sexaginta milliaribus distantem. Post mensem vero Meccam rediit, seque commisit protectioni cujusdam viri, *Al Motaam Ebn Adi* nomine. Anno duodecimo fabulam divulgavit nocturni sui Hierosolymam atque inde in cælum itineris; quæ tam ridicula visa est, ut nisi *Abu-Bekr* quidam affirmasset, se fidem *Mahumedi* denegare non posse, ab omnibus omnino derelictus fuisset. Eodem duodecimo anno multi ex urbe Medinâ jurejurando se *Mahumedi* obstrinxerunt, atque inter eos Princeps illius tribûs, quæ dicebatur *Aws*. Declaraverat *Mahumedes*, solam fidei prædicationem a Deo sibi esse impositam, nec quemquam ad fidem amplectendam se compellere debere; quum vero Medinâ fugisset, ut vitæ suæ consuleret, cui insidiabantur Meccani, præceptum sibi esse asseruit, infideles armis persequi et fidem victoriis propagare. Atque exinde bellum gerere non destitit, in quo nonnumquam adversâ, sæpius tamen prosperâ usus est fortunâ.

Postea mille quadringentis militibus stipatus Meccam se contulit, ibique cum hostibus inducias obtinuit eâ conditione, ut quicumque vellet, ipsi libere se posset adjungere. Tum ad reges Persarum, Æthiopum et Romanorum epistolas scripsit, ut ad suam religionem suscipiendam eos invitaret. Meccam inde expugnavit, et expulsâ idololatriâ, suam ibi stabilivit sectam. Postero anno legatos recepit ab omnibus Arabiæ tribubus, quæ quum devictam vidissent potentissimam totius gentis tribum, *Alcoranum* amplexæ sunt. Tandem ætatis anno sexagesimo tertio mortuus est, et veneno quidem interemptus dicitur.

de *Alcorani* scriptione cognoscere velit, legat *Marraccii* Prodromum in *Alcoranum* [1].

De *Alcorani* doctrina.

4. De *Alcorani* theologiâ scire oportet, hunc librum velut confusâ farragine continere fabulas, præcepta et dogmata inepta, si ea excipiantur, quæ a Lege Mosaicâ et Christianâ desumpta sunt. *Mahumedes* [2] pro divinâ agnoscebat et Moysis et Jesu Christi missionem; nostrarum Scripturarum accipiebat auctoritatem, saltem in pluribus locis, quum ceteros corruptos fuisse diceret. Suâ ergo pseudoreligione (quam cum Moysis et Jesu Christi Religione eamdem esse asserebat) reformare et perficere volebat religionem tam Mosaicam quam Christianam. Reverâ tamen sectam conflavit ab utrâque discrepantem. Mahumedes credebat, unum esse Deum, et ex *Surâ 4ª, vers. 169* colligitur, eum Personarum quoque in divinâ naturâ Trinitatem agnovisse: *Neque dicant tres* (Deos), *Deus enim unus est.* Pro fidei articulo habebat, existere Angelos, quos corpora quidem, non vero sexûs discrimen habere ajebat (*Suris 2ª et 7ª*). Docebat, singulis hominibus duos assignatos esse angelos custodes, eosque quotidie mutari. Præterea alias admittebat species angelorum et dæmonum (quos *genios* vocat), qui manducant et bibunt, propagantur mortique sunt obnoxii et futuræ vel salutis vel damnationis sunt capaces.

Quid de Deo proferat.

5. Multa quoque Deo indigna in *Alcorano* reperiuntur. Ibi dicitur (ut item blasphemant Judæi *Talmudistæ*), Deum mendacium dicere debuisse, ut inter Saram et Abrahamum pacem componeret. Inducitur Deus jurans per ventos, angelos atque etiam dæmones; quum Deus non per creaturas, sed solum per Seipsum jurare possit. Sura 33ª Deum pro *Mahumede* orantem facit: *Quum Deus et Angeli propter prophetam exorent.* Affirmat *Mahumedes* (Surâ 66ª), sibi permisisse Deum, ut jusjurandum violaret. Et alibi (Surâ 33ª), Deum sibi permisisse, ut quamlibet mulierem cognosceret, etiam nuptam et consanguineam. Item plura profert mendacia. Surâ 7ª asserit, Deum jussisse Angelos, ut Adamum adorarent, omnesque paruisse præter Beelzebub. Surâ 5ª asseverat, Mariam, Jesu matrem, a nobis pro deâ adorari. Surâ 17ª, in cælum se raptum fuisse, ut in mysteriis erudiretur. Surâ 15ª, dæmonem a Deo creatum fuisse ex igne pestifero (*a*).

Secum ipse pugnat.

6. Ad hæc, *Alcoranus* millies secum ipse pugnat. Surâ 4ª Jesum Christum vocat Dei spiritum et a Deo missum: *Jesus, Mariæ filius, Dei nuntius... et Spiritus ab eo;* deinde vero negat, Eum esse Deum [3] et cruci affixum, sed pro Eo alium Ei similem cruci affixum fuisse asserit [4]. Item Surâ 2ª affirmat, quemlibet sive Judæum sive Christianum, et etiamsi unam legem pro aliâ relinquat, dummodo Deum adoret et bonum operetur, a Deo amari et ad salutem esse perventurum; Surâ 3ª vero, *Mahumedanos* damnatum iri, si suam legem reliquerint. Surâ 10ª, neminem ait ad fidem esse cogendum; sed Surâ 47ª, infideles interfici debere. Surâ 2ª docet, in suâ quemque religione salutem consequi posse, sive Judæus sit, sive Christianus vel Sabaita: *Qui crediderint et Judæi et Christiani et Sabaitæ in Deum, et fecerint bonum, ipsis erit merces apud Dominum;* sed Surâ 3ª, contrarium docens: *Et qui secutus fuerit aliam religionem,* inquit, *præter istam* (Mahumedanam scilicet), *ipse in futuro sæculo erit ex pereuntibus.* — Mahumedani fatentur quidem, ea inter se pugnare, sed asserunt, Deum ipsum dicta sua retractasse.

[1] Prodromus ad Refutationem Alcorani, pars 4, cap. 27. — [2] Alcor. Sura 2, 3, 4, 14.

[3] Sura 5, ayat 19. — [4] Sura 4, ayat 156.

(*a*) *Et dæmonem creavimus antea ex igne Samum.* Quod quidem vertunt: *pestiferum.* Sed *Marraccius* vertit: *ex igne carente fumo, ac penetrante* (Nota edit.).

Quid de paradiso et inferno doceat.

7. Dicunt præterea *Mahumedani*, post mortem in sepulchro a duabus personis, *Monker* et *Nakir* nomine [1], uniuscujusque hominis opera ponderari debere in duabus stateræ lancibus, quæ amplitudine suâ cæli et terræ superficiem adæquant. Ajunt quoque existere pontem *Sorat* [2], ex quo peccatores in infernum delabuntur. In inferno autem infideles in perpetuum manebunt; qui vero unum crediderunt Deum, aliquamdiu, non tamen ultra mille annos, illic commorati, ad domum pacis migrabunt; sed antequam eo ingrediantur, aquam bibent ex piscinâ *Mahumedis*. Hinc est, cur Mahumedani, licet caput radant, unum tamen intactum relinquant capillorum cirrum, quo *Mahumedes* ipsos ex inferno possit eripere. Sperant eum precibus suis, saltem in die judicii, omnibus sectatoribus suis salutem esse allaturum. Porro paradisus, ab *Alcorano* promissus, talis est, ut ejus vel ipsas bestias puderet; quum non aliæ ibi reperiantur deliciæ, nisi quæ ad sensuum delectationem pertineant. Duos ait illic haberi hortos, arboribus ornatos, fontibus, pomis et mulieribus; et singulos in cælo tot habituros esse uxores, quot his in terris habuerit, ceteras autem concubinas esse futuras. En quid dicant *Suræ 76* et *78: Ubi dulcissimas aquas pomaque multimoda, fructus varios et decentissimas mulieres omneque bonum in æternum possidebunt. Avicenna* [3], *Mahumedanus*, quod eâ vitæ æternæ promissione erubesceret, Mahumedem allegorice locutum esse asserit; quam tamen explicationem, ab *Avicennâ* somniatam, nusquam admittit *Alcoranus*.

Quid de lege naturæ.

Quod ad præcepta naturalia spectat, *Alcoranus* præsertim quidem inculcat legem naturæ; excusat tamen eos, qui metu adacti eam violarent [4]. Plures [5] (ut jam diximus), ad quatuor, uxores haberi permittit, dummodo placide cum omnibus vivatur; secus unam saltem duci jubet; bis quoque repudium concedit. Prohibet omnem de *Alcorano* et de Scripturis sacris disputationem; quod quidem *Suræ 6* et *29* asserunt, divinum esse præceptum. Ceterum hæc valde prudenter ab illo impostore sancita sunt; nam omne præsidium ejus legis in ignorantiâ positum est. — Aliæ præterea habentur leges positivæ, quæ purificationes, orationes et eleemosynas præscribunt; jejunium quoque, mense *Ramadan* servandum et Meccanam peregrinationem.

Probatus quidam auctor narrat, solitum fuisse *Mahumedem*, frumentum in aure collocare, et columbam assuefecisse rostro illud carpere, ut quum præcepta traderet, divino spiritu afflatus crederetur. In cujus rei confirmationem duo Maronitæ (apud *Bayle* [6]) referunt, Meccæ nonnullas columbas a Turcis velut sacras coli, quum eas descendere credant ab illâ columbâ, quæ ad Mahumedem loqueretur.

Conclusio.

8. Itaque vera esse nequit nec Gentilium, nec Judæorum, nec Mahumedanorum religio; ergo unice vera est religio Christiana. Quoniam vero in Christianâ religione diversæ sunt Ecclesiæ, ab Ecclesiâ Catholicâ Romanâ discrepantes, superest, ut videamus, quænam inter omnes sit vera Ecclesia et, quod consequens est, vera Religio.

[1] Conf. *Marracci*, Confut. Alcorani, ad Sur. 8, ayat 53, nota. — [2] Conf. *Hooke*, Append., cap. 3; contra Mahumetanos. — [3] Lib. IX de prima Phil. (Apud *Segneri, L'Incredulo senza scusa, parte II, cap. 24, n. 7*). — [4] Sura 16, ayat 110 seq. — [5] Sura 4, ayat 3. — [6] Diction., art. Mahomet, not. CC (*a*).

(*a*) A *Bayle* citantur *Gabriel Sionita* et *Joannes Hesronita*: in Tractatu de nonnullis Orientalium urbibus, cap. 7, p. 21: *eo pollent privilegio..., ut non solum eas occidere, sed aut capere aut fugare nefas esse existiment* (Nota edit.).

CAPUT V.

PROBATUR, UNICE VERAM ESSE ROMANO-CATHOLICAM ECCLESIAM; CETERAS OMNES FALSAS ATQUE HÆRETICAS.

Una tantum Ecclesia vera esse potest.

1. Siquis plene sibi persuadere cupiat, Romano-Catholicam Ecclesiam esse unice veram, duo eum ut certa præmittere oportet. Primum quemadmodum unus tantum sit Deus, ita quoque unam tantum existere posse veram fidem et unam veram Jesu Christi Ecclesiam: *Una fides, unum baptisma, unus Deus* [1]. Quapropter de duabus Ecclesiis, quæ circa dogmata vel legis præcepta inter se opposita tradunt, una tantum vera esse potest; et extra eam Ecclesiam, quæ unica est salutis arca, nemo potest ad salutem pervenire, ut ipse Calvinus fatetur [2]. Alterum est, Romano-Catholicam primam fuisse Ecclesiam Christianam. Id qui negare voluerit, quænam prima fuerit, dicat. Sed nulla secta hoc negat. Gerhardum, hæreticum, audiamus: *Certum quidem est*, inquit, *antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse, et apostolicam doctrinam tenuisse* [3]. Nec negari potest; nemo enim ignorat, Romanam Ecclesiam primam a Jesu Christo fuisse conditam, propagatam deinde ab Apostolis, ac tandem colendam et regendam fuisse commissam pastoribus, qui legitimâ et continuatâ serie ab ipsis Apostolis descendunt: *Ipse dedit*, inquit S. Paulus, *quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* [4]. Neque illa nota reperiri potest nisi in solâ Romanâ Ecclesiâ, ubi sine ullâ dubitatione pastores originem suam immediate ab Apostolis repetunt, ut testantur S. Cyprianus [5], S. Hieronymus [6], S. Augustinus [7] et ante eos his quidem verbis S. Irenæus: *Romæ fundatæ... Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis traditionem et... fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque*

Romana Ecclesia omnium prima fuit.

[1] *Ephes.*, IV, 5 et 6. — [2] Instit., lib. IV, cap. 1, n. 1-12 (*a*). — [3] *Johannis Gerhardi* Loci Theologici, tom. V; de Ecclesia, cap. 11, sect. 6, n. 204. — [4] *Ephes.*, IV, 11 et 12. — [5] Ep. 52 ad *Antonianum*; Ep. 76 ad *Magnum*. — [6] Dialogus adversus *Luciferianos*, n. 28. — [7] Contra Adversarium Legis et Prophetarum, lib. I, cap. 20.

(*a*) *Incipiam autem ab Ecclesiâ*, inquit (l. c., n. 1): *in cujus sinum aggregari vult Deus filios suos, non modo ut ejus operâ et ministerio alantur quamdiu infantes sunt ac pueri, sed curâ etiam maternâ regantur donec adolescant, ac tandem perveniant ad fidei metam. Hæc enim quæ Deus conjunxit separari fas non est, ut quibus ipse est pater, Ecclesia etiam mater sit...* (n. 2): *Nisi enim sub capite nostro Christo coadunati simus reliquis omnibus membris, nulla nos manet spes hæreditatis futuræ. Ideo catholica dicitur, seu universalis: quia non duas aut tres invenire liceat quin discerpatur Christus: quod fieri non potest...* (n. 4): *Adde quod extra ejus gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus...: ut semper exitialis sit ab Ecclesiâ discessio...* (n. 5): *Sequitur dignos esse, qui fame et inediâ pereant, quicumque spiritualem animæ cibum, divinitus sibi per manus Ecclesiæ porrectum, respuunt... Sicuti autem veterem populum non ablegavit ad Angelos, sed doctores excitavit e terrâ, qui vere præstarent munus Angelicum: ita et nos hodie humanitus vult docere. Ac sicut olim non contentus fuit solâ Lege, sed sacerdotes addidit interpretes, ex quorum labiis populus inquireret verum illius sensum: ita hodie non tantum vult nos esse lectioni attentos, sed magistros etiam præficit, quorum operâ adjuvemur.... Quo magis detestabiles sunt apostatæ, qui scindendis Ecclesiis inhiant, perinde ac si oves abigerent a caulis, ac projicerent in fauces luporum....* (n. 10): *Nec ullum atrocius fingi crimen potest, quam sacrilegâ perfidiâ violare conjugium, quod nobiscum unigenitus Dei Filius contrahere dignatus est* (Nota edit.).

ad nos, indicantes, confundimus eos omnes, qui... per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet colligunt [1]. Et S. Optatus Milevitanus: *Bono unitatis B. Petrus... præferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni cælorum communicandas ceteris solus accepit* [2]. Neque aliter Tertullianus [3] eam Christianam societatem ait, quæ primam se fuisse non posset ostendere, si veram et legitimam se declarare velit, saltem monstrare debere, ab aliquo Apostolorum originem se ducere. Atque idem illud S. Augustino persuadebat, Romanam esse veram Jesu Christi Ecclesiam: *Tenet (me in Ecclesiâ)*, inquiebat, *ab ipsâ Sede Petri... usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum* [4]. Itaque constans et perpetua a S. Petro ad hæc usque tempora Pontificum series, Romanam Ecclesiam veram Jesu Christi Ecclesiam esse evidenter probat.

Reliquæ omnes falsæ esse debent.

2. Nobis autem satis est, hæreticos admittere, Romanam Ecclesiam fuisse primam; si enim prima fuerit, vera non esse nequit; quandoquidem Apostolus Ecclesiam a Jesu Christo fundatam, veram Dei Ecclesiam vocat et columen ac fundamentum veritatis: *Scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* [5]. Si ergo Romana Ecclesia est vera Ecclesia Dei, reliquæ omnes, ab eâ digressæ et separatæ, falsæ sunt atque hæreticæ. *Ex hoc... ipso*, inquit S. Hieronymus, *quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit* [6]: pseudoprophetas.

Ecclesia numquam mutavit doctrinam.

3. Objiciunt pseudoreformati hæretici, veram fuisse Ecclesiam Romanam usque ad tertium (alii dicunt usque ad quartum, alii ad quintum) sæculum, tunc vero non amplius sponsam fuisse, sed factam esse adulteram, utpote a Catholicis in veris fidei articulis corruptam. — Sed quomodo defecit nostra Ecclesia? Et quænam corrupta fuerunt ejus dogmata, quum eadem semper tenuerit, quæ a principio tenuit, ex quo a Jesu Christo condita est? Semper sibi constitit quibuslibet temporibus; eædem illæ veritates, quas hodie credimus, primis jam sæculis creditæ fuerunt, cujusmodi sunt: arbitrii libertas, virtus Sacramentorum, realis Jesu Christi in Eucharistiâ præsentia, purgatorium, sanctorum invocatio eorumque reliquiarum et imaginum cultus. Audent quidem novatores ea, quæ nobis fidei veritates sunt, errores vocare; dicunt tamen (ut monet Bellarminus [7]) ejusmodi errores fuisse quosdam in nascentis Ecclesiæ vultu *nævos*. Ergone primis iis sæculis Jesum Christum ut in Eucharistiâ præsentem adorare, adorare crucem, sanctorum imagines colere, nihil aliud erat nisi *nævus* quidam? Et quomodo nævus ille hisce temporibus impia idololatria evasit (nam hoc nomine nunc quidem hæretici utuntur)? An forte nihil aliud nisi nævus quidam est idololatria? Ad hæc, quomodo per tot sæcula tam immanes errores Deus in suâ Ecclesiâ permittere potuit, donec ad eos dispellendos venirent novi illi magistri, Lutherus, Zwinglius, Calvinus? Porro, si per novem saltem sæcula (ut ipsi ajunt) vera Ecclesia defecit, quomodo Deus sinere potuit, humanum genus tamdiu sine Ecclesiâ fuisse, quoad illuminati illi novelli magistri prodirent?

1um Effugium: de Ecclesia invisibili.

4. Quibus argumentis quum nimis premerentur adversarii, hoc aliud excogitaverunt effugium, visibilem Ecclesiam, non invisibilem, defecisse; constare videlicet Ecclesiam solis prædestinatis (ut ajunt Calvinistæ), vel solis justis (ut Lutherani Confessionistæ asserunt). Illud vero cum Evangeliis pugnat, quæ Ecclesiam ex justis et peccatoribus constare docent; quo fit, ut modo comparetur areæ, ubi et frumentum et palea adest; modo reti omnigenos pisces continenti; modo agro, in quo unà cum tritico zizania reperiuntur. — At,

[1] Contra Hæreses, lib. III, cap. 3. — [2] De Schismate *Donatistarum*, lib. VII, cap. 3. — [3] De Præscriptionibus, cap. 20. — [4] Contra Epistolam *Manichæi*, cap. 4. — [5] 1 *Tim.*, III, 15. — [6] Dialog. advers. *Luciferianos*. — [7] De Conciliis et Ecclesia, lib. IV, cap. 5.

inquiunt novatores, saltem non requiritur, ut semper sit visibilis Ecclesia. — Sed primum respondetur, eos illud probare debere; neque illud probant. Refert Pichler[1], Joh. Baptistam Crophium aliquo scripto, anno 1695 edito, declaravisse, se sæpius rogasse Prædicantes, ut vel unum Scripturæ textum afferrent, quo invisibilis illa Ecclesia designaretur; se vero nihil umquam impetrasse. — Verum ex Evangelio constat, non posse Ecclesiam esse invisibilem: *Non potest civitas abscondi supra montem posita*[2]. Sicut urbs in monte constituta, inquit Dominus, transeuntium oculis abscondi nequit; ita neque Ecclesia latere potest eos, qui his in terris vivunt. Quid potest esse clarius iis Jesu Christi verbis? Quocirca Redemptor S. Petrum ita alloquitur: *Et tibi dabo claves regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cælis*[3]. Quidquid sibi volunt *ligare* illud et *solvere*, sive sacramentalem absolutionem significant (ut dicunt Catholici) sive censuras vel prædicationem (ut ajunt hæretici), sunt tamen sine ullâ dubitatione visibilis et patentis Ecclesiæ externa ministeria; quo fit (inquit Bossuét[4] in suâ cum Claudio collocutione, postmodum typis editâ), ut ea declaretur vera Jesu Christi Ecclesia, quæ extrinsecus Jesum Christum confiteatur, et externum clavium ministerium exerceat.

Necesse est, Ecclesiam esse visibilem.

5. Porro quovis tempore Ecclesiam visibilem se præbere necesse fuit, eritque semper necesse, ut nempe unusquisque ab Ecclesiæ pastoribus et veram doctrinam semper addiscere et suscipere Sacramenta possit, et, si quando erraverit, ad recti tramitem revocari. Si enim occulta et invisibilis umquam esset Ecclesia, a quo acciperent homines, quid credendum et agendum sit, ut ad æternam salutem perveniatur? *Quomodo credent ei*, inquit S. Paulus, *quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?*[5] Et ad Hebræos idem Apostolus: *Obedite præpositis vestris*, inquit, *et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*[6]. Si autem lateret Ecclesia, neque præpositos suos agnoscere possent fideles, quomodo iis obedientiam præstarent? Quapropter S. Paulus, Dominum in propatulo posuisse ait et pastores et doctores, ne a falsis magistris atque errorem docentibus deciperemur: *Et Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores et doctores..., ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris*[7].

Ecclesia numquam deficere potest.

6. Secundo respondetur, Ecclesiam Catholicam, quum initio vera fuerit, numquam, ne uno quidem temporis momento, deficere potuisse. Promisit enim Jesus Christus, numquam futurum esse, ut portæ inferi (i. e. hæreses) ad eam evertendam valerent: *Tu es Petrus*, inquit, *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*[8]. Et alio die Apostolis (et in iis quoque omnibus fidelibus) pollicitus est, usque ad finem mundi numquam Se eos esse derelicturum: *Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*[9]. Pro certo igitur posito, Romanam Ecclesiam fuisse primam, a Jesu Christo conditam, si semel vera fuit, ex Christi promissionibus sequitur, semper eam veram fuisse et semper veram esse futuram. Quo eodem argumento S. Augustinus[10] Donatistas confutavit, qui item suis temporibus, id est, quinto sæculo, Ecclesiam defecisse ajebant. Quare sapienter doctus quidam auctor[11] affirmat, nullam ad coarguendos hæreticos breviorem esse nec tutiorem viam, quam si iis demonstretur, Eccle-

[1] Theol. Polem. De Ecclesia, cap. 1, art. 3. — [2] *Matth.*, V, 14. — [3] *Matth.*, XVI, 19. — [4] *Conférence avec M. Claude, n. 3.* — [5] *Rom.*, X, 14. — [6] *Hebr.*, XIII, 17. — [7] *Eph.*, IV, 11-14. — [8] *Matth.*, XVI, 18. — [9] *Matth.*, XXVIII, 20. — [10] In Ps. CI sermo 2, n. 8 et 9. — [11] *Pichler*, Theol. polem. De Ecclesia, Præfatio.

siam nostram Catholicam fuisse primam a Jesu Christo fundatam: quo probato, item demonstratum est, eam esse unice veram, et reliquas omnes, ab eâ separatas atque in fidei articulis discordantes, certo in errore versari. Mortuo *Carolo II*, Angliæ rege, in arculâ reperta est scheda, ubi suâ manu hæc scripserat: *His in terris Christus non potest nisi unam habere Ecclesiam (quod evidens mihi videtur); et hæc unica Ecclesia alia esse nequit nisi Romana Catholica: unde hoc unum investigandum esse existimo, ubinam sit illa Ecclesia, in quam credere profitemur; tunc enim credere debemus ea omnia, quæ illa nobis proponit.* Et sic tandem Catholicam fidem amplexus est [1].

2um Effugium: de articulis fundamentalibus.

7. *Jurieu* Calvinista [2], quum illud compertum haberet et probe perspiceret, veram Jesu Christi Ecclesiam sine ullâ dubitatione existere non posse apud societates divisas a Romanâ Ecclesiâ, quæ est omnium antiquissima, novum excogitavit systema, quod præsertim Calvinistarum sectæ hodie sequuntur: eas nimirum societates, quæ in articulis fundamentalibus cum Ecclesiâ Romanâ non discordent, ab eâ non esse digressas, sed ipsam constituere Ecclesiam. Quemadmodum in Romanâ Ecclesiâ pro variis Thomistarum, Scotistarum, Augustinianorum aliorumque scholis variæ dantur sententiæ, quamvis eamdem omnes confiteantur fidem; ita inter nos (inquit) eadem est et fides et Ecclesia, quamquam variant Canones et disciplina. Atque ita iis accidit, quod S. Augustinus suorum temporum objicit hæreticis: *Quod vultis, creditis; quod vultis, non creditis; vobis potius quam Evangelio creditis* [3]. — Sed adversariis respondeamus: Sunt quidem inter Catholicos diversæ scholæ atque sententiæ; versantur tamen in nonnullis quæstionibus, ab Ecclesiâ non definitis; quod vero spectat ad dogmata sive præcipuos et ab Ecclesiâ jam decisos fidei articulos, idem sentiunt omnes. Sic v. g. nulla schola non fatetur, ad singulos actus bonos necessariam esse gratiam, et liberum esse hominis arbitrium: ea quippe pro fidei articulis habemus; quomodo autem efficax sit gratia, ex seipsâ an ex concursu liberi consensûs humani; et in quo efficacia illa consistat, utrum in prædeterminatione physicâ an in delectatione victrice, et eâ quidem aut relativâ aut morali, controversiæ sunt nondum decisæ nec fidei contrariæ.

Omnes articuli, ab Ecclesiâ definiti, sunt fundamentales.

8. Sed videamus, quosnam articulos pro solis fundamentalibus habeat *Jurieu*. Eos non singulatim aut certe nimis confuse exponit, quum ait: *Fundamentalis est articulus ille, a quo pendet divinæ gloriæ eversio et exitium ultimi finis hominis* [4]. Sed quantum ex ejus scriptis colligitur, quatuor sunt articuli fundamentales: Trinitatis et Incarnationis mysteria, alterius vitæ æternum præmium justorum et peccatorum pœna æterna [5]. — Nos vero dicimus, præter eos, reliquos omnes articulos, quos Ecclesia ut *de fide* tenendos proposuit, firmiter et æquali assensu a fidelibus credi debere, eosque omnes esse fundamentales. Atque ideo sectas, quæ in his aliud sentiebant, semper a Catholicâ Ecclesiâ separatas judicarunt et Patres et Concilia, ac nominatim Nicænum I [6], Constantinopolitanum I [7] et II [8]. Non aliam ob causam, sæculo II, S. Victor [9] Papa ab Ecclesiæ Romanæ communione segregavit Asiaticos *quartadecimanos*, qui Pascha celebrari volebant quartadecimâ die Lunæ Martiæ, non vero Dominicâ sequenti. Carthaginiense III [10] condemnavit Novatianos, qui in persecutione lapsis veniam negabant. Constantinopolitanum II ab Ecclesiâ sejunxit eos, qui animas, priusquam corpora forma-

[1] *Bernino, sæc. XVII, cap. 8.* — [2] *Le Vrai Système de l'Eglise (1686, Dordrecht).* — *Traité de l'Unité de l'Eglise et des points fondamentaux (1688, Rotterdam).* — [3] Contra *Faustum*, lib. XVII, cap. 3. — [4] *Vrai Système, livre III, chap. 9.* — [5] *L. c., liv. I, chap. 19.* — [6] Can. 8. — [7] Can. 6. — [8] Collatio 3. — [9] Ep. ad *Theophilum* (inter Decretales *Isid. Mercator.*). — [10] Ep. *S. Cypriani.*

rentur, creatas asserebant, eosque, qui cælos ac stellas dicebant esse animatas [1]. Præterea in Evangelio S. Matthæi legimus: *Si... Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus* [2]. Hoc ipso igitur, quod Ecclesiæ definitiones aliquis audire renuat, jam vivit extra Ecclesiam, quæ (ut ait S. Paulus [3]) utpote unum corpus, unum tantum spiritum habere potest.

Hæretici definire non possunt, quinam articuli sint fundamentales.

9. Sed, inquit *Jurieu, articulos fundamentales a reliquis distinguere, spinosum et difficile est* [4]. Et: *Definire, quinam sint articuli fundamentales, non pertinet ad Ecclesiam; sed tales sunt suapte naturâ* [5]. Penes quem ergo erit? An forte privatum cujusque judicium illud definiet? Si vero ita esset, nonne sexcentæ inter se contrariæ definitiones et totidem variæ Ecclesiæ haberentur? Nequaquam, reponit *Jurieu;* nullius est illud definire, quinam articuli sint fundamentales; sunt enim fundamentales suapte naturâ. Quod si verum sit, cur eos articulos a ceteris distinguere, *spinosum* et *difficile* vocat? Et quis discernet, quinam sint illi articuli, suapte naturâ fundamentales? Aut manifesti sunt aut obscuri; si primum, non constituunt quæstionem *spinosam* et *difficilem;* sin alterum, definitione indigent.

Hæretici fatentur, omnia apud ipsos in dubium vocari.

10. Ex hucusque dictis patet, quam ineptum sit novum illud systema, a *Jurieu* excogitatum; novum, inquam, vel ipsis Protestantibus, qui ante eum nequaquam cum Romanâ Ecclesiâ conjunctos se dicebant, sed potius gloriabantur, ab eâ se esse digressos, quod post quartum vel quintum sæculum evasisset ecclesia adultera (sic enim ajunt), sedes Antichristi et erroribus atque idololatriâ infecta. Sed præter hæc, quî potest asserere *Jurieu,* Protestantium societates unam constituere eamdemque Ecclesiam cum eâdem fidei professione, quum constet, anno 1578 in « Præfatione Apologeticâ ad reformatas ecclesias » fateri *Tigurinos* (*Zurich*) theologos, plures inter eas esse contentiones de rebus fundamentalibus, ut (quod quidem ad Jesu Christi personam spectat) de utriusque, divinæ et humanæ, naturæ unione ac distinctione, et de aliis hujusmodi? Ad quæ hæc alia etiam adjiciunt verba: *Tanto furore contenditur, ut non paucæ veterum hæreses, quæ olim damnatæ fuerant, quasi ab inferis revocatæ caput attollant* [6]. Et *Joannes Sturmius,* unus ex Protestantibus, de iis controversiis agens: *Præcipui articuli in dubium vocantur,* inquit; *multæ hæreses in Ecclesiam Christi invehuntur; plana ad atheismum paratur via* [7]. Qui quidem auctor propheta dici potest; nam hodie, ut apparet ex libris, quos edere non cessant, bona pars Protestantium in atheismum incidit. Rebus quippe paulatim dilucidatis, jam ipsi Protestantes agnoverunt, systema suum et doctrinam subsistere non posse; quapropter, ut perditæ vitæ conscientiam comprimerent, in extremum atheismum sive materialismum sese abjicere conantes, quidquid ad fidem pertinet, negarunt, omnia materiam esse contenderunt, nec dubitant asserere, Deum non existere neque animam, nec præter præsentem, aliam nobis dari vitam. Sed quidquid cogitant vel laborant ad illum animi angorem sibi evellendum, illud perficere numquam poterunt. Ad summum eo pervenient, ut in dubio ponant, num Deus existat et vita æterna; illud vero reverâ persuasum habere, non possunt neque umquam poterunt; quandoquidem Deum existere, Creatorem rerum omnium justumque remuneratorem, et animas nostras æternas esse atque immortales, ipsa ratio dictat. Ex dubio, num Deus sit, pacem sibi comparare nituntur miseri, ne quem scelerum censorem vel castigatorem habeant; non poterit tamen pacem iis

[1] Can. 1 et 3 advers. *Origen.* — [2] *Matth.,* XVIII, 17. — [3] *Eph.,* IV, 4. — [4] *Vrai système, liv. II, chap. 1.* — « *Question si épineuse et si difficile à décider* ». — [5] L. c., *liv. II, chap. 1, 2, 19; liv. III, chap. 9.* — *De l'Unité de l'Eglise; traité sixième.* — [6] *Prefazione Apologetica dei Teologi di Zurigo* (Apud *Gotti;* della Chiesa, cap. 8, § 1, n. 8. — [7] De Ratione ineundæ concordiæ; fol. 2 (Apud *Gotti,* l. c.).

conciliare dubium istud, hoc ipso quod illud ad certum deducere nequeunt; sed ipsum dubium non desinet incutere divinæ ultionis formidinem.

Probatur, ex ipsis eorum ducibus.

11. Sed ad argumentum redeamus. Fatentur ergo ipsi Novatores, apud se in dubium vocari etiam præcipuos fidei articulos. Et re quidem verâ (ut in docto opere: *De verâ Ecclesiâ* refert *Gotti* [1] Cardinalis), *Lutherani* in Christo agnoscunt unam Personam; duas vero cum Nestorio *Calvinus* et *Beza* ponunt (*a*). Asserunt *Lutherus* aliique ejus discipuli, in Christo ipsam divinam naturam cruciatus et mortem subiisse [2]; quam exsecrandam blasphemiam merito reprobat *Beza* [3]. *Calvinus* Deum peccati auctorem facit [4]; illud vero *Lutherani* blasphemiam esse ajunt [5]. *Lutherus* docet, Christum etiam secundum humanitatem ubique adesse [6]; illud rejiciunt *Zwinglius* [7] *et Calvinus* [8]. *Calvini* judicio infantes fidelium, quamquam sine baptismate mortui, ad salutem perveniunt [9]; sed illud negat *Lutherus* [10]. Tria tantum sacramenta admittit *Lutherus*, Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam; *Calvinus*, Baptismo et Eucharistiâ admissis, Pœnitentiam rejicit; agnoscit tamen Ordinem, quem respuit *Lutherus; Zwinglius* contrà, tam Pœnitentiâ quam Ordine rejectis, agnoscit Baptismum et Eucharistiam. In Eucharistiâ porro *Lutherus* ipso Communionis tempore adorandam esse fatetur realem Jesu Christi præsentiam; sed illud *Calvinus* idololatriam vocat. *Melanchthon* [11] (cui postea *Lutherus* quoque assensus est), bona opera ad salutem æternam necessaria esse docet; quod quidem *Calvinistæ* prorsus negant. — Jam quæro, numquid articuli illi fundamentales non sunt, si ex iis vel admissis vel rejectis (ipsorum Reformatorum sententiâ) pendeat, simusne ad salutem perventuri an perituri in æternum? fideles an idololatræ? — Quapropter fateri necesse est, ecclesias illas, quæ Evangelicas se dicunt, quum in iis articulis aliæ aliis adversentur, in iis errare quæ sunt media ad salutem necessaria et in præcipuis fidei articulis. Et sane; *Calvinus Lutheranos* (ut suprà diximus) falsarios vocat, impios, calumniatores atque etiam, quod Jesum Christum in Eucharistiâ adorent, idololatras. Et ob eamdem causam *Zwinglius* (apud *Gotti* l. c.) *Lutherum* seductorem nuncupat et negatorem Jesu Christi. *Lutherus* vero *Zwinglianis* et reliquis Sacramentariis nomen addit damnatas sectas, blasphematores atque hæreticos: *Hæreticos... censemus*, inquit, *... omnes Sacramentarios, qui negant, Corpus... Christi ore carnali sumi in venerabili Sacramento* [12].

Paulatim omnia dogmata rejiciunt.

12. Doctus quidam auctor et rerum valde peritus, fidei ruinam describit, quam in præsenti sæculo *independentes* et *latitudinarii* efficiunt. Hi enim per speciem consociationis dissolutionem introduxerunt omnium fere mysteriorum fidei: atque ita perfecerunt opus, quod his ultimis duobus sæculis pseudoreformatores susceperant, religionem Christianam eo modo tractantes quo Romani cum Hierosolymis egerunt, nullo lapide super lapidem relicto;

[1] *La vera Chiesa di Cristo, cap. 8, § 1, n. 9.*
[2] Cfr. Libr. de Conciliis et Confessionem Majorem de Cœna Domini. — Quod ad discipulos spectat, conf. *Sylvest. Gzecanovium*, Dialog. de corruptis moribus utriusque partis, fol. 5.
[3] Epist. 61. — [4] Instit., lib. III, cap. 23, n. 4, 7, 8. — [5] Colloquium *Montis Belligardensis* (alii scribunt: *Montis Pelicardensis*. Gallice est *Montbéliard*). — [6] De Sacramento Cœnæ contra Fanaticos Sermo. Et alibi passim. — [7] Contra confessionem *Lutheri*. — Responsio de Sacramentis. — [8] Instit., lib. IV, cap. 17, n. 30. — [9] Instit., lib. IV, cap. 16, n. 26. — [10] Confutatio rationis *Latomianæ*. — [11] Confessio *Augustana (Augsburg)*. — [12] Apud *Hospinianum*, Hist. Sacramentaria, pars 2, a° 1545.

(*a*) Vide: Tract. II, de Fidei Evidentia, cap. 4, n. 17; not. (*a*), pag. 64, ubi ex ipsis *Calvini* et *Bezae* scriptis ostendimus, pauca verba, quæ ex iis allegantur, nequaquam argumento esse, hac in re a verâ doctrinâ eos recedere. Nec refert, *Calvinum* dixisse, Personam Verbi assumpsisse *personam mediatoris;* intelligit enim *mediatoris munus* seu *officium* (Nota edit.).

sic quoque apud eos omnia reciderunt ad communem *indifferentismum*, quo vel ipsa Judæorum et Mahumedanorum religio admittitur. Illud sane præviderat *Bossuet* [1], ex contemptu auctoritatis Ecclesiæ Catholicæ reformatos eo procedere debere, ut suis etiam reformatoribus omnem denegarent auctoritatem. Frustra quoque perniciem et totius religionis Christianæ interitum sic avertere voluerunt protestantium ministri, quod non-essentiales articulos vocarent (et ita etiam negare non dubitarent) Jesu Christi ac Spiritus-Sancti divinitatem, veritatem Scripturæ sacræ, necessitatem Jesu Christi satisfactionis, Baptismi et divinæ gratiæ, animæ immortalitatem et æternitatem pœnarum inferni. Huic rerum confusioni occurrere voluerunt concionibus, decretis, minis, depositionibus, excommunicationibus, ut in *Wallonicâ* Synodo, anno 1690 *Amstelodami* a Protestantibus habitâ; sed impia *independentia* et exterminatrix conscientiæ libertas Protestantibus paulatim cara evasit. *Nos*, inquiebant latitudinarii, *mille sumus contra unum*. Item decreta et censuras ad Papismum spectare ajebant, non ad reformationem, conscientiæ libertatis privilegio munitam. Sed nonne vident, ex illâ conscientiæ libertate innumerabiles deinde atque inter se diversas emanasse sectas, quæ Angliam, Hollandiam et Germaniam hæreticis, deistis atque atheis impleverunt?

Illud prædixit *Bossuet*.

Frustra restiterunt eorum ministri.

Probatur ex historia.

13. Deterrimæ huic lasciviæ *Lutherus* et *Calvinus* primo januam aperuerunt. Deinde *Zanchius*, duo *Socini*, *Arminius* et *Episcopius* aditum laxarunt, et inventâ generali quâdam *indifferentiâ*, omnem difficultatem superare statuerunt. Totam viam magis etiam dilatarunt *d'Huisseau*, *Salmurii* [*Saumur*] minister, *Chillingworth* cum *Oxoniensibus* suis theologis, et *Cromwell* ejusque *liberi muratores*. Tum *Duisburgensis* et *Brandenburgensis* Academiæ, Universitas *Francofurtensis* cum duobus suis heroibus, *Conrado* et *Joanne Berg*, cum *Samuele Strimesio* et *Gregorio Franco*, aliique eorum amici, ut *Hugo Grotius*, *Martinus Hundius*, *Calixtus*, *Pajon*, *Burnetus*, *Locke* eorumque gregales magno huic operi promovendo laborem suum impenderunt. Ac tandem (ut apparet ex famoso *Commentario Philosophico* et ex aliis tam multis recentium auctorum pestiferis libris) ad eum *indifferentismum* perventum est, ut nihil remanserit nisi merus quidam deismus, ad pacifice cum atheismo vivendum paratissimus. *Papinus* Minister (qui operâ Illustr.[i] Dom.[i] *Bossuet* ad Ecclesiam reductus est), quum perciperet, quam formidabilem perniciem secum traheret illa conscientiæ libertas, adeo perterritus est, ut cum divinæ gratiæ auxilio pedem referens, ad gremium redierit pristinæ matris, ad Sanctam Ecclesiam Catholicam. Hæc quippe pro deridendis habet omnes illas religiones, quæ a seipsis quoque dissentientes, nihil aliud sunt nisi cumulus confusionum et opinionum particularium, quas singuli ad suam libidinem accommodant et ad arbitrium immutant. Atque ita eo perveniunt, ut ad cuncta vitia delabantur, nec quidquam ultra credant. Sapienter *Edmundus Gibson*, Londinensis Episcopus, in quâdam pastorali epistolâ scripsit: *Inter morum licentiam et impietatem nimia est propinquitas* [2]. Et *Fénelon*, Cameracensis Episcopus: *Inter Catholicismum et Atheismum*, inquit, *non datur medium* [3]. Cujus sententiæ veritatem rerum eventus comprobat.

Conclusio.

[1] *Hist. des Variations, livr. V, chap. 6 seq.* — [2] *Lettre pastorale sur la cause morale des Tremblements de terre* (Ex *Anglicâ* linguâ in *Gallicam* translata). — [3] Apud *Valsecchi. Dei Fondamenti della Religione, lib. III, parte 1, cap. 1.* Item: *La verità della Chiesa Cattolica Romana. A chi legge, pag. 4.* — Cfr. *Fénelon, Lettres sur l'Eglise, lettre 5me.*

CAPUT VI.

FALSAM ESSE PSEUDOREFORMATAM RELIGIONEM.

§ I. *Eam falsam esse probatur primum ex eo quod ejus duces non sunt a Deo missi.*

Ipsis deest divina Missio.

1. Iisdem verbis, quibus suorum temporum novatores Tertullianus interrogabat, nos quoque novos illos fidei magistros interrogemus oportet: *Qui estis? Quando et unde venistis?* [1] Dicite nobis, *Luthere, Zwingli, Calvine, Socine,* unde venistis? Olim et vos Romanam Ecclesiam sequebamini; quis inde vos emisit, ut novas illas, a vobis disseminatas, prædicaretis doctrinas? Opus esse ait Apostolus, quamlibet prædicationem legitimâ missione approbari: *Quomodo... prædicabunt, nisi mittantur?* [2] Atque ideo Apostoli, quod nonnulli, non ab ipsis missi, gentilibus prædicare cœpissent, neophytos monuerunt, ne eos audirent, quum iis prædicare voluissent, *quibus* (inquiunt Apostoli) *non mandavimus* [3].

Missio extraordinaria sanctitate et miraculis comprobatur.

2. Est quidem duplex missio: ordinaria et extraordinaria. Extraordinaria esse potest, qualis fuit S. Pauli missio; ea vero numquam habebitur pro legitimâ, nisi et rarâ vitæ sanctitate et simul miraculis comprobetur. Quare de suâ missione S. Paulus: *Tametsi nihil sum; signa tamen apostolatûs mei facta sunt super vos in omni patientiâ, et signis, et prodigiis, et virtutibus* [4]. Ac nihilominus S. Paulus, licet ad convertendas gentes ab ipso Domino electus, tale officium suscipere non est ausus, nisi (ut ipse ait [5]) postquam Petri oraculum acceperat. Quocirca S. Hieronymus: *Ostendens* (Paulus), inquit, *se non habuisse securitatem prædicandi Evangelii, nisi Petri, et... qui cum eo erant, fuisset sententiâ roboratus* [6]. — Talem quoque missionem habere debebant capita sectarum, quæ a Romanâ Ecclesiâ dissentiunt: missionem dico, saltem vitâ eximie sanctâ et miraculis suffultam. Sed quod ad vitæ sanctitatem pertinet, hæresiarchas atque imprimis septentrionales illos ultimos vitam egisse constat, non Christiano solum, sed etiam homine indignam; et ad eamdem vitam alios quoque instituerunt. Expedit igitur de singulis specialem hic mentionem facere, ut pateat, quomodo et quam ob causam ab Ecclesiâ defecerint.

Defuit sanctitas.

Quis fuerit *Lutherus*.

3. Et primum quidem, quod ad *Lutherum* spectat, novatorum caput. Anno 1517 Leo X, quum S. Petri Basilicam refici atque etiam ad splendidiorem formam reduci vellet, nonnullas promulgavit Indulgentias, ab iis lucrandas, qui eleemosynis tali constructioni subvenirent. Quod quidem negotium in Germaniâ pluribus commisit Episcopis, ac nominatim Archiepiscopo Moguntino Electori; hic autem eas promulgandi curam delegavit *Joanni Tetzelio*, Ordinis FF. Prædicatorum. Illud vero S. Augustini Eremitæ ægerrime tulerunt; et *Martinus Lutherus*, qui eorum Ordinem erat ingressus, concitatus animo, contra Indulgentiarum virtutem concionari cœpit, et nonnullas hunc in finem sparsit conclusiones. Quæ quum Romæ, tamquam hæreticæ, essent condemnatæ, ad reliquos omnes errores suos divulgandos transiit. Deinde Ordinis sui apostata factus, uxorem duxit monialem feminam, *Catharinam de Bora* nomine, et ad mortem usque (i. e. ad 1546) pecudis more in crapulis, ebrietatibus et impudicitiis vi-

[1] De Præscriptionibus, cap. 37. — [2] *Rom.*, X, 15. — [3] Act., XV, 24. — [4] 2 *Cor.*, XII, 11 et 12. — [5] *Gal.*, I, 18. — [6] Ep. 112 ad *Augustinum*, n. 8.

xit. En quam missionem habuerit reformatorum caput [1]. Ad alios veniamus.

Quis fuerit *Zwinglius*.

4. Uldericus *Zwinglius* natus est anno 1487 [al. 1484] in Helvetiæ pago, nomine *Wildhaus*, Toggenburgi territorio. Quum Basileæ studiis vacasset, ibi anno 1505 Doctor Theologicus creatus est et Tigurum (*Zurich*) ad parochialem ecclesiam administrandam vocatus. Hic, postquam *Lutherus* suos jam disseminaverat errores, *Lutheri* librorum lectionem commendare cœpit, et ipse quoque novas suas annuntiare doctrinas, quæ tamen in multis a Lutheri sententiis discrepabant. Nominatim enim cum Pelagio docebat, quodcumque opus bonum ab humano arbitrio pendere, et in Eucharistiâ non realiter adesse Jesu Christi corpus, sed solum panem repræsentantem ejus corpus, cui homo spirituali modo conjungitur fide. Mortuus est anno 1531 in prælio, quo Catholicorum pagi hæreticorum exercitum deleverunt.

[1] Natus est *Lutherus* Islebii in Saxoniâ, anno 1483. Ordini Eremitarum S. Augustini nomen dedit, terrore perculsus, quod sodalem, fulmine ictum, ante pedes suos exstinctum corruere vidisset. Ingenio acutus et promptus erat, nec litterarum expers; iis vero non tantum instructus, quantum ipse superbiâ elatus suspicabatur; unde in disputationibus petulantissimum se præbebat, quæ quidem petulantia, ad loquacitatem addita, immeritos ei conciliabat fautorum plausus. Copiosâ eminebat valdeque eruditâ memoriâ, sed adeo confusâ, ut nullam umquam cujuslibet generis materiam dilucidaverit. Nec deerat dicendi vel scribendi facultas; sed adeo rudis erat ejus dictio et incomposita, ut, licet multa opera conscripserit, nullam tamen rite concinnatam vel cultam periodum in iis inveneris. Erat porro vir de se adeo bene existimans, ut omnes, etiam celeberrimos quosque Ecclesiæ scriptores contemneret, veram se rerum scientiam non ab aliis sed proprio ingenio adeptum gloriabatur, et Aristotelem in Philosophiâ, in Theologiâ S. Thomam se confutaturum jactabat. — Quoad procul erant æmuli, summe temerarium se præbebat; periculo autem cominus sibi imminente, admodum timidus erat omniumque longe socordissimus. Cupidus admodum et divitiarum avidus, ut pro more suo dissipatam agere posset vitam, semper tamen inopiâ premebatur; id quod omnino intolerandum videbatur ejus superbiæ. Plures quidem inter sectatores numeravit principes; hi vero, suis tantum rebus consulentes, de eo sustentando nequaquam cogitabant. Quapropter de solo cathedræ suæ vivebat stipendio, quo necessaria vix sibi comparabat alimenta. *Petrus Paulus Vergerius* (infelix ille Justinopolitanus [*Capo-d'Istria*] Episcopus et Pontificius Nuntius in Germaniâ, qui fidei apostata tandem in Helvetiam secessit), Lutherum adeo miserâ et consumptâ veste indutum se vidisse narrat, ut mendici præ se ferret speciem.

Initio eum ad errores evomendos impulit tum concepta adversus Romanam Curiam indignatio (ut quidam historicus refert) propter petitam quidem, sed non concessam gratiam; tum invidia contra FF. Prædicatores, ob delatum iis honorem Indulgentias a Summo Pontifice concessas, divulgandi. Deinde Principum, fautorum suorum, gratiâ innixus, tot depravare potuit animas, quæ nunc in inferno comites et corona eum cingunt. Refert Card. Pallavicinus (*a*), sæpius eum dolorem ostendisse, quod contra Summum Pontificem et Ecclesiam Catholicam adeo esset progressus; eum tamen ideo in exsecrando facinore perstitisse, quod pontem velut a tergo sibi interscissum videret.

Mortuus est A. C. 1546, ætatis suæ 64°, in ipsâ patriâ Islebio, eâ nocte, quum vesperi lautæ cœnæ solitisque indulsisset facetiis. Duabus vero ultimis horis adeo acerbi eum discruciarunt dolores, ut tandem maledictam illam ei eripuerint animam, quam in infernum detruderent. Quum jam in eo esset, ut e vitâ migraret, ad Justum Jonam, infamem suum discipulum, conversus, in suæ usque ad mortem obstinationis testimonium, hanc protulit blasphemiam: *Orate pro Domino Deo nostro et ejus Evangelio, ut ei bene succedat; quia concilium Tridenti et abominabilis Papa graviter ei adversantur.* Quibus dictis, animam efflavit. Cadaver, stanneâ arcâ inclusum, curru, velut in triumpho, Wittenbergam conductum est, in rhedâ sequentibus Catharinâ concubinâ unà cum tribus filiis pluribusque nobilibus equitantibus plebejisque peditibus. Philippus Melanchthon, Joannes Pomeranus et Justus Jonas, primarii ejus discipuli, laudes ejus oratione celebrarunt, et Pomeranus hoc composuit, ejus tumulo inscribendum, epitaphium: *Pestis eram vivens, moriens tua mors ero, Papa* (*b*). — Allatæ hîc notitiæ desumptæ sunt ex Cochlæo (*c*) et Card. Pallavicino (*d*).

(*a*) *Istoria del Conc. di Trento, lib. VI, cap. 10, n. 1.*

(*b*) Cochlæus (l. c.) paulo obscurius loquitur; vulgo tamen auctores Pomeranum ajunt, in oratione funebri evolvisse hæc ipsius Lutheri verba, et velut prophetiam ejus jactitasse (Nota edit.).

(*c*) De Actis et Scriptis *Martini Lutheri.* — (*d*) *Istoria del Concilio di Trento, lib. I-VI.*

Quis fuerit *Calvinus*.

5. Denique *Joannes Calvinus* parentibus obscuris anno 1509 Novioduni (*Noyon*) natus est. Lutetiis Parisiorum studiis se applicuit; quum vero ibi errores suos spargere cœpisset, inde aufugit, sæpiusque mutatis regionibus, tandem Genevam se recepit, ibique anno 1536 Theologiæ cathedrâ auctus est. Sed inde quoque ut seditiosus expulsus, Argentoratum se contulit, atque ibi uxorem duxit. Postea vero Genevam redux, per tres et viginti annos in eâ civitate scholas habuit et anno 1564 mortuus est. Superbus erat, ambitiosus et inflexibili obstinationi deditus. Impudicus quoque; juvenis enim ob infames licentias etiam Novioduno patriâ expulsus dicitur. En quid Spondanus (ad annum 1534) de Calvino dicat: *Quod vero traditur vulgo, eum in turpe crimen... incidisse, ac propterea in vitæ discrimen, nisi pœnæ moderationem Episcopus impetrasset, lilii candentis ad humerum inustionem et exsilium, cet.* [1] Refert autem *Bolsecus* [2] (antea *Calvini* discipulus et apostata, deinde vero, quum resipuisset, ad Ecclesiam reversus), ejus condemnationis instrumentum Novioduni rite agnitum fuisse a *Berthelerio*, Genevensis Reipublicæ Secretario [3].

Defuerunt miracula.

6. En igitur quæ fuerit sanctimonia horum novi Evangelii propagatorum. Nunc videamus, num aliquod patraverint miraculum ad extraordinariam, quâ gloriantur, Dei missionem confirmandam. Sed de eorum miraculis *Erasmus:* In quibus, inquit, nec est sanctimonia nec miracula: *nullus illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit* [4]. Famosum tamen est magnum illud miraculum, a *Luthero Wittenbergae* factum, ut narrat *Fridericus Staphylus* [5], antea *Lutheranus*, postea vero ad fidem Catholicam conversus, qui miraculo ipse adfuit suisque illud oculis vidit. « A *Misniâ* puella quædam dæmoniaca adducta est ad *Lutherum*, ut dæmonem ejiceret. Ille in sacrarium Ecclesiæ eam introduci jussit, et diabolum, suo quodam modo, non autem Catholicæ Ecclesiæ more, exorcismis adjurare cœpit. At malus dæmon, ejus voluntati nequaquam obtemperans, magnum etiam ei incussit terrorem; unde Lutherus illico inde se proripere conatus est. Quum vero diabolus obstruxisset ostium, ad fenestram cucurrit, per eam saltem erupturus; sed eam ferreis cancellis occlusam invenit. Tandem securi immissâ ego, utpote junior et robustior, ostium perfregi, et sic aufu-

Miraculum *Lutheri*.

[1] Annales Ecclesiastici (*Baronii* continuat.), a° 1534, n. 11. — [2] *Hist. de Calvin, chap. 5.*

[3] *Calvinus* et *Lutherus* impietate quidem (id quod nemo ignorat) æmuli, indole vero et moribus dissimiles fuerunt. Calvinus melancholicus et taciturnus, Lutherus animo effusus et verbosus. Calvinus cibi parcissimus corporeque macilentus, capitis et stomachi doloribus assidue laborabat, Lutherus validâ et crassâ corporaturâ, helluo in conviviis, robustâ utebatur sanitate. Calvinus cautus, phlegmaticus atque inde fastidiosæ conversationis, Lutherus loquax admodum et præproperus ideoque sectatoribus acceptissimus. Calvinus in scribendo elegans, Lutherus rudis atque inordinatus. Inde factum est, ut sæpius inter se stomachati sint. Lutherus contra Calvinistas, contra Lutheranos Calvinus vociferabatur. En quid in Epistolâ 57ª ad Bulingerum de Luthero Calvinus dicat: Cognosco quidem Lutherum *ut insignem Dei servum;* sed ut *pollet eximiis virtutibus, ita magnis vitiis laborat* (*a*). Lutherus hac infami quidem gloriâ commendatur, quod Germaniam, Calvinus, quod præter Genevam, Angliam et Galliam depravavit, et adversâ corporis valetudine præpeditus, ne accenso igni voce suâ incrementum adjiceret, calamo per totam Europam pestiferos suos libros dimittere molitus est in fidei detrimentum. Tandem Calvinus occubuit die 27 Maji, anno 1564, quum annos quinquaginta quinque nondum complevisset, acerbis oppressus viscerum doloribus; neque illud *placidissime*, ut ait Theodorus Beza, sed ut in *vitâ Calvini* testatur Bolsecus (*b*), *dæmones invocans, vitæ suæ diras imprecans, ac suis studiis et scriptis maledicens; denique ex suis ulceribus intolerabilem fœtorem emittens, in locum suum descendit.* Et quidem obiit suis ipsis exosus Genevensibus, qui eo vivo dicere solebant: *Malle se apud inferos cum Bezâ quam apud superos esse cum Calvino* (*c*).

[4] De Libero Arbitrio; init.

[5] Absoluta Responsio... adversus *Jacob. Smidelinum*, interprete *Surio* (*Coloniæ* 1563); pars prima, pag. 693.

(*a*) Epist. ad *Bulinger*, 25 Nov. 1544.
(*b*) *Hist. de Calvin, chap. 22.*
(*c*) *Papirii Massonis* Elogiorum pars secunda (*Parisiis*, a° 1656). Vita *Calvini*.

gimus ». — Calvini porro magis admirandum prodigium, sed illud funestius, narrat *Hieronymus Bolsecus* [1]. *Bruleus* quidam, quum inopiâ laborans, ad *Calvinum* confugisset, hic operam suam pollicitus est; dummodo et ille præstaret aliquid, quod ab eo factum vellet: mortuum se fingeret, ut ad *Calvini* vocem ad vitam revocari videretur. Miser ille nihil recusat. Quid vero accidit? *Calvino* exclamante: Jesu Christi nomine, surge; *Bruleus* se non movet; et quamvis idem repetat *Calvinus*, immotus jacet. Tandem uxor manu eum concutit, at reverâ mortuum videt. Tum plorans et vociferans, coram omnibus, quid factum esset, exponit.

Miraculum *Calvini.*

Missio ordinaria a Romano Pontifice derivatur.

7. Quoniam ergo novi illi religionis conditores extraordinariam non habuerunt missionem, utpote nec vitæ sanctimoniâ nec miraculis innixam, probare debuerant, missionem suam saltem fuisse ordinariam. Hæc quidem in eo consistit, ut vel per totum orbem Summus Pontifex vel per suas diœceses Episcopi ad fidem apud populos propagandam sacerdotes dimittant. Sed quomodo eam sibi vindicare possunt novatores, qui et ab Episcopis et a Summo Pontifice, Romanæ Ecclesiæ capite, dissociati, prædicandam constituendamque susceperunt religionem Romanæ Ecclesiæ religioni prorsus contrariam? — Itaque (ut repetam quod suprà dixi) si Romana Ecclesia a Jesu Christo prima fundata et ab Apostolis constituta est, reliquæ societates autem, ab eâ divulsæ sunt et ex eâ digressæ; ergo falsæ omnes sunt et schismaticæ, solaque Romana vera Jesu Christi est Ecclesia.

Eam non habuerunt.

Conclusio.

§ II. *Item falsa est religio reformata, quod fidei regulâ caret.*

Præter Scripturam alia debet haberi fidei regula:

8. Novatorum tota fidei regula est sacra Scriptura; quapropter Scripturarum peritos esse volunt etiam rusticos et populares mulierculas. Atvero decipiuntur; Scriptura enim numquam eos certos reddere potest, quænam sint fidei dogmata et præcepta, quum juxta ipsorum principia exploratum habere non possint, nec Scripturam existere, neque in eâ quinam sint veri quinam apocryphi libri, nec quæ incorrupta sit versio, nec quis sit legitimus Scripturæ sensus.

9. Et 1[um] quidem, unde sciunt, aliquam existere divinam Scripturam? — Divinæ Scripturæ intelliguntur libri, scripti ab hominibus, divinitus tamen inspiratis, quorum primus fuit Moyses, cui postea successerunt Prophetæ aliique scriptores Canonici, ac tandem Evangelistæ et alii Apostoli. Quomodo ergo probant, veram existere Scripturam? Ex prophetiis forsitan et miraculis, quæ in eâ referuntur? Sed quis eos certiores facit, ejusmodi vaticinationes esse impletas, vel non fuisse conscriptas postquam ipsa facta evenerunt? Et unde scimus, genuina fuisse miracula? Sed præterea plures habentur libri sacri, qui nec prophetias nec miracula continent, sed solas sententias. Quomodo autem probatur, eos esse libros divinos? Num ex ipsius Scripturæ textu? Sed quomodo afferri potest Scripturæ textus, ut demonstretur, Scripturam existere, si hoc ipsum in dubio ponatur, sitne ille textus Scriptura necne?

a ut probetur, Scripturam esse divinam.

10. 2° Etiamsi constaret, aliquam existere Scripturam, quomodo probant, quinam sint genuini ejus libri et pro canonicis habendi? Nam fieri potest, ut aliquis liber, licet vere canonicus, nobis tamen nondum ut talis appareat. Canon Catholicus septuaginta duos libros continet, quadraginta quinque in Veteri, viginti septem in Novo Testamento; cujus rei certiores nos reddidit Concilium Tridentinum [2]. Ad Tridentinum autem ita delatus erat Canon a Concilio Florentino [3], ad Florentinum a Concilio Romano [4], Gelasio Summo Pontifice. Quibus accedit auctoritas S. Augustini [5] et Concilii Car-

b ut dignoscantur libri canonici.

[1] *Hist. de Calvin, chap. 13.* — [2] Sess. 4, Decret. de Canonicis Script. — [3] Decret. pro *Jacobinis.* — [4] a° 494. — [5] De Doctrina Christiana, lib. II, cap. 8.

thaginiensis III[1] (aliorum sententiâ V[i] vel VI[i]), quod approbatum fuit a VI[â] Synodo œcumenicâ[2], ubi declarant Patres, eumdem Canonem sibi traditum esse ab Innocentio I, qui vixit anno 402 et testatus est[3], ab Apostolis eum sibi transmissum per continuam traditionem, quæ traditio propter persecutiones superiorum sæculorum non ubique erat cognita.

Ex factis probatur.

11. Ex eo Canone *Lutherus* plures libros sustulit; ex veteri Testamento librum Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum et Baruch; ex novo autem S. Pauli ad Hebræos, S. Jacobi et S. Judæ epistolas et Apocalypsin S. Joannis. Nunc ab iis, qui ab Ecclesiâ Catholicâ discesserunt, quærimus: Quomodo probant, eos libros non esse sacros? Et quomodo probant, sacros esse reliquos libros, ab ipsis admissos? Certo illud probare nequeunt ex ceteris Scripturis; in iis enim nequaquam exprimitur, libros ab ipsis admissos, esse sacros, reliquos vero non ita. Et quamvis in ipsâ Scripturâ alius nonnumquam Scripturæ liber commemoretur vel aliqua sententia ex alio libro desumpta, quis pro certo affirmabit, talia non fuisse fraudulenter inserta eodem modo, quo recentes Judæi in suis Scripturis plurima falso inseruerunt? Neque dicas, in nonnullis libris hæc verba legi: *Dominus locutus est;* ea enim non ad quamlibet sententiam dicuntur; et præterea nonne vel malitiâ vel errore amanuensium hæc verba adjungi potuerunt? — Neque ex indiciis illud probare possunt; quandoquidem non possunt non valde obscura esse ejusmodi indicia: nam illa lux, quæ ipsis apparet, non apparet Gentilibus, non *Mahumedanis*, non Judæis (quod saltem ad novum Testamentum spectat), neque aliis fratribus reformatis; *Calvinistæ* nimirum pro veris agnoscunt S. Pauli ad Hebræos, S. Jacobi et S. Judæ Epistolas et Apocalypsin S. Joanniis, quum a *Lutheranis* (ut suprà diximus) rejiciantur. Multo minus illud probare possunt ex spiritu privato, quo unusquisque (ut ajunt) luce Spiritus-Sancti intus dirigitur. Est enim prorsus incertum, num ille spiritus a Deo proveniat; res igitur ignota per rem magis ignotam dignosci deberet. Si cuilibet Christiano internum illud lumen adsit, cur non adest in Ariano, Macedoniano vel Nestoriano?

Frustra conantur aliquam statuere regulam.

12. Asserunt Novatores, eos libros non esse pro sacris habendos, qui scripti non sint a Prophetis vel Prophetarum ætate; vel etiam, qui non sint scripti eâ linguâ, quâ tunc Synagoga uteretur, vel non citentur ab Apostolis, vel de Messiâ nullam faciant mentionem. — Atvero quæritur: Unde constat, in iis ipsis libris, qui de Messiâ loquantur, eas quoque sententias esse divinas, quæ non loquantur de ipso? Et deinde: Quomodo probatur, eas conditiones requiri, ut libri pro canonicis sint habendi? — Sed, reponunt, in libris, quos Catholici admittunt, errores continentur; et sane, postquam duos libros Machabæorum conscripsit, auctor veniam petit ob errores in scribendo commissos. — Respondetur, in talibus libris multa adesse intellectu haud facilia, ut de S. Pauli epistolis affirmat S. Petrus: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu*[4]; minime tamen errores. Quodsi Machabæorum auctor errorum veniam petit, non de ipsâ rerum veritate, sed de simplici scribendi stylo loquitur. Nec refert, Ecclesiam aliquamdiu de nonnullis libris canonicis dubitasse; numquam enim dubitavit universa Ecclesia; neque illud dubium impedivit, quominus postea per traditionem et Spiritus-Sancti assistentiam, certa evaserit.

c ut cognoscantur legitimæ versiones.

13. 3° Etiamsi constaret, Scripturam existere, et exploratum esset, quinam sint libri vere canonici, quomodo probant, versionem talium librorum legitimam esse et incorruptam? Biblia in origine tribus linguis conscripta fuerunt, Hebraicâ, Græcâ

[1] a° 397, cap. 47. — [2] a° 680, can. 2 (Conc. in Trullo, quod in Appendice ad Conc. Gen. VI legitur). — [3] Ep. ad *Exuperium*, cap. 7. — [4] 2 *Petr.*, III, 16.

et Latinâ: Hebraice scripti sunt libri Veteris Testamenti, Novi Testamenti Græce præter Evangelium S. Matthæi, S. Pauli Epistolam ad Hebræos (probabiliter conscriptam Syriacâ linguâ, quæ tempore Apostolorum in usu erat, admixtis tamen Hebraicis et Chaldaicis vocabulis), et S. Marci Evangelium, quod probabiliter Romæ Latine exaratum est. Præterea certum est, plures Scripturarum confectas esse versiones. Vetus Testamentum a linguâ Hebraicâ in Græcam pluries translatum est, ut ab Origene, a S. Luciano, a Theodotione, Aquilâ, cet. (*a*); sed omnium celeberrima est versio Septuaginta Interpretum, circa 280 annos ante Christum natum confecta. Horum omnium nulla est authentica. Versio Septuaginta Interpretum magni habetur, eâque usi sunt Apostoli et sancti Patres. Et quod ad versiones Latinas spectat, *Vulgata* S. Hieronymo adscribitur; quod intelligendum est de Veteri Testamento, exceptis Psalmis, Sapientiâ, Ecclesiastico et Baruch; Novi Testamenti versio ante eum confecta est, sed a S. Hieronymo recognita. Hanc quidem Vulgatam Concilium Tridentinum (Sess. IV) authenticam declaravit, quum dixit: *Sacrosancta Synodus... statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authenticâ habeatur: et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat* [1]. Hæretici quoque diversas ediderunt Latinas versiones, sed omnes corruptas et in pluribus rebus a Vulgatâ discrepantes; multas alias præterea versiones in linguâ vulgari, quæ etiam magis corruptæ sunt quam Latinæ versiones.

Antiqua translatio.

Versio LXX interpretum.

Vulgata.

Versiones hæreticorum.

14. Quibus positis, nihil aliud ad versionis puritatem agnoscendam hæreticis manet præter spiritum internum; ita ut eorum Scriptura diversarum fiat sententiarum confusa multitudo. Eorum enim interpretes ipsas Scripturarum linguas non plene callebant, neque, ut homines, exempti erant in multis rebus errandi periculo, et tandem errores inseruerunt, adjungendis vel tollendis vocabulis, prout commodius doctrinas suas honestarent. Ac proinde quo pacto, veras et puras esse suas Scripturas, asserere possunt?

Hæretici genuinam versionem dignoscere nequeunt.

15. Opponunt hæretici, Vulgatam nostram ab Hebraico et Græco textu dissentire, eamque ob causam Clementem VIII pluribus locis correxisse Sixti V editionem, neque etiam editionem Clementis (ut ipse in Præfatione fatetur) in omnibus esse purgatam. — Respondetur, Vulgatam ab Hebraico et Græco textu non dissentire in sensu substantiali; namque interpretes ad sensum magis quam ad verba attenderunt, ne valde obscura fieret versio. Ceterum quid refert, Vulgatam in pluribus rebus a textu Hebraico et Græco dissentire, quum constet (ut eruditi adnotant) Hebraica et Græca exemplaria mendis haud carere? Deinde, Clementis lectio non differt quoad sensum a Sixti lectione, sed solum in quibusdam loquendi modis; præterquam quod in eodem textu (ut ipsi adversarii admittunt) plures sensus haberi possunt. Vulgata, ut ait Clemens, ne hodie quidem immunis est ab omni errore accidentali; sed definitum est, tum Sixti editionem (quæ ceteroquin non fuit promulgata) tum Clementis immunes esse ab omni errore substantiali circa fidem et bonos mores, in

Objicitur.

Respondetur.

[1] Sess. 4, Decret. de Editione et Usu Sacror. Libror.

(*a*) Quid singuli hac in re præstiterint, conf. Introduct. in U. T. Libros Sacros *Rudolphi Cornely S. J.* (*Parisiis*, 1885) Vol. I, Dissert. II, De textuum primigeniorum et antiquarum versionum historia et auctoritate; Sectio II, De U. T. versionibus antiquis; § 9 et § 10. — De *S. Luciano* illud quoque ex *S. Hieronymo* (De viris illustribus, cap. 77) adjicere libet: *Lucianus, vir disertissimus, Antiochenæ Ecclesiæ presbyter, tantum in Scripturarum studio laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria Scripturarum Lucianea nuncupentur... Passus est Nicomediæ ob confessionem Christi,... sepultusque Helenopoli Bithyniæ* (Nota edit.).

quibus rebus Ecclesia ob Jesu Christi promissionem errare nequit. — Sed quomodo Concilium Tridentinum authenticam declarare potuit eam editionem, quam Clemens deinde corrigere deberet?

Instant.

Respondetur.

Respondeo: Jure suo Concilium authenticam declaravit eam editionem, quæ antea vetus et vulgata dicebatur, et quam pro verâ probaverat longus tot sæculorum usus per traditionem Apostolicam, quæ est viva vox fidei; non aliud igitur statuit Concilium, nisi ut Pontifex errores accidentales melius accommodaret.

d ut agnoscatur Scripturæ sensus.

16. 4° et ultimo: Etiamsi constaret, in aliquo exemplari veram haberi et integram Scripturam, ac simul legitimam et incorruptam versionem, quomodo probatur, quis verus sit Scripturarum sensus? Evangelium sive Evangelii legem non Scripturarum verbis sed vero eorum sensu contineri ait S. Hieronymus: *Nec putemus, in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu.... Ne forte interpretatione perversâ de Evangelio Christi, hominis fiat Evangelium: aut, quod pejus est, diaboli* [1]. Sic v. g. hæc verba: *Pater major Me est* [2], prout a Catholico intelliguntur, Dei verba sunt; prout ab Ariano, hæresim continent. Similiter hæc alia: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* [3], a Lutherano interpretata, hæretica sunt; a Catholico, vera.

Sensus *verus* vel *accommodatitius.*

17. Itaque distingui debent varii Scripturæ sensus. Alius est *verus* sensus, alius *accommodatitius.* — *Verus* sensus est, quem proprie Deus intendit. *Accommodatitius*, quem *præter* mentem divinam homines ei tribuunt: dicitur *præter*, non *contra;* si enim esset *contra* mentem divinam, falsus foret, si solummodo *præter* eam, licitus est, quamvis non sit verus ille sensus, quem Deus intendere voluit. Deinde habetur sensus *litteralis* et sensus *mysticus;* utrumque Deus potuit intendere. Non in singulis textibus habetur sensus mysticus, sed in omni textu adest sensus litteralis, præterquam si sensu litterali sententia intelligi nequit. Nonnumquam idem textus et litteralem et mysticum habet sensum, ut illud S. Pauli: *Abraham duos filios habuit; unum de ancillâ et unum de liberâ.... Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta, cet.* [4]. — In hoc textu: *Hoc est corpus meum* [5], Ecclesia Catholica verbum *est* intelligit pro tempore præsenti, ita ut, pronuntiatis iis verbis, panis esse desierit, revera conversus in Jesu Christi Corpus, reale et permanens. Zwinglius [6], verbum *est* perperam intelligens, ita illud explicat, ac si diceretur: *Hoc significat corpus meum*, et in exemplum hæc alia verba affert: *Est enim Phase (id est transitus)* [7]. Lutherus contrà [8], rem similiter male intelligens, illud « esse » de tempore futuro interpretatur: *Hoc erit corpus meum*, tum videlicet, quum fideles illud suscepturi sunt. Quomodo ergo verum horum verborum sensum cognoscere poterimus, si solummodo sensus litteralis inspiciatur? Porro, si nobis Catholicis certum esse nequeat, quid illa verba significent, numquid firmam de Eucharistiæ Sacramento habere possumus fidem? — Præterea certum est, obscuros esse multos Scripturæ locos. Illud quidem negant *Lutherus* et *Calvinus*, eamque omnibus piis hominibus claram esse asserunt. — Cur ergo sancti Patres ad nonnullos textus intelligendos multum insudarunt, nec tamen eos potuerunt intelligere? S. Augustinus confessus est, plures esse textus, quos non caperet, quam eos, quos intelligeret: *In ipsis S. Scripturis multo nesciam plura*

Sensus *litteralis* et *mysticus.*

Hæretici verum sensum cognoscere non possunt. Probatur: *a* ex factis.

b ex Scripturæ obscuritate.

[1] Comment. in Ep. ad *Gal*, cap. 1, v. 11 et 12. — [2] *Joan.*, XIV, 28. — [3] *Marc.*, XVI, 16. — [4] *Gal.*, IV, 22 et 24. — [5] *Matth.*, XXVI, 26. — [6] Subsidium de Eucharistia. — [7] Exod., XII, 11. — [8] Epistola ad *M. Simonem Wolferinum*, 20 Julii, 1543 (*a*).

(*a*) *Sic ergo*, inquit, *definiemus tempus, vel actionem sacramentalem, ut incipiat ab initio orationis Dominicæ, et duret donec omnes communicaverint, calicem ebiberint, particulas comederint, populus dimissus, et ab altari discessum sit* (Nota edit.).

quam sciam[1]. Et S. Hieronymus: *Hoc tantum scio, quod nescio*[2]. Ipsi hæretici, *Brentius*[3], *Joannes Gerhardus*[4], *Molinæus*[5] et *Amesius*[6] confessi sunt, abstrusos multos esse textus pluribus Scripturæ locis, in Prophetis, in Psalmis, in Apocalypsi, in Epistolis, ac nominatim in Epistolâ primâ ad Corinthios, ubi dicitur: *Qui baptizantur pro mortuis*[7]. Quomodo unus pro altero baptizari potest? Ac præterea pro mortuis? Nonnulli alii textus inter se pugnare videntur. Sic in Psalmo I, v. 5, legimus: *Non resurgent impii in judicio*[8]. Apud S. Paulum vero: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*[9]. — In Epistolâ ad Romanos: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*[10]. Et in eâdem epistolâ: *Factores legis justificabuntur*[11]. Negari nequit, multos textus intellectu esse difficiles, quum in ipsâ Scripturâ legamus: *Paulus... scripsit vobis sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu*[12].

c non possunt sensum cognoscere ex ipsa Scripturâ.

18. Neque umquam juxta sua principia hæretici probare possunt, se verum Scripturæ sensum attigisse. Non possunt illud probare ex ipsâ Scripturâ; nam, ut diximus, pluribus locis Scriptura est obscura, neque aliis locis semetipsam explicat; quomodo ergo textus ipsius textûs judex esse potest? Neque ex spiritu interno; est enim privati cujusque spiritus, qui errare potest. Nonne dicunt Novatores, erravisse post quintum sæculum Romanam Ecclesiam cum innumeris viris doctis, qui eam sequebantur; atque ita corrupisse fidem? Quomodo ergo singuli privati errare non possunt? Sed quod ad hunc spiritum privatum pertinet, videamus, quid illi fidei magistri dicant. *Lutherus* multos rejicit Scripturarum libros: Job, Ecclesiasten et alios, quos suprà commemoravimus; *Calvinus* contrà pro veris ac divinis eos accipit. Uterque ille hæresiarcha, eorum quidem sectatorum judicio, a Deo missus atque illuminatus fuit, utrique adfuit Spiritûs-Sancti interna lux. Utri eorum credere debemus? — Insuper, Eucharistiæ verba: *Hoc est corpus meum, Lutherus* de vero Jesu Christi corpore intelligit, *Zwinglius* et *Calvinus* de ejus figurâ; quo fit, ut quod unus pro fidei articulo habeat, alii tamquam idololatriam rejiciant. Eorum ergo quisnam verum dicit?

d non ex spiritu interno.

Conclusio.

19. Quibus positis liquet, non habere reformatos nec habere posse certam fidei regulam; quum non habeant judicem infallibilem, qui controversias dirimat. Quis est autem infallibilis ille judex? Est Ecclesia. Ad quod videndum transeamus.

§ III. *Regula fidei est Ecclesiæ definitio.*

Requiritur judex infallibilis.

20. Certa esse debent fidei dogmata; sed quum de rebus fidei etiam inter ipsos fideles multa semper orirentur dubia et opinionum discrimina, semper et omnino necessarium fuit, infallibilem existere judicem, cui a Deo tradita esset potestas controversias dirimendi, et cui omnes suum submittere judicium et obtemperare deberent, pro certo habentes quidquid ille statueret de Scripturarum authenticitate ac genuino sensu et de reliquis omnibus fidei articulis. Secus defuisset certa fidei regula, neque umquam finem haberent controversiæ, sed suam quisque sibi formaret fidem, quæ, utpote incerta, fides non esset. Atque ita in fide semper dissidentes atque discordes essent homines.

Ipsi *Reformati* illud fatentur.

21. Eam in controversiis infallibilis judicis necessitatem etiam reformati agnoscunt. In suâ cum Claudio Calvinistâ collocutione refert *Bossuet*, hæc duo in libro de pseudoreformatæ religionis disciplinâ statuta reperiri: *Quæstiones, quæ ad doctrinam spectant* (ita in priore legitur), *Verbo Dei sunt dirimendæ (si fieri pos-*

[1] Ep. 55 ad Inquisitiones *Januarii*, cap. 21. — [2] Ep. 53 ad *Paulinum*, n. 8. — [3] Apud *Pichler*, Theologia polemica, De Script. Sacra, § IV. — [4] Apud *Pichler*, l. c. — [5] Vates, lib. IV, cap. 1. — [6] *Bellarminus* enervatus. De Verbo Dei, cap. 4, n. 1. — [7] 1 *Cor.*, XV, 29. — [8] Ps. I, 5. — [9] 1 *Cor.*, XV, 51. — [10] *Rom.*, III, 28. — [11] *Rom.*, II, 13. — [12] 2 *Petr.*, III, 15 et 16.

sit) in Consistorio; sin aliter, res deferenda est ad Colloquium, inde ad Synodum Provincialem, ac tandem ad Nationalem, in quâ Verbi Dei ope decretoria pronuntiabitur sententia; cui siquis omni ex parte, suisque expresse abjuratis erroribus, acquiescere renuat, ab Ecclesiæ corpore abscindetur [1]. Altero statuto condemnantur *Independentes*, qui asserebant « singulas particulares Ecclesias semetipsas moderari debere, neque ex cujusquam pendere arbitrio ». Quæ quidem propositio a Synodo *Charentonensi* condemnata fuit ut veræ Ecclesiæ perniciosa et *facultatem præbens totidem condendi religiones, quot essent parochiæ* [2]. Itaque ipsi hæretici agnoscunt, solam Scripturam non posse certam in fide cautionem ipsis præbere, sed requiri judicium Ecclesiæ, quæ verum iis Scripturæ sensum explicet; quod nisi fiat, patere viam tot condendis religionibus, quot non solum parochiæ, sed hominum capita essent. Quum vero infallibile non sit judicium, ab eorum Synodis latum, inter se dissentire et in rebus fidei discordare numquam desinunt.

Talis judex *Reformatis* deest.

22. Donec igitur hæretici stabilem repererint normam, quæ fidei certitudine verum Scripturarum sensum aperiat, certam fidei regulam habere non possunt. Sic autem Evangelici Reformatores non cum ceteris tantum reformatis Ecclesiis, sed etiam inter se discordare non desinunt. Quare celeber ille *Pufendorf*, quamquam et ipse de Protestantium sectâ, fatetur: *Pontificiorum... melior est conditio quam Protestantium;... illi Pontificem... Ecclesiæ... caput... omnes agnoscunt;... Protestantes contrà,... capite... destituti fluctuant,... fœde lacerati... et discerpti.... Ad suum unaquæque respublica arbitrium... omnia administrat et moderatur* [3].

Ecclesia catholica est judex.

23. Nos verò, Catholici, de fide nostrâ certi sumus, quum judicem habeamus infallibilem, qui omnes dirimit controversias; et talis judex est sancta nostra Romana Ecclesia, a Jesu Christo condita, quæ non potest errare, quod Ipse eam statuit columnam et firmamentum veritatis, Seque usque ad consummationem sæculi ei adfuturum esse promisit. Ipsa ergo nos de veris Scripturis et de vero earum sensu certiores facit. Et hunc in finem quoque Deus voluit, non omnes Scripturarum sententias esse perspicuas, ut probaret fidelium obedientiam et humilitatem erga Ecclesiam, eorum matrem et magistram.

Magis explicatur, quomodo sit judex.

24. Ergone Ecclesia fidei dogmata condit, et divino Verbo auctoritatem tribuit? Minime vero; Ecclesia neque condit fidei dogmata, nec nova dogmata tradit: solum declarat, quænam dogmata Jesus Christus nos docuerit per Scripturam vel Traditionem, id est, per scriptum vel non scriptum Dei Verbum. Neque umquam Ecclesia sacris Scripturis auctoritatem se tribuere contendit, ut calumniantur hæretici; sed solum eas indicare voluit, quæ vere sacræ sunt atque canonicæ; quas quidem in pluribus saltem orbis Christiani partibus, a primis temporibus ut sacras receptas reperit; atque ideo certa reddita Traditione et Spiritûs-Sancti assistentiâ, jubet pro divinis eas a fidelibus teneri. Hac justitiâ in suis Annalibus nobiscum utitur ipse *Basnage* Calvinista, quum ait: *Partes Ecclesiæ sunt in eâ re, non auctoritatis quidem, quam Canon ex se habet, adjunctio, sed declaratio* [4]. Itaque Ecclesia docens, quænam sint veræ Scripturæ et quis verus earum sensus, neque auctoritatem Scripturis affert, neque illis anteponit semetipsam, sed se anteponit judicio privatorum hominum, illam exercens auctoritatem, quam Deus ipsi tribuit.

Nec habetur circulus vitiosus.

25. Nec cum novatoribus hic opponi fas est, in circulum vitiosum nos incidere, quum Scripturam infallibilem cre-

[1] *Bossuet, Conférence avec M. Claude, n. 1.* — [2] Ibid. — [3] De Monarchia Pontificis Romani, § 41, pag. 175 (*Francofurti*, 1688). — [4] Annales, Post Sæc. III; Diss. 9, de Traditionibus, n. 16.

damus ex Ecclesiæ testimonio, ac simul infallibilem Ecclesiam ex testimonio Scripturæ. Illud recte quidem opponeretur, si agendum esset cum infideli, qui et Scripturæ et Ecclesiæ infallibilitatem negaret; sed non habetur circulus vitiosus, quum disputatur cum homine Christiano, quamvis hæretico, qui Scripturæ admittit infallibilitatem: quare si Scriptura declarat, errare non posse Ecclesiam, quilibet Christianus credere debet quidquid declarat Ecclesia. Atque ideo S. Augustinus: *Ego... Evangelio non crederem*, inquit, *nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas* [1]. At in verum circulum vitiosum incidunt Novatores, quum sensum privatum probant ex Scripturâ, Scripturam vero ex sensu privato: utraque siquidem (ut demonstravimus) falsa est propositio. His verbis: *Oves meæ vocem meam audiunt* [2], sensum privatum demonstrari asserunt. Si autem quæramus, quomodo eo textu sensus privatus demonstretur, hoc solum respondere possunt, sensu privato illud fieri: en reverâ circulus vitiosus. Sed prorsus aliter res se habet, quando Scripturæ sensus approbatur ab Ecclesia, quæ juxta ipsam Scripturam errare nequit.

Discrimen inter Catholicos et hæreticos.

26. Catholicis igitur et in credendo et in operando regula fidei est Verbum Dei. Hoc autem Verbum Dei accipiunt ab Ecclesiâ Romanâ, quæ iis declarat, quodnam sit verum Dei Verbum et quis verus ejus sensus; et hæc Ecclesia est infallibilis, quia Deus promisit, Se, ne in errorem incidat, usque ad finem mundi ei esse adfuturum. Recentiores hæretici Scripturis se credere gloriantur; sed quia neminem habent, qui certiores ipsos faciat de veris libris canonicis et de vero eorum sensu, Scripturæ nihil iis prosunt, quum ad sensum privatum recurrentes, totidem inter se forment fides diversas, quot sunt capita, ut rerum eventus comprobavit. Illi quidem suo innituntur examine; eamque ob causam numquam de aliquâ Scripturâ vel de ejus sensu certiores fieri possunt. Nos vero auctoritate innitimur Ecclesiæ, quam Deus *Veritatis Columnam* esse declaravit; atque ita omne sublatum est dubium. Nec perspicimus, quomodo reformati, juxta ipsorum systema, Socinianos vel alios similes vocare possint hæreticos, quod Trinitatem et Divinitatem Jesu Christi rejiciant. Dicent, de duobus his mysteriis et articulis fundamentalibus Scripturam clare loqui. Illi vero respondebunt, Scripturam his in rebus non ita se intelligere, quum nonnumquam non litterali, sed solum allegorico modo Scripturæ verba intelligi oporteat. Quis ergo hanc litem dirimet, si eam non dirimit Ecclesia? Ah! sublato hoc propugnaculo, quod Ecclesiæ auctoritati obedientiam præstandam esse docet, ne unus quidem error in quocumque fidei articulo et in ipsâ naturali religione superest, qui ut talis coargui possit.

Hæretici omni fundamento carent.

27. Sublatâ Ecclesiæ auctoritate, quid prodest divina Revelatio et vel ipsa ratio naturalis, si utramque pro suo quisque arbitratu interpretari possit? Sublatâ Ecclesiæ auctoritate, liberum unicuique erit asserere, materiam esse æternam, animam mortalem, falsam divinarum Personarum trinitatem et Incarnationem Verbi, quidquid denique ei libuerit. Illud accidit philosopho (ita recte *Ramsay* [3], de *Locke* disserens), quum Ecclesiæ auctoritate non ducitur; ad ejus decisiones, velut ad acum magneticam, non respiciens, non er-

[1] Contra Epistolam *Manichæi*, cap. 5. — [2] *Joan.*, X, 27. — [3] *Lettre du chevalier de Ramsay* (*Pontoise, le 28 avril 1742*) *à L. Racine, au sujet de l'essai sur l'homme (Migne, Démonstr. Evangéliq., tom. VII)* (*a*).

(*a*) *M. Locke, génie superficiel, qui a écrit les éléments de la philosophie plutôt que ses principes approfondis, était, je crois, un socinien décidé. Quand l'autorité ne guide plus un philosophe, et que les décisions de l'Eglise ne lui servent plus de boussole, il s'égare toujours* (Nota edit.).

rare nequit. En quomodo *Arminianus* quidam, de Synodo *Dordracensi* loquens, contra Reformatos disputet: « Doctores reformati, inter quos *Calvinus* et *Beza* præcipui numerantur, uno ore omnes hoc generale affirmant principium, Synodos et Concilia, quantumvis sancta, in iis quæ ad fidem spectant, errori esse obnoxia ». Deinde ita loqui pergit: « Veræ Reformationis fundamentum... hoc exigit, ut nemo possit vel debeat alicui synodo se submittere vel ei subscribere, nisi hac adjectâ conditione, ut quum rite examinaverit ejus decreta ad normam Verbi Dei (quo solo velut lege in materiâ fidei utimur), ea huic Verbo conformia esse repererit ». Tum de Protestantibus agens: « Si vero », inquit, « mutatâ sibi lege, postulent ut synodis unusquisque omnino se subjiciat, nihil ultra habent, quod *Papistis* respondeant, iisque victam relinquere debent causam [1]. Ob eam firmissimam rationem (ut refert *P. Valsecchi* [2]) Gallorum quidam minister ad fidem se convertit. Secum perpendens, Calvinistico systemate eo se perduci ut quemlibet hæreticum errorem et Deismum atque ipsum atheismum toleraret, fidem Catholicam amplexus est, et valde utilem deinde edidit librum: *De duabus contrariis in religionis materiâ viis* [3]. Et re quidem verâ, ex hoc systemate illa orta est multitudo impiorum, qui et superiore et præsenti sæculo in protestantium regionibus abundarunt, suosque ubique disseminarunt errores.

Objectio. **28.** At, reponit reformatus quidam, etiamsi Ecclesiæ vestræ auctoritatem et infallibilitatem tantopere extollitis, Italia quoque Deistis et materialistis abundat.

Responsio. Respondemus: Utinam non esset verum, nonnullos, et forsitan multos, libidinosos in nostrâ Italiâ, ut liberius viverent et cum minore conscientiæ remorsu (quâ pœnâ nimio emitur peccati oblectamentum), ad infelicem incredulorum numerum se adjunxisse. Sed unde illud accidit, nisi quod infames libri, trans Alpes divulgati, ad nostras quoque corrumpendas regiones pervenerunt? Illi vero, quum deteguntur, non tolerantur a nobis, sed puniuntur et a reliquorum excluduntur commercio. Ceterum, nostræ Ecclesiæ infallibilitatis certitudo ex seipsâ ad fidei quæstiones dirimendas omnino idonea est; et impii, qui apud nos vivunt, ideo impii sunt, quia Ecclesiæ non obediunt; et hoc differt a novatorum systemate, quod minime aptum est ad conscientiæ refrenandam libertatem, sed unà cum principio examinis, in rebus fidei unicuique liciti, ex seipso aperit viam ad quodlibet fidei systema et, quod consequens est, ad quemlibet errorem amplectendum.

Conclusio et transitus ad reliqua. **29.** Sed, inquiunt Protestantes, undenam Ecclesia Romana certo cognoscere potuit Scripturarum veritatem et genuinum earum sensum, omnesque illos articulos, quos *de fide* esse statuit? Unde? Ex Spiritûs-Sancti assistentiâ et ex traditione, quæ non secus ac Scriptura verum Dei Verbum est, et sine quâ de Scripturis nulla umquam certa cognitio obtineri potuisset. Quod quidem sequenti paragrapho demonstrabitur.

§ IV. *De Infallibilitate Traditionum, quas Ecclesia approbavit.*

Aliæ *ecclesiasticae*, aliæ *divinae*. **30.** Hic non loquimur de traditionibus ecclesiasticis, ad ritus et ad antiquas consuetudines spectantibus, quæ in Ecclesiam introductæ et acceptatæ sunt a fidelibus; sed de traditionibus divinis, quæ ad fidei dogmata pertinent, et quarum notitia per Apostolos et reliquos Ecclesiæ pastores ad nos pervenit. Atque ideo vocantur traditiones, quia sunt veritates, primum a Jesu Christo vel a Spiritu-Sancto Apostolis communicatæ, deinde ab

[1] *Uytenbogaert.* Ep. ad *Ludovicam Coliniam*, 14 Febr. 1619 (Ep. 325 inter: Ep. præstantissimorum ac eruditorum virorum). — [2] *Dei Fondamenti della Religione, lib. III, pars 3, cap. 1, n. 9.* — [3] *Papin. Les deux Voies opposées en matière de Religion, l'Examen particulier et l'Autorité.*

Apostolis traditæ discipulis, atque ita sub regimine Spiritüs-Sancti sine interruptione velut per manus transmissæ et communicatæ ad hæc usque tempora.

Rejici non possunt.

31. Illæ traditiones autem, quæ sunt Verbum Dei non scriptum, eamdem habent auctoritatem ac Verbum Dei scriptum, seu divina Scriptura. Novatores eodem modo quo prisci hæretici, Eutychiani, Nestoriani, Pelagiani et alii, eas rejiciunt; neque immerito, si eorum inspiciatur propositum: spreto enim judicio Ecclesiæ, quæ juxta eas plura definivit, et solam Scripturam pro fidei regulâ habentes, ejus sensum ad suum arbitrium detorquent, suosque deinde ex ipsâ Scripturâ mutuantur errores; quare non incongrue ab ipso *Luthero* Scriptura sacra hoc sensu vocatur *liber hæreticorum* [1]. Nos vero intelligere non possumus, quomodo negari possint traditiones, quum certum sit in statu legis naturalis ab Adamo usque Moysen non aliam fidei regulam fuisse præter traditionem, quod eo temporis intervallo lex scripta non exstiterit. Præterea ipsæ utriusque Testamenti Scripturæ traditiones approbant. Moyses ad majorum traditiones Judæos remisit: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas; interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi* [2]. Et S. Paulus ad discipulos suos scripsit: *State; et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* [3]. Notentur verba *sive per sermonem sive per epistolam*, quibus significat Apostolus, tantum valere scriptam quantum non scriptam doctrinam. Alio loco discipulos laudans: *Et sicut tradidi vobis*, inquit, *præcepta mea tenetis* [4]. S. Joannes: Christus, inquit, *multa... fecit... quæ non sunt scripta* [5]. Plura igitur

a Traditio præcessit legem scriptam.

b Scripturæ traditiones approbant.

vivâ voce explicuit Apostolis, a quibus per traditionem nos ea accepimus. Præterea Jesus Christus Apostolis præcepit, non ut scriberent, sed ut prædicarent Verbum Dei: *Prædicate Evangelium omni creaturæ* [6]. Falso autem asserunt hæretici, postea conscripsisse Apostolos, quidquid voce docuissent. Ipsi enim hæretici plura ut fide accipienda admittunt, quæ eorum Scripturis expressa non continentur, qualia sunt Sacramentorum numerus, Baptismum parvulis esse conferendum, Eucharistiam vero iis non esse necessariam. Item contra Sabellianos credunt, tres in divinâ naturâ easque distinctas esse personas; contra Arianos, Jesum Christum esse Deum et Patri æqualem, contra Macedonianos et Græcos, Deum esse Spiritum-Sanctum et a Patre Filioque procedere; contra Eutychianos, duas, divinam et humanam, in Christo esse naturas; contra Helvidium, Mariam perpetuo remansisse virginem. Ex iis autem articulis alios ex solâ traditione, alios ex Scripturâ simul et divinâ traditione definivit Ecclesia.

c Christus prædicationem injunxit.

d Apostoli non conscripserunt omnia.

32. Præterea traditiones approbatæ sunt a pluribus Conciliis. Nicænum I ex traditione Arium condemnavit, ut Theodoretus [7] jam advertit. Nicænum II ex traditione sacrarum Imaginum venerationem approbavit [8], et deinde statuit: *Si quis omnem traditionem Ecclesiasticam, sive scriptam sive non scriptam, irritam facit, anathema* [9]. Ad quæ Concilia Tridentinum se conformans: *Traditiones*, inquit, *tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu-Sancto* (per Apostolos) *dictatas,... pari pietatis affectu ac reverentiâ... veneratur (S. Synodus)* [10]. Ita quoque SS. Patres Apostolicas traditiones

e Concilia traditionem approbarunt.

f Idem fecerunt SS. Patres.

[1] A° 1527. *Das diese Wort Christi « Das ist mein Leib » noch fest stehen, wieder die Schwarmgeister (Jena* 1573, tom. 3, fol. 336 b): *Und*, inquit, *weil ein jeglich Rotte die Schrifft für sich zog und auf iren Sinn deutet.... Das sie ein Ketzerbuch heist, als daraus alle ketzerey entsprungen ist, weil alle ketzer sich mit der Schrifft behelffen.* Vide etiam edit. *Erlangae* factam (2ª edit.) *Band* 13, pag. 249 (Nota edit.). — [2] Deuter., XXXII, 7. — [3] 2 *Thess.*, II, 14. — [4] 1 *Cor.*, XI, 2. — [5] *Joan.*, XX, 30. — [6] *Marc.*, XVI, 15. — [7] Hist. Eccl., lib. I, cap. 7; cum *Bellarmino*, De Verbo Dei, lib. IV, cap. 6. — [8] Act. 2 et 6. — [9] Act. 7. — [10] Sess. 4, Decr. de Canonicis Scripturis.

semper venerati sunt. S. Basilius: *Dogmata*, inquit, *quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus ex doctrinâ scripto proditâ, quædam rursus ex Apostolorum traditione* [1]. Origenes: *Servetur... ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita.... Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiasticâ... discordat traditione* [2]. S. Epiphanius: *Oportet autem et traditione uti: non enim omnia a divinâ Scripturâ possunt accipi* [3]. S. Augustinus: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissime creditur* [4]. S. Joannes Chrysostomus: *Patet, quod non omnia per epistolam tradiderint Apostoli, sed multa sine litteris; eâdem vero fide digna sunt tam ista quam illa* [5]. Et alio loco: *Est traditio: nil quæras amplius* [6]; non codices Prophetarum, non epistolas Apostolorum, non libros Evangelistarum. Atque idem docent reliqui SS. Patres, ut S. Dionysius [7], S. Justinus [8], S. Athanasius [9], S. Gregorius Nazianzenus [10], S. Joannes Damascenus [11], Tertullianus [12], S. Cyprianus [13], S. Hilarius [14], S. Ambrosius [15], S. Hieronymus [16] et alii, quorum locos et verba refert Bellarminus [17].

g Traditionis ope cognoscitur Scriptura.

33. Sed præcipue ex eo cognoscitur traditionum necessitas, quod sine eis Ecclesia numquam certo scire potuisset, Scripturam existere, quinam ejus sint genuini libri, quæ legitima versio et quis verus textuum sensus. Sublatâ igitur traditione, nihil certo nobis constare potest de Scripturis et de vero earum sensu.

Objectio cum responsione.

34. Sed, inquiunt hæretici, traditio non Dei sed hominum verbum est. — Respondetur, fuisse quidem homines instrumenta, quibus ad nos pervenit Dei verbum: sicut Deus ad scribendas fidei veritates usus est hominum manibus, ita quoque hominum ore usus est, ut nos instrueret. — At, nonne corruptioni semper obnoxiæ sunt traditiones? — Sed etiam Scripturæ corruptioni obnoxiæ sunt. Divina vero Providentia, quæ suæ assistit Ecclesiæ, non permisit neque umquam permittet, ut verbum suum corrumpatur in manu Ecclesiæ, quæ ejus depositum asservat.

Divina traditio auctoritate Ecclesiæ dignoscitur.

35. Porro ut traditio sit certa regula fidei, infallibiliter constare debet, eam esse divinam; illud autem constare nequit nisi ex auctoritate Ecclesiæ, quæ Spiritu-Sancto assistente, ex Jesu Christi promissione, optime discernit veras a falsis traditionibus; quâ in re ipsa errare non potest, et nos credere debemus quidquid docet, nisi inter infideles numerari volumus secundum illa Jesu Christi verba: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [18]. Atque Ipse præterea nos monuit, non posse suam in errorem induci Ecclesiam, et eum, qui Ecclesiæ suæ ministris aurem præbeat, Sibimetipsi aurem præbere: *Qui vos audit, Me audit; et qui vos spernit, Me spernit* [19]. Prorsus falso igitur dicunt hæretici, nos ad ea tantum credenda vel facienda teneri, quæ particulatim in Scripturis continentur. Certum est, eos, quibus Apostoli prædicarent, priusquam veritates fidei in Evangeliis conscriberentur, tales veritates credere debuisse. Et quid ita? Ex solâ traditione rerum, quas Apostoli prædicabant. Ac proinde traditio et Ecclesia ante Scripturam exstiterunt.

Objectio cum responsione.

36. Ajunt hæretici, minime requiri, ut singula expressis verbis in Scripturis exprimantur; sed satis esse, ea legitimâ conclusione ex iis deduci, atque ita nihil opus esse traditionibus. — Sed respon-

[1] De Spiritu-Sancto, cap. 27. — [2] De Principiis, lib. I, proœmium, n. 2. — [3] Adversus Hæreses, Hær. 61, n. 6. — [4] De Baptismo contra *Donatistas*, lib. IV, cap. 24. — [5] In Ep. 2 ad *Thessal.* Homil. 4, n. 2. — [6] Ibid. — [7] De Ecclesiastica Hierarchia, cap. 1, § 5. — [8] Apologia 1, n. 67. — [9] De Decretis *Nicænæ* Synodi, n. 27. — [10] Oratio 4 (contra *Julianum* 1), n. 110. — [11] De Fide Orthodoxa, lib. IV, cap. 16. — [12] De Corona Milit., cap. 3 et 4. — [13] Ep. 63 ad *Cæcilium*, n. 2. — [14] Contra *Constantium* imperatorem, n. 16. — [15] De Mysteriis, cap. 2 et 6; De Sacramentis, lib. I, cap. 1 et 2. — [16] Dialog. contra *Luciferianos*, n. 8 et 9; Ep. 41 ad *Marcellam*, n. 3. — [17] De Verbo Dei, lib. IV, cap. 7. — [18] *Matth.*, XVIII, 17. — [19] *Luc.*, X, 16.

detur, conclusionem ex Dei Verbo deductam, non esse Verbum divinum, sed humanum, quum deducatur ab intellectu humano, errori obnoxio. Ac præterea, ad legitimam et certam conclusionem ex Scripturis deducendam, necesse foret, Scripturarum sensum certo cognosci; non potest autem certo cognosci sine declaratione Ecclesiæ, per quam Deus clarius nobis loquitur quam per Scripturas; quandoquidem de Ecclesiæ veritate signis multo evidentioribus certos nos reddidit quam de existentiâ Scripturarum. Quapropter, nisi traditiones haberemus, multa dogmata non possemus certo cognoscere.

Transitio ad reliqua.

37. Sed, reponent, dato, de Scripturarum et traditionum veritate nos certos reddere judicium Ecclesiæ; quisnam in Ecclesiâ Romanâ tale format judicium? — Summus Pontifex, quum loquitur *ex cathedrâ*, i. e. ut Ecclesiæ doctor universalis et successor S. Petri, quem Jesus Christus constituit supremum Ecclesiæ Caput suumque immediatum Vicarium.

CAPUT VII.

DEMONSTRATUR, AD SERVANDAM DOCTRINÆ UNITATEM,
NECESSARIUM ESSE IN ECCLESIA SUPREMUM ALIQUOD CAPUT; ILLUDQUE CAPUT FUISSE S. PETRUM.

In regimine unitas requiritur.

1. Ad perfectum in Ecclesiæ regimine ordinem satis non erat, plures constitui ministros, qui variis gradibus distincti, pro diversis ecclesiasticæ hierarchiæ muneribus obeundis, officium suum præstarent; sed præterea alios aliis subjici oportebat, ut singulæ Ecclesiæ partes perfectam inter se efficerent unitatem. Hinc est, cur in Ecclesiâ differat potestas ordinis a potestate jurisdictionis, quemadmodum a ratione obediendi distinguitur præcipiendi ratio. Eamque ob causam Ecclesia pro necessariâ semper habuit ministrorum missionem, a suis cujusque præpositis ordinatam.

Christus unum Caput constituit.

2. Redemptor igitur, quum Ipse ab Ecclesiæ conspectu discederet, ante gloriosam Ascensionem his in terris visibilem constituere voluit vicarium, qui tamquam supremum Caput eam gubernaret; ad quem omnes fideles in dubiis recurrerent, ut certum veræ doctrinæ oraculum possent obtinere. Sic nempe una eademque fides in totâ Ecclesiâ servaretur; quod utique fieri non posset, nisi unus a Deo constitutus esset rector et judex, qui omnes controversias infallibili decerneret judicio, quod singuli accipere tenerentur. *Propterea*, inquit S. Hieronymus.... *unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio*[1]. Et S. Cyprianus magnam illam pronuntiavit sententiam: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam dum sacerdoti Dei* (i e. summo Pontifici) *non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret*[2].

Idem in Synagoga erat.

3. Idcirco in sacris Evangeliis Ecclesia modo comparatur regno, ubi unus rex est; modo ovili, ubi unus est pastor; tum quidem exercitui, in quo unus est imperator; tum domui, ubi unus herus est; tum denique navi, in quâ unus est gubernator. Eodem modo constituta erat antiqua Ecclesia seu Synagoga, gubernata a Summo Sacerdote regimine monarchico, quod communi omnium sapientium judicio, omnium regiminum est optimum. Nemo autem crediderit, Jesum Christum

[1] Adversus *Jovinianum*, lib. VII, n. 26. — [2] Ep. ad Cornelium de 5 Presbyteris et Fortunato, n. 5 (12ª inter Ep. *S. Cornelii* P.).

melius providere voluisse Synagogæ, post Ipsius adventum repudiandæ, quam Ecclesiæ, suæ numquam ab Eo relinquendæ sponsæ.

Christus S. Petrum caput elegit.

4. Porro luce clarius ex Evangelio apparet, inter omnes Apostolos S. Petrum Jesu Christi electum fuisse vicarium, eique concessum Ecclesiæ Primatum, quum Dominus, quem Filium Dei vivi confessus esset, ei responderet: *Et Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* [1]. Quibus verbis probe declaravit, S. Petrum his in terris remanere tamquam fundamentum et columen totius Ecclesiæ ædificii, ut communiter id intelligunt SS. Patres. S. Basilius: *Quoniam fide præstabat* (Petrus), inquit, *Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit* [2]. S. Leo: *Tantumque in hac fidei sublimitate* (Petrus Christo) *complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus, sacram inviolabilis petræ acciperet firmitatem, supra quam fundata Ecclesia portis inferi... prævaleret* [3]. Et alio loco Christum his verbis S. Petrum alloquentem inducit: *Quum Ego sim inviolabilis petra..., tamen tu quoque petra es, quia meâ virtute solidaris, ut quæ Mihi potestate sunt propria, sint tibi Mecum participatione communia* [4]. S. Cyprianus: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur* [5]. Et ad verba: *Tu es Petrus, cet.*, adjungit: *Super illum unum ædificat Ecclesiam..., et illi pascendas mandat oves suas* [6]. Et idem dicunt S. Hilarius [7], Tertullianus [8], Origenes [9], S. Epiphanius [10] et S. Joannes Chrysostomus [11].

Christus S. Petrum fundamentum constituit.

5. Sed hic prævenienda est hæreticorum objectio. Dubium non est, quin Jesus Christus præcipuum fuerit et semper futurum sit Ecclesiæ fundamentum, juxta illud S. Pauli: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* [12]. Quum ergo ipse Christus Petrum constituerit Ecclesiæ fundamentum, declaravit, se quidem Ecclesiæ, Petri omniumque fidelium esse fundamentum primarium, Petrum autem secundarium, nec quidquam a priore diversum. Christus, inquit S. Basilius, *petra est et petram facit: quæ sua sunt, largitur servis suis* [13]. Dubitari non potest, quin Dominus petræ nomen Petro impertiens, vicariam capitis potestatem ei impertiverit. Itaque Ecclesiæ ædificium impositum est utrique fundamento, præcipue quidem Christi, sed immediate etiam fundamento Petri; quapropter qui ab hac ordinatione recedunt, non amplius ad Ecclesiam pertinent, sed ab eâ disjunguntur. Et sic prorsus evanescit vana spes hæreticorum, qui confidunt salutem se posse reperire, in solâ (ut ajunt) Jesu Christi fide ædificantes. Ea quippe fides numquam vera erit, si disjuncta est a fide Petri et Pontificum, ejus successorum. Ille contrà in tuto est neque errare potest, qui conjunctum se novit cum visibili Ecclesiæ capite, quod Jesus Christus nobis reliquit ut fidei fundamentum, regulam, doctorem atque vindicem.

[1] *Matth.*, XVI, 18. — [2] Adversus *Eunomium*, lib. II, n. 4. — [3] Sermo 51, cap. 1. — [4] Sermo 4, cap. 2. — [5] De Unitate Ecclesiæ, n. 4 (*a*). — [6] Ibid. (Ad verba: *Pasce oves meas, Joan.*, XXI, 17. Nota edit.). — [7] Comment. in *Matth.*, cap. 16, n. 7. — [8] De Præscriptionibus, cap. 22. — [9] Apud *Eusebium*, Hist. Eccl., lib. VI, cap. 25. — [10] Adv. Hæres., Hær. 59, n. 7. — [11] In Ps. L, Hom. 2 de Pœnitentia, n. 5 (inter spuria. Nota edit.); sermo de Præm. Sanctor. — Cfr. *Jos. Baronium*, Dissertat. theologicæ; diss. 2, cap. 3. — [12] 1 *Cor.*, III, 11. — [13] Homilia de Pœnitentia, n. 4 (inter opera dubia. Nota edit.).

(*a*) Hic locus nonnullis quidem dubius et interpolatus videtur. Atvero cum clariss. P. Hurter S. J. (SS. Patrum opuscula selecta. S. Cyprian., pag. 72) et cum Marano (in Præf. ad Op. S. Cypr.) adnotare sufficiat, minimi, seu potius nullius momenti esse hanc controversiam; et si hæc recidantur, ut ait Maranus, *reliquas testimonii hujus partes satis per se habituras momenti ad primatum Ecclesiæ Romanæ* (l. c.). Quandoquidem pro uno textu plus minusve dubio, plures alii, iique certissimi, ex S. Cypriano afferri possunt (Nota edit.).

Christus S. Petro supremam tribuit potestatem.

6. Præterea Petrum alloquens hæc alia Dominus adjecit verba: *Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis* [1]. Voce *claves* confirmata est suprema potestas juxta illud Apocalypsis: *Hæc dicit Sanctus et Verus,... qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit* [2].

Soli Petro ordinaria potestas conceditur.

7. Neque obstat, ceteris quoque Apostolis idem dictum, et solvendi ac ligandi potestatem fuisse collatam: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, cet.* [3]. — Omnes enim Apostoli a Jesu Christo ad propagandam fidem missi sunt, cum facultate creandi sacerdotes atque Episcopos, et condendi Ecclesias primis illis temporibus, quibus nova lex constitui deberet; hæc tamen facultas, Apostolis concessa, semper subjecta erat facultati S. Petri (ut vel ipse Natalis Alexander asseverat, ubi primatum Petri defendit [4]; et nisi ita esset, primatum non potuisset defendere); præterea in Apostolis erat facultas extraordinaria, quæ unà cum iis exstingueretur, quum potestas S. Petro concessa absoluta esset et velut ordinaria (ut ait Petrus de Marca [5]), quæ ad successores quoque esset transitura. Licet ergo initio, inquit S. Hieronymus, quum fides esset propaganda, omnes Apostoli eamdem haberent facultatem, soli Petro tamen collata est suprema potestas, ut tamquam caput præsideret omnibus: *Super Petrum fundatur Ecclesia; licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni cælorum accipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio* [6]. Similiter S. Cyprianus: *Erant...*, inquit, *Apostoli... pari consortio præditi et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia... monstretur* [7]. Quod consonat cum his aliis ejusdem verbis: *Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur.... Unum... caput est et origo una* [8]: S. Petrus nempe, cui collatus est Ecclesiæ primatus.

Potestatem non accipit ab Ecclesiâ.

8. Errat *Ludovicus Dupinus*, quum asserit, supremam potestatem esse penes Ecclesiam, et ab eâ Summo Pontifici et Episcopis communicari [9]. Errat, quia sic omnino destruit primatum Petri. Fatemur quidem, dixisse S. Augustinum, claves a Christo datas fuisse Ecclesiæ, cujus personam gereret S. Petrus. Atvero non consideravit S. Petrum ut Ecclesiæ ministrum, sed ut ejus caput et principem, qui eo modo personam Ecclesiæ gerebat sicut rex omnium subditorum vices gerit et paterfamilias omnium filiorum. Eamque ob causam S. Augustinus ait, Petrum ideo Ecclesiæ personam gerere, quod ejus primatum teneat: *Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi quum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figurâ gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit; sicuti est:* « *Tibi dabo claves regni cælorum* » [10]. Et sane, ita S. Augustini sententiam explicat Natalis Alexander: *Petro non sunt collatæ claves nisi nomine Ecclesiæ, id est, ut Ecclesiæ... legato, nego; id est, ut Ecclesiæ supremo post Christum et sub Christo Rectori ac Moderatori, concedo. — Illius itaque propositionis duplex potest esse sensus: primus, quod Sanctus Petrus Ecclesiæ nomine claves acceperit, quemadmodum regius orator, nomine regis, alicujus civitatis claves accipit, in quam*

[1] *Matth.*, XVI, 19. — [2] Apoc., III, 7. — [3] *Matth.*, XVIII, 18. — [4] Hist. Eccl., sæc. I, sect. 3 et 4. — [5] Exercitatio de singulari Primatu *Petri*, n. 8. — [6] Adversus *Jovinianum*, lib. I, n. 26. — [7] De Unitate Ecclesiæ, n. 4. — [8] Ibid., n. 5 (*Quomodo solis*, inquit, *multi radii sed lumen unum..., sic et Ecclesia*, cet., ut suprà. Nota edit.). — [9] De Antiqua Ecclesiæ disciplina, Diss. 4, de Primatu Rom. Pontif., cap. 2, § 3. — [10] In Ps. CVIII, n. 1.

propterea nullam habet potestatem. At nequaquam ita est. Secundus, quod Ecclesiæ nomine claves acceperit, ut illius Rector ac Moderator; quomodo princeps, populi nomine, gladium accipit, et ad ejus tuitionem totum regni splendorem convertere tenetur. Quo sensu sanctum Petrum claves nomine Ecclesiæ accepisse, dixit S. Augustinus [1]. — Unde ex recentioribus doctus quidam auctor, *Carolus Gagliardus* de *Dupini* sententiâ disserens: *Hæresim porro,* inquit, *et schisma sapiunt hujusmodi assertiones* [2]. A capite ad membra, non a membris ad caput transit potestas. *Claves,* ait Tertullianus,... *Dominum Petro, et per eum, Ecclesiæ reliquisse* [3].

S. Paulus eamdem potestatem non accepit.

9. Saltem, inquiunt adversarii, S. Petro potestate æqualis fuit S. Paulus; ajunt enim S. Irenæus [4] et S. Epiphanius [5], ambos fuisse Romanos Episcopos; et S. Paulus ipse testatur, sibi incumbere sollicitudinem *omnium Ecclesiarum* [6]. — Respondetur: non negamus, ambos Apostolos Romæ officium pastoris exercuisse; neque aliud inferri potest ex allatis Patrum testimoniis, ex quibus nequaquam colligitur, S. Paulo eamdem ac S. Petro concessam fuisse a Deo supremam potestatem. Et quod ad omnium Ecclesiarum S. Pauli sollicitudinem spectat, respondet S. Augustinus [7], eam referri ad solam *clavem scientiæ,* S. Paulo datam ut doctori gentium, non vero ad *clavem potentiæ,* soli Petro collatam. Paulus ergo Petro æqualis fuit in prædicandâ doctrinâ, minime vero in exercitandâ potestate ad universalem Ecclesiæ gubernationem [8]. Ideo soli Petro imposita fuit cura confirmandi fratres suos Apostolos: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [9]. Et Jesus ipse significavit, non omnes Apostolos esse æquales, sed inter eos majorem aliquem haberi, qui tamen humilitatis amore velut minorem se gerere deberet: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor: et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est; qui recumbit an qui ministrat? Nonne qui recumbit?* [10] Quibus ultimis verbis explanavit Dominus, Se non loqui de præstantiâ virtutis, sed de majori gradu in Ecclesiæ ministerio; qualis fuit primatus ille S. Petro concessus, qui, ut Jesu Christi primatus, supremus erat. Quare S. Cyrillus eamdem ait S. Petro ac Jesu Christo deberi obedientiam: *Petro omnes jure divino caput inclinant et primates mundi tamquam ipsi Domino Jesu obediunt* [11].

Solus Petrus *agnos* et *oves* pascit.

10. Præterea S. Petro Dominus dixit: *Pasce agnos meos... pasce oves meas* [12]. Verbum *pasce* significat omnem pastoralis officii actionem, ut præsidere, conducere et reducere; *agni* designant omnes fideles, qui sunt filii; *oves,* quæ sunt eorum matres, omnes Apostolos eorumque successores Episcopos. Ita communiter sentiunt SS. Patres cum S. Leone, qui ait: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus* [13].

[1] Hist. Eccl., sæc. I, Diss. 4, § 3, n. 4. — [2] Institutiones Juris Canonici, lib. I, tit. 12, n. 8. — [3] Adversus *Gnosticos* Scorpiace, cap. 10. — [4] Advers. Hæreses, lib. III, cap. 3, n. 2. — [5] Adv. Hæreses, Hær. 27, n. 6. — [6] 2 *Cor.,* XI, 28. — [7] Sermo 202, n. 1 (inter dubios. Nota edit.).

[8] Hic notetur, opinionem a nonnullis emissam, *SS. Petrum* et *Paulum* duo fuisse Ecclesiæ capita, distincto Decreto (24 Jan. 1647 (*a*)) ab Innocentio X esse condemnatam ut vere hæreticam; proscriptis simul iis libris, in quibus perniciosa hæc sententia profertur.

[9] *Luc.,* XXII, 32. — [10] *Luc.,* XXII, 26 et 27. — [11] Apud *S. Thom.,* opusc. 1 contra errores *Græcorum.* — [12] *Joan.,* XXI, 16 et 17. — [13] Sermo 4, cap. 2.

(*a*) Titulus Operis: *La grandeur de l'Eglise Romaine, etablie sur l'autorité de S. Pierre et de S. Paul, etc.* [*Martin de Barcos*]. Item: *De l'autorité de S. Pierre et de S. Paul, qui réside dans le pape, successeur de ces deux apostres* (Ejusdem auctoris). — Decr. S. Off., fer. V, 24 Jan. 1647 (Nota edit.).

Petrus Vicarius Christi.

11. Ergo, sic iterum reponunt hæretici, fatendum erit, Ecclesiam duo habere capita, vel etiam Christum non esse Ecclesiæ caput, sed Summum Pontificem. — Sed nemini non patet responsio. Præcipuum caput fuit et semper est Christus, qui Ecclesiam condidit suoque præsidio nunc etiam gubernat; atvero (ut suprà diximus) quum Ipse ex hoc mundo discederet, opus erat capite visibili, ad quod omnes recurrere ejusque judicio semet dirigere possent; et ideo Christus ipse suum his in terris constituit vicarium, sibi substitutum, ut Ecclesiæ caput esset eique omnes obedirent. Et sicut obtemperant regi, qui proregi obtemperant; sic Jesu Christo obtemperant, qui obtemperant Pontifici. — Sed quomodo Summus Pontifex caput Ecclesiæ vocari potest, si ipse est Ecclesiæ membrum? Est membrum respectu Jesu Christi, qui est omnium caput præcipuum et invisibile; sed est visibile caput respectu Ecclesiæ, quam Jesu Christi nomine gubernat.

Objicitur.

12. Nec desistunt ab obsoletâ illâ et toties confutatâ objectione, quod S. Paulus (ut ipse scribit ad Galatas) S. Petrum reprehenderit: *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat* [1]. — Alii, ut S. Hieronymus [2], respondent, controversiam illam ad placandos Judæos ex industriâ fuisse simulatam; alii vero probabilius et communius cum S. Augustino [3], S. Cypriano [4], S. Gregorio [5], S. Thomâ [6] et cum ipso S. Hieronymo, qui postmodum se retractavit [7], eam vere quidem reprehensionem fuisse dicunt, sed nequaquam respicere dogma de Judaicis observantiis sub lege Evangelicâ etiam retinendis. Probe noverat S. Petrus, eas esse abrogandas; immo, quum antea a S. Paulo didicisset, Antiochiæ Judæos ad fidem conversos tumultuari, quod circumcidi vellent Gentiles, qui ad fidem accessissent, graviter illud vituperans, his verbis eos compellaverat: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* [8] — Sed tota quæstio in disciplinâ et convenientiâ vertebatur: utrum nempe tunc temporis legem Mosaicam abrogare expediret necne. Licet enim jam esset mortua, nondum tamen mortifera evaserat; quare eam ajebat S. Augustinus [9] cum honore esse sepeliendam. Et reverâ S. Paulus quoque in iis primordiis ad evitandum Judæorum scandalum, S. Timotheum circumcidi voluit [10]. Ceterum postea merito reprehendit S. Petrum, qui ne Judæos credentes offenderet, discesserat a Gentilibus, qui legem Mosaicam nihil curarent; tunc enim magis intererat non territare magnum numerum Gentilium credentium, quam non offendere paucos Judæos, qui immerito scandalum sumebant ex eo, quod incircumcisi ipsorum observantias non sequerentur.

Respondetur.

Objicitur.

13. Opponit præterea auctor quidam anonymus e Protestantium cœtu, nec nostram Ecclesiam esse infallibilem, quum apud nos quoque in incertum revocetur, quodnam sit tribunal, fidei quæstiones infallibiliter decernens, utrum solus Pontifex an concilium solum, an vero Pontifex unà cum concilio. — Fallitur tamen. Nam dato quoque, dubiam esse primam sententiam, in suis nempe definitionibus *ex cathedrâ* Pontificem solum esse infallibilem (quamquam nos, ut capite X demonstraturi sumus, pro certâ eam habemus); nemo nostrum tamen dubitat vel umquam dubitavit, quin infallibilitas tunc saltem in Pontifice resideat, quum consentiant cum eo Episcopi, vel congregati in Concilio vel per orbem dispersi.

Respondetur.

[1] *Gal.*, II, 11. — [2] Comment. in h. l. — [3] Ep. 82 ad *Hieronymum*, n. 22. — [4] Ep. 71 ad *Quintum*, n. 3. — [5] S. Greg. Magn. In *Ezechiel.*, lib. II, Homil. 6, n. 9. — [6] 2^a $2^{æ}$, qu. 33, art. 4 ad 2^m. — [7] Adversus *Pelagianos*, lib. I, n. 22; et apud *S. Aug.*, Ep. 180 ad *Oceanum*, n. 4 et 5. — [8] Act., XV, 10. — [9] Ep. 82 ad *Hieronymum*, n. 16. — [10] Act., XVI, 3.

CAPUT VIII.

PROBATUR, ROMANOS PONTIFICES S. PETRI ESSE SUCCESSORES CUM EADEM POTESTATE, QUÆ S. PETRO ERAT CONCESSA.

Ecclesia perpetua esse debet.

1. Jesus Christus Ecclesiam suam ita condidit, ut ad finem sæculorum duraret; eamque ob causam ei promisit, se nullo umquam tempore ab eâ esse discessurum: *Ego vobiscum sum... usque ad consummationem sæculi* [1]. Sed frustra illud promisisset, et parum providisset Ecclesiæ suæ, si supremam potestatem, S. Petro ut capiti visibili collatam (quæ potestas, ut suprà vidimus, ad bonum ejus regimen erat necessaria), non ita instituisset, ut etiam transiret ad Petri successores, sed cum ejus vitâ finiretur. *Privilegia... istius Sedis*, ita Nicolaus I ad Imperatorem Michaelem,... *perpetua sunt; divinitus radicata atque plantata sunt;... trahi possunt, evelli non possunt. Quæ ante imperium vestrum fuerunt, et permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, et quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt* [2]. Quocirca generale Concilium Constantiense: Quum exsurgunt dubia, inquit, quæ ad dogmata Christiana spectant, ut certa reperiendæ veritatis regula, ab illâ Ecclesiâ petendum est oraculum, quæ Apostolicam successionem conservat, quum et ibi certo quoque servetur vera doctrina Apostolica [3].

Petrus in successoribus vivit.

2. Dixit quidem Dominus, numquam futurum esse, ut portæ inferi prævaleant adversus Ecclesiam, supra petram, i. e. super Petrum fundatam; sed jamdudum prævaluissent, si ea Redemptoris promissio effectum suum non habuisset in Petri successoribus. Illud vero, inquit S. Optatus Milevitanus, minime dubitandum est; quandoquidem S. Petrus non sibi tantum claves regni cælorum a Jesu Christo accepit, sed omnibus Pontificibus, qui sibi succederent: *Beatus Petrus... præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cælorum communicandas ceteris solus accepit* [4].

Vera Ecclesia in capite ad S. Petrum ascendit.

3. Deus igitur regulam præbuit, quâ cognosceretur, eam esse veram Ecclesiam, cujus caput legitimâ successione ab Apostolo S. Petro descendat. En quomodo SS. Patres veram Jesu Christi Ecclesiam describant: Ea, inquit S. Irenæus, quæ *habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos* [5]. Idem dicunt S. Ambrosius [6] et S. Hieronymus [7]. S. Optatum Milevitanum audiamus, qui etiam distinctius idem declarat: *Negare non potes*, ita Parmenianum alloquitur, *scire te in urbe Româ Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in quâ sederit omnium Apostolorum Caput Petrus..... Cui* (Petro) *successit Linus, Lino... Clemens, cet.* [8] — S. Athanasius: *Optamus*, inquit, *ut a vestræ Sedis auctoritate, quæ est mater et caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem et recreationem fidelium percipere... mereamur* [9]. Quam delectat, inquit *Bossuet*, a præsenti Pontifice redire posse ad S. Petrum, a Jesu Christo institutum! — Item audiamus, quæ imperator Valentinianus ad Theodosium scripsit: *Beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum*

Probatur ex Patribus.

[1] *Matth.*, XXVIII, 20. — [2] Ep. 86 ad *Mich.* Imperat. — [3] Præfatio addita in Conc. *Basileensi.* — [4] De Schismate *Donatistarum*, lib. VII, n. 3. — [5] Contra Hæreses, lib. III, cap. 3, n. 2. — [6] De Excessu Fratris sui *Satyri*, lib. I, n. 47. — [7] Apologia adv. Libros *Rufini*, lib. I, n. 4. — [8] De Schismate *Donatistarum*, lib. II, n. 2 et 3. — [9] Ep. ad *Marcum* Papam (Legitur inter Scripta *S. Marci* Papæ, *Migne*, P. L., t. VIII, col. 851; dubiæ auctoritatis. Nota edit.).

sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat... de fide et sacerdotibus judicare [1]. Et ante eum Constantinus Magnus [2] dixerat (ut Acta Concilii Nicæni referunt), *Romæ principatum sacerdotum et... religionis caput ab imperatore cælesti constitutum esse.*

Probatur ex Conciliis.

4. Nunc autem Concilia audiamus, et quid de Sede Apostolicâ sentiant. In Concilio Constantinopolitano IV dicitur: *Ab hujus ergo (Sedis Apostolicæ) fide atque doctrinâ separari minime cupientes, et Patrum ac præcipue sanctorum Sedis Apostolicæ præsulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses* [3], *cet.* Et infrà, de eâdem Sede Apostolicâ: *In quâ est integra et vera Christianæ Religionis soliditas* [4]. — In Concilio Nicæno I: *Ille qui tenet Sedem Romæ, caput est et princeps omnium Patriarcharum; quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos et omnes populos eorum; ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos et universam Ecclesiam Christianam; et quicumque contradixerit, a Synodo excommunicatur* [5]. — In Concilio Romano, Adriano II Summo Pontifice: *Retro olimque semper quum hæreses et scelera pullularent, noxias illas herbas et zizania Apostolicæ Sedis* (Romanæ).... *successores exstirparunt* [6]. Et in Concilio Florentino, sessione ultimâ: *Item definimus, Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiæ Caput..., et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse* [7]. — Præterea in Concilio Constantiensi damnata est hæc (37ª) *Wiclefi* propositio: *Nec Papa est immediatus et proximus Vicarius Christi* [8]; approbata vero epistola Martini V, in quâ de hæresi suspecti sic interrogari jubebantur: *Utrum credat quod Papa... sit successor... Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesiâ Dei?* [9] — Ex quibus patet, Summum Pontificem semper fuisse agnitum S. Petri successorem et, quod consequens est, Christi Vicarium et Ecclesiæ supremum Caput.

Probatur ex historiâ.

5. Jamvero quis umquam illud sibi persuadeat, jam inde a primis temporibus tantâ fascinatione captos fuisse Episcopos, principes, sanctos Patres, doctores ceterosque fideles (exceptis hæreticis, qui obedientiæ Summo Pontifici debitæ semper se subtrahere quæsierunt), ut per tot sæculorum spatium ferre voluerint, Romano Pontifici se esse subditos, pro Ecclesiæ Capite eum coli, ejusque definitiones pro oraculis esse habendas, nisi ex Jesu Christi doctrinâ compertum habuissent, Romanos Pontifices reverâ esse S. Petri in primatu et in supremâ Ecclesiæ potestate successores? Et sane; omnes Romanum Episcopum pro Ecclesiæ capite semper habuerunt. Ideo post S. Petri obitum numquam desierunt Romani Pontifices, Episcopos in aliis Ecclesiis consecrare (quos quindecim S. Linum consecrasse legimus),

[1] Ep. ad *Theodosium* (In Conc. *Chalcedon.*, part. 1, n. 25). — [2] Edictum ad *Sylvestrum* Pap. (*Migne*, Opera *Constantini M.* Appendix). — [3] Actio 1, p. med. Libellus Romanæ Ecclesiæ. — [4] Ibid. — [5] Can. 39 (inter *Arabicos*) (*a*). — [6] *Constantinopol.* IV, Actio 3 (Ex Epistolâ *Ignatii* Archiep. *Const.* ad *Nicolaum* Pap., recitatâ in Conc. Const. IV, sub *Adriano II*, aº 869). — [7] Decr. Union. — [8] Sess. 8, art. Wicl. 37. — [9] Bulla « Inter cunctas », interrog. 24.

(*a*) Siquis varias de horum Canonum auctoritate cognoscere velit auctorum sententias, consulat: Concilia *Labbe-Colet* (Venetiis 1728), tom. II, col. 298: Procœmium *Francisci Turriani, S. J.*; col. 327: Ad lectorem admonitio *Abrahami Ecchellensis*; col. 399: *Abrahami Ecchellensis Maronitæ e Libano* Dissertatio. — In eâdem edit.: Vol. Apparat. II; *Fabullotti* Disput. De potestate Papæ; col. 661 seq. — *Hefele, Conc. Geschichte, I, § 41.* — *Wetzer u. Welte's Kirchenlexikon*, tom. 9, col 231, art. *Nicaea* (Freiburg, 1895) (Nota edit.).

eosque ex officio amovere, qui gregem suum perperam gubernarent. Refert Bellarminus [1], nominatim in Ecclesiâ Constantinopolitanâ, a Summis Pontificibus octo Patriarchas fuisse depositos. Item ex toto Corpore Juris Canonici constat, in rebus dubiis recurrisse Episcopos ad Romanos Pontifices, quorum responsiones vim legis obtinerent. Certum est quoque, ut postea *(cap. X, n. 16)* videbimus, initio Pontifices diversas condemnasse hæreses, idque plurium sæculorum intervallo, quo nullum haberetur Concilium.

Pontificia auctoritas cur Sedi Romanæ affixa sit.

6. Atvero, dicet aliquis, si S. Petrus Antiochiæ, tum Alexandriæ, ac deinde Romæ fuit Episcopus, quid est, quod ii tantum, qui in Romanâ Sede succedunt, pontificiam potestatem habeant, non autem ceteri, qui succedunt in Antiochenâ et Alexandrinâ Ecclesiâ? — Respondetur, Antiochenos et Alexandrinos Episcopos S. Petro in Episcopatu, non vero in Pontificatu successisse. Petrus enim, quamvis Antiochiæ et Alexandriæ particularis esset Episcopus, neutri tamen Ecclesiæ affixit Pontificatum, quem secum transferens annexuit Romanæ Sedi, ab ipso ad pontificiam dignitatem evectæ; quam ob causam ii tantum Episcopi, qui S. Petro in Sede Romanâ successerunt, item successores in Pontificatu sunt habendi. Hinc est, cur tota antiquitas primatum semper tribuerit Episcopo Romano, non autem Antiocheno neque Alexandrino, quorum Sedes solum patriarchales sunt in honorem S. Petri, qui eas Ecclesias aliquando gubernavit.

S. Petrus Romæ obiit.

7. Porro multos annos (viginti quinque fuisse contendunt) S. Petrum Romæ vixisse, ibique mortuum esse, quidquid dicunt Novatores, communis semper omnium SS. Patrum omniumque historicorum fuit sententia. De solo tempore dissederunt auctores, quo anno nempe S. Petrus Romam venerit; illud vero nihil infirmat ipsam sententiam, eum multos annos usque ad mortem ibi esse commoratum. Quod quidem, præterquam ex tot scriptorum illud affirmantium testimonio, colligitur quoque ex Epistolâ, in quâ ipse Apostolus scribit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coëlecta* [2]. Babylonem autem S. Petrus certo intellexit Romam, ut (apud Eusebium [3]) testatur Papias, Apostoli discipulus. Et consentit Apocalypsis (cap. XVII), ubi urbs Roma Babylon vocatur ob innumeras gentilium superstitiones; quam Babylonem S. Joannes in eodem libro ruituram esse prædicit; quod nimirum ad idololatriam et imperium temporale spectat.

Quomodo Primatus Sedi Romanæ adhæreat.

8. Nec refert, Summos Pontifices per multos annos *Avenione* in Galliâ resedisse. — Quandoquidem personalis residentia in Ecclesiâ Romanâ non est pontificiæ jurisdictioni essentialis; et dum Avenione residerent Pontifices, non alius pro Romano Pontifice habitus est nisi qui Avenione residebat. Est autem quæstio inter doctos, sitne universalis Ecclesiæ primatus *de jure humano* an *divino* Sedi Romanæ adnexus. Ceterum, quoquo modo se ea res habet, certum est, post mortem S. Petri, qui Pontificatum suum Sedi Romanæ affixit, ne universali quidem Ecclesiæ fuisse vel umquam futurum esse licitum, S. Petri successionem alii Episcopo quam Romano adnectere, separando nempe Episcopalem potestatem in urbem Romam a potestate Pontificiâ; namque idem esset ac interrumpere Romanorum Episcoporum successionem, ex quâ fideles, ad exemplum sanctorum Patrum, semper agnoverunt successionem in S. Petri potestate.

De illegitime electo vel dubio Pontifice.

9. Item nihil refert, præteritis sæculis aliquem Pontificem illegitime fuisse electum vel fraudulenter ad Pontificatum obrepsisse; satis est, postmodum a totâ Ecclesiâ ut Pontificem eum fuisse acceptatum; tali enim acceptatione verus et legitimus factus est Pontifex. Si vero aliquamdiu reverâ non fuisset generatim ab Ecclesiâ acceptatus, eo intervallo vacasset

[1] De Romano Pontifice, lib. II, cap. 18.

[2] 1 *Petr.*, V, 13. — [3] Hist. Eccl., lib. II, cap. 15.

Sedes Pontificia, sicut vacat in morte Pontificum. — Similiter non refert, in casu schismatis longo spatio in dubio fuisse, quisnam esset verus Pontifex: unus enim verus fuit, quamvis non esset satis cognitus; si autem ex Antipapis nemo reverâ Pontifex fuerit, similiter vacavit Pontificatus.

Quid de Papâ hæretico.

10. Porro aliquos Pontifices in hæresim incidisse, nonnulli probare quidem conati sunt; nequaquam tamen illud probaverunt neque umquam probabunt; et nos contrarium (ad finem Capitis X) clare demonstrabimus. Ceterum si Deus permitteret, ut Papa notorie esset hæreticus et contumax, Papa esse desineret et vacaret Pontificatus. Si vero esset hæreticus occultus, neque ullum falsum dogma proponeret Ecclesiæ, nullum damnum Ecclesiæ inferret; sed merito credere debemus, ut ait Cardinalis Bellarminus [1], numquam permissurum esse Deum, ut aliquis Pontifex Romanus, etiam ut homo privatus, hæreticus fiat vel notorius vel occultus.

CAPUT IX.

ROMANUM PONTIFICEM PRÆSTARE CONCILIIS.

§ I. *Probatur sententia.*

Romani Pontificis est Concilia convocare.

1. Quo melius intelligantur, quæ hic dicenda erunt, tria tamquam certa præmittere libet. Primum, quodlibet Concilium œcumenicum sive generale, ut sit legitimum, a Summo Pontifice convocatum esse debere. *Calvinus* quidem: *Universale... Concilium indicere*, inquit, *solus imperator poterat* [2]. Sed hoc omnino falsum est: ad pastorem enim pertinet oves congregare, quales sunt Episcopi et Imperatores, qui in rebus spiritualibus omnes Jesu Christi Vicario subjacent. Sic omnes communiter docent cum *Petro de Marca* [3] et S. Thomâ, qui ait: *Cujus* (i. e. Summi Pontificis) *auctoritate solâ Synodus congregari potest, et a quo sententia Synodi confirmatur, et ad ipsum a Synodo appellatur* [4]. Unde Concilium Chalcedonense definivit: *Papa urbis Romæ, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, præcipit... ut Dioscorus, Alexandrinorum Archiepiscopus, non sedeat in Concilio..., quia... Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ; quod numquam licuit, numquam factum est* [5]. Et Pelagius Papa II irritum fecit quoddam Concilium, utpote celebratum sine consensu Romani Pontificis [6]. Similiter Julius Papa (ut in suâ Historiâ refert Socrates [7]), rescidit aliquod Concilium, Antiochiæ habitum. Esset tamen legitimum Concilium, quantumvis non convocatum a Summo Pontifice, si postmodum ab eo ratum haberetur. Item justas ob causas Summus Pontifex facultatem advocandi Concilium aliis delegare potest, ut initio sæpius accidit

[1] De Romano Pontifice, lib. IV, cap. 6. — [2] Instit., lib. IV, cap. 7, n. 8. — [3] De Concordia Sacerdotii et Imperii, lib. II, cap. 6; lib. V, cap. 7, n. 1. — [4] De Potentia Dei, qu. 10, art. 4, ad 13^m. — [5] Actio 1. — [6] Decret. *Gratian.* Can. Multis 5, dist. 17. — [7] Lib. II, cap. 8 et 17 (*a*).

(*a*) Cap. 8: *Sed neque Julius*, inquit, *interfuit, Romanæ Urbis Episcopus, nec quemquam eò misit, qui locum suum impleret; quum tamen ecclesiastica regula vetet, ne absque consensu Romani Pontificis quidquam in Ecclesia decernatur.* Et cap. 17: *Julius... rescribens Episcopis... graviter conquestus est... quod contra canones ipsum ad Synodum non vocassent, quum ecclesiasticâ regulâ interdictum sit, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur* (Nota edit.).

in Oriente (in Occidente enim omnia Concilia ab ipso Pontifice indicta fuerunt); quandoquidem Pontifices poscebant ab Imperatoribus (qui totam fere Orbis Christiani temporalem dominationem tenebant), ut aliquam civitatem ad Synodum celebrandam concederent et eo convocarent Episcopos.

Quid, si dubius sit Papa vel hæreticus.

2. Deinde certum est, si tempore schismatis dubitetur, quis sit legitimus Pontifex, Concilium a Cardinalibus et Episcopis convocari posse; quo casu, quisquis jam electus est, Concilii definitionem accipere tenetur; quum in iis rerum adjunctis pro vacante habeatur Sedes Apostolica. Quod idem valeret, si Summus Pontifex notorie et pertinaciter in aliquam hæresim incideret. Quamquam (ut melius alii dicunt) tunc Pontificatu suo non exueretur a Concilio, ut a suo superiore, sed ab ipso Christo amoveretur, ut subjectum prorsus inhabile et gradu suo depulsum.

Quomodo hic consideretur concilium.

3. Tertium est, sub triplici aspectu considerari posse Concilium: 1. Concilium sine Pontifice; et tunc (præter casum schismatis et hæresis, ut suprà diximus) Concilium nullam auctoritatem habet: nam Concilium non est aliud nisi congregatio Episcoporum, sub capite (i. e. sub Pontifice) constituta. 2. Concilium unà cum Pontifice, qui ei præsidet, ut caput cum corpore conjunctum; et tunc dici nequit, Concilium esse supra Pontificem; secus enim ejus auctoritate non indigeret. 3. Concilium, a Pontifice congregatum, sed deinde ab eo divisum, ita ut corpus separatum sit a capite: hoc sensu quæritur, sitne Pontifex supra Concilium an Concilium supra Pontificem.

Duæ sententiæ.

Calvinus cum *Almaino* [1] et *Gersonio* [2] asserunt, Concilium esse supra Pontificem; idemque decrevit Concilium Basileense [3] (de quo infrà sermo redibit). S. Thomas [4] vero, S. Bonaventura [5], S. Antoninus [6], S. Joannes Capistranus [7], S. Laurentius Justinianus [8], Waldensis [9], Alexander Halensis [10], Christianus Lupus [11], Baronius [12], Bellarminus [13], Cajetanus [14], Duvallius [15], Cabassutius [16], Card. Gotti [17] aliique communissime tenent, supra Concilium esse Pontificem.

Probatur nostra sententia: 1. ex verbis Christi: *Tu es Petrus.*

4. Et probatur primum ex Jesu Christi verbis: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* [18]. Quæ verba de solo Petro dicta sunt; quum super Petrum exstructum sit totum ædificium Ecclesiæ. Minime vero, inquit Natalis Alexander [19]; vox *petram* non Petrum, sed Christum designat, ob confessionem Petri: *Tu es Christus, Filius Dei vivi* [20]. Sed hæc interpretatio a communi Patrum sententiâ dissonat. Eam quidem (loco citato [21] a Natali) admissam fatemur a S. Augustino; sed pluribus aliis locis [22] idem S. Doctor eodem modo ea verba explicat quo reliqui SS. Patres, qui vocem *petram* Petro dictam esse intelligunt. Et reverâ, ea verba: *Tu es Petrus, et super hanc petram cet.* sic ad litteram intelligi debere ait S. Hieronymus; Christus enim, inquit, Syriacâ usus est linguâ, in quâ *Cephas* idem est ac *petra;* unde in hunc modum locutus est: *Tu es petra, et super hanc petram, cet.* En ipsa ejus verba: *Non*

[1] De Auctoritate Eccl[æ] et Concilii Gener., cap. 7. — [2] Tract. de Modis Uniendi ac Reformandi Eccles. in Conc. Univ. (opera *Antverpiæ*, 1706, tom. II). — [3] Sess. 2, n. 3. — [4] L. c. et Contra Impugnantes Religionem, cap. 4. — [5] De Ecclesiastica Hierarchia, pars 2, cap. 1; et alibi passim. — [6] Sum. Theol., pars 3, tit. 23, cap. 3; Chronicor, pars 3, tit. 22, cap. 10, § 4. — [7] De Papæ et Concilii sive Ecclesiæ Auctoritate, pars 3 secundæ partis, n. 95. — [8] Liber de Obedientia, cap. 12. — [9] Doctrinale Fidei, lib. II, art. 3, cap. 32. — [10] Sum. Theol., pars 3, qu. 40, membr. 2. — [11] De Appellationibus, cap. 10 et cap. 30. — [12] *Baronius Jos.*, Dissertationes theologicæ, Diss. 2, cap. 2. — [13] De Conciliis et Ecclesia, lib. II, cap. 17. — [14] De Comparatione Auctoritatis Papæ et Concilii, cap. 7. — [15] De Suprema Romani Pontificis in Ecclesiam Potestate, pars 4, quæst. 8. — [16] Notitia Ecclesiastica, sæcul. 15, n. 21. — [17] Theol. Scholastico-dogm., tract. 1, quæst. 3, dub. 5 et 6. — [18] *Matth.*, XVI, 18. — [19] Hist. Eccl., sæc. 15 et 16, Diss. 4, art. 1, § 3, n. 11. — [20] *Matth.*, XVI, 16. — [21] In *Joan.* Evangelium, tract. 124, n. 5. — [22] Conf. In *Joan.*, tract. 27. — Retract., lib. I, cap. 21. — Serm. de Cathedra *Petri.* — Serm. 16, de Sanctis.

quod aliud significet Petrus, aliud Cephas; sed quia quam nos Latine et Græce PETRAM *vocemus, hanc Hebræi et Syri propter linguæ inter se viciniam* CEPHAM *nuncupent* [1]. Quum ergo Petrus sit Ecclesiæ petra sive fundamentum, deficere nequit; si enim deficere posset fundamentum, posset aliquando item deficere Ecclesia; hoc autem fieri nequit ex promissione ibidem factâ: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [2]. Quodsi Petrus deficere nequit, neque deficere possunt Pontifices, ejus successores; nam promissio a Jesu Christo facta, numquam futurum esse, ut adversus Ecclesiam prævaleat infernus, necessario in perpetuum facta intelligi debet, donec Ecclesia durabit. — Nec dici potest, promissionem non directe Petro fuisse factam, sed Ecclesiæ, cujus personam Petrus gerebat. — Atvero, si petra intelligi debeat Ecclesia, nonne dicendum erit, Ecclesiam esse Ecclesiæ fundamentum? Aut etiam duas esse Ecclesias, quarum una est fundamentum, altera ædificium? Non ita; sed Petrus in bonum Ecclesiæ a Domino constitutus est Ecclesiæ fundamentum; unde Petro datum est esse *saxum immobile, molem continens*, ut ait S. Augustinus [3]: est petra immobilis, labefactari nescia; quandoquidem, ut recte advertit Origenes: *Si prævalerent* (portæ inferi) *adversus petram, in quâ fundata Ecclesia erat, contra Ecclesiam etiam prævalerent* [4]. Itaque fundamenti firmitas directe Petro, et indirecte Ecclesiæ data est: fundamentum quippe sustinet domum, non domus fundamentum.

2. ex verbis Christi: *Simon, cet.*

5. Deinde probatur ex his aliis verbis: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [5]. Considera, Dominum pro solo Petro rogasse, ne umquam deficeret fides ejus, ut ita et per se ipse et per suos successores in eâ confirmare posset fideles fratres. Falsa est igitur eorum interpretatio, qui hoc loco Christum orasse dicunt pro Ecclesiâ universali seu pro omnibus fidelibus: Dominus enim solam Petri personam designat, *Simon, Simon;* et quum initio omnes commemorasset *(Satanas expetivit vos)*, deinde solum Petrum compellans: *Ego autem* inquit, *rogavi pro te* (non dixit: pro *vobis*). — Verba autem, quæ deinceps sequuntur: *confirma fratres tuos*, clare demonstrant, Christum ibi non esse allocutum universam Ecclesiam. Quinam essent illi Ecclesiæ fratres? Fideles sunt filii, non fratres Ecclesiæ. — Neque illi recte sentiunt, qui hoc loco Christum rogasse dicunt pro Petri perseverantiâ. Petrus enim ad Christi mortem in fide vacillavit, ut constat ex ipsis verbis: *et tu aliquando conversus*, et ex his aliis, quibus Christus post cœnam omnes Apostolos allocutus est: *Omnes vos scandalum patiemini in Me in istâ nocte* [6]. — *Modo creditis? Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et Me solum relinquatis* [7]. — Iis verbis igitur Jesus Christus non designavit privatam personæ Petri fidem, sed eam, quæ numquam deficeret in Petro, quatenus Ecclesiæ Caput erat, neque in iis, qui in Primatu ei succederent. — Et quomodo adversariorum explicatio concordat cum proximis iis verbis: *confirma fratres tuos?*

[1] *Hieronym.*, Comment. in Ep. ad *Gal.*, II, 13. — [2] *Matth.*, XVI, 18. — [3] Sermo 192 (inter dub. Nota edit.). — [4] Comment. in *Matth.* (*Migne*, Patrol. Græce et Latine, tom. XIII, Origen. 3, col. 1001-1004; vetus interpretatio) (*a*). — [5] *Luc.*, XXII, 31 et 32. — [6] *Matth.*, XXVI, 31. — [7] *Joan.*, XVI, 31 et 32.

(*a*) *Manifestum est,* inquit, *quia nec adversus petram illam super quam ædificatur Ecclesia, nec adversus Ecclesiam quæ ædificatur super hujusmodi petram, portæ prævalebunt inferorum:... Adversus quem autem portæ prævaluerint inferorum, ille neque petra dicendus est super quam Christus ædificat Ecclesiam, neque Ecclesia quæ super petram ædificatur a Christo* (Nota edit.).

En vero, quam plane S. Agatho Papa hunc textum exponat in Epistolâ ad Imperatorem Constantinum IV, quæ postmodum recitata est in Synodo VI [1], ibique ab omnibus approbata: *Hæc est... veræ fidei regula, quam... tenuit... Apostolica Christi Ecclesia...: Dominus... qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum* [2]. Et S. Leo: *In Petro ergo,* inquit, *omnium fortitudo munitur,... ut firmitas, quae... Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur* [3].

3. ex verbis Christi: *Pasce, cet.*

6. Præterea confirmatur ex his aliis verbis Petro dictis: *Pasce agnos meos... pasce oves meas* [4]. Quæ verba S. Eucherius [5] ita commentatur: *Prius agnos, deinde oves commisit ei; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesiâ nihil est* [6]. Idem postea de pastoribus, qui in Petri locum successerunt, S. Bernardus scripsit ad Eugenium III: *Sunt... et alii gregum pastores... Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor... Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil* [7]. Et antea paucis verbis idem dixerat S. Cyprianus: (*Ecclesia est*) *plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens* [8]. Et reliqui Patres simili modo loquuntur. — Ostendant adversarii, ubinam Scripturæ dicant, oves in Concilio congregatas jam non esse oves pastori subjectas, sed pastores fieri sui pastoris? Ex contrario in Scripturis legitur, Pontificem constitutum esse non ovium tantum, sed totius ovilis pastorem: *Fiet unum ovile et unus pastor* [9]. — *Sed,* inquit Natalis Alexander, *Pontifex pastor est, non dominus ovium Christi; unde Christus ait Petro: Pasce oves meas; non, oves tuas* [10]. Ego vero quid inde colligere velit nescio. Ecquis negat, non Petrum, sed Christum esse nostrum, suarum ovium, Dominum? Christus autem pascendas suas oves commisit Petro, qui tum eas pascit, quum sanam, non veneno infectam iis suppeditat doctrinam. Nec pastor singulas oves separatim, sed totum simul gregem pascit. Nec quidquam refert, Apostolos, ut in Actibus Apostolorum (cap. VIII) legitur, Petrum cum Joanne in Samariam misisse; non enim imperio, sed consilio tantum eos miserunt, eo modo quo regem quandoque ad bellum a suis ministris missum dicimus.

4. ex ipsis Conciliis:

7. Præterea Pontificem supra Concilium esse probatur ex auctoritate sacrorum Canonum et SS. Patrum, atque imprimis ex ipsis Conciliis. Illud quidem ante Concilium Constantiense numquam in dubium venerat; eo vero tempore, quo ceteroquin de incerto Pontifice agebatur et de tollendo schismate, a nonnullis in dubium vocari cœpit veritas, quæ antea semper (ut videbimus) communiter pro certâ recepta fuerat. — Sed, inquiunt adversarii, nullibi antiquitas scriptam reliquit propositionem: *Papa præest Concilio.* Concedimus, ipsis iis verbis nullibi eam reperiri; sed scriptum reperitur, Romanum Pontificem esse *Caput potestatem habens in universam Ecclesiam;* scriptum reperitur, eum esse *immediatum Christi Vicarium, eamque ob causam tenenda esse quæcumque definierit;* scriptum reperitur, eum habere *potestatis plenitudinem* sive *supremam potestatem in universam Ecclesiam, quo fit ut omnes fidei quæstiones ab eo definiri debeant;* scriptum reperitur, *mutari non posse Pontificis definitiones,*

[1] Act. 4. — [2] *S. Agatho,* Ep. 1 ad Imperatores. — [3] Sermo 4, cap. 3. — [4] *Joan.,* XXI, 16 et 17. — [5] Falso alii hunc sermonem *Eusebio Emisseno* tribuunt. — [6] Sermo in Vigilia *S. Petri* (Ignoti auctoris. In Bibl. Maxima Veter. Patr., *Tom. 6,* inter *Eusebii Gallicani* opera legitur. Nota edit.). — [7] De Consideratione, lib. II, cap. 8, n. 15. — [8] Ep. 69 ad *Florentium,* n. 8. — [9] *Joan.,* X, 16. — [10] L. c. n. 7.

quum Spiritûs-Sancti sit organum; scriptum reperitur, *ab ejus sententiis non dari recursum ad alium superiorem; extra casum hæresis Papam nullius judicio esse subjectum; illicitum esse a Papâ ad Concilium appellare, licite vero appellari a Concilio ad Papam.* Quodsi verum est, nonne verum erit, Papam esse supra Concilium? — Ubi hæc scripta sint, videamus.

Nicæn. I. **8.** In Concilio Nicæno I, anno 325 Silvestro Pontifice adversus Arium habito, dicitur (Can. 39), Summum Pontificem esse caput, cui data est potestas in universam Ecclesiam: *Ille qui tenet sedem Romæ, caput est et princeps omnium Patriarcharum; quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos, et omnes populos eorum; ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos et universam Ecclesiam Christianam; et quicumque contradixerit, a Synodo excommu-*

Florentin. *nicatur*[1]. Eadem dicuntur in Concilio Florentino (ultimâ sessione), Eugenio IV Pontifice: *Definimus... Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et... successorem esse Beati Petri,... totiusque Ecclesiæ Caput, et... Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro... regendi... Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur*[2]. *Du-Hamel*[3] cum *Petro de Marca*[4] ad hæc ultima verba: *Quemadmodum... in gestis... Conciliorum... continetur,* adjicit: *nempe... eâ lege, ut eâ potestate utatur juxta Conciliorum Canones.* Sed non recte dicit; non enim illa verba *quemadmodum... continetur* limites assignant potestati; sed significant, plenam illam potestatem, Pontifici concessam, item exprimi in Conciliorum canonibus; ideo dicitur: *Quemadmodum etiam... continetur* (notetur vox *etiam*, quam Du-Hamel omisit, quod suæ noceret explicationi), id est, ut reperitur quoque, legitur, exprimitur in Conciliis et Canonibus. Verbulum *etiam* (ut refert *P. A. Bennettis*[5]) adest in exemplaribus, quæ in quinque diversis Bibliothecis asservantur. — In aliis exemplaribus, inquit Natalis Alexander[6], pro *etiam* reperitur *et.* Quid vero ex eo inferre possit, non video. Notum est apud Grammaticos, particulam *et*, si non adhibetur ad sensum dividendum, pro *etiam* poni. — Præterea, inquit[7], in aliis codicibus non legitur *quemadmodum* sed *juxta eum modum quo.* — Sed illud quoque quid refert? Dummodo habeatur particula *etiam* vel *et, juxta eum modum quo* idem est ac *quemadmodum.* — Ergo dubitari nequit, quin juxta Concilium Florentinum Summo Pontifici data sit plena potestas in Ecclesiam, sicut etiam legitur in Actis Conciliorum et in sacris Canonibus; si autem Pontifex plenam potestatem habet in Ecclesiam, tanto magis eam habet in Concilium, quod (ut ait Concilium Constantiense) Ecclesiæ solummodo personam gerit: *Ecclesiam.... militantem repræsentans*[8].

9. Sicut ergo in corpore caput gubernat et omnibus membris imperat, ita Summus Pontifex totam gubernat et regit Ecclesiam. Est porro inanis assertio, Papam Objectio. gubernare quidem membra divisa, conjuncta vero non item. Ergone membra, Responsio quamquam a capite separata, quum conjunguntur, caput fiunt? Ac proinde mysticum corpus Ecclesiae monstrum erit; quandoquidem duo habet capita. Sed membra sine capite non aliud sunt quam corpus truncatum; quomodo ergo Concilium esse potest corpus integrum et personam gerere Ecclesiæ sine capite, Pontifice Romano? Et quomodo Concilium, si caput deest, vocari potest Concilium Generale, quum ipsum Concilium Nicænum I

[1] Canones *Arabici*, cap. 39 (Vide notam Cap. VIII, n. 4, pag. 301). — [2] Decret. Unionis. — [3] Theol. Speculatrix et Practica. De Ecclesia, lib. III, cap. 7, n. 14. — [4] De Concordia Sacerdotii et Imperii, lib. III, cap. 8, n. 5. — [5] Privilegior. Rom. Pontif. Vindic., p. 1, art. 5, § 1. — [6] Sæc. 15 et 16, Diss. 8, art. 4, n. 12. — [7] L. c. — [8] Sess. 4.

statuerit: *Non oportere præter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari?* [1] Unde ait S. Damasus Papa: *Nullo Episcoporum numero decreta firmari, quibus Romanus Pontifex assensum non præbuit, et hujus ante omnia exspectandam sententiam esse: neque ulla umquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolicâ auctoritate* [2]. Et S. Athanasius: *Canonibus quippe sancitum est,* inquit, *ut absque Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat* [3]. Et re quidem verâ, in Concilio Nicæno II, anno 787, Adriano I Pontifice, adstantibus trecentis quinquaginta Episcopis, reprobata est antecedens Constantinopolitana Synodus; et quid ita? Quia *non habuit cooperarium Romanum Papam,... quemadmodum fieri in Synodis debet* [4]. Pariter rescissum est concilium Ariminense, quamvis ad illud celebrandum quadringenti Patres convenissent. Similiter concilium Ephesinum II in causâ Eutychetis, quod S. Leo Papa illud non accepisset.

Nicæn. II.

Constantien.

10. Præterea in ipso Concilio Constantiensi (Sess. VIII) dicitur, *Papam esse immediatum Vicarium Christi* [5]. Nemo autem ignorat, vicarium unum idemque tribunal constituere cum superiore, cujus vices gerit, atque adeo vicarium ipsam habere superioris potestatem. Quapropter in Concilio Chalcedonensi IV, anno 451, S. Leone I Summo Pontifice, adversus Eutychetem et Dioscorum a sexcentis triginta Episcopis celebrato, dicitur (ut refert S. Thomas [6]): *Omnia ab eo* (i. e. a Papâ) *definita... teneantur tamquam a Vicario Apostolici throni.* Et in Actione II[a], recitatâ Epistolâ S. Leonis, in quâ definierat Summus Pontifex, quid adversus eos hæresiarchas credi oporteret, adjungitur: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est* [7].

Chalcedon. IV.

11. Constat insuper definiisse Concilia, Summum Pontificem *potestatis plenitudinem,* seu *supremam* in Ecclesiâ habere potestatem. In Concilio Lugdunensi II, quo sub Gregorio X, anno 1274 quingenti Episcopi convenerant adversus Græcorum hæresim, Spiritum-Sanctum non procedere a Filio, legati Imperatoris Michaelis Palæologi in fidei professione, publice in Concilio recitatâ, hæc inter alia dicebant: *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam... obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro..., cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine, recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere; sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri, cet.* [8]. Deinde exponentes, in quo potestatis plenitudo consistat: *Potestatis plenitudo consistit,* inquiunt, *quod Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit... suâ tamen observatâ prærogativâ, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis, semper salvâ* [9]. Quæ deinde professio fidei, omnibus suffragiis a Concilio acceptata, prima facta est ipsius Concilii Constitutio: *Suprascriptâ fidei veritate, prout plene lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam, Catholicam et orthodoxam fidem cognoscimus et acceptamus, et ore ac corde confitemur, quod vere tenet et fideliter docet et prædicat sancta Romana Ecclesia* [10]. — Notentur illa verba: *si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri;* quod idem jam statuerat Concilium Nicænum I: *Omnes Episcopi... Apostolicam appellent Sedem,... ut ab eâ (sicut semper fuit)... fulciantur,*

Lugdun. II.

[1] S. Julius Papa. Ep. 1 ad *Orientales* Episcopos, n. 2 (In hac epistola increpatoria *Julius* in memoriam revocat, quæ fuerant a Nicæna Synodo constituta. Inter suppositiitias. Not. ed.).
[2] Confer. Epist. ad *Steph.* et Episcop. *African.*, cap. 2. (Apud *Migne* inter opera Apocrypha, t. XIII, col. 425). — [3] Epist. ad *Felicem II* (Dubiæ auctoritatis. Nota edit.). — [4] Actio 6, tom. I. — [5] Sess. 8. *Wiclefi* Art.[i] 37 condemnatio. — [6] Opusc. 1 contra errores *Græcorum.* — [7] Actio 2. — [8] Litteræ *Michaelis* ad *Gregor. X.* — [9] Ibid. — [10] Ibid.

defendantur et liberentur; cujus dispositioni omnes majores ecclesiasticas causas... antiqua Apostolorum eorumque successorum atque Canonum auctoritas reservavit [1]. Accedunt quæ decrevit Concilium
Viennen. generale Viennense, anno 1311 sub Clemente V habitum, in quo aderant trecenti circiter Episcopi: *Dubia fidei declarare ad Sedem dumtaxat Apostolicam pertinere* [2]. Unde S. Cyrillus: *Sicut Christo*, inquit, *a Patre omnis potestas et nulli alteri data est, sic Petro ejusque successoribus supremam Ecclesiæ curam, nullique alteri commissam* [3].

12. Item quum anno 680 ducenti octoginta novem Patres adversus Monothelitas congregati essent in Concilio Con-
Constantinopol. III. stantinopolitano III, S. Agatho Papa primum in Epistolâ ad Augustos, de ipsis Patribus ita loquitur: *Nihil profecto præsumant augere, minuere vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut a prædecessoribus.... Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare.... Hæc Apostolica ejus Ecclesia numquam a viâ veritatis... deflexa est, cujus auctoritatem, utpote Apostolorum... Principis, semper... Christi Ecclesia et universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt* [4], *cet.* — Et deinde in epistolâ ad patres Concilii monet, quid ipse jam definierit et pro certo atque immutabili teneri debeat: *Personas autem... prævidimus dirigere ad vestræ... fortitudinis vestigia, quæ omnium nostrum... suggestionem, in quâ et Apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibavimus, offerre debeant; non tamen* (notentur hæc verba) *tamquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosâ definitione proferre; suppliciter obsecrantes, ut... hæc eadem omnibus prædicari, atque apud omnes vim obtinere jubeatis* [5]. Grata Concilio fuit hæc epistola; quare in *Actione 18* declarant Patres: *Per Agathonem Petrus loquebatur* [6]. Et in Concilio Constantino-
Constantinopol. a. 536. politano, anno 536 celebrato, dicitur: *Nos... Apostolicam Sedem sequimur...; et ipsius communicatores, communicatores habemus; et condemnatos ab ipsâ et nos condemnamus* [7]. Præterea in Concilio Constantino-
Constantinopol. IV. politano IV (Sess. V) hæc statuuntur: *Neque nos sane novam de illo judicio sententiam ferimus, sed jam olim a SS. Papâ Nicolao pronunciatam, quam* (notentur hæc verba) *nequaquam possumus immutare* [8]. Et ibidem Canone II°: *Itaque beatissimum Papam Nicolaum tamquam organum Sancti Spiritûs habentes* [9], *cet.* Statuit ergo illud Concilium, immutabilem esse Summi Pontificis sententiam.

Tandem Concilium Lateranense V, quod
Lateranen. V. anno 1517 sub Leone X absolutum fuit, in Sessione XI[a], post reprobatum Conciliabuli Basileensis decretum, expressis verbis declaravit, Summum Pontificem, omnibus Conciliis esse superiorem: *Solum Romanum Pontificem,... tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Ponti-*

[1] In *Julii I* Epistola 2 contra *Orientales* (Quæ epistola suppositia est. Nota edit.). Item citatur in *Corp. Juris; 2, qu. 6, omnes Episcopi.* — [2] *Clementin.*, Titul. I De Summa Trinit. (*a*). — [3] *S. Cyrill. Alex.* apud *S. Thom.*, opusc. 1, *contra errores Græcorum* (*b*). — [4] Actio 4, Epistola ad Imperatores. — [5] Act. 4, Ep. *Agathonis* et Synodi Romanæ (2[a] Epist. ad Imperat.). — [6] Sermo acclamatorius. — [7] Act. 4 (Celebratum est hoc Concilium post *Agapeti* mortem, vacante Sede Apostolicâ. Nota edit.). — [8] Actio 5. — [9] Actio 10, Regula 2.

(*a*) *Nos igitur*, inquit,... *apostolicæ considerationis (ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet) aciem (ad ea) convertentes, sacro approbante Concilio declaramus, cet.* (Nota edit.).

(*b*) Apposite Melchior Canus, *de Locis Theologicis, lib. V, cap. 5: Nec mireris*, inquit, *quod in libris Thesauri, e quibus loca illa a D. Thoma referuntur, ea nunc reperire non licet. Detruncaverunt enim hæretici librum illum, et quæ in eo ad Romani Pontificis auctoritatem pertinebant, hæc eraserunt omnia.* Confer quæ de eodem argumento habet *Petavius*, de Incarnat., lib. VI, cap. 13, n. 5 (Nota edit.).

ficum... sacrorumque Canonum decretis, sed propriâ etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat; quorum aliqua referre placuit [1], *cet.* — Ac deinde referuntur Concilia, quæ Summorum Pontificum jussis paruerunt: Ephesinum I obedivit Cælestino, Leoni Chalcedonense, Concilium VI Agathoni, Adriano Concilium VII; et similiter Concilia, quæ petiverunt et obtinuerunt confirmationem ab iis Pontificibus, qui ea convocaverant. — Rex Christianissimus (ut ex Sess. VIII[a] constat) per oratores suos huic Concilio Lateranensi assentiri nihil recusavit [2].

Objectio. Ajunt quidem *Dupin* [3] et *Launoy* [4], propositionem *tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem*, non esse primariam sententiam, sed incidentem, quod ibi velut ratio apposita sit: nonnumquam autem Pontifices in pertractandis quæstionibus falsas rationes adhibere posse.

Responsio. Nos vero dicimus, eam propositionem non fuisse incidentem, neque ut meram rationem appositam, sed ut veram declarationem; quum Patres ibi declarare voluerint, Summum Pontificem, utpote omnibus Conciliis superiorem, suo arbitratu modo ea convocare, modo transferre, modo dissolvere posse. — Duo, inquit Bellarminus [5], possunt huic Concilio opponi, quod ad declarationem spectat, Summum Pontificem præstare Conciliis. Primum, non fuisse Concilium generale, quod numerus Episcoporum ne ad centum quidem perveniret. Respondet vero, illud dici non posse. Concilium enim legitime convocatum erat, omnibus patebat, patres aderant centum et septem, et in eo præsidebat verus Pontifex. Quapropter illud Concilium communiter pro legitimo habetur; et ita sentiunt Graveson [6], Baronius [7], Cabassutius [8], Thomassinus aliique innumerabiles. Alterum, postea illud non ab omnibus fuisse receptum. Id vero parum refert, inquit Bellarminus [9]; nam decreta Conciliorum non indigent (quod certum est) approbatione populi, quum a populo non accipiant auctoritatem. Ac deinde subjungit: *Quod vero Concilium hoc rem istam non definierit proprie* (distincto Canone), *ut decretum fide Catholicâ tenendum, dubium est; et ideo non sunt proprie hæretici, qui contrarium sentiunt, sed a temeritate magnâ excusari non possunt* [10]. — *Bossuet* de hoc Concilio in suâ *Defensione* loquens: *Pro certo œcumenicum haberi*, inquit, *Bellarmini cunctatio et fluctuatio non sinit* [11]. Sed non dubitat Bellarminus, quin Concilium fuerit œcumenicum; sed solum, possitne hæreticus vocari, qui Concilium supra Pontificem esse sentiat; et certum esse putat, non posse a magnæ temeritatis notâ eum excusari. Eodem modo *Duval*, Doctor Sorbonicus, qui circa annum 1612 scribebat: Opinio, inquit, Concilium esse supra Pontificem, *a temeritate... inobedientiæ vix potest excusari; fovet enim ut plurimum inobedientiam, et dissidia multa magnosque tumultus... semper excitavit* [12].

5. ex Romanis Pontificibus. Paschal. II.

13. Ad Conciliorum definitiones accedunt definitiones Summorum Pontificum. Paschalis II decrevit: *Quum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem... robur acceperint, et in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas,* [13] *cet.* — Bonifacius VIII: *Porro subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus,... definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis* [14]. Leo IX: *Petrus et sui successores liberum de omni Ecclesiâ habent judicium* [15]. Idem declaravit Innocentius I [16];

Bonifac. VIII.

Leo IX.

Innoc. I.

[1] Sess. 11, Bulla « Pastor æternus ». — [2] Sess. 8, Mandatum Regis Francorum. — [3] De Antiqua Ecclesiæ Disciplina, Diss. 6, § ultim. — [4] Epistolar., lib. I; ep. 11 ad *Ludov. Maræsium*. — [5] De Conciliis et Ecclesia, lib. II, cap. 17. — [6] Hist. Eccl., sæc. XVI, Colloq. 4. — [7] Vide *Baronii* continuat. *Raynald.* ad ann. 1513 et 1517. — [8] Notitia Ecclesiastica, sæc. XVI. — [9] L. c. — [10] Ibid. — [11] Appendix ad Defensionem Declarationis Cleri *Gallicani*, lib. II, cap. 8. — [12] De suprema Rom. Pont. in Eccl[m] Potestate, pars 4, quæst. 7, n. 6. — [13] Decret. *Greg.*, lib. I, tit. 6, cap. *Significasti* 4. — [14] Extrav. Comm. cap. « *Unam Sanctam* » 1. — [15] Ep. ad *Michaelem* Patriarch. adv. ejus et *Leonis Acridani* præsumptiones, cap. 32 (Migne, Patrol. Lat., tom. 143, col. 765). — [16] Ep. 29 ad Conc. *Carthag.*, n. 1.

Dionysius. S. Gregor. Magn. Nicolaus I.

idem Dionysius Papa [1]; idem S. Gregorius Magnus [2]. Atque etiam significantius Nicolaus I: *In universalibus Synodis*, inquit, *quid ratum vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes Beati Petri probavit (ut ipsi scitis), habetur? Sicut e contrario, quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo consistat hactenus reprobatum* [3].

Adversarios modice tangunt eæ definitiones, quas in causâ propriâ factas esse dicunt; apud me vero et apud reliquos plenam auctoritatem habent, utpote sententiæ pronuntiatæ a Jesu Christi Vicariis, qui suo quisque tempore universalis Ecclesiæ Doctores constituti sunt. Saltem eorum auctoritas sine ullâ dubitatione præferenda est ceterorum quorumlibet scriptorum auctoritati.

S. Leo Magnus.

Præterea constat, S. Leonem Papam irritum fecisse Concilii Chalcedonensis Canonem 28^{um}, quo Patriarchæ Constantinopolitano privilegium concesserat, ut Alexandrinum loci honore antecederet. Quod his verbis S. Pontifex S. Pulcheriæ scripsit: *Consensiones vero Episcoporum, sanctorum Canonum apud Nicænam conditorum regulis repugnantes, unitâ nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus* (notetur vox *mittimus*, quâ Summus Pontifex propriâ auctoritate loquitur), *et per auctoritatem beati Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus* [4]. Unde liquet, non præesse Concilium Papæ, sed

S. Gelasius.

Papam Concilio. — S. Gelasius Papa, in Epistolâ 13^{a} ad Episcopos Dardaniæ, de Sede Apostolicâ in hunc modum loquitur: *Quæ et unamquamque Synodum suâ auctoritate confirmat,.... pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus... Domini voce perceptum, Ecclesiâ nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet* [5]. Quibus verbis monstravit, nullum umquam Concilii decretum valere, nisi confirmetur a Summo Pontifice. Unde scripsit Hincmarus: *Generalis Synodus comprovincialium dijudicationes sive dissensiones vel probet vel corrigat;... Apostolica vero Sedes et comprovincialium et generalium retractet, refricet vel confirmet judicia, sicut epistolæ Leonis atque Gelasii ceterorumque Romanorum Pontificum, et Sardicensis Synodus evidenter ostendunt* [6]. Idem scripsit Nicolaus I, referens exemplum S. Leonis, qui non solum resciderat prædictum Canonem Chalcedonensem, sed etiam Acta Concilii Ephesini, quamvis omnium Patrum consensu approbata fuissent: *Non ergo dicatis non eguisse vos, in causâ, pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia suâ auctoritate firmat... Unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt. Quomodo non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis, quando in Ephesino latrocinio, cunctis præsulibus... prolabentibus, nisi Magnus Leo... divinitus excitatus... totum orbem et ipsos quoque Augustos concuteret,... religio Catholica penitus corruisset?* [7]

Nicolaus I.

14. Sed intrinsecam rationem videamus, cur Concilio superior sit Summus Pontifex. Ratio hæc est, quod Ecclesiæ regimen est mere monarchicum; quo fit, ut Ecclesiæ Caput neminem habeat vel superiorem vel æqualem. Nemo ignorat, triplicem esse regiminis formam: *democraticam*, in quâ penes populum est suprema potestas; *aristocraticam*, in quâ ministri electi imperium obtinent; *monarchicam*, in quâ caput solum plenâ potestate præest. Omnes consentiunt, formam monarchicam esse omnium perfectissimam: *Optimum... regimen multitudinis est*, inquit S. Thomas, *ut regatur per unum:... pax enim et unitas subditorum finis est regentis. Unitatis autem congruentior causa est unus quam multi* [8].

6. ex ratione intrinsecâ: Ecclesiæ regimen est monarchicum.

[1] Ep. 2 ad *Severum*. — [2] Epistolar. lib. 5, ep. 54 (al. lib. 4, ep. 52) ad universos Regni *Childeberti* Episcopos. — [3] Ep. 46 (al. 7) ad *Michaelem* Imperat. capitul. II. — [4] *S. Leo* M., Epistola 105 (al. 53), ad *Pulcheriam* Augustam, cap. 3. — [5] Ep. 13 ad Episcopos *Dardaniæ*. — [6] De Divortio *Lotharii* et *Tetbergæ*, quæst. 2. — [7] Ep. 86 (al 8), ad *Michaelem* Imperatorem. — [8] Contra Gentiles, lib. IV, cap. 76, n. 3.

Concludit autem: *Circa... ea, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur* [1]; quæ ratio evidenter probat supremam Summi Pontificis auctoritatem.

Hæretici illud negant.

Hæretici omnes de communi sententiâ supremam potestatem Romano Pontifici denegant; eâ enim admissâ, post damnatoriam Pontificis sententiam omnis jam sublata esset defensio; unde alii, ut *Magdeburgenses* Centuriatores, supremam potestatem primario loco tribuunt populo, et secundario seniorum cœtui (*a*). Calvinus [2] aliique volunt, eam ad seniores tantum pertinere, quibus præsit Episcopus. Arminiani eam totam populo adscribunt. Alii tandem soliș laicis, exclusis Episcopis (*b*).

Catholici omnes affirmant.

15. Catholici vero uno ore affirmant, Jesum Christum, quum ex hoc mundo discederet, supremam Ecclesiæ potestatem S. Petro, et per eum omnibus ejus successoribus reliquisse. Ita docet S. Thomas loco citato, ubi quum dixisset, optimum regimen esse monarchicum, subjungit: *Hinc est quod... Dominus dicit: Fiet unum ovile et unus pastor* [3]. Item S. Antoninus [4], Christum ait, quum Pontificem Vicarium suum constituerit, monarchicam in Ecclesiâ instituisse potestatem. Atque ita omnes loquuntur. Et *Joannes Gerson* hæreticum eum vocat, qui statum monarchicum Summo Pontifici pertinaciter denegaret: *Status papalis institutus est a Christo supernaturaliter et immediate, tamquam primatum habens monarchicum et regalem in ecclesiasticâ hierarchiâ, secundum quem statum unicum et supremum Ecclesia militans dicitur una sub Christo; quem primatum quisquis impugnare vel diminuere vel alicui ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, schismaticus, impius atque sacrilegus. Cadit enim in hæresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiæ usque hodie, tam per institutionem Christi de principatu Petri super alios Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis suis et generalibus Conciliis* [5].

Ipsi Episcopi Romano Pontifici sunt subjecti.

16. Episcopi autem, ut Apostolorum successores, suarum diœcesium gubernationem habent, earumque reverâ sunt principes ob potestatem ab ipso Domino ipsis collatam; eorum tamen potestas prorsus subjecta est Summo Pontifici, qui omnium habet supremæ potestatis plenitudinem, juxta illud Concilii œcumenici Lugdunensis II: *Ipsa quoque... Romana Ecclesia... principatum super universam Ecclesiam... obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro..., cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse... recognoscit* [6]. Quodsi Summus Pontifex plenam potestatem habet super universam Ecclesiam, quomodo supra eum esse potest Concilium?—Idcirco scribit S. Thomas, Concilii statuta omnem auctoritatem suam ex Pontificis auctoritate mutuari: *Sancti... Patres in Conciliis congregati nihil statuere possunt*

Conclusio nostra confirmatur ex SS. Patribus et theologis.

[1] Ibid., n. 2. — [2] Instit., lib. IV, cap. 11, § 6. — [3] L. c., n. 4. — [4] Summa Theolog., pars 3, tit. 22, cap. 2, § 3. — [5] De Statibus Ecclesiasticis; Consider. 1 super Statu S. Pontificis. — [6] Litteræ *Michaelis* ad Gregor. X.

(*a*) *Bellarminus* (de Rom. Pontifice, lib. I, cap. 5): *Flaccus Illyricus* (Centuriatorum dux et caput), CENT. 1, LIB. 2, CAP. 7 *docet, nullum esse in Ecclesiâ, qui omnibus præsit, sed totam auctoritatem Ecclesiasticam esse tum in ministris tum in populo; tamen in* LIB. DE EPISC. ELECT. *summam potestatem attribuit multitudini totius Ecclesiæ, existimatque, Democratiam in Ecclesia habere primas partes, secundas vero Aristocratiam, id est, seniorum congregationem* (Nota edit.).

(*b*) Sic *Joannes Brentius* (apud *Bellarm.*, l. c.) in Prolegom. cont. *Pet. a Soto*, concedit summam potestatem optimatibus: eos tamen non vult esse Episcopos, sed Principes sæculares, quos nobilissima Ecclesiæ membra esse contendit (Nota edit.).

nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente [1]. Unde colligit S. Doctor, Concilii sententiam confirmatione Summi Pontificis egere, et a Concilio quidem ad Pontificem, non vero a Pontifice ad Concilium posse appellari: *Sicut... posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo conditum,... ita etiam Romanus Pontifex hoc suâ auctoritate potest; cujus auctoritate solâ Synodus congregari potest, et a quo sententia Synodi confirmatur, et ad ipsum a Synodo appellatur* [2]. Cum S. Thomâ consentit S. Bonaventura *in 4 Sentent., dist. 19* [3], ac præterea in *Expositione Regulæ Fratrum Minorum*, ubi ait: *Honorius Episcopus. Episcopus utique non alicujus partis..., sed totius universitatis.... Quodsi unus non esset, qui in omnes exercere posset jurisdictionem, ubi maneret status Ecclesiæ?* [4] Et alibi docet, solius Dei judicio subesse Pontificem [5]. S. Joannes Capistranus: *Patet*, inquit,... *Papam supra Concilium... jurisdictionem... in omnibus obtinere, et Concilium quantumlibet œcumenicum..., Papæ subjici* [6]. S. Antoninus: *Papa omni Concilio superior est, nec robur habet quidquid agitur, nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur* [7]. Item Ferrariensis: *Ex prædictis constat vanam esse... opinionem dicentium Concilium et Ecclesiam esse supra Papam* [8]. Idem docent S. Laurentius Justinianus [9], *Turrecremata* Cardinalis [10], *Thomas Waldensis* [11], *Cusanus* Card. [12], *Franciscus Philelphus* [13], *Hieronymus Savanarola* [14], *Gennadius Scholarius* [15], *Cajetanus* [16], *Sylvester* [17] et *Joannes Laurentius Berti* [18], qui in suâ Theologiâ contrariam sententiam falsissimam esse dicit. Natalis Alexander [19] pro suâ opinione non paucos doctores affert; ostendit vero Roncaglia [20], ex iis alios pro Pontifice potius stare, alios obscure esse locutos nec posse certo Concilii fautores haberi, alios tandem hac de re agentes *aliquid humani esse passos.*

Ergo illicitum est, a Pontifice ad Concilium appellare.

17. Ceterum (dico quod sentio) satis mirari nequeo, quod viri docti atque eruditi post Conciliorum, Canonum sanctorumque Patrum tam multas declarationes, et contra censuras, a Summis Pontificibus hac in re pluries fulminatas, potestatem supra Concilia Papæ denegare possint, et asserere, ei præstare Concilium; atque ita fieri, ut a Pontifice ad futurum Concilium licite appelletur. Ipsi antiqui Galliæ doctores agnoscebant, Summum Pontificem a nullo posse judicari. In Synodo Romanâ, ad causam Leonis III agendam convocatâ, Gallorum Episcopi profitebantur: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus;... ipsa... a nemine judicatur, quemadmodum et antiquitus mos fuit.* Ita refert Anastasius in vitâ Leonis III [21], Æmilius quum de *Carolo Magno* loqui-

Probatur a ex antiquis Galliæ doctoribus.

[1] Contra impugnantes Religionem, cap. 4. — [2] De Potentia, quæst. 10, art. 4 ad 13m. — [3] Exposit. textus, dub. 6; et art. 2, quær. 1, ad 4. — [4] Expositio in Regulam Fratrum Minor.; Exposit. Confirmationis Regulæ. — [5] De Ecclesiastica Hierarchia, pars 2, cap. 1. — [6] De Papæ et Concilii sive Eccl^{æ} Auctoritate; pars 3 secundæ partis, n. 95. — [7] Summa Theolog., pars 3, tit. 23, cap. 3, § 3. — [8] In D. *Thomæ* Summ. contr. Gent., lib. IV, cap. 76. — [9] Liber de Obedientia, cap. 12. — [10] Summa de Ecclesia, lib. III, cap. 44. — [11] Doctrinale Fidei, lib. II, art. 3, cap. 32. — [12] Apud *Augustin. Patritium*, Summa Concilior., cap. 118. — [13] Epistolæ familiares, lib. X, Ep. ad *Poggium* (*Suprema*, inquit, *dignitatis præstantia, vices Christi in terris gerit.* Nota edit.). — [14] Triumphus Crucis, sive de Veritate Fidei, lib. IV, cap. 6. — [15] Exposit. pro Conc. *Flor.*, c. 5, sect. 9 et 16. — [16] De Comparatione Auctoritatis Papæ et Concilii, cap. 7. — [17] *Sylvester Prieras*, Summa *Sylvestrina*, ad verbum : « *Concilium* », n. 8. — [18] De Theologicis Disciplinis, lib. XVII, cap. 5. — [19] In Hist. Eccl. *Nat. Alexandri*, sæc. XV et XVI, Diss. 4, animadversio, § 11 (*a*). — [20] Ibid. — [21] Non procul ab initio.

(*a*) Pro *Natali Alex.* legendum esse puto: *Bossuet, appendix ad Defensionem Declarationis cleri Gallicani, lib. I, cap. 8.* Ait enim *Roncaglia*, l. c.: *Quia idem Bossuet non paucos congerit..., qui Concilium Papæ anteposuerunt, ideo et pro coronide harum animadversionum quædam quoad auctores, quos ipse citat, sunt observanda* (Nota edit.).

tur[1], et nuper Spondanus[2]; qui omnes hoc asserunt, *rem inauditam esse, Romanum Pontificem in Concilio reum sisti, qui numquam alium quam se judicem habuerit.* S. Ivo Carnutensis *(Chartres)*, insignis Galliæ doctor, *judicia Romanæ Ecclesiæ* ait *a nemine... retractari posse*[3]. S. Bernardus Papam alloquens: *Recurro*, inquit, *ad eum, cui... datum est judicare de universis*[4].

Objicitur. Sæpius tamen, inquiunt adversarii, a Pontifice ad Concilium interpositæ fuerunt appellationes. Respondetur. ⇒ Sed illæ certo haberi non poterant ut recursus ad Concilium Summo Pontifici contrarium; nam tale Concilium non amplius legitimum esset; habendæ sunt igitur tamquam provocationes ad Concilium, Summæ Pontificis auctoritate firmatum, eo fine ut Pontifex causam ipsam melius cognoscat. Quomodo ceteroquin valere potest appellatio a Summo Pontifice ad futurum Concilium? Appellatio fit a judice inferiore ad judicem superiorem, eumque certum et existentem. Sed quo pacto appellatur ad judicem, qui nondum existit et forsitan nullo umquam tempore erit? Atque interim quis medebitur ruinæ, ab iis allatæ, qui errores suos disseminant? Hoc ipsum *Rodolphus*, legatus Pontificius anno 1461 objecit *Diethero, Moguntino (Mainz)* Archiepiscopo, qui ad futurum Concilium appellaverat: *Quem appellasti judicem? Futurum Concilium, dicis, appellavi. Ubi est futurum Concilium? Ubi sedet? Ubi tribunal ejus requirimus? Is judex appellatur, qui nusquam reperitur. In conventu Mantuano adversus hanc nequitiam lex edita est, quæ appellanti ad futurum Concilium eam irrogat pœnam, quâ rei Majestatis et fautores hæreticorum plectuntur*[5]. Quâ reprehensione perculsus *Dietherus* suam revocavit condemnavitque appellationem. — Hæc autem perspicua est, a S. Antonino prolata ratio, cur a Summo Pontifice ad Concilium appellari nequeat: *Ecclesia habet unitatem ex unitate capitis. Unde* (Joan., X)... *dicit Christus: « Fiet unum ovile et unus pastor.... ». Si licitum esset appellare a Papâ... Papa non esset caput, vel essent duo capita*[6].

b ex *Rodolpho*, legato Pontificio.

a ex S. Antonino.

Equidem attente legere volui omnia ex Conciliis deducta argumenta, quæ profert Natalis Alexander[7] in suâ Dissertatione, quam in Historiâ Ecclesiasticâ sub finem tomi IX[i] inseruit, ut ostendat, Concilium esse supra Pontificem. Sed, ut verum fatear, illud admiratus sum, quomodo tantus vir tam infirmis rationibus inniti potuerit. Cuique legenti patebit, ad nugas eum recurrere, ac proinde pessimam causam sibi tuendam suscepisse. Ad ea argumenta postmodum (§ 5 hujus capitis) respondebo; in præsenti hoc tantum dico, omnibus iis rationibus (quas rite dissolvit *Roncaglia*[8], atque etiam distinctius *Orsi* Cardinalis in opere, cum multâ doctrinâ de hac materiâ exarato[9]) hac unâ responsione satisfieri, generalia nempe Concilia numquam fuisse necessaria, ut pontificiis definitionibus robur ac firmitatem impertirent; sed solum utilia fuisse, ut clarius apparerent veritates a Pontificibus constitutæ, ut populus errores ab iis condemnatos diligentius caveret, ac præterea ut decreta condita promptiorem haberent effectum.

Conclusio.

18. Nihil probare ajunt judicia, quibus ipsi Pontifices suam supra Concilia præstantiam decreverunt, utpote facta *in propriâ causâ*. — Num ergo plus valebit auctoritas *Maimburgi, Dupini, Launoji* quam tot Pontificum Romanorum, qui ab ipsis Conciliis vocantur et habentur successores Petri, Christi Vicarii, organa Spiritus-Sancti et mundi Christiani capita atque doctores cum plenâ ac supremâ po-

Objectio.

Responsio.

[1] De Rebus Gestis *Francorum, Carol. Magn.*, lib. III. — [2] Annalium *Baronii* Epitomes, a° 800, n. 2. — [3] Ep. 159 ad *Paschalem* Pap. — [4] Ep. 213 ad *Innoc.* Pap. Conf. etiam de Consideratione, lib. III, cap. 2. — [5] Apud *Georg. Christian. Joan.*, Rerum *Moguntin.* tom. II. — [6] Summa Theol., pars 3, tit. 23, cap. 3, § 3. — [7] Hist. Eccl., sæc. XV et XVI, Diss. 4. — [8] In Hist. Eccl. *Nat. Alex.*, l. c., Animadversio. — [9] De Romani Pontificis in Synodos œcumenicas et earum Canones Potestate.

testate in universam Ecclesiam? Si autem nihil valent Pontificum definitiones, et Summus Pontifex non est Concilio superior, quis tandem hanc controversiam dijudicabit? Si forte aliquod Concilium contrarium decideret, idem asserere possent Pontifices, nihil videlicet valere decisionem Concilii, utpote factam *in propriâ causâ*. Et, nisi labefactare velimus Christianæ religionis fundamenta, quid, quæso, valere posset ea decisio, facta a Concilio, quod divisum ab existente Pontifice, non dubio neque hæretico, et pontificiâ auctoritate carens, neque legitimum dici posset neque œcumenicum? Concilia enim vim suam totam mutuantur ex auctoritate et confirmatione Pontificis Romani; et ipsa Concilia fatentur, definitiones Pontificis non posse mutari, neque ab iis recursum haberi ad alium superiorem. In Concilio Constantinopolitano IV, Sessione V, legitur, ut suprà notavimus: *Sententiam jam olim a SS. Papâ Nicolao pronuntiatam, quam nequaquam possumus immutare*[1]. Et in Concilio Lateranensi III, sub Alexandro III, anno 1179 habito, dicitur (ut constat ex *Cap. Licet, de Elect.): Quod in eis dubium venerit, superioris poterit judicio definiri: in Romanâ vero Ecclesiâ aliquid speciale constituitur, quia non potest* (notentur hæc verba) *recursus ad superiorem haberi*[2]. Præterea in generali Concilio Sardicensi, anno 347 [al. 343] a trecentis septuaginta sex Patribus, Julio I Summo Pontifice, celebrato, decernitur, a Synodo condemnatos posse Romanam Sedem appellare, hujusque arbitrio relinqui, velitne ipsa causam cognoscere an judices delegare[3]. Similiter Patres Concilii Romani sub Symmacho Papâ declarant: *Papam esse summum pastorem, nullius, extra casum hæresis, judicio subjectum*[4]. S. Thomas quoque scripsit: *Romanus Pontifex..., cujus auctoritate solâ... sententia Synodi confirmatur, et ad ipsum a Synodo appellatur: quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi*[5]. *Tertio... a Papâ ad Synodum non appellatur, ut habetur ex gestis Concilii Ephesini.*

Confirmatur eadem responsio.

19. Inde S. Gelasius (ut constat ex *Can. Cuncta 17, causa 9, qu. 3)* ad Episcopos Dardaniæ scripsit: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi; neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illâ autem nemo est appellare permissus*[6]. Et de S. Leone loquens: *Dioscorum*, inquit,... *suâ auctoritate damnavit (Sedes Apostolica), et impiam Synodum non consentiendo submovit; ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit.... Sicut id quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit; sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit*[7]. Et in *Cap. Ipsi 16, causa 9, qu. 3* idem Pontifex ait: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri; ab ipsâ vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt*[8]. — Nicolaus II in *Can. Omnes 1, dist. 22: Fidem quippe violat*, inquit, *qui adversus illam* (Romanam Ecclesiam) *agit, quæ mater est fidei; et illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur*[9]. — Pius PP. II in suâ Constitutione *Exsecrabilis* exsecrandum abusum et antiquitati inauditum vocat, a Pontifice ad Concilium provocare; quare in hac Bullâ, in Conventu Mantuano conditâ, adhibito consilio Cardinalium, Præsulum aliorumque doctorum, ita loquitur: *Hujusmodi provocationes damnamus, et tamquam erroneas ac detestabiles reprobamus.... Præcipientes deinceps, ut nemo audeat quovis... colore ab*

[1] Actio 5. — [2] Cap. 1, de Electione S. Pontificis. — [3] Can. 3 et 5 (*Herveto* interprete); 3 et 7 (ex Codice *Dionysii* Exigui). — [4] Conf. Syn. *Roman.* III, a° 501. — [5] De Potentia, qu. 10, art. 4, ad 13m (Verba, quæ sequuntur, apud *S. Thomam* invenire non potui. Nota edit.). — [6] Ep. 13 ad Episcop. *Dardaniæ*. — [7] Ibid. — [8] Ep. 4 ad *Faustum*. — [9] Anno 1059. Nicol. II *per Petr. Damian. legatum suum* (Vide *Mansi*, tom. I, col. 1323; Migne, Patr. Lat., tom. CXLV, col. 91).

ordinationibus, sententiis sive mandatis... nostris ac successorum nostrorum talem appellationem interponere, aut interpositæ per alium adhærere... Siquis autem contra fecerit, a die publicationis præsentium... post duos menses, cujuscumque status, gradus... fuerit, etiamsi... pontificali præfulgeat dignitate, ipso facto sententiam exsecrationis incurrat, a quâ nisi per Romanum Pontificem et in mortis articulo absolvi non possit. Universitas vero sive collegium ecclesiastico subjaceat interdicto; et nihilominus tam collegia et universitates quam prædictæ et aliæ quæcumque personæ eas pœnas ac censuras incurrant, quas rei Majestatis et hæreticæ pravitatis fautores incurrere dignoscuntur [1]. Quam Constitutionem Sixtus IV, die 15ª Julii, anno 1483, aliâ Constitutione confirmavit, ubi dicit: *Non homo, sed is dumtaxat, qui solo verbo fecit cælum et terram, Apostolicam Sedem et in eâ sedentem prætulit universis etiam Conciliis, quæ ab eâ robur accepisse sanctorum Patrum decreta testantur. Et etiam Gelasius Papa... ait: « Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri, ab ipsâ autem numquam appellari... debere senserunt »,... Testantur etiam quamplurimorum Conciliorum epistolæ, in quibus verba illa apponuntur: « Salvâ in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate »* [2]. Deinde confirmat Constitutionem Pii II, qui *appellationes hujusmodi... irritas et inanes,... sacrilegas et hæreticas esse declaravit* [3]. Et *Odericus Raynaldus* refert [4], *Ludovicum XI*, Gallorum Regem, veneratum esse hanc Summi Pontificis Constitutionem, eamque publice promulgari voluisse; ipsum porro Pontificem per epistolam plurimas ei retulisse gratias.

Concluditur eadem responsio.

20. Quocirca *Cajetanus* Cardinalis: *Si de Ecclesiâ universali*, inquit, *sic sumptâ* (i. e. a Summo Pontifice divisâ) *intelligatur, quod habet immediate potestatem a Christo, et quod ipsa repræsentatur per universale Concilium, erratur errore intolerabili* [5]. Et S. Antoninus scribit: *Sed nec ad Concilium generale a Papâ appellari potest, quia Papa omni Concilio superior est; nec robur habet quidquid agitur, nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur et confirmetur. Sentire ergo, quod ad Concilium a Papâ appellari possit, est hæreticum* [6]. Et Bellarminus Cardinalis: *Hæc propositio: « Summus Pontifex simpliciter et absolute est supra Ecclesiam universam et supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat », est fere de fide.* Et addit: *Qui contrarium sentiunt,... a temeritate magnâ excusari non possunt* [7].

7. Probatur thesis ex necessitate judicandi, quodnam Concilium fuerit legitimum.

21. Tandem Summi Pontificis præstantiam (et, quod consequens est, infallibilitatem quoque) duobus his probamus argumentis, ad quæ quam umquam adæquatam responsionem adversarii dare possint, nescio. Primum argumentum hoc est: Nostra sententia est, Summum Pontificem esse Concilio superiorem, et ideo infallibilem in fidei definitionibus. Adversarii vero asserunt, Concilium generale esse supra Pontificem, et ideo solis Conciliis Deum immediate concedere supremam potestatem et infallibilitatem in decretis. Negare tamen nequeunt, Concilium ut supremam auctoritatem habeat et ex seipso, nullâque Summi Pontificis ratione habitâ, sit infallibile, legitimum esse debere. Ut autem legitimum sit, satis non est, magnum eo convenisse Episcoporum numerum. Plura enim Concilia, in quibus multi aderant Patres, ut Concilium Mediolanense II trecentorum Patrum sub Liberio Papâ et similiter Ariminense sexcentorum Patrum, Ephesinum II ducentorum octoginta Patrum sub S. Leone, reprobata fuerunt ab Ecclesiâ. Ut ergo Concilium œcumenicum sit et legitimum,

[1] Bulla « *Exsecrabilis* », 18 Jan. 1459. — [2] Constit. « *Quum superiori anno* », idib. Julii, 1483 (apud *Raynald.*, Annales, 1483, n. 18). — [3] Ibid. — [4] L. c., n. 22. — [5] De Comparatione Auctoritatis Papæ et Concilii, cap. 6. — [6] Sum. Theol., pars 3, tit. 23, cap. 3, § 3. — [7] De Conciliis et Ecclesia, lib. II, cap. 17.

omnes conditiones necessarias habere debet; sit nempe consentaneum divinis Scripturis et Patrum traditionibus, convocatum ab eo, qui convocandi potestatem habet et fiat cum suffragiorum libertate. Jamvero, exorto dubio, num in aliquo Concilio singulæ illæ conditiones adfuerint, opus est judice, qui litem dirimat; neque alius esse potest præter Summum Pontificem. Si enim tale judicium committeretur alteri Concilio, in hoc secundo Concilio idem dubium exsurgere posset, et sic in infinitum abiretur. Necesse est ergo, eum judicem esse Summum Pontificem, qui est caput Ecclesiæ. Quod quidem non dubitat concedere, immo certum esse affirmat Summi Pontificis præstantiæ et infallibilitatis omnium acerrimus oppugnator, Natalis Alexander. In suâ Historiâ Ecclesiasticâ (tom. IX): *Addiderim,* inquit, *quod olim a me observatum est, Synodum quidem generalem... auctoritatem a Christo immediate habere, non a Summo Pontifice; sed quia conditiones quædam ad Synodum œcumenicam necessario concurrunt, ut scilicet secundum Scripturas Sacras, secundum traditionem Patrum, secundum ecclesiasticas regulas cum plenâ suffragiorum libertate, consentiente regulariter Summo Pontifice et per seipsum vel per legatos, si voluerit, præsidente et suffragii prærogativâ gaudente, celebretur ab Episcopis ex toto orbe Christiano convocatis, nemine, qui jus habuerit, excluso;* ALIQUAM IN ECCLESIA AUCTORITATEM ESSE NECESSE EST, AD QUAM SPECTET JUDICARE AC DECLARARE, QUOD CUM HARUM CONDITIONUM CONCURSU SYNODUS GESTA SIT; *quâ ex declaratione Christianorum omnium obligatio ad ejus decreta quum de fide tum de morum disciplinâ recipienda consequitur....* ITA SUMMI PONTIFICIS EST DECLARARE, QUÆ CONCILIA VERE ŒCUMENICA SINT; AD IPSUM SPECTAT JUDICARE, AN IIS INSTRUCTA SINT CONDITIONIBUS, QUÆ CONCILII ŒCUMENICI RATIONEM CONSTITUUNT [1]. Non dubitat ergo Natalis Alexander, quin Summus Pontifex auctoritatem habeat declarandi et judicandi, utrum Concilium generale legitimum fuerit necne.

Judex est superior.

22. Sed primum, si Concilium sit supra Pontificem, ut ille quidem existimat, quomodo Pontifex judicare poterit, Concilium fueritne legitimum necne? Est certum principium canonicum, in lege superioris nihil posse inferiorem: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest* [2]. Si ergo Pontifex judicare potest, num legitima fuerint Concilia, ut ait Natalis Alexander: *Pontificis est declarare, quæ Concilia vere œcumenica sint, cet.;* non inferior, sed superior est Concilio.

Judex infallibilis esse debet.

23. Illud præterea quæro: Summus Pontifex estne in tali declaratione fallibilis an infallibilis? Si primum, ea declaratio parum vel nihil prodest; quum enim falli possit ejus judicium, idem dubium remanet. Sin alterum, en tibi schisma æternum et insanabile. Essent enim in Ecclesiâ duo capita, ambo suprema, sine judice, qui dubitationem tollere posset, quoties Pontifex a Concilio dissentiret. Sed ita agendo numquid Deus Ecclesiæ suæ rite providisset, quum sic fieri posset, ut plures fidei articuli, necessario credendi, atque etiam de necessitate medii, semper in suspenso manerent? — Dicent: in eâ solâ definitione Papa est infallibilis. Et unde sciunt, in eâ tantum definitione Papam esse infallibilem, in reliquis non item? Quid vero! Si in Ecclesiâ non admittitur caput supremum, unum atque infallibile, Ecclesia ipsa receptaculum fiet dissensionum ac schismatum, neque ullus aderit ea componendi modus. Quare S. Hieronymus: *Propterea,* inquit, *inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio* [3]. Quibus verbis sine ullâ dubitatione S. Doctor designare voluit, hujus capitis auctoritatem supremam esse atque infallibilem; secus enim numquam tolli posset dissensio, ut diserte affirmat S. Thomas (cujus sententias, quod parum ei ar-

Adversariorum effugium. Respondetur.

[1] Sæc. XV et XVI, Diss. 4, art. 1, § 5, n. 45.

[2] *Clementin.*, lib. I, tit. 3, cap. 2. — [3] Advers. *Jovinianum*, lib. I, n. 26.

rident, non commemorat Natalis Alexander), quum de Summi Pontificis auctoritate loquens: *Per diversitatem autem sententiarum*, inquit, *divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur* [1]. Ac proinde omnes cum Angelico (*loco citato*) docent, Ecclesiæ regimen, S. Petro ejusque successoribus a Christo commissum, esse monarchicum et (quod consequens est) supremum, ut neminem habeat potestate vel superiorem vel æqualem. Illudque vel ipse *Gerson* agnovit [2], quem suprà (*num. 15*) exscripsimus; immo aliud sentire hæreticum esse dicit, utpote totius Ecclesiæ traditioni contrarium. Et hic S. Cypriani verba repetere liceat: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam dum Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur* [3].

8. ex absurdis, quæ sequerentur.

In summâ patet, ab iis etiam, qui supremam Summi Pontificis auctoritatem ejusque infallibilitatem impugnant, plenam firmitatem in rebus fidei non reperiri, nisi tandem, quocumque demum modo, ad supremam et infallibilem in eo potestatem agnoscendam perveniant. Secus enim circa veritates revelatas nihil firmum nobis remaneret, sed dissensio tantum rerumque perturbatio.

9. ex Romani Pontificis suprema in universam Ecclesiam potestate.

24. Alterum argumentum hoc est: Indubitata est regula, generales ac certas propositiones nullam admittere exceptionem, nisi æque certa sit exceptio. Sententia autem, Summum Pontificem generali Concilio esse inferiorem et, quod consequens est, non esse infallibilem, est mera tantum opinio, ut fatetur Natalis Alexander nomine omnium, qui ipsius sententiæ favent [4]. Certum est contrà, Summum Pontificem habere plenam potestatem supra universam Ecclesiam, ut initio quidem docuit Concilium Nicænum I: *Qui tenet sedem Romæ, caput est..., cui data est potestas in... omnes populos,... ut qui sit Vicarius Christi... super... universalem Ecclesiam Christianam* [5]. Ac deinde Concilium Lugdunense II: *Ipsa quoque S. Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet... cum potestatis plenitudine, cet.* [6]. Et Concilium Florentinum: *Ipsi* (i. e. Pontifici) *in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse* [7]. Quæ profecto Conciliorum sententiæ non temere pronuntiatæ sunt, sed Scripturis sacris innituntur. Neque illud negant adversarii; sed Summum Pontificem ajunt plenam habere potestatem in universam Ecclesiam dispersam, non in Concilio congregatam. — Hic vero ad argumentum reversus dico: Posito, Summum Pontificem certo habere auctoritatem in universam Ecclesiam dispersam, adversarii, ut eorum exceptio admitti posset, argumentis similiter in Scripturâ sacrâ fundatis et æque certis probare deberent, illud non valere de Ecclesiâ congregatâ. Secus enim nemini licet Summo Pontifici adimere plenam potestatem, in universam Ecclesiam absolute et sine ullo limite a Christo ei collatam, ut Concilia definierunt. Sed certa illa argumenta ubi tandem reperient adversarii? Et quomodo ea fundare poterunt in divinis Scripturis, ex quibus liquido apparet contrarium? *Pasce oves meas* [8]; hoc mandatum soli Petro commissum fuit. Quis autem asserat, Christum hoc tantum Petro commisisse, ut singulos fideles separatim, non autem totum ovile pasceret? Ubi grex pastori commendatur, quis asserere potest, singillatim ei quidem commendari oves, minime vero quatenus componunt gregem? Dispersi per orbem Episcopi sine ullâ dubitatione sunt oves, Petro omnes subjectæ; quonam ergo certo argumento,

[1] Contra Gentiles, lib. IV, cap. 76, n. 2. — [2] De Statibus Ecclesiasticis; Consideratio 1 super statu Summi Pontificis. — [3] Ep. ad *Cornelium* de 5 Presbyteris et *Fausto*, n. 5 (12ª inter Epⁿˢ *Cornelii*). — [4] L. c., art. 3, Scholion. — [5] Can. 39 inter Canones *Arabicos* (Vide pag. 301). — [6] Ep. *Michaelis* ad *Gregor. X.* — [7] Decretum Unionis. — [8] *Joan.*, XXI, 17.

ex Scripturis desumpto, constat, eos in Concilio congregatos Petro fieri superiores?

Ad hæc duo argumenta (iterum dico) non intelligo, quænam adæquata habeatur vel haberi possit responsio. Ceterum, si ipse Natalis fatetur, opinionem de Concilii præstantiâ, suo quidem judicio, non excedere limites meræ opinionis: *Et hanc... intra opinionis limites coercui*[1] (in *scholio* suprà citato); quomodo cum certâ sententiâ, quam hic exploravimus, Summum Pontificem videlicet plenam habere potestatem et universæ Ecclesiæ esse superiorem, contendere potest exceptio illa, quam de Ecclesiâ congregatâ afferunt; quæ non est nisi mera opinio, non excedens (adversariorum judicio) probabilitatis terminos, sed nostro judicio improbabilissima?

§ II. *Respondetur adversariorum difficultatibus.*

25. Nunc ea videamus, quæ adversarii objiciunt; quorum infirmitas et futilitas magis ostendent, quam certa sit nostra sententia.

Objicitur 1. *visum est* NOBIS.

Objiciunt 1^um^ illud Apostolorum, in primo Concilio Hierosolymis celebrato: *Visum est enim Spiritui-Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis, cet.*[2]. Ergo, inquiunt adversarii, in hoc Concilio non dicitur, Spiritum-Sanctum soli Petro assistere, sed omnibus Apostolis simul congregatis. — Respondetur primum, hoc Concilium vocari non posse universale; quum ad illud ex Apostolis, jam constitutis Episcopis, non convenerint nisi S. Petrus tantum, S. Jacobus et S. Joannes cum S. Paulo et S. Barnabâ. Præterea dicimus, nequaquam in dubium vocari, quin Spiritus-Sanctus omnibus assistat, quum in Concilio Episcopi unà cum Summo Pontifice aliquem fidei articulum definiunt; illud vero non impedit, quominus in tali Concilio summus Pontifex caput sit, a quo dogma tenendum definiatur; quandoquidem tota Concilii auctoritas est in Summo Pontifice. Et hoc patet ex ipso capite XV *Actuum* hic citato. Nam in hoc primo Concilio S. Petrus fuit præcipuus quæstionis definitor; ille enim, imposito omnibus silentio, omneque contrarium dubium expellens: *Viri fratres*, inquit, *vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere*[3]. Quibus verbis profecto monstrabat, sibi tantum (suisque successoribus) Deum commisisse facultatem, ea gentibus tradendi, quæ credere deberent. Ac deinde subjungit: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum*[4], *cet.?* Plane verba doctoris et magistri docentis.

Respondetur.

Non negamus igitur, Patres Concilii generalis infallibiliter a Spiritu-Sancto dirigi, quemadmodum et dirigatur Summus Pontifex; sed quando? Quum in sententiâ cum Summo Pontifice conveniunt, sicut in Concilio Hierosolymitano cum S. Petro conveniebant Apostoli. Quum vero ab eo dissentiunt et dividuntur, Concilium illud jam non est legitimum neque amplius œcumenicum vocari potest; est corpus truncatum, sunt membra sine capite, neque ultrà personam Ecclesiæ gerunt, quum Ecclesia caput suum habere debeat. Sed, inquient, si in Concilio Spiritus-Sanctus omnibus assistit, tam Pontifici quam Episcopis, cur dici debet, in solo Pontifice supremam esse auctoritatem et infallibilitatem? — Ad quod sic respondetur: Quum una, non duplex, in Ecclesiâ sit suprema potestas; dicendum est, nisi duo suprema capita Ecclesiæ dare velimus, quoties Episcopi in Concilio cum Papâ consentiunt, majorem eorum numerum non fieri auctoritate majorem Pontifice, neque duas tunc haberi distinctas potestates; sed eamdem supremam potestatem, quæ prius tota residebat in Pontifice, ad Episcopos extendi et

Instant.

Respondetur.

[1] L. c. — [2] Act., XV, 28. [3] v. 7. — [4] v. 10.

communem fieri; atque ita in definitionibus de communi Pontificis et Concilii consensu factis recte dicitur: *Visum est Spiritui-Sancto et nobis;* non autem, quando Patres a Pontifice dissentiunt, et monstrum constituunt seu corpus divisum a capite, cui in totum corpus data est potestas.

Objicitur 2. vos *posuit regere.*

26. Objiciunt 2° hæc alia verba ex Actibus Apostolorum: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus-Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* [1]. Ergo, inquiunt, Ecclesiæ regimen non soli Pontifici, sed etiam Episcoporum collegio commissum est. — Respondetur, S. Paulum illud non dixisse Episcopis in Concilio congregatis, sed discipulis suis (utrum Episcopi essent an sacerdotes tantum, qui episcopi nuncuparentur, nescimus), quos Apostoli ab Ephesinâ provinciâ convocaverant Miletum, ut ei valedicerent. Sed dato, eos fuisse Episcopos, S. Paulus non dicit, totius Ecclesiæ curam iis esse commissam, sed tantum illius gregis quem gubernandum accepissent. Porro singuli Episcopi, gregem suum rite gubernantes, ad Ecclesiæ universalis regimen utique conferunt, sicut bonum uniuscujusque membri est totius corporis bonum: Episcopi vero Ecclesiam regunt ut membra, Summus Pontifex ut caput, cui proprie commissum est totius Ecclesiæ regimen.

Respondetur.

Objicitur 3. Ad Concilium appellatum fuit.

27. Objicit 3° auctor libri: *De Ecclesiæ Gallicanæ Immunitate (cap. 13)*, multos a Summo Pontifice ad Concilium futurum appellasse; sic *Philippus Pulcher* provocavit a Bonifacio VIII, a Joanne XII Imperator *Ludovicus* et alii. — Ad quod respondemus: Num ulla umquam appellatio hoc impetravit, ut Concilium revocaret vel immutaret aliquam Summi Pontificis definitionem? Etiamsi ad Concilium appellaretur, appellabatur tamen ad Concilium cum Summo Pontifice ejusque roboratum auctoritate; itaque dantur appellationes interpositæ ad quæstiones melius examinandas et Summum Pontificem, præsertim de aliquo facto, melius edocendum; ut apparet ex ipsâ formâ, quâ rex Philippus appellavit: *A Sanctissimo Domino nostro Papâ Bonifacio ad Sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam, necnon ad Synodum celebrandam, cet.* Numquam ergo appellatum fuisse liquet ad aliquod Concilium ut Summo Pontifici oppositum ejusque auctoritate carens. — Sed illud proximo capite melius explicabitur.

Respondetur.

Objicitur 4. Dic ECCLESIÆ.

28. Objicitur 4° a Natali Alexandro [2] illud S. Matthæi: *Si... peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum;... quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ* [3]. Si ergo, inquiunt, correctio debet a Petro ad Ecclesiam deferri, suprema potestas non est in Petro sed in Ecclesiâ, et per eam in Concilio, quod Ecclesiam repræsentat. Idemque confirmant ex iis, quæ Innocentius IV ad *Fridericum II* scripsit, paratum se esse, ex Synodi consilio, ad suam revocandam sententiam [4]. — Ad textum S. Matthæi respondetur, Christum iis verbis non esse allocutum Petrum ut suum Vicarium, sed singulos discipulos et fideles, imponendo præceptum correctionis. Præterea verbum illud *dic Ecclesiæ*, non designat Concilium, quod raro habetur, sed prælatos, qui obstinatos corrigere debent; ita diserte illud explicat Chrysostomus: *Dic Ecclesiæ, præsulibus scilicet ac præsidentibus* [5]. — Et ad ea verba Innocentii respondet Bellarminus, 1um non de coactivo, sed de discretivo consilio ea esse intelligenda [6]; 2° ibi non agi de quæstione fidei, sed de mitigandâ aliquâ pœnâ, si illud expedire videretur ad conciliandam pacem cum Imperatore excommunicato a Summo Pontifice. — Sed, inquiunt, Summus Pontifex quoque, quum sit Ecclesiæ filius, ei obedire tenetur. — Atvero quæritur: Quid est Ecclesia? Est corpus mysticum, compositum

Confirmatur ex Innoc. IV.

Respondetur. Ad textum Scripturæ.

Ad verba Innocentii.

Instant: Papa est Ecclesiæ filius. Respondetur.

[1] Act., XX, 28. — [2] L. c., art. 1, § 2. — [3] XVIII, 15 et 17. — [4] Decret., lib. VI, cap. « *Ad Apostolicæ Dignitatis* », de sent. et re judic. — [5] In *Matth.*, Homil. 60, n. 2. — [6] De Conciliis, lib. II, cap. 18.

ex omnibus fidelibus, sub capite, Pontifice Romano, conjunctis; ita S. Cyprianus: *Ecclesia (est) plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhærens* [1]. Fideles vero a capite separati neque Ecclesia neque corpus vocari possunt. Quomodo corpus dici possunt membra a capite divisa? Numquid domus vocari potest ædificium a fundamento separatum? Est quidem Summus Pontifex ut homo privatus Ecclesiæ filius; ut Pontifex vero ejus caput est; quocirca in iis omnibus, quæ, ut Caput, ex potestate a Deo ipsi concessâ peragit, non subjicitur Ecclesiæ, sed Ecclesia ei subjicitur.

Objicitur 5. A Concilio eligitur Papa. Respondetur.

29. Objiciunt 5°: Concilium Pontificem eligit; ergo pontificiam potestatem habet. — Ergo, respondemus, quod Capitulum facultatem habeat eligendi Episcopum, idcirco Episcopalem habet potestatem? Deus Pontificem eligendi potestatem dedit Ecclesiæ, i. e. collegio Cardinalium vel Concilio, quum Papa est aut dubius aut hæreticus; minime vero potestatem Pontificiam. — Objiciunt 6°: Si Concilium ex officio amovere potest Pontificem hæreticum, idem facere potest, quum alia committit delicta, Ecclesiæ æque perniciosa. Atque inde concludunt, Concilium esse supra Pontificem. — Sed respondetur, solam hæresim, non alia delicta, Summum Pontificem ad officium inhabilem reddere; atque ideo, si Pontifex in hæresim prolapsus sit, Concilium non est quidem supra Pontificem (quomodo tunc supra Pontificem esse potest, si jam non habetur Pontifex?), sed declarat, eum Pontificatu decidisse, quod falsam doctrinam sustinens, Ecclesiæ doctor jam esse nequeat. Si porro in aliis delinquat, dummodo ne corruptam tradat doctrinam, obedientiam ei servari oportet, ut per S. Matthæum a Domino jubemur: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere* [2]. Et similiter S. Petrus: *Servi*, inquit, *subditi estote in omni timore dominis; non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis* [3].

Objicitur 6. Pontifex a Concilio deponi potest.

Respondetur.

30. Objicit 7°: *Ludovicus Maimburgus* [4], sæpius confessos esse ipsos Pontifices, Concilio se esse inferiores. Et primum quidem refert, Siricium Papam, a nonnullis Episcopis interrogatum de errore Bonosi, beatam Virginem Mariam alios post Jesum Christum habuisse filios, respondisse, se nihil posse statuere, quod hoc judicium Concilio Capuensi commisisset [5]. — Hic plura responderi possunt. Primum, illud nimis probare, quum non solum Concilio generali, sed etiam Provinciali (cujusmodi erat Capuense) inferior esset Summus Pontifex. Deinde Siricius nequaquam Concilio se inferiorem professus est, sed contrarium asseruit; suam enim auctoritatem non decere ait, illius Concilii definitionis causam judicare: *Nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* — Præterea refert *Maimburgus* [6] verba Silvestri II: *Si Romanus Episcopus... Ecclesiam non audierit,... est habendus sicut*

Objicitur 7. Romanus Pontifex illud declaravit *a* Siricius.

Respondetur.

b Silvester II.

[1] Ep. 69 ad *Florentium Puppianum*, n. 8. — [2] *Matth.*, XXIII, 3. — [3] 1 *Petr.* II, 18. — [4] *Maimbourg, Traité histor. de l'Etablissement et des Prérogatives de l'Eglise de Rome et de ses Evêques, chap. 19.* — [5] Ep. 9 ad *Anysium Thessalonicensem* aliosque *Illyrici* Ep^os^, n. 2 (*a*). — [6] L. c.

(*a*) Apud *Migne* (Patr. Lat. tom. 13, col. 1172: *Monitum in epistolam sequentem*) asseritur, hanc epistolam merito adjudicari *Siricio;* atvero (tom. 16, col. 1172) quum recensentur *S. Ambrosii* epistolæ, de his litteris: *De Causa Bonosi ex Capuanæ Synodi Decreto judicanda*, affirmatur: « Huic epistolæ in cunctis edit. præ» figebatur: *Ambrosius Theophilo et Anysio...*; » at horum loco ponitur in mss. omnibus: *De* » *Bonoso episcopo...* Veri multo similius est, » ab alio quopiam scriptas fuisse. Quapropter » non temere fecerunt ii, qui illas *Ambrosio* » abjudicarunt. Atqui non mediocriter iidem » inter se dissentiunt in ipsarum auctore defi» niendo... Nos sane in tam densis tenebris » nihil definimus » (Nota edit.).

Respondetur. *ethnicus.* — Respondetur, ea verba non esse Silvestri Papæ sed *Gerberti* [1] monachi, qui (ut narrat Baronius [2]), quum illegitime ad Rhemensem sedem esset evectus et quamvis dissentiret Summus Pontifex, in eâ confirmari niteretur, Seguino Metropolitæ talia scripsit. — Item ait *Maimburgus* [3], in Bullâ quâdam agnovisse Pium II [4], antea se defendisse antiquam sententiam, Concilium Summo Pontifici præstare; ergo (inquit *Maimburgus*) ea est antiqua sententia. — Respondetur, ex ipsâ Bullâ planum fieri, quam ob causam Pius eam sententiam *antiquam* dixerit. Antiqua erat, quod prius eam sequeretur; sed necdum Pontifex, perspectâ veritate, se retractaverat, ut patet ex ejus Epistolâ ad Eugenium IV.

c Pius II.

Respondetur.

Objicitur S. Conc. Oecum. II ab Imperatore convocatum fuit.

31. Nec tacitus prætermittam illud, quod in tabellâ quâdam historicâ legitur *(Table Histor. du F. Jean-Baptiste Druillot):* ex testimonio nempe Theodoreti, Concilium Constantinopolitanum I (quod est œcumenicum II) convocatum fuisse sine auctoritate S. Damasi, qui tunc Pontifex erat. — Sed falso id asseritur; antea enim S. Damasus instanter scripserat ad Imperatorem Theodosium, ut ad Concilium Constantinopolim adversus hæresim Macedonianam convocandum adjuvaret. Quod quidem ex ipso Theodoreto constat, qui epistolam refert, a Patribus ad S. Damasum missam, ubi inter alia hæc leguntur: *Et nos ut propria membra congregasti per litteras Dei amantissimi Imperatoris* [5]. Et in Actione XVIII[a] sextæ Synodi dicitur: *Maximus Theodosius Imperator et Damasus, fidei adamas, obstiterunt Macedonio* [6]. Idem demonstrant Binius [7] et Card. Baronius [8], qui ex pervetusto codice Bibliothecæ S. Mariæ Majoris hæc verba refert: *Sententiam de damnatione Macedonii et Eunomii Damasus confirmari præcepit etiam in sanctâ secundâ Synodo, quæ præcepto et auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est.* Item narrat Baronius [9], Romæ in congressu omnium Episcoporum occidentalium S. Damasum contra Macedonium jam condidisse et decrevisse damnationem, quæ deinde ad Concilium transmissa, recitata fuit et ab eo acceptata.

Respondetur.

§ III. *Refelluntur argumenta, ex Pisano et Constantiensi Conciliis allata.*

32. Opponunt quoque Concilium Pisanum ac simul Constantiense, quod Pisani fuit complementum. Primum de Pisano agamus. Iis temporibus Ecclesiam agitabat schisma, quod duo essent Pontifices dubii, Benedictus XIII seu *Petrus de Luna* et Gregorius XII, *Angelus Corrario.* Quum autem neuter cedere vellet, priusquam alter Pontificatu se abdicasset, anno 1409 Pisis congregatum est Concilium, quod Benedictum et Gregorium ex officio amovit, elegitque Alexandrum V, cui (brevi postea defuncto) substitutus est Joannes XXIII. Ea vero electio non solum schisma non exstinxit, sed etiam ampliavit;

Hujus Concilii occasio et historia.

[1] Ep. ad *Seguinum* Archiep. *Senonensem* (Legitur in Append. ad Epistolas *Sylvestri II,* apud *Migne,* T. 139, col. 267) (*a*). — [2] Annales, a° 992, n. 45. — [3] L. c., chap. 25. — [4] Const. « *In minoribus agentes* », 26 April. 1463, § 5. [5] Hist. Eccl., lib. V, cap. 9 (Quinimmo adjungunt: *Conveneramus enim Constantinopolim, ad litteras a Reverentia vestra superiori anno... ad religiosissimum imperatorem Theodosium missas.* Nota edit.)

[6] Actio 18, Sermo acclamatorius. — [7] In Conc. *Constp.* I, nota F. — [8] Annales, a° 381, n. 19. — [9] Ibid. n. 26 et 27.

(*a*) Ut hæc verba rite intelligantur, probe notandum est, hanc epistolam fuisse scriptam anno 993, id est, quum *Gerbertus,* Ord. S. Benedicti monachus, nondum evectus esset ad S. Petri solium, in quo ab anno 999 ad annum 1003, *Silvester II* vocari voluit. Eodem autem anno, quo summus Pontifex electus est, *Arnulfo, quibusdam excessibus pontificali honore privato* (*Migne,* l. c. col. 273), concessit, *baculo et annulo redditis, archiepiscopali officio fungi, et omnibus insignibus, quæcumque ad sanctæ metropolim Remensis ecclesiæ pertinent, solito more perfrui* (Nota edit.).

et quum antea in duas factiones divisi essent populi, in tres deinde discesserunt, quod a non paucis iisque doctis viris, ac nominatim a S. Antonino [1] illud Concilium non haberetur pro legitimo, utpote non congregatum cum auctoritate Summi Pontificis. Quare *Petrus Alliacensis* ait, duas illas Benedicti et Gregorii factiones cum probabilitate suas cujusque partes sustinuisse: *Ducæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium* [2]. Idemque *Alliacensis* operam suam interposuit, ut Joannes Dominicus, quem Gregorius Cardinalem creaverat, postmodum in Concilio Constantiensi cum Cardinalatûs insignibus reciperetur. Et *Maimburgus* quoque in suâ schismatis historiâ confessus est: *Eorum sententiam, qui Benedictum agnoscebant, probabilem fuisse... et ideo viros potuisse illam securâ conscientiâ amplecti* [3]. Et ob eam probabilitatem in ipso Concilio Constantiensi Gregorio concessi fuerunt honores pontificii.

Conclusio. Itaque Concilium Pisanum œcumenicum et legitimum dici non poterat, quum esset congregatum sine auctoritate Pontificis. Sed etiamsi œcumenicum et legitimum fuisset, certo non poterat ex eo inferri (id quod asserit Maimburgus), Concilium esse supra Pontificem; quandoquidem, ut ex omnibus Concilii Actis liquet, propter multa dubia facti et juris prorsus incertum erat, uter esset Pontifex, Benedictus an Gregorius. Unde Parisiensis et Bononiensis Universitates in hac consenserunt divulgandâ sententiâ: *Stante dubio Papatûs inextricabili, propter dubium facti et juris..., provisio spectat ad Concilium* [4].

Et die 5[â] Junii ipsum Concilium decrevit: *Visis et diligenter inspectis* (*a*) *omnibus..., in prædictos Benedictum et Gregorium, tamquam de Papatu colludentes, schismaticos et veros hæreticos, sententiam depositionis pronuntiat* [5]. — Ergo Decretum Concilii nihil nocet sententiæ nostræ, quæ solum de Pontifice Catholico et certo loquitur.

Hujus Concilii occasio. **33.** Nunc ad Concilium Constantiense veniamus. Quum novi Pontificis electio, a Concilio Pisano facta, nihil (ut diximus) ad sedandum schisma profuisset, anno 1414, ex auctoritate Joannis XXIII aliud Concilium Constantiam convenit, ut tres Pontifices, Benedictus XIII, Gregorius XII et Joannes XXIII, Concilii judicio subjicerentur. Unde in quartâ Sessione Sessio IV. dicitur: *Hæc sancta Synodus... in Spiritu-Sancto congregata legitime, generale Concilium faciens, Ecclesiam... repræsentans, potestatem a Christo immediate habet; cui quilibet cujuscumque... dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem et exstirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris* [6]. Tale hujus quartæ De genuino Decreti textu. Sessionis Decretum fuisse censet *Maimburgus* [7]. Ei vero refragatur *Emmanuel Schelstrate* [8], doctus vir, quem Natalis Alexander [9] « virum clarissimum » vocat. Ait enim, verba illa *ad fidem* non fuisse in Decreto, sed adjuncta esse a *Petro Crabbe*, qui anno 1538 hoc Concilium edidit; deerant quippe in antiquioribus Editionibus, Parisiis, Coloniæ, Hagenoæ et Mediolani factis: nihilominus testatur,

[1] Chronicor., pars 3, tit. 22, cap. 5, § 2. — [2] In Conc. *Constantiens.* Sess. 1, Card. *Cameracensis* Cedula. — [3] *Hist. du grand schisme d'Occident, Liv. VI*, a° 1423 (*b*). — [4] Litteræ Cardinalium ad diversas Provincias; Conclus. 5 (Apud *Binium*, ad Sess. 23 Conc. *Pisani*, nota). — [5] Conc. *Pis.*, Sess. 15, Tenor Sententiæ (*S. Alph.* totam sententiam paucis verbis complexus est. Nota edit.). — [6] Sess. 4, Tenor Constitutionum. — [7] *Hist. du grand schisme d'Occident, livre V.* — [8] De Sensu et Auctoritate, Diss. 1, cap. 1. — [9] Sæc. 15 et 16, Diss. 4, § 6, n. 57.

(*a*) Alii legunt: *exceptis.* (Nota edit.).

(*b*) « *Avant la sentence de Pise,* inquit, *bien loin de savoir d'une certitude infaillible, qu'il (Benoît XIII) ne fut pas vrai Pape, il y avait de puissantes raisons et de très fortes conjectures, qui faisaient croire à une grande partie du monde, qu'il l'était... Selon... tous les plus savants hommes de toutes les nations on pouvait lui obéir comme au vrai Souverain Pontife en sûreté de conscience* » Nota edit.).

eadem verba in antiquis Concilii manuscriptis codicibus reperiri (*a*). — Ait præterea [1], nonnullos quidem adjicere voluisse ultima illa Decreti verba: *et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris;* reverâ tamen non fuisse adjecta, quod Cardinales unà cum Gallorum Oratoribus protestarentur, se decretum illud non esse acceptaturos, nisi ablatis iis verbis; atque idcirco ea non fuisse addita. Idem habet Panormitanus Abbas, idemque notatur in tribus Actorum Concilii manuscriptis codicibus, quorum ipsa verba *Schelstrate* [2] refert. Similiter deest illa clausula in codicibus manuscriptis, quæ Parisiis, Vindobonæ (*Wien*), Romæ ac Salerni in bibliothecis asservantur, et in multis aliis. Et *Roncaglia* [3] in Notis ad historiam Natalis Alexandri addit, eam deesse in novem MSS. Codicibus et in novâ Editione Venetâ. Nonnulla quidem autographa *Maimburgus* [4] in contrarium affert; sed ostendit *Schelstrate* [5], eos codices non agere de quartâ Sessione (die 30ª Martii habitâ) sed de quintâ (quæ die 6ª Aprilis locum habuit); atque ideo in pluribus editionibus, prælo subjectis, eam clausulam reperiri, quod Patres Basileenses, ad corroborandum suum Decretum de Concilii supra Pontificem præstantiâ (de quo Decreto infrà sermo redibit), usi sint nonnullis codicibus parum veridicis; id quod ipse *Maimburgus* fatetur, quum ait, collectionem Patrum Basileensium et subsequentes editiones mendis non carere.

De Decreto Væ Sessionis.

34. Post quartam Sessionem nonnulli ex Concilio præpararunt Decretum in quintâ Sessione ferendum, et in eâ his verbis expressum: *Item declarat, quod quicumque, cujuscumque conditionis,... etiamsi Papalis, qui mandatis... hujus sacræ Synodi et cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit,... debite puniatur* [6], *etc.* Hoc decretum, quum maximi esset momenti, maturam quidem deliberationem requirebat; Patres vero nonnullos tantum miserunt, qui hac de re conferrent cum Card. Zabarella Florentino. Restitit ille, sed frustra; legati enim quoquo modo neque alio examine interposito, Decretum sicut scriptum erat, admissum voluerunt. En quid habeant Regesta Concilii in quarto Autographo: *Post Sessionem quartam fuit per Cardinalem Florentinum cum aliquibus deputatis aliqualiter disputatum; post altercationem voluerunt (deputati Nationum) ex integro dictas definitiones pronuntiare in Sessione generali.* Itaque Cardinales, audito in quintâ Sessione proferenda esse ea decreta vix ponderata, consilium inierunt, ad eam Sessionem non adire; deinde vero ad vitandum scandalum et periculum ne Concilium dissolveretur, ad eam accesserunt, protestati tamen, unà cum Gallorum Oratoribus, se non assentiri: *Præmissâ per dominos Cardinales et oratores regis Franciæ protestatione secrete factâ, quod propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his quæ audiverant in ipsa statui debere.* Hæc leguntur (apud Schelstrate) in tribus Codicibus autographis, qui Regesta Concilii exhibent.

Quomodo habita sit Vª Sessio.

Bellarmini sententia de IV et V Sess.

35. Audiamus, quid Ven. Card. Bellarminus [7] de IVª illâ et Vª Sessione dicat. Tunc, inquit (i. e. in IVª et Vª Sessione), non erat Concilium œcumenicum, quum

[1] L. c., cap. 1 et 3. — [2] L. c., Diss. 1, cap. 3. — [3] De Decret., Sess. 4 et 5; animadv. — [4] *Traité Historique, chap. 23.* — [5] L. c., cap. 1. — [6] Sess. 5. — [7] De Conciliis et Ecclesia, lib. II, cap. 19, ad 3ᵐ argum. *Gerson.*

(*a*) Id est, ut *Schelstrate*, l. c., explicat, in quartæ Sessionis compilatione, a Basileensibus facta, non leguntur verba: *ad fidem;* constat vero, ea adesse in MSS. Constantiensis Concilii Codicibus, ante tempora Basileensium conscriptis: ibi vero non legitur clausula *de reformatione Ecclesiæ in capite et in membris* (Nota edit.).

tantum adesset tertia pars Ecclesiæ, id est, ii tantum, qui obediebant Joanni, repugnantibus iis, qui cum Gregorio et Benedicto stabant. Præterea nullus tunc certus erat in Ecclesiâ Pontifex; idque eo magis, quod Joannes, qui Concilium convocaverat, jam discesserat ab illo. Nec sequitur (subjungit), Concilium, quod non esset œcumenicum, deponere non potuisse tres illos dubios Pontifices; nam (respondet) etsi Concilium sine Pontificis auctoritate definire non potest nova fidei dogmata, potest tamen, tempore schismatis, Ecclesiæ providere de novo Pastore, quando is dubius est. Adde (inquit), quod Joannes et Gregorius postea sponte renuntiarunt Papatui, ut constat ex Sessionibus XII[a] et XIV[a]. Et licet Benedictus numquam cedere voluerit, ejus tamen successor Clemens VIII omnino cessit Martino V, quem deinde tota Ecclesia Pontificem agnovit.

1 Si valida fuerit V[a] Sessio, nihil probat. Patet a ex verbis Decreti.

36. Et hæc est quinta illa Sessio, ex quâ *Maimburgus* infert, Concilium omnino præesse Pontifici. — Sed primum dicimus, ex ipsis verbis Decreti in hac Sessione conditi, præstantiam illam nequaquam colligi; quandoquidem de solo schismate et de Pontifice dubio loqui voluit Concilium; atque illud constat ex suprà relatis verbis: *Quæ pertinent ad fidem et exstirpationem dicti schismatis;* et ex iis, quæ proxime sequuntur: *Item declarat, quod quicumque... mandatis hujus S. Synodi... super præmissis seu ad ea pertinentibus... obedire... contempserit, cet.* Quæ, quæso, *præmissa* illa erant nisi exstirpatio schismatis et depositio dubiorum Pontificum? Ceterum, in Congregatione die 11[a] Septembris 1417 habitâ, ut in Actis Concilii legitur (neque illud negat Natalis Alexander [1]), tres nationes a Germanis dissidentes, de certo Pontifice pronuntiarunt: *Papa rite et canonice electus a Concilio ligari non potest.* Quapropter in Sessione 40[a] Decretum a quinque nationibus conciliariter factum statuit: *Quod Romanus Pontifex... de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio vel deputandis per singulas nationes debeat reformare Ecclesiam in capite et in membris.* Dicitur *Romanus Pontifex,* non dicitur *Concilium* Ecclesiam reformet. — Accedit, quod in Tractatu, a Cardinalibus in Concilio exposito, hæ duæ inter alias erant propositiones: *Romana Ecclesia... omnium Ecclesiarum... caput merito dici potest; Romana Ecclesia, sicut omnium Ecclesiarum caput dicitur, sic et Concilii generalis, immo universalis Ecclesiæ* [2]. Et hæc fuit Concilii responsio: *Nota super verbum* CAPUT: *hoc concedatur, tamen non ad fovendum schisma aut deformitates. Item nota super verbum* CONCILII: *est subdistinguendum; quia hoc est verum in aliquo Concilio, maxime quum agitur ad... hæresim exstirpandam; ubi autem agitur de schismate tollendo in Romanâ Ecclesiâ, quod per Cardinales ortum habuit,... ibi non habet locum* [3]. — Præterea ad propositionem 41[am] Wiclefi: *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias,* hæc apposita fuit Censura, sensum esse hæreticum, si illud etiam de Ecclesiis militantibus intelligeretur; et hæc adjecta ratio: *Quia necesse est... remanere hujusmodi Ecclesiam supremam in officio et auctoritate docendi et præcipiendi.... Et talis est Romana Ecclesia, ubi Papa caput est* [4], *cet.* Quæ Censura in VIII[a] Sessione a Concilio approbata est. Quocirca in Constitutione Martini V, quam idem Concilium in ultimâ Sessione comprobavit, hæc inter alias interrogatio hæreticis ad fidem conversis facienda præscribitur: *Utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Eccle-*

b ex reliquis Actis Concilii.

c ex Constitutione Martini V.

[1] L. c., Diss. 4, art. 2, n. 5 seq. — [2] Appendix n. 12, Cardinalium conclusio 2 et 3. — [3] Ibid. — [4] Theologorum *Constantiensis* Concilii diffusa Condemnatio 45 Articulorum *Wiclefi;* art. 41 (Apud *Labbe,* Appendix 23 ad Conc. *Constant.*).

siâ Dei? [1] Non haberet autem Summus Pontifex supremam potestatem, si Concilio subjiceretur. — Item Eugenius IV in Bullâ *Moyses*, anno 1439 a Concilio Florentino comprobatâ, damnavit propositionem Patrum Basileensium, qui asserunt, Concilium Constantiense declarasse, Concilium esse supra Pontificem; idque *juxta pravum ipsorum Basileensium intellectum, quem facta demonstrant veluti sacrosanctæ Scripturæ et sanctorum Patrum et ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium* [2]. Itaque Eugenius et Concilium Florentinum pro certo habebant, Concilium Constantiense locutum esse de Pontifice dubio.

d ex Bullâ Eugenii IV.

II Invalida fuit Sessio V^a^.

37. Hæc omnia verissime dicuntur, si pro validâ habeatur quinta illa Sessio. Nunc autem videamus gravissimos defectus, quibus laboravit. Et primus quidem fuit defectus *deliberationis*. De Concilii et Summi Pontificis auctoritate multæ tunc proponebantur sententiæ. Prima asserebat, in nullo casu Concilium supra Pontificem auctoritatem habere posse. Altera, Concilium ne de dubio quidem Pontifice posse judicare, sed solum declarare posse, Pontificem notorie hæreticum ex Pontificatu decidisse, ut scribit S. Antoninus, quod tunc *videretur a Papatu... dejectus* [3]. Quam sententiam secuta videtur Pisana Synodus [4], quæ priusquam deponeret duos Pontifices dubios, Benedictum et Gregorium, schismaticos eos et hæreticos voluit declarare. Tertia sententia, a *Petro de Alliaco (Ailly)*, Cardinali Cameracensi *(Cambrai)* propugnata, tempore schismatis Pontificem Concilii judicio subjiciebat. Quarta, quam Cardinalis *Zabarella* sequebatur, ajebat tempore schismatis posse quidem Concilium Pontificem eligere, sed ante electionem nihil statuere de moribus reformandis vel in capite vel in membris; quod idem post Sessionem XXXVIII statuit Quatuor Nationum Protestatio: *Duplex... secundum sacros Doctores est unio Ecclesiæ: una membrorum ad invicem, quæ jam creditur esse facta; altera membrorum ad caput, ut constituatur corpus integrum et perfectum, et ista non est facta; igitur primo loco fienda* [5]. Et hæc sententia, ut ex dicendis patebit, Concilio Constantiensi præ ceteris arrisit. Quinta denique, quæ Joannis Gersonii erat, semper et in omnibus, Pontificem subdebat Concilio; eam vero sententiam Concilium nequaquam recepit; in Decretis enim semper mentionem facit de schismate.

a Defuit *deliberatio*.

Quæstio erat intricata.

Nulla vero deliberatio habita.

38. Sed, ut ad ipsum deliberationis argumentum veniamus, quæstio adeo intricata et quæ doctores in tot diversas opiniones distraxerat, multam profecto longamque requirebat disputationem; quæ tamen locum non habuit, ut suprà narravimus: uno eodemque die proposita fuerunt Decreta illius Sessionis, et post brevem altercationem inter paucos habitam, statuta et condita. *Pene in omnibus Decretis Concilii factum est; Cardinalibus ita arcto et brevi tempore ostensa sunt Decreta, jam conclusa in Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate sufficienter deliberare, cet.* Ita notatur in quatuor Codicibus manuscriptis de Actis Concilii (apud *Schelstrate* [6]). Atque illud inter alia dubia Cardinalis *Alliacensis* Concilio proposuit, in tractatu *De Ecclesiæ... et Cardinalium Auctoritate* (pars 1, cap. 4, dub. 1): *An quatuor nationes,... excluso... Cardinalium Collegio, faciant generale Concilium,... non factâ in communi Sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilii... conciliariter facta.* Et hæc etiam inter causas fuit, cur Joannes XXIII numquam assentiri voluerit Concilii Decretis; quod ipse ad Biturigum Ducem scripsit, ut legitur in duobus Codicibus manuscriptis, in Bibliothecâ S. Victoris asservatis: *Licet*

[1] Bulla « *Inter Cunctas* ». — [2] Const. « *Moyses* ». — [3] Sum. Theol., pars 3, tit. 23, cap. 3, § 4. — Cfr. Can. « *Audivimus* », caus. 24, qu. 1. — [4] Sess. 15, Sententia definitiva contra Contendentes de Papatu. — [5] Sess. 38, Protestatio ex parte trium Nationum. — [6] L. c., Diss. 2, cap. 2.

in Conciliis non debeat fieri nationum differentia, sed omnes et singulos sententiam suam publice aperire oporteat, ut unius instructione informentur alii; hoc tamen Constantiæ non fuerit permissum, quin immo statutum, quamlibet nationem unam... vocem... habituram [1]. Primus igitur fuit defectus deliberationis.

b Defuit *libertas.*

39. Alter fuit defectus *libertatis;* quum enim inter rumores et minas suffragia darentur, libera non erant; quapropter tres nationes unà cum Collegio Cardinalium adversus nationem Germanicam protestatæ sunt: *Clerus et populus nonnullorum regnorum... nondum solide... huic sacro Concilio adhæserint;... quorumdam, qui eidem Concilio adhæserunt, propter rumores discordiarum et quasi impressionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare* [2]. Ita legitur in quatuor codicibus Gestorum, die 11ª Septembris, 1417. Timor ille ortus erat a rege, quod minas intendebat Cardinalibus, qui Pontificem ipsi gratum eligere nolebant: *His diebus* (inquiunt Acta Concilii) *magnus terror et turbatio erat in Concilio... Causa autem odii regis in eos dicebatur, quod rex volebat habere Papam ad voluntatem suam* [3]. Et hæc alia ratio fuit, ob quam Joannes XXIII Concilio adhærere nollet: *Licet in Conciliis suffragia debeant esse libera, nihilominus multæ exstiterint cavillationes et subornationes per minas et terrores ab Imperatore procedentes* [4]. Præterea testatur Eugenius IV in suâ Apologiâ contra Basileenses, quod contra Decreta de auctoritate Conciliorum *nonnulli reclamaverint graviores, qui strepente multitudine superati,... audiri nequiverunt* [5].

c Defuit *ordo.*

40. Tertius fuit defectus *ordinis;* quod his verbis Joannes XXIII in eâdem Epistolâ ad Biturigum *(Berry)* Ducem declarat: *Quum in Conciliis... secundum statuta Canonum jus suffragii non competat nisi Cardinalibus... et Episcopis, quorum suffragia requirenda sunt in Sessionibus publicis, et non privatis consiliis, nihilominus quicumque ad ejusmodi consilia fuissent admissi, nullo discrimine personarum habito, omnium suffragia, etiam laicorum, subtractis prælatorum suffragiis, recepta sint* [6]. Et inter dubia, quæ de Concilii validitate Patribus proposuit, illud similiter recensuit Petrus Cardinalis de Alliaco: *An dictæ nationes* (quæ singulæ unum habebant suffragium, licet numero admodum essent inter se diversæ), *... quæ multis videntur contra vel præter consuetudinem antiquam S. Conciliorum,... habuerint... auctoritatem privandi Romanam Ecclesiam et sacrum Collegium... jure suo, habendi videlicet vocem in S. Concilio* [7].

d Defuit *auctoritas.*

41. Alius tandem fuit defectus *auctoritatis;* Concilium enim congregatum est ab iis tantum, qui Joanni Pontifici obediebant, sine consensu Benedicti et Gregorii. Unde Episcopi et Doctores omnes Scotiæ, Hispaniæ aliarumque plurium provinciarum, qui quum quarta et quinta Sessio habebantur, cum Gregorio vel Benedicto stabant, nequaquam pro œcumenico habebant Concilium. Quocirca Card. Bellarminus [8], eo tempore ait, quo duæ illæ Sessiones haberentur, Concilium non fuisse generale, quod solum adesset tertia pars Ecclesiæ, i. e. Joannis Obedientia. Constat autem (XX Sess.), quum die 4ª Februarii 1416 ad generalem Congregationem convenissent *Sigismundus,* legati Concilii et legati eorum principum, qui Benedicto obediebant, communi Patrum consensu approbata fuisse Concordatûs Capitula. Atqui inter ea statutum erat, ut in Concilio de solo tollendo schismate ageretur, et procederetur contra Benedictum, si posthac suâ sponte cedere nollet; alia-

[1] Apud *Schelstr.*, l. c. — [2] Sess. 38, Protestatio ex parte Trium Nationum. — [3] Sess. 38, Quænam hanc protestationem consecuta sint. — [4] Epistola ad Ducem *Biturigum.* Apud *Schelstr.*, l. c.. — [5] Apud *Schelstr.*, l. c. — [6] Apud *Schelstr.*, l. c. — [7] De Ecclesiæ, Concilii Generalis, Rom. Pontificis et Cardinalium Auctoritate, pars 1, cap. 4, dub. 2. — [8] De Conciliis et Ecclesia, lib. 2, cap. 19 ad 3m argum. *Gerson.*

que ejusdem generis. Ac deinde, quod Benedictus a pertinaciâ non desisteret, in eum, ut schismaticum et hæreticum, lata est sententia. Quibus positis, quis asserat, ea quæ in IV^â^ et V^â^ Sessione condita fuerunt, quum abessent duæ illæ obedientiæ, Decreta fuisse Concilii œcumenici, et ut talia a Martino V esse approbata? — Quapropter Eugenius IV in Apologiâ suprà citatâ scripsit, non fuisse generale illud Concilium, nisi postquam Gregorius et Joannes annuissent, novum Concilium esse convocandum; et subjungit: *Quod ergo ante illum articulum... actum est, universæ Ecclesiæ non debet adscribi, sed eis tantum, qui ibidem considebant, et unius tantum obedientiæ Synodum faciebant* [1]. Immo, ut animadvertit *Turrecremata* [2], non tota Joannis factio Decretis assentiri voluit; nam ex iis quoque multi Patres restiterunt. Et addit: *Nullus... dubitat, quod asserere, quod sola obedientia Joannis faceret Concilium universale,... esset temerarium* [3]. — Accedit, quod Joannes, quum consensum dedit, expressam hanc adjecit conditionem: *Ut iterum Concilium convocaretur, perinde ac si hactenus legitime convocatum non esset, neque œcumenicum fuisset.* Et sub eâ conditione Synodus consensum Joannis acceptavit, annuitque, ut Concilium a Gregorii legatis denuo convocaretur; quod idem iis Episcopis concessit, qui Benedicto favebant. Ita legitur in duobus Codicibus MSS. itemque in Actis Sessionis XX^æ^. — Ergo patres ipsi agnoverunt, dubiam fuisse Concilii auctoritatem, priusquam a tribus illis, id est, Joannis, Gregorii et Benedicti, obedientiis convocaretur; aliter non admisissent novam Concilii convocationem, quæ in dubio ponebat omnia decreta prius condita.

Quænam Martinus V approbaverit.

42. Neque ullo modo verum est, Martinum V, creatum deinde Pontificem, omnia Decreta, quæ Concilium antea confecerat, die 22^â^ Aprilis 1418, confirmasse; quum enim in Sessione XLV^a^ Concilii Decreta confirmaret, mentem suam his verbis diserte aperuit: *Omnia et singula... Decreta in materiis fidei per præsens Concilium... conciliariter facta approbat et ratificat, et non aliter, nec alio modo* [4]. Primum igitur Martinus rata habuit sola Decreta fidei, i. e. facta contra *Wiclefum* et *Joannem Hus;* quum Decreta Sessionis IV^æ^ et V^æ^ non ad fidem pertinerent, sed (ut ibidem dicitur) ad *reformationem... in Capite et in membris.* Quare Henricus Spondanus, Apamiensis Gallorum Episcopus: *Decreta,* inquit,... *de auctoritate Concilii supra Pontificem et de potestate reformandi Ecclesiam tam in Capite quam in membris,... absolute, ut sonare videntur, sumpta,... nullo modo Martinus... approbare voluit; utpote contraria existimata... collatæ a Christo Domino... potestati, ipsique... naturæ rei, quâ caput debet membra regere, non regi a membris* [5].

a Decreta fidei contra hæreticos.

43. Præterea Martinus rata habuit sola Decreta *conciliariter facta,* qualia (ut suprà notavimus) certo non erant decreta IV^æ^ et V^æ^ Sessionis, quæ tot laborabant defectibus. Itemque Spondanus: *Nuntiorum (Poloniæ) petitionem,* inquit (quâ postulabant, ut ad futurum Concilium possent appellare), *putamus de industriâ, Martini nutu, ad ultimam Sessionem reservatam; ut eâ occasione significaret, quæ Concilii decreta ipse... probaret, quæ vero non* [6]. Et adeo verum est, nequaquam voluisse Martinum ea approbare, ut postea contra Polonos, qui a Martino ad Concilium appellaverant, Bullam promulgaverit, in quâ diserte affirmat: *Nulli fas est, a supremo judice, videlicet ab Apostolicâ Sede seu Romano Pontifice, appellare, aut illius judicium in causis fidei declinare* [7]. Clarius explicare non poterat, numquam se confirmare voluisse ea de-

b Decreta conciliariter facta.

[1] Apud *Schelstr.,* l. c., cap. 3. — [2] Summa de Ecclesia, lib. II, cap. 99. — [3] Ibid. — [4] Conc. *Constant.,* Sess. 45, Absolutio Concilii. — [5] Annales Eccl., a° 1418, n. 5. — [6] L. c. — [7] Constit. *Martini V,* promulgata in Consistorio, Constantiæ 6 Idus *Mart.* (Apud *Gerson,* Tract. An liceat a Sum. Pont. appellare).

creta, quæ suam læderent auctoritatem. Errat igitur *Maimburgus* [1], quum ea a Martino confirmata fuisse asseverat. Illudque etiam magis constat ex eo, quod *Joannes Gerson* [2] in Dissertatione de Potestate Concilii demonstrare nititur, ideo invalidam esse Martini Bullam, quia Concilii Decretis adversaretur. — Ad hæc, Martinus in suâ Constitutione, quâ Concilium approbavit, quæ legitur in Sessione XLV^a^, et quam ratam habuit ipsa Synodus, expressis verbis pronuntiavit: *Papam supremam in Ecclesiâ habere potestatem* [3]. Et in Congregatione, quam Concilium habuit die 11^a^ Septembris, anno 1417, statutum est: *Papa* (rite et canonice) *electus* (a Concilio) *ligari non potest* [4]. — Reliqui autem Pontifices, Eugenius IV et Pius II, quorum approbationes refert Natalis Alexander [5], significarunt, se nihil aliud approbare, nisi quod prædecessores approbaverant; quapropter ad Martini approbationem se referebant. Constat præterea, ipsum Eugenium unà cum Concilio Florentino [6] ut impias et scandalo plenas condemnasse Concilii Basileensis declarationes, quibus confirmarentur Concilii Constantiensis decreta de Conciliorum præstantiâ. Idem quoque Eugenius postea non semel professus est (ut in proximo Paragrapho videbimus) non alia se confirmare voluisse decreta, nisi quæ ad hæresim et ad pacem inter principes spectarent; minime vero, quæ attingerent Pontificiam potestatem. En quid ad *Franciscum Foscari*, Venetorum ducem, scripserit: *Potius... vitam posuissemus, quam voluissemus esse causa et initium, ut Pontificalis dignitas... submitteretur Concilio contra omnes Canonicas sanctiones* [7]. Et Pius II, quum in suâ Constitutione de Conciliis loquitur, expresse dicit: *Inter quæ nullum inveni-*

Quid declaret *Martinus* de Romani Pontificis potestate.

Quid dicat ipsum Concilium.

Quid *Eugen. IV* et *Pius II.*

Confirmatur.

mus umquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Præsule, absque ipsius auctoritate convenerit; quia non est corpus Ecclesiæ sine capite, et omnis ex capite defluit in membra potestas [8].

§ IV. *Refellitur argumentum ex Concilio Basileensi desumptum.*

Decretum hujus Concilii.

44. Opponitur quoque ab adversariis Concilium Basileense, anno 1431 inceptum, quod in Sessione II^a^ statuit: *Veritas de potestate Concilii generalis, universalem Ecclesiam repræsentantis, supra Papam,... declarata per Constantiense et hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei Catholicæ* [9].

In hoc Decretum plura notari oportet:

Quid de hoc Decreto censendum.

1^um^ Eugenius IV (ita *Raynaldus* ad annum 1431, n. 21) quum Concilium Basileam convocasset, eoque legatum misisset *Cæsarinum* Cardinalem, primâ Sessione necdum finitâ, justas ob causas ad eum scripsit, ut Concilium Basileæ dissolveret et transferret Bononiam. Quoniam vero *Cæsarinus* unà cum paucis aliis Episcopis obedire renuebat, Eugenius Bullam promulgare debuit, quâ diserte pronuntiaret, se revocare et jam dimittere Concilium. Sed Patres Basileenses congregari et Decreta condere nihil destiterunt.

a quid de ipso Concilio.

2° Secunda illa Sessio (ita *Turrecremata* Card.) ab octo tantum Episcopis habita est, ejusque Decreta promulgata fuerunt *ad furorem quorumdam hostium Apostolicæ Sedis* [10].

b quid de modo promulgationis.

3° Concilium tunc jam revocatum erat ac dimissum ab Eugenio, eamque ob causam plures Patres subsequentibus Sessionibus interesse noluerunt et postmodum, ut Eugenio adhærerent, a Concilio profecti sunt.

c quid de Patribus

[1] *Hist. du grand schisme d'Occident, liv. V, ann. 1415.* — [2] Quomodo et an liceat in causis fidei a S. Pontifice appellare? — [3] Conc. *Const.*, Sess. 45. Bulla « *Inter cunctas* ». — [4] Conc. *Const.*, Sess. 38. — [5] L. c., Diss. 4, art. 1, § 1. — [6] Pars 3, Const « *Moyses* ». — [7] Ep. ad *Francisc. Foscari*, init. — Apud *Raynaldum*, Annales Eccl., a° 1431, n. 19. — [8] Bulla « *In minoribus agentes* », § 10.

[9] Sessione II, n. 3 et 5, statuitur illa doctrina; Sess. III et XVIII repetitur; Sess. XXXIII denuo confirmatur iis verbis, quæ hic citantur.

[10] Summa de Ecclesia, lib. II, cap. 100.

d quid de materiâ hic definitâ.

4° Certum est, Concilium ea tantum posse definire, ad quæ dirimendà convocatum est. Ideo Leo I [1] irrita declaravit Concilii Constantinopolitani I Decreta adversus Alexandrini Patriarchæ auctoritatem; et S. Gelasius Papa, licet Concilium Chalcedonense legitimum fuisset, nonnulla rata habere noluit: *alia autem,... quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenus delegavit,... nullatenus approbavit* [2]. Idem dici debet de Concilio Basileensi, quod convocatum erat ad Bohemorum conversionem, ad Ecclesiam Græcam cum Latinâ conjungendam et ad mores reformandos, minime vero ut de Pontificiâ potestate decerneret.

Quid postea fecerint *Basileenses.*

Basileenses nihilominus in Sessione XXXIV$^{\text{â}}$ eo audaciæ progressi sunt [3], ut Eugenium IV, qui anno 1437 Concilium Ferrariam transtulerat, ex officio amoverint, hæreticum proclamaverint, eique substituerint *Amedeum, Sabaudiæ* ducem, cui nomen dederunt *Felicem;* reclamantibus tamen omnibus fere Episcopis: *... ut quum judicium in Eugenium intentarunt,* inquit Spondanus, *vix triginta adfuerint, et in ejus depositione septem tantum Episcopi* [4]. Adeo ut ipse *Felix,* quum deinde perspexisset, nullam esse suam electionem, in manibus Nicolai V, Eugenii successoris, omni Pontificatûs jure se abdicaverit [5].

Basileensium decretum legitimum vocari nequit. Probatur:

45. Verumtamen non dubitat *Ludovicus Dupin* [6] inordinatum hunc congressum vocare Concilium œcumenicum, quod in omnibus a Nicolao V esset approbatum. — Sed, ut diximus, licet Concilium Basileense ab Eugenio IV fuisset convocatum, tam exiguo Patrum numero incepit, ut initio nequaquam dici possit Ecclesiæ sustinuisse personam; in secundâ enim

a ex numero Patrum.

et tertiâ Sessione, in quibus injustam illam fecerunt definitionem, quam suprà commemoravimus, septem tantum vel octo aderant Episcopi, ut constat ex ipsius Concilii responsione anni 1440, ubi hæc leguntur: *Quum tempore primæ dissolutionis prætensæ pauci Prælati essent in Concilio, non numerum quatuordecim excedentes, neque medietas numeri... supposito rum in Concilio haberetur, quæ præmissis actibus interfuit* [7], *cet.* Et licet aucto numero Prælatorum in Sessione XVIII$^{\text{â}}$ renovarentur Decreta II$^{\text{æ}}$ Sessionis, refert tamen *Turrecremata* [8] Cardinalis, in eâ Sessione XVIII$^{\text{â}}$ non omnes consensum præbuisse: alios siquidem reclamasse, alios consensisse vel ut privatos vel potius ut vi adactos, alios demum adesse noluisse, quum Decreta fierent non a solis Episcopis (quod tamen necesse erat) sed *cum multitudine populi parvi pretii et nullius auctoritatis* [9]. Atque illud confirmatur ex oratione Cardinalis *Arelatensis,* quam refert *Æneas Sylvius.* In hac enim oratione Arelatensis, qui præcipuus erat defensor Concilii præstantiæ supra Pontificem, acriter conquestus est de illâ Prælatorum dissensione, eamque ob causam ea Decreta potius inferioris Cleri quam Episcoporum suffragiis attribuit: *Opus Dei hac vice fuisse autumo, ut inferiores ad decidendum reciperentur* [10]. Et idem *Æneas Sylvius* (ut refert *Ludovicus Muratori*) in oratione anno 1452 adversus Austriales habitâ, de iisdem Decretis agens: *Inter Episcopos,* inquit,... *vidimus in Basileâ coquos et stabularios orbis negotia judicantes* [11].

b ex eorum dissensione.

c ex iis, qui suffragium inierunt.

d ex defectu libertatis.

46. Præterea in Concilio Basileensi suffragia non fuerunt libera; ut scribunt

[1] S. *Leo M.*, ep. 106 ad *Anatolium,* cap. 3 et 4 (Lege potius: Concilii Chalcedonensis Decreta irrita declaravit. Nota edit.).

[2] De Anathematis Vinculo, init. — [3] Sess. 34, Depositio *Eugenii IV.* — [4] Annal. Eccl., a° 1431, n. 10.

[5] *Amedeus, Sabaudiæ* princeps, vir erat piissimus, qui ut soli Deo viveret, abjecto dominatu, in solitudinem secesserat. Quare a Basileensibus ad Summum Pontificatum evectus, diu restitit, et ideo tandem acquievit, quod metu ipsum terruissent, ne secus Deum offenderet; et ubi introspexit, non fuisse legitimam suam electionem, illico ac libenti animo dignitatem deposuit.

[6] De antiqua Ecclesiæ Disciplina, Diss. 5, § 6. — [7] Ep. Synodalis de obediendo Conciliis Generalibus. — [8] Summa de Ecclesia, lib. II, cap. 100. — [9] Ibid. — [10] De Gestis *Basileens.* Concilii, lib. I, vers. med. — [11] Apud *Muratori,* Anecdotor. in orationem *Æneæ Sylvii* disquisitio.

Turrecremata [1] Cardinalis et Eugenius IV in Bullâ, anno 1431 ad Archiepiscopum Coloniensem datâ: *Plerique... accedere sunt coacti, in quibus nec vis nec auctoritas Concilii generalis consistit, quorum voces et deliberationes minime liberæ sunt, quum ab eorum, qui compulerunt, voluntate dependeant* [2]. Quare S. Antoninus [3] et S. Joannes a Capistrano [4] hanc Basileensem Synodum vocarunt: *Conciliabulum viribus cassum et synagogam Satanæ, synodum profanam, excommunicatam et basiliscorum speluncam.* Et Concilium Florentinum [5], in Sessione anno 1439 habitâ, Basileenses declarationes *tamquam impias, scandalosas, cet., damnat reprobatque.* Ac tandem Concilium Lateranense V in Sessione XI[a], et Leo X in Bullâ [6] quâ illud Concilium approbat, Synodum Basileensem vocant: *Conciliabulum schismaticum, seditiosum et nullius prorsus auctoritatis.*

e ex testimoniis *S. Antonini* et *S. Joannis a Capistr.*

f ex Concil. *Florent.* et *Lateran.*

Quid de *Eugenii* declaratione.

47. Neque dicas, Eugenium Constitutione *Dudum* priores constitutiones revocasse, quum declararet, Concilium Basileense et initio et in progressu fuisse legitimum. — Scribit enim *Turrecremata* [7] Cardinalis, eum solo timore adactum illud fecisse, quum misere decumberet, domi et foris armis obsideretur, capta esset Roma, et omnes comminarentur, solum eum esse remansurum et ab ipsis Cardinalibus derelictum cum gravissimo Ecclesiæ scandalo. Ac proinde ea revocatio non libera sed mero timore extorta fuit. — Item notatu dignum est, Eugenii legatos in Sessione XVII[a], quamvis Decreto de præstantiâ Concilii supra Pontificem subscribere non renuissent, palam tamen edixisse, *nomine proprio*, non ut Pontificis legatos se subscribere. — Ceterum Eugenius, licet ad schisma vitandum legitimum declarasset Concilium, neutiquam tamen confirmavit Decreta, quæ contra Pontificiam auctoritatem erant condita; aliud enim est, legitimum esse aliquod Concilium, aliud legitima singula ejus decreta: sic legitima fuerunt et Constantinopolitanum, et Chalcedonense et Constantiense Concilium, nec tamen singula eorum Decreta comprobarunt Leo, Pelagius, Gregorius et Martinus Pontifices. Et ipse Eugenius in hac eâdem Constitutione *Dudum* ea tantum valida declaravit statuta, quæ pertinerent *ad exstirpationem hæresum, ad pacem inter principes et populos Christianos et ad morum reformationem.* Et magis expresse in Epistolâ suâ adjicit: *Et nullatenus ad alias causas quam ad præmissas converti debeant.* Quin etiam in Bullâ *Dudum* hanc diserte apposuit conditionem: *Ut omnia et singula contra... auctoritatem... nostram... facta,... prius omnino tollantur.* Quam conditionem quum Prælati Basileenses non implevissent, Eugenius rata habere noluit eorum decreta, ut postea in Concilio Florentino his verbis expressit: *Nos quidem... progressum Concilii approbavimus,... non tamen... ejus decreta* [8]. Et deinde Constitutionem *Moyses* promulgavit, in quâ impias vocat eas propositiones, quæ erant *juxta pravum... Basileensium intellectum.*

Quid confirmaverit *Eugenius.*

Reponunt adversarii, hanc Bullam *Moyses* postmodum a Nicolao V esse abrogatam. — Sed in epistolâ Nicolai (ut videre est apud Natalem Alexandrum [9]) non aliud reperitur nisi confirmatio Censurarum eorumque Beneficiorum, quæ Basileenses conferre voluerant, unà cum generali rerum præteritarum oblivione. Et quamquam revocavit Bullam *Moyses* quoad pœnas, in eâ Basileensibus impositas, diserte tamen hanc adjecit conditionem: *Quæcumque mandata..., conscripta aut quomodolibet acta,... pro non factis habeantur.... Esto etiam quod talia*

Quid revocaverit *Nicolaus V.*

[1] L. c., cap. 10; et Apologia *Eugenii IV*, resp. ad 2[m] artic., n. 19. — [2] Bulla « *Quoniam* » ad Episc. *Colon.* — [3] Chronicor. pars 3, tit. 22, cap. 10, § 4. — [4] De Papæ et Concilii sive Ecclesiæ auctoritate, pars 3, n. 68. — [5] Pars 3, Bulla « *Moyses* ». — [6] Bulla « *Pastor æternus* ». — [7] L. c., cap. 100. — [8] Apud *Turrecremata*, l. c. — [9] Hist. Eccl., sæc. XV et XVI, cap. 1, art. 5, n. 1.

universalem Ecclesiam et auctoritatem Conciliorum... concernant [1]. Itaque Nicolaus V non solum non confirmavit, sed potius (ut ibi legitur) abrogavit Conciliorum auctoritatem. Et sub eâdem conditione idem Summus Pontifex diploma concordiæ promulgavit: *Tanto nos pacem, cet.* [2]

Quid ergo de hoc Concilio sentiendum.

48. Asserit Natalis Alexander [3], validum fuisse Concilium Basileense et receptum usque ad XXV^am^ Sessionem. Nos vero prorsus latet, quo in pretio haberi debeant tale Concilium talesque Sessiones, a paucis habitas, i. e. a Cardinali *S. Angeli* cum quinque vel septem tantum Episcopis aliisque nonnullis Clericis (ut ait *Æneas Sylvius* [4]), licet multi Episcopi reclamassent. Tanto magis quod odium adversus Eugenium Concilium illud ad agendum impulit, ut idem Æneas, testis oculatus, quum Summus Pontifex esset sub nomine Pii II, in Bullâ Retractationis his verbis expressit: *Cardinales, qui Basileam venerant, ob privatas inimicitias... (Eugenio) notam inurere voluisse* [5]. Constat præterea, illic non libere, sed per vim et minas omnia fuisse peracta, ut Eugenius anno 1431 post primam Sessionem in Bullâ ad Archiepiscopum Coloniensem scripsit [6] et nos suprà *(n. 46)* notavimus. Narrat quoque idem Pius II, quum Cardinalis Panormitanus et Archiepiscopus Mediolanensis Basileensium sententiæ repugnarent, Patriarcham Aquilejensem mortem iis esse minitatum; eosque assurgentes conquestos esse: *Libertas nobis eripitur* [7]. Quapropter, inquit *Æneas Sylvius*, Cardinales Eugenio contrarii *cuncti postea ad eum redierunt et veniam errati petierunt* [8]. Quæ omnia certo acciderunt ante XXV^am^ Sessionem; nam postea omnes ad Eugenii partem transierunt. Unde Pius II: *Recognovimus errorem nostrum*, inquit, *venimus Romam, Basileense dogma rejecimus,.... reconciliati Ecclesiæ Romanæ* [9]. Et tandem Eugenius in Concilio Florentino, in Bullâ nempe *Moyses*, a Concilio in publicâ Sessione VI (vel, ut alii volunt, in XXVI) confirmatâ, propositiones a Basileensibus contra Pontificiam auctoritatem acceptatas, his verbis condemnavit: *Propositiones... juxta pravum... Basileensium intellectum,.... veluti sacrosanctæ Scripturæ et sanctorum Patrum et ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium,... tamquam impias et scandalosas, cet., sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus* [10]. — Atqui fere omnes Cardinales et Episcopi, qui in Concilio Basileensi adfuerant, huic quoque Florentino intererant Concilio; et quum coram eis in Sessione XXIII^a^ cum Græcis ageretur de potestate Pontificis, *Joannes de Montenigro* adversus Marcum, Archiepiscopum Ephesinum asseruit: *Unicum fulcimentum et fundamentum omnibus Christianorum Ecclesiis est Romana Ecclesia; quippe quæ germanam habet pietatem,... et obstruit omne hæreticum os loquens in excelso iniquitatem* [11]. Quam sententiam totum Concilium approbavit. — Idemque e suggestu prædicavit S. Ber-

Quid in Concilio *Florent.* acciderit.

S. Bernardinus.

[1] Pro Pace Ecclesiæ Propositiones (*a*). — [2] Ep. « *Tanto nos pacem* », dat. *Spoleti*, 14 Kalend. Julii 1449 (Hoc instrumentum, fere iisdem verbis expressum, reperitur datum *Romæ*, 15 Kal. Febr. 1448). — [3] L. c., Diss. 8, art. 4, n. 9 (*b*) — [4] Confer, quæ habet: De Gestis *Basil.* Conc., lib I. — [5] Bulla « *In minoribus agentes* ». — [6] 11 Febr. 1431; apud *Labbe*, Conc. *Basil.* Appendix, n. 48. — [7] De Gestis *Bas.* Conc., lib. I. — [8] Bulla « *In minoribus agentes* ». — [9] Ibid. — [10] Bulla « *Moyses* ». — [11] Sess. 23.

(*a*) Instrumentum, in quo illa verba reperiuntur, inscribitur: *Pro pace Ecclesiæ Propositiones ad cogendum Concilium generale.* Datum est *Bituricis*, die 28 Junii 1447. Confectum videtur, non a Summo Pontifice, sed a *Jacobo, Treverensi* archiepiscopo, qui (ut ibidem dicitur) *pro se ac... suis coëlectoribus se conformare voluit... regi Francorum.* Legi potest apud *Labbe-Collet* (*Venetiis* 1732), tom. 19, col. 55 seq. (Nota edit.).

(*b*) *Respondeo*, inquit, *nova Nicolai confirmatione opus non fuisse, quum Eugenius IV, ejus decessor, omnia ejus decreta usque ad translationem, a se factam Ferrariam, confirmasset, iis exceptis, quæ in 26^a^, 27^a^ et 28^a^ Sessionibus contra ipsum decreta fuerant* (Nota edit.).

nardinus Senensis, neque id sine prodigio, ut testantur *Surius* [1], *Wadding* [2] et *Bernino* [3]. Quamvis enim Græcæ linguæ esset ignarus, in eâdem illâ linguâ ad commendandam Romanæ Ecclesiæ fidem expedite concionatus est; eoque commoti prodigio non dubitarunt Græci ad Romanam Ecclesiam accedere. — Restante autem dubio: *an licuerit Papæ, ut Summo Pontifici, adjicere symbolo verbum* FILIOQUE; et Græcis primo renitentibus, *Joannes de Montenigro* demonstravit, Summum Pontificem, ut Christi Vicarium et Doctorem Ecclesiæ, reverâ sic statuere potuisse. Quare mense Julio anni 1439 condita est Constitutio *Lætentur cæli*, quæ asseverat, Summo Pontifici *regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D.N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, cet.* — Præterea in propositionibus, quibus Nicolaus V et Basileenses concordiam conciliarunt (ut suprà diximus et in Coll. Concil. refert *Labbe*) hæc quoque legitur: *Quæcumque mandata..., conscripta... aut... acta, pro non factis habeantur... Esto etiam quod talia... auctoritatem Conciliorum... concernant* [4]. — Ad hæc Gallorum rex, *Carolus VII*, in suâ legatione ad Eugenium, non tantum verum Pontificem eum agnovit, sed etiam respuit Decreta Basileensia, et confessus est, Pontificem esse Concilio superiorem. Et in ipso Concilio Florentino (ut constat ex Sessione XXIX[a]) Meldensis, Caroli legatus, regem illud profiteri dixit ex *consultu Prælatorum et aliorum multorum sapientium regni sui* [5]. Ac deinde idem rex Concilium Lateranense V acceptavit, et nominatim Sessionem undecimam, quæ statuit: *Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem,... auctoritatem super omnia Concilia habentem,... plenum jus et potestatem habere, cet.* [6] Et tandem ipsi Basileenses se Nicolao V (ut ex ejus Bullâ patet) omnes subjecerunt.

Joannes de Montenigro.

Carolus VII.

[1] Historiæ, seu Vitæ Sanctor. 20 Maii, Vita *S. Bernardini Senensis*, § 46. — [2] Annales Minorum, a° 1439, n. 5. — [3] *Istoria di tutte le Eresie, secolo XV, cap. 6.* — [4] Pro Pace Ecclesiæ Propositiones. — [5] Apud *Raynald.*, Annales, a° 1441, n. 10. Confer.: Legationem *Gallor.* Regis ad *Eugen.* (*Rayn.*, l. c., n. 9-13). — [6] Bulla « *Pastor æternus* ». — [7] Sæc. XV et XVI, Diss. 4, art. 1, § 2 et 4. — [8] *Matth.*, XVIII, 20. — [9] Ep. 18 ad Synod. *Ephesinam*, n. 1.

§ V. *Respondetur ad reliqua Argumenta, a Natali Alexandro collecta, quibus adversarii probare nituntur, Concilium esse supra Pontificem.*

49. Ea tandem argumenta, quæ in suâ Historiâ Ecclesiasticâ collegit Natalis Alexander [7], hic tacitus præterire nolui, ut ostenderem, quam infirmis fundamentis innitantur adversarii. Adeo manifesta sunt responsa, ut ea ultro cuilibet in mentem venire existimem. Paucis igitur (longâ enim responsione nihil opus est) ad ea argumenta respondebo.

Responsio ad *Natalis* argumenta.

50. Primum Natalis Alexander contra nostram sententiam nonnullos affert Scripturæ textus; quorum primus hic est: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [8]. Et adjicit explicationem Cælestini I in Epistolâ ad Ephesinæ Synodi Patres, in quâ Summus Pontifex post ea verba citata ita pergit: *Si nec huic tam brevi numero Spiritus-Sanctus deest, quanto magis Eum... interesse credamus, quando in unum convenit tanta turba Sanctorum?* [9] Ex quibus infert Natalis, non requiri, ut Concilia Summo Pontifici subjiciantur, quum Deus Episcopis in Concilio congregatis veritatem satis aperiat. — Hoc argumentum, si aliquid valeret, item ostenderet, infallibilia esse non solum Concilia generalia, sed etiam provincialia et diœcesana, etiamsi divisa essent a Summo Pontifice. Sed ad directum responsum veniamus. Fatemur quidem, Spiritum-Sanctum assistere Conciliis generalibus, ut scripsit Cælestinus; sed iis legitimis, i. e. quæ Capiti suo, Summo Pontifici, adhærent: sine Pontifice enim Episcopi, quantumvis numero plurimi, quum corpus detruncatum seu acephalum constituant, irrefragabilem auctoritatem habere non possunt. Natalis ipse de Summo Pontifice affirmare non renuit: In Conciliis *eo au-*

1. Matth. XVIII, 20.

Confirmatur ex epistolâ *Cælestini I.*

Respondetur.

ctore omnia decernuntur [1]. Et deinde: *Summi Pontificis est declarare, quæ Concilia vere œcumenica sint,... an iis instructa sint conditionibus, quæ Concilii œcumenici rationem constituunt* [2]. Similiter asserit, ad eum pertinere, rata vel irrita habere Acta Concilii: *Dei Providentia... (et) Spiritûs-Sancti... assistentia... hactenus effecerunt, ut Romani Pontifices bene gesta Concilia approbarent, male gesta rejicerent* [3]. Cælestinus igitur locutus est de Conciliis comprobatis a Summo Pontifice, qui suâ approbatione omnem vim et auctoritatem eorum decretis tribuit.

2. Act. XV, 28.

Affert quoque hæc verba Actuum: *Visum est enim Spiritui-Sancto et nobis* [4]. *Quæ manifeste probant*, inquit, *Conciliorum generalium auctoritatem esse immediate a Christo derivatam.* Sed ad illud jam respondimus in hoc Capite, § II, n. 25.

Respondetur.

3. Matth. XVIII, 15-17.

Tum citat verba S. Matthæi: *Si... peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum, cet. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos.... Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [5]. Ad illud quoque responsio data est in hoc eodem Capite, n. 28.

Respondetur.

4. Act. VIII, 14.

Tandem affert hunc alium locum ex Act. Apost.: *Quum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem* [6]. Ex quibus verbis infert *Renatus Benedictus* [7], Ecclesiam congregatam esse Summo Pontifici superiorem.—

Respondetur.

Sed quomodo dici possit, missum esse S. Petrum ab Ecclesiâ congregatâ, non intelligo; nam in Actibus nequaquam legitur, Apostolos ad eum in Samariam mittendum congregasse Concilium; eo magis, quod ex persecutione tunc dispersa erat Ecclesia. Et præterea, quantumvis Apostoli ideo congregati fuissent, cur dici debet, S. Petrum in Samariam se contulisse, ut obediret Concilio, nec potius ut sociis gratum faceret? Ex eo textu haud facile aliquis sibi persuadebit, Summum Pontificem subjectum esse Concilio. — Sed eam interpretationem a Gregorio XIII approbatam fuisse ait Natalis Alexander. — Sed ad illud probandum non aliud habetur argumentum (ut doctus quidam auctor advertit [8]), nisi quod Renatus, qui ea verba sic interpretatur, librum suum Gregorio dicavit.

Instat.

Respondetur.

Nunc veniamus ad argumenta, a Natali congesta.

5. Nonnulli Episcopi *S. Victori* subesse noluerunt.

51. 1um Adducit S. Victoris decretum [9], quo excommunicationis sententiam pronuntiaverat in Episcopos Asiaticos, qui obedire noluerant, quum statuisset, Pascha celebrandum esse non quartâdecimâ lunâ (juxta legem antiquam) sed sequenti die Dominicâ. Et nihilosecius, donec a Concilio Nicæno contrarium erat definitum, illi Episcopi veterem morem Pascha celebrandi retinuerunt. Unde colligunt adversarii (*ex quibus patet*, inquit Natalis Alexander [10]) existimasse Episcopos Asiaticos, Summi Pontificis definitione nequaquam se ligari; eamque ob causam neque eos S. Victori obedire, neque Victorem ultra eos adstringere voluisse. — Respondetur vero, contumaciam et petulantiam illorum Episcoporum non posse probare, Summum Pontificem non habere, ne in particulares quidem Ecclesias, auctoritatem (id quod hæretici tantum asserunt); sed solum ostendere caritatem et prudentiam S. Victoris: quum enim ceteri Episcopi, ac nominatim S. Irenæus, rogassent ut rigorem illum differret, justis de causis satis habuit exspectare, donec ex Concilii sententiâ Episcopi illi errorem deponerent. Ceterum Natalis ipse ut fidei dogma fatetur: *Quod Romanus Pontifex unus sit jure divino Summus in Ecclesiâ Pontifex, cui omnes Christiani parere tenentur; et qui... potestatis... pri-*

Respondetur.

[1] L. c., art. 1, n. 34. — [2] n. 45. — [3] n. 46. — [4] Act., XV, 28. — [5] *Matth.*, XVIII, 15-17. — [6] Act., VIII, 14. — [7] Panopl. Catholic. de Act., VIII, 14 — [8] *Roncaglia*, Animadversiones in Diss. IV *Natal.*, § 7. — [9] Apud *Eusebium*, Hist. Eccl., lib. V, cap. 24. — [10] L. c., § 4, n. 15.

matum habeat...; et juxta illum Primatum *ad universalis etiam Ecclesiæ disciplinam pertinere,... ut majores Ecclesiæ causæ ad Sedem Apostolicam referantur; ut in fidei ac dubiæ disciplinæ causis consulatur illud Christianæ Religionis oraculum; ut... appellationes ex toto orbe Christiano ad Romanum Pontificem fieri possint, secundum Canones; ut ipsos Canones temperare possit* [1], *cet.*

6. S. Augustinus Concilium haberi voluit.

52. 2° Commemorat quæstionem inter S. Stephanum Papam et S. Cyprianum, utrum ab hæreticis baptizati denuo baptizandi essent necne. Quâ in re plures exhibet S. Augustini locos, ut ostendat, etiam post S. Stephani responsionem: *nihil innovetur, nisi quod traditum est* [2], S. Augustini sententiam fuisse, ad dirimendam quæstionem opus fuisse Concilio generali; quod postea reverâ habitum est; nam quum Concilium Nicænum cum S. Stephani judicio concinuisset, omnis ablata est dissensio. Inde autem colligunt, censuisse S. Augustinum, Concilium Pontifici præstare. — Sed primum respondetur, S. Augustinum pro certo habuisse, Summum Pontificem in suis definitionibus esse infallibilem, ut pluribus locis enuntiat: *Numerate sacerdotes vel ab ipsâ Petri Sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ* [3]. Et alio loco: *In his verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua atque fundata, certa et clara est Catholica fides, ut nefas sit de illâ dubitare Christiano* [4]. Si autem Summum Pontificem pro infallibili habet, quomodo fieri potest, ut Concilio subjectum eum existimet? Immo contrarium eum tenuisse constat. *Inde* (a Sede Apostolicâ), inquit, *etiam rescripta* (contra Pelagianos) *venerunt; causa finita est* [5]. *Toto orbe Christiano* (post ejus damnationem) *damnati sunt* [6]. *Litteris... Innocentii... de hac re dubitatio tota sublata est* [7].

Respondetur. *a* indirecte.

b directe. Quænam hac in re fuerit mens Augustini.

53. Et quod ad ea spectat, quæ S. Augustinus in Libro de Baptismo circa eam S. Cypriani controversiam habet, ex contextu patet, eum non proprie loqui de auctoritate, quâ Summi Pontificis decretoriæ definitiones polleant; sed potius de ipso facto, quod nempe S. Cyprianus Pontificis responsioni non quidem se subjecerat, sed in Concilii Generalis judicio acquievisset. Idque eo magis, quod S. Cyprianus (ut testantur S. Augustinus [8], S. Hieronymus [9] et Cyprianus [10] ipse) non ad fidem sed ad solam disciplinam illud pertinere judicabat; unde ad Episcopos, qui secum sentirent, de eâ quæstione in hunc modum scripsit: *Neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes* [11]. Neque a S. Stephano decretoria hac in re pronuntiata est sententia, ut his verbis ait ipse S. Augustinus: *Iste autem* (Stephanus) *quæstionis ipsius difficultate permotus, et sanctis caritatis visceribus... præditus, in unitate cum eis manendum* (putavit), *qui diversa sentirent* [12]. Neque Stephanus Cyprianum de hæresi accusavit, sed solum rebaptizantibus excommunicationis pœnam comminatus est; eamque ob causam hoc tantum respondit, hac in re nihil innovandum esse contra ceterarum Ecclesiarum traditionem. S. Cyprianum ceteroquin difficulter ab omni culpâ excusare possumus, quod Summo Pontifici restitit. S. Augustinus quoque, *hanc culpam Cypriani*, ait, *falce martyrii fuisse purgatam* [13]. Præterea, ut

[1] Diss. 4, init. — [2] In Ep. *Cypriani* ad *Pompeium*, n. 2. — [3] Psalmus contra partem *Donati*. — [4] Ep. 190 ad *Optatum*, n. 23. — [5] Sermo 131, n. 10. — [6] Ep. 190, n. 22. — [7] Contra duas Epistolas *Pelagianor.*, lib. II, cap. 3. — [8] De Baptismo contra *Donatistas*, lib. II, cap. 15. — [9] Dialog. advers. *Luciferianos*, n. 25. — [10] Ep. 72 ad *Stephan.* Pap.; Ep. 71 ad *Quintum*. — [11] Apud *S. August.*, De Baptismo contra *Donatistas*, lib. II, cap. 5. — [12] Ibid., lib. V, cap. 25. — [13] Ibid., lib. I, cap. 18 (*a*).

(*a*) *Quod ergo ille vir sanctus*, inquit, *de Baptismo aliter sentiens, quam se res habebat, quæ postea pertractata et diligentissimâ consideratione firmata est, in Catholica unitate permansit, et caritatis ubertate compensatum est, et passionis falce purgatum* (Nota edit.).

testantur Baronius [1], Thomassinus [2] et alii cum S. Hieronymo [3], postea S. Cyprianus S. Stephani judicio se subjecit; quandoquidem ipse scripserat: *Hæreses obortæ sunt aut nata sunt schismata,... dum Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ... judex vice Christi cogitatur; cui si... obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret* [4].

7. *S. Aug.* non accepit Romani Concilii sententiam.

54. 3° Refert, Cæcilianum Episcopum, a Donatistis accusatum, quod ordinationem a Scripturarum sacrarum traditoribus accepisset, absolutum fuisse in Concilio Romano a S. Melchiade Pontifice. Quum vero inimici contra Cæcilianum reclamare non cessarent, scripsisse S. Augustinum, eos Concilium plenarium efflagitare posse, ut ibi eorum rationes ponderarentur: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse; restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi... causa posset agitari; ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur* [5]. Hic vero perspicuum est, non agitari causam fidei sed solius facti, utrum Cæcilianus a Scripturarum traditoribus ordinatus esset necne; quod quum penderet ex argumentis, poterat utique revocari Concilii Romani sententia, si in Concilio Generali delictum probaretur.

Respondetur.

8. Episcopi Africani ad Canones provocant.

55. 4° Refert, Apiarium Presbyterum, a Synodo Africanâ excommunicatum, appellasse Zosimum Pontificem, et obtinuisse, ut *legatus a latere* ad causam recognoscendam in Africam mitteretur Faustinus Episcopus. Qui quum advenisset, Apiarius delictum suum ultro confessus, gradu suo dejectus est. Tum Episcopi illius Synodi ad Cælestinum scripserunt, petentes, ne Clericos ab ipsis excommunicatos ultra in suam reciperet communionem, neve eorum appellationes admitteret, neque amplius legatos in Africam ire juberet, quum nulla umquam Synodus illud statuisset. Ergo, inquit Natalis, agnoverunt illi Episcopi, in quibus etiam erat S. Augustinus, Summum Pontificem Conciliorum Canonibus esse subjectum. — En cujusmodi argumenta collegerit Natalis Alexander, ut Summum Pontificem Concilio subesse ostenderet. — Respondetur, illam epistolam (cui an S. Augustinus consenserit, nescimus) fuisse meram petitionem, et eam quidem prorsus insolentem, quum vellent Episcopi, Summum Pontificem iis abstinere, quæ a Conciliis non essent constituta; quum tamen ipse Natalis concedat, *ut ipsos Canones* (Pontifex) *temperare possit* [6].

Respondetur.

9. *Siricius* illud fatetur.

56. Ab adversariis item producitur epistola Siricii Papæ, in quâ fatetur, contra judicium a Synodo Capuanâ latum non posse se judicare. [7] — Sed ipse Natalis [8] sic respondet: Argumentum illud *nimis probaret;* conficeret enim, etiam particularibus Conciliis subesse Pontificem.

Respondetur.

[1] Annales a° 258, n. 51. — [2] Dissertationes in Concilia. Diss. 2 in Synodos de Baptismo hæreticorum, n. 50 (*a*). — [3] Dialog. adv. *Luciferianos,* n. 23 (*b*). — [4] Ep. ad *Cornel.* de 5 Presbyt. et *Fausto,* n. 5 (Ep. 12 inter Epas S. *Cornelii* Pap.). — [5] Ep. 43 ad *Glorium, Eleusium,* cet., n. 19. — [6] L. c., Diss. 4, init. — [7] Ep. 9 ad *Anysium Thessalonicensem,* n. 2 (*c*). — [8] L. c., art. 1, § 4, n. 18.

(*a*) Hæc referunt S. Augustini, *Ep. 93 ad Vincentium, n. 38,* verba: *Correxisse autem istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, et fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt* (Nota edit.).

(*b*) *Denique,* inquit, *illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo (Cypriano) statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum* (Nota edit.).

(*c*) *Ideo,* inquit, *primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data: vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* — Præterea non constat, quisnam revera illius epistolæ auctor fuerit. Confer not. (*a*) pag. 321 (Nota edit.).

10. *Theodosius concilium convocavit.*

57. 5° Refert, Cælestinum I, postquam in Concilio Romano Nestorium condemnasset, S. Cyrillo, *legato a latere* constituto, sententiæ exsecutionem commisisse. Quum vero Cælestini judicio non paruisset Nestorius, ab Imperatore Theodosio Ephesum convocatum esse Concilium generale, ibique Nestorium denuo condemnatum. Unde colligunt demonstrari, in causis fidei ultimum tribunal esse Concilium generale. — Sed respondetur primum, Concilium non fuisse convocatum a Theodosio; nam Theodosius (ut Baronius [1] refert) ad Pontificem misit S. Petronium, postea Episcopum Bononiensem, qui ab eo postularet, ut Concilii convocationem indiceret. Annuit Cælestinus et tres constituit legatos. Hi vero, priusquam Ephesum pervenissent, acceperunt, S. Cyrillum, qui *legatus a latere* jam antea eo missus erat et Summi Pontificis gerebat personam, convocasse Concilium, et in eo recitatâ Cælestini epistolâ, Nestorium rursus esse condemnatum. Quum ergo legati post hæc advenirent, alia recitata est epistola Cælestini, in quâ legatos se misisse ajebat, *qui iis, quæ aguntur, intersint, et quæ a nobis ante statuta sunt, exsequentes* [2]; quibus verbis igitur Patres Concilii exsecutores constituebantur, non revisores condemnationis, Romæ jam antea factæ. Tum omnia relecta sunt Concilii acta, quæ (ut in iis videre licet) obsequium Summo Pontifici et obedientiam ejus legatis exprimebant. Legati autem, condemnationi subscribentes: *Nulli dubium...*, inquiunt, *quod Sanctus... Petrus... per successores suos hucusque et semper vivit, causasque decernit* [3], *cet.* Et adjungit Gennadius: *Cælestinus, urbis Romæ Episcopus, decretum Synodi adversum... Nestorium habitum, volumine describens, ad Orientis et Occidentis Ecclesias dedit* [4]. Et Patres (ut scribit Evagrius [5]) sententiam pronuntiantes, his usi sunt verbis: *Tum Ecclesiæ Canonibus tum Epistolâ Sancti Patris nòstri et collegæ Cælestini, Episcopi Ecclesiæ Romanæ, necessario compulsi, idque non sine lacrymis, ad hanc severam sententiam contra eum pronuntiandam venimus.* Quocirca in litteris ad S. Cælestinum, quibus rationem reddebant eorum, quæ Concilium gesserat, hæc scribunt: *Perlectis.... commentariis Actorum..., quæ a Pietate Tua de ipsis decreta... sunt, judicavimus et nos ea solida firmaque permanere debere* [6]. Vel ipse Bossuet in suâ *de Universali Historia Oratione* [7] fatetur, Nestorium a Cælestino condemnatum esse, et Concilii Patres exsecutos esse ejus sententiam.

Respondetur.

Ex quibus omnibus non intelligo, quomodo Natalis colligere possit, Concilium esse ultimum tribunal; nec potius Concilium subesse Pontifici, ejusque examinationem, quum res a Pontifice jam definitas recognoscat, non esse actum jurisdictionis sed declarationis, quâ exsequatur ea, quæ jam definierit Pontifex.

11. *S. Leo idem confessus est. Nam a synodum vocat plenius judicium.*

58. 6° Referunt, S. Leonem Papam, postquam Eutychetis errorem condemnasset, permisisse, ut Concilium Ephesinum II haberetur; eumque ad illud scripsisse: *(Imperator) voluit Episcopale Concilium, ut pleniori judicio omnis possit error aboleri* [8]. Ergo, inquiunt, S. Leo, qui ipse dixit *pleniori judicio*, credebat, auctoritatem Concilii Pontificiâ auctoritate esse majorem. Præterea, quum hoc Concilium evasisset exsecrandum conciliabulum, in quo Eutyches absolutus et S. Flavianus, qui ei restiterat, condemnatus, immo vi interemptus esset, S. Leo Theodosium rogavit, ut aliam convocaret Synodum, *quæ omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne ultra aliquid sit vel in fide dubium vel in caritate divisum* [9]. Si autem S. Leo, inquit Natalis Alexander, persuasum non habuisset, su-

b a Concilio dixit, *omne dubium tolli.*

[1] Annales, a° 430, n. 61. — [2] Ep. 18 ad Synod. *Ephesin.*, n. 5. — [3] Actio 3. — [4] De Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 54. — [5] Hist. Eccl., lib. I, cap. 4. — [6] Actio 5, Relatio Synodi ad *Cælestinum.* — [7] *Discours sur l'Hist. Univers., part. 1, Epoque 11.* — [8] *S. Leo M.*, Ep. 33 ad *Ephesin.* Synod., cap. 2. — [9] Ep. 43 ad *Theodosium*, cap. 3.

premum tribunal esse Concilium generale, non dixisset *ne ultra aliquid sit in fide dubium;* sed ipse rescidisset omnia Ephesini Concilii gesta. Præterea, quum Marcianus novum Concilium Chalcedone congregasset, examinata in eo fuit et deinde approbata S. Leonis epistola. Nisi autem, inquiunt, Pontificis legati credidissent, supremum tribunal esse Concilium, numquam permisissent, ut Pontificis judicium denuo ad examen vocaretur. Præterea S. Leo in Epistolâ ad Theodoretum scripsit: *Quæ nostro prius ministerio (Dominus) definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu*[1]. Ergo, inquiunt, S. Leo ipse censuit, non irretractabile fuisse suum judicium, nisi a Concilio esset confirmatum.

c suum judicium examinari sivit.

d suam sententiam a Concilio confirmari voluit.

59. Ad singula respondeamus. — Ad Eutychetem condemnandum S. Leo celebrem suam scripserat ad S. Flavianum Epistolam dogmaticam, eamque omnibus quoque Episcopis Catholicis miserat, ut nemo ignoraret, quid fide esset tenendum. Quapropter in Concilio Chalcedonensi, postea celebrato, sexcenti illi Patres declararunt: *Nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, et Romanæ Ecclesiæ Papam ad victoriam præparavit*[2]; quibus verbis asseruerunt, Summum Pontificem inexpugnabilem esse cujuslibet erroris exstirpatorem. Præterea, quum Patres diversam in Concilio facere vellent fidei professionem ab eâ, quam S. Leo statuerat, legati reclamarunt, seque ibi non remansuros esse protestati sunt, nisi ea fieret professio, quam Pontifex imposuisset. En verba quintæ Sessionis: *Si non consentiunt Epistolæ Apostolici et Beatissimi viri papæ Leonis, jubete nobis rescripta dari, ut revertamur.... Episcopi clamaverunt: Altera definitio non sit.... Qui contradicunt, Romam ambulent.... Judices dixerunt: Ergo addite definitioni, secundum judicium Sanctissimi Patris Leonis, duas esse naturas... in Christo*[3], *cet.* Ex quibus primum patet, verba S. Leonis: *ut pleniori judicio omnis possit error aboleri,* hoc tantum significare, voluisse Summum Pontificem, etiam omnium Patrum consensu errorem condemnari, ut cum majori fidelium concordiâ et minori hæreticorum altercatione sua ipsius definitio reciperetur. Itaque Patrum judicium plenius esse voluit, non auctoritate, sed suffragiis et rationibus, ut rumores sedarentur et frangeretur inimicorum audacia. Et similiter ad hæc alia S. Leonis verba: *Ne ultra aliquid sit vel in fide dubium,* respondetur, non credidisse Summum Pontificem, suum judicium tamdiu remanere dubium, donec a Concilio approbaretur; sed ex Concilii approbatione eos facilius placari posse, qui usque ad illud tempus suo judicio restitissent. Ceterum in suâ ad Concilii Patres Epistolâ S. Leo regulam expressit, quam sequi debebant: *Nec liceat defendi, quod non licet credi; quum secundum Evangelicas auctoritates... plenissime et lucidissime per litteras, quas ad... Flavianum... misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia et sincera confessio*[4]. Liquet ergo, pro certo habuisse Pontificem, non amplius in dubium vocari posse dogma, ab ipso definitum.

Respondetur ad *a*.

Ad *b*.

Præterea verum non est, a Concilio, non a S. Leone, rescissa fuisse Ephesini Conciliabuli Acta; namque in alio Episcoporum Concilio, Romæ jam habito, Summus Pontifex illud reprobavit, jussitque ex sacris libris eum congressum expungi; *nam iniquum nimis est,* inquiebat,... *eos, qui innocentes... suâ persecutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri*[5]. Itaque Concilium illud, quod habitum fuisset œcumenicum, si Summus Pontifex illud approbasset, invalidum est declaratum, quod reprobatum fuit a Summo Pontifice.

Nec similiter verum est, Patres Chalcedonenses examinare voluisse S. Leonis epistolam; sed Pontifex ipse voluit, eos

Ad *c* et *d*.

[1] Ep. 120 (al. 93) ad *Theodoretum* Ep^m, cap. 1. — [2] Pars 3, Allocutio ad *Marcianum*. — [3] Actio 5. — [4] Ep. 93 ad Conc. *Chalced.*, cap. 2. — [5] Ep. 80 ad *Anatolium*, cap. 3.

iterum examinare Eutychetis errorem, non quidem ut Concilii decisio suæ ipsius definitioni majorem tribueret auctoritatem, sed ut Concilii examen magis aperiret veritatem. Quocirca, quum in Concilio proposuissent et errorem Eutychetis et S. Leonis definitionem (ut ex Actione II[a] constat), Cecropius, Sebastopolis Episcopus: *Emerserunt*, inquit, *quæ ad Eutychem pertinebant; et super iis forma data est a sanctissimo Archiepiscopo Romanæ urbis, et sequimur eum, et epistolæ omnes subscripsimus* [1]. Et post eum reliqui subscribentes Episcopi: *Ista omnes dicimus*, inquiunt; *sufficiunt quæ exposita sunt; alteram expositionem non licet fieri* [2]. Et recitatâ S. Leonis Epistolâ, Patres: *Hæc Patrum fides*, exclamarunt; *hæc Apostolorum fides! omnes ita credimus... Petrus per Leonem ita locutus est!* [3] Ac deinde, quum in Concilio auctoritas Dioscori comparata esset cum S. Leonis auctoritate, et Patres interrogarentur: *Quem... sequimini? Sanctissimum Leonem aut Dioscorum?* Exclamarunt omnes: *Ut Leo, sic credimus* [4]; atque iterum conscripta est fidei confessio, consentanea et tribus præteritis Conciliis œcumenicis et epistolæ Leonis ad Flavianum. — Quid multa? Ex accuratâ consideratione argumentorum, quibus Natalis Alexander Concilii præstantiam probare nititur, magis elucet præstantia Summi Pontificis. — Ad alia veniamus.

12. *Vigilii responsio a Concilio rejecta fuit.*

60. 7° Refert, in Concilio Constantinopolitano II decisum esse contrarium eorum, quæ Vigilius Papa responderat circa Tria Capitula Theodori, Ibæ et Theodoreti. Unde colligunt, Concilii auctoritatem prævaluisse auctoritati Pontificis; Concilium enim condemnavit tam scripta quam auctores trium capitulorum; idque contra judicium Vigilii, qui sola scripta, non vero personas condemnaverat. — Respondetur.

Respondetur.

Respondetur primum, Vigilium in hoc judicio secutum esse sententiam Concilii Chalcedonensis, licet postea se retractaverit. Et quod ad Concilium Constantinopolitanum attinet, illud Vigilius non habuit pro œcumenico, donec ipse ut legitimum approbavit; quod patet (ut item animadvertit *Petrus de Marca* [5]) ex ejus *Constituto* postmodum edito, ubi nullam infert hujus Concilii mentionem; quo sane silentio demonstrat, illud pro legitimo se non habere. Unde in suo Constituto [6], *necessarium se credere* ait, *de iis quæstionibus, quæ ad tria Capitula spectant, diligenter omnia discutere, eaque cautâ rite consideratæ sententiæ ponderatione definire.* Ex quibus similiter deducitur, Vigilium in primis hac de re latis judiciis ad temporum adjuncta se accommodare voluisse, ut Orientis videlicet tumultum sedaret. *Quædam* (sic in Encyclicis suis litteris loquitur) *pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda* [7]; ne magis accenderetur schisma, quod quæstio illa excitaverat. Quocirca adnotat Petrus de Marca [8], Vigilii inconstantiam a doctis prudentiam fuisse nuncupatam. Itaque primâ suâ sententiâ Summus Pontifex controversiam temperare voluit, non autem decretorium pronuntiare judicium; quod postea fecit, quum promulgavit *Constitutum*, quo tam scripta quam personas condemnavit, ut in suâ Epistolâ ad Eutychium ait: *Quæ a nobis definiri debent, revelante Domino et veritate investigatâ... impleta sunt* [9]. (Ita apud Orsi [10]). Ac proinde in ejus Constituto decretoria legitur sententia, nemini umquam licere de tribus capitulis contrarium proferre, ea accipere, vel conari *aliquando præsentem damnationem resolvere* [11]. Frustra ergo objicitur, Vigilium sibi non constitisse; nam (ut diximus) prima ejus judicia non fuerunt veræ definitiones, quales postea in suo Constituto dedit. En quid Pelagius Papa responderit Istriæ

[1] Actio 2. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Actio 5. — [5] De Concordia Sacerdotii et Imperii. Dissertatio de Decreto Papæ *Vigilii* pro Confirmatione V Synodi; n. 14. — [6] Constitutum, n. 1. — [7] Fragmentum Damnationis *Theodori*. — [8] L. c. n. 6. — [9] Ep. Decretal. *dilecto fratri Eutychio* (8 Dec. 553). — [10] *Istor. Eccles., lib. XLI, n. 83.* — [11] Constitutum 23 Febr. 554.

Episcopis, qui Vigilii inconstantiam objectabant: *Si igitur in trium Capitulorum negotio aliud, quum veritas quæreretur, aliud autem inventâ veritate dictum est; cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimine objicitur?... Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensûs in culpâ est* [1]. Et ex epistolâ, ab Eutychio, Episcopo Constantinopolitano ad Vigilium scriptâ, et ex ipsis Actis Concilii patet, noluisse Patres ad examen trium Capitulorum procedere, nisi præsidente Pontifice: *Ad Apostolicam Sedem Vestræ Beatitudinis manifestum facimus, quod.... suscipimus... epistolas præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ... Et ideo petimus, præsidente nobis Vestrâ Beatitudine... eadem Capitula in medio proponenda quæri, cet.* [2]. Quibus Vigilius respondit: *Annuimus, ut de tribus Capitulis,... facto regulari conventu,... collationem... habeamus, et finis detur placitus Deo* [3]. Quum vero postea Concilium a seipso quæstionem decernere voluisset, ejus sententia in Africâ, Illyriâ, Hiberniâ et per totum Occidentem pro nullâ est habita, donec Pontificis consensus accessisset; et tunc acceptata est Concilii sententia, ipsumque Concilium pro œcumenico habitum.

13. *S. Gregor.* Pontificem Concilio subjectum declarat.

61. 8° Dicit, S. Gregorium, quum de quinque primis Conciliis œcumenicis agit, asserere, omnes, etiam ipsos Pontifices, eorum Decretis teneri; ejusque rei hanc afferre rationem: Quia *dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt* [4]. — Sed quomodo Natalis inde colligere potest, Concilia esse Summo Pontifice superiora? Dogmatica Conciliorum decreta, a Pontifice approbata, ab ipsis Pontificibus servari debere, quis negare potest vel etiam in dubium vocare? Illæ quippe veritates, Pontificiâ auctoritate irrefragabiles declaratæ, postea ne ab ipso quidem Pontifice negari possunt. Sed quæstio nostra non est de Conciliis, a Pontifice confirmatis, sed de Conciliis separatis ab eo; et num eorum canonibus stare debeat Summus Pontifex, etiamsi certus sit neque hæreticus. Illud profecto non asseruit S. Gregorius; sed affirmat, in causis fidei a Sede Apostolicâ, i. e. a Summo Pontifice, rem definiri omnemque tolli dubitationem: *Si quam... contentionem... de fidei causâ evenire contigerit, cujus... dubietas... judicio Sedis Apostolicæ indigeat,... relatione suâ ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congruâ sine dubio sententiâ terminari* [5]; minime ignorans, non Summo Pontifici a Concilio, sed Concilio a Summo Pontifice leges imponi; quod ipsi Patres Concilii Chalcedonensis confessi sunt: *Imperari sibi a Pontifice Romano legesque dari et fidei formam præscribi patiuntur; et parent* [6].

Respondetur.

14. Synodus VI ad examen vocavit *Agathonis* epistolam.

62. 9° Synodum VI^am^ ajunt primum quidem examinasse dogmaticam S. Agathonis epistolam, eamque deinde ratam habuisse. Unde manifestum est, inquit Natalis, Concilium œcumenicum supremum esse tribunal. — Ad illud jam respondimus, non posse ullum umquam Concilium esse œcumenicum, nisi Pontificis auctoritate innitatur. Sed ut nominatim agamus de hoc sexto Concilio, quod fuit Constantinopolitanum III, suprà *(n. 12)* narravimus, in suâ Epistolâ S. Agathonem Patribus Concilii præcepisse, ut ea omnia sequerentur, quæ ipse definiisset: *Non tamen tamquam de incertis contendere, sed ut certa atque* (notetur hoc verbum) *immutabilia compendiosâ definitione proferre* [7]. Et antea legatis suis imposuerat, ut *nihil profecto præsumant augere, minuere vel mutare; sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut a prædecessori-*

Respondetur.

[1] *Pelag. II,* Ep. 5 ad *Eliam* et Episcopos *Istriæ*, n. 8. — [2] *Eutychius,* Ep. ad *Vigilium* (inter Epist. *Vigilii*); item *Constpl.* II, Collatio 1. — [3] Ep. ad *Eutychium.* — [4] *S. Greg. M.,* Epistolar., lib. I, Ep. 25 ad *Joan.* Ep^m^ *CP.* — [5] Ep. lib. V, Ep. 54 ad universos regni *Childeberti* Ep^os^. — [6] Legatur *Relatio Sanctæ Synodi Chalcedonensis ad SS. Papam Romanæ Ecclesiæ Leonem, de omnibus gestis generaliter.* — [7] Ep. 3 *Agathonis* et *Romanæ* Synodi.

bus... Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare [1] deberent. Unde Concilii Patres: *Et nos*, inquiunt,... *notionem accipientes suggestionis, directæ... ab Agathone,... et alterius suggestionis, quæ facta est a subjacente ei Concilio* (notentur hæc verba: *a subjacente ei Concilio*),... *sic sapimus... et credimus* [2]. — *Per Agathonem Petrus loquebatur* [3]. Et deinde in epistolis ad Pontificem missis: *Itaque Tibi, ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram* [4]. En igitur, Concilium ipsum non supremum tribunal, sed in omnibus Pontifici Romano subjectum se declarat.

De *Honorio* infrà dicturi sumus.

De condemnatione autem Honorii Papæ, quam pronuntiatam dicunt ab eâdem Synodo VI[a] propter ejus ad Sergium litteras, infrà (cap. X, n. 25-26) fusius agemus.

15. Synodus VIII, Can. 21.

63. 10° Affertur Synodi VIII[æ] seu Concilii Constantinopolitani IV, Canon XXI, ubi hæc leguntur: *Porro si Synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sanctâ Romanâ Ecclesiâ... controversia, oportet venerabiliter... de propositâ quæstione sciscitari et solutionem accipere,... non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices* [5]. Si ergo, inquiunt, de Summo Pontifice Concilia judicare possunt, iis profecto subjectus est. — Respondemus, non esse dubium, quin in certis quibusdam adjunctis Concilium de Summo Pontifice judicare possit. Sed quando? Hoc duplici tantum casu, quum Summus Pontifex vel declaratus hæreticus vel dubius est; et sic actum esse vidimus in Pisano et Constantiensi Concilio. Sed præter duplicem illum casum Concilium nullam in Pontifices auctoritatem habet, eique obedire tenetur, ut suprà ex multis ipsorum Conciliorum testimoniis demonstravimus.

Respondetur.

Quando Concilium de Pontifice judicare possit.

64. Quum vero controversiæ seu querimoniæ adversus Pontificem habeantur, Concilium debitâ cum reverentiâ eum interrogare poterit, et obsequenti animo ejus exspectare responsionem; minime vero de ejus agendi ratione cum audaciâ judicare; et hoc designant ea verba, ex Synodo VIII[a] desumpta, quibus adeo innititur Natalis Alexander. Ceterum, ubi de hoc Concilio agi cœptum est, quum Photius ad Ecclesiam Ignatii Patriarchæ obrepsisset, S. Nicolaus Papa in hunc modum ad Episcopos scripsit: *Et ut vos hujus Sedis (Apostolicæ) privilegium rite servantes... pari religione nobiscum super venerabilis Ignatii Patriarchæ sacerdotii recuperatione, et Photii pervasoris expulsione eadem sentiatis, Apostolicâ auctoritate vobis injungimus* [6], *cet.* Et in Epistolâ ad Imperatorem Michaelem, quæ deinde in Concilio recitata est et accepta: *Patet profecto*, inquit, *Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum; neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illo autem nemo sit appellare permissus* [7]. Et quum defuncto S. Nicolao successisset Adrianus II, hic legatos suos ad Concilium misit cum formulâ ab ipso confectâ, cui Patres subscribere deberent; quo facto, ad subscriptionem suam Patres ipsi hæc addiderunt verba: *Quoniam, sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et observantes ejus omnia constituta, speramus, ut in unâ Communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in quâ est integra et vera Christianæ Religionis soliditas* [8]. En quibus verbis Concilium VIII agnoverit, supremæ se subesse Romani Pontificis auctoritati.

Quid extra hos casus facere possit.

Quid in Synodo VIII factum sit.

16 *Leo III* subjectum se declaravit.

65. 11° Leo III, a Galliæ Episcopis interrogatus, num inter Missarum solemnia

[1] Ep. 1 *Agathonis* ad Imperatores. — [2] *Constpl.* III, Actio 8. — [3] Actio 18, Sermo acclamatorius. — [4] Actio 18, Litteræ Concilii ad *Agathonem*. — [5] Actio 10, can. 21. — [6] Ep. 11 ad omnes fideles (*Migne*, Patr. Lat., vol. CXIX, col. 783). — [7] Ep. 86 (al. 8), ad *Michaelem* Imper. — [8] Synod. VIII, Actio 1.

cantari liceret particulam *Filioque*, Symbolo additam; quum in Conciliis generalibus illud verbum non haberetur, quin etiam illa prohibuissent, ne Symbolo alia verba adderentur, respondit: *Non audeo dicere, non bene fecisse, si fecissent.... Nam et ego me illis* (Conciliis nempe) *non dico præferam, sed etiam illud absit mihi, ut coæquare præsumam* [1]. Unde colligunt, pronuntiasse Summum Pontificem, auctoritatem suam Conciliorum auctoritate esse inferiorem. — Sed quis non videt, illud responsum esse meram humilitatis significationem; minime vero declarationem de Concilii supra Pontificem præstantiâ? Ac præterea de quibusnam Conciliis loquitur? De Conciliis a Pontifice jam approbatis ejusque confirmatis auctoritate. Sed quomodo inde colligitur, Summum Pontificem Concilio esse subjectum?

Respondetur.

17. Galli Episcopi ita senserunt.

66. 12° Duo refert Natalis, ex quibus probare nititur, veterem esse Galliæ Episcoporum sententiam, Summum Pontificem non esse Conciliis superiorem. Et primum quidem, quum sæculo XI Joannes XVIII Petro Cardinali Ecclesiæ cujusdam consecrationem commisisset, reliqui Episcopi molestissime illud tulerunt, *quod contra Canones attentatum videretur.* — Item, quum Episcopus Matisconensis de Viennensi Archipræsule conquestus esset, quod sine suâ licentiâ Cluniacensem monachum ordinasset; Abbas vero in suam defensionem Pontificium privilegium protulisset; Episcopi nihilominus, apud Ansam in Concilio congregati, responderunt, privilegium illud, utpote Canonibus contrarium, ratum non esse habendum. — Hic vero lectori considerandum relinquo, num horum particularium Episcoporum sententia Summo Pontifici derogare potuerit supremam illam potestatem, quam et sancti Patres et Concilia ei attribuunt. Hic saltem illud respondere sufficiat, quod ipse Natalis fatetur, *ut ipsos Canones temperare possit* [2].

Respondetur.

18. *Innoc. III* a Concilio deponi se posse fatetur.

67. 13° Refert Natalis Alexander, Innocentium III, quum a Gallorum Rege, *Philippo Augusto*, rogaretur, ut ejus solveret matrimonium cum *Ingeburgâ*, cum quâ affirmaret *adfuisse commixtionem sexuum, non tamen seminum*, hunc in modum respondisse: *Verum si super hoc absque generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam,... quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis et officii nobis periculum immineret* [3]. Unde colligunt, opinatum esse Innocentium, a Concilio ex officio se amoveri potuisse, si contra legem divinam in tali matrimonio dispensasset. *Unde vero periculum illud*, inquit Natalis, *nisi a Concilio, a quo se posse coerceri agnoscit, si de lege divinâ dispensaret?* [4] — Nos vero respondemus, non esse dubium, quin Summus Pontifex a Concilio posset deponi, si hæreticus declararetur; qualis esset, qui definiret doctrinam, divinæ legi oppositam; et hoc periculum designavit Innocentius (ut recte advertit *A. Benettis* [5]), ne videlicet ordine suo et officio privaretur: quocirca in eâdem epistolâ scripserat, se non audere negotium illud definire contra illud Evangelii: *Quod... Deus conjunxit, homo non separet* [6]. Quum vero periculum illud esset valde remotum, et Summus Pontifex speciosâ quâdam excusatione expediri vellet Regis Christianissimi obtestationibus, obscura illa et ambigua scripsit verba: *forsan ordinis et officii periculum nobis immineret.*

Respondetur.

Quid prædecessores dixerint.

68. Ceterum iis verbis Innocentius certo noluit dicere, Summum Pontificem, etiam extra casum hæresis, Concilio esse subjectum; quum tot Pontifices, ejus prædecessores, contrarium statuissent. S. Bonifacius scripsit: *A nemine* (Pontifex) *est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius* [7]. S. Anacletus: *Ejectionem vero sum-*

S. Bonifacius.

S. Anacletus.

[1] Conc. *Aquisgranense*, a° 809, Ratio de Symbolo Fidei. — [2] L. c., Diss. 4, init. — [3] Regestor., lib. XV, n. 106; *Philippo* Regi *Francorum*. — [4] L. c., art. 1, § 4, n. 30. — [5] Privileg. Rom. Pont. Collat. Vindic., p. 1, a. 3, § 2. — [6] *Matth.*, XIX, 6. — [7] Dist. 40, cap. « *Si Papa* » 6.

morum Sacerdotum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus... concessisset[1]. S. Anterus: *Facta subditorum judicantur a nobis; nostra vero judicat Deus*[2]. S. Gelasius, de Sede Apostolicâ agens, canones statuisse ait, *illam de totâ Ecclesiâ judicare, ipsam ad nullius commeare judicium*[3]. Præterea ipse Innocentius declaravit, nullam aliam potestatem Pontificis potestati limites statuere posse: *Quamvis autem canon* (tertius) *Lateranensis Concilii ab Alexandro, prædecessore nostro, editus, non legitime genitos adeo persequatur, quod electionem talium innuit nullam esse, nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas,... quum non habeat imperium par in parem*[4]. Et hic probe notandum est, canonem Concilii ab Innocentio vocari canonem ab Alexandro Papâ editum. Quid ita? Quod cognitum haberet Innocentius, omnes Conciliorum canones vim suam a Summi Pontificis auctoritate accipere.

S. Anterus. S. Gelasius. Ipse Innocentius quid.

Conclusio.

69. Hæc sunt cum multâ diligentiâ et labore a Natali Alexandro collecta argumenta, quibus adversarii probare nituntur, Summum Pontificem Conciliis esse subjectum. Nos vero intelligere non possumus, cur tantopere moveantur, quod vel nonnulli Episcopi decretis Summi Pontificis restiterint; vel alii injusta quædam sibi arrogaverint contra Pontificiam auctoritatem; vel aliquod concilium nonnulla statuerit contra sententiam, non tamen decretoriam, Romani Pontificis; vel concilia denuo examinaverint nonnullos fidei articulos, a Summo Pontifice jam definitos (quam examinationem ipsi Pontifices fieri voluerant, ut hæreticorum tumultus et audacia melius frangerentur); vel denique æquivocum aliquod verbum fortuito ab aliquo Pontifice, de aliâ re agente, emissum vel scriptum fuerit; — modice vero tangantur tot Summorum Pontificum, sanctorum Patrum ipsorumque Conciliorum œcumenicorum disertis declarationibus, quæ sine ullâ dubitatione ostendunt, auctoritatem Summi Pontificis Conciliorum auctoritate esse superiorem. Confer, quæ in hoc capite (*num. 7-14*) de eo argumento diximus, et in proximo capite dicemus (*num. 5-13*). Hic autem breviter nonnulla excerpere liceat ex iis, quæ Concilia generalia statuerunt. Concilium Nicænum I[5] declarat, Summum Pontificem potestatem habere *super... universam Ecclesiam.* Lugdunense II[6] affirmat: *Summum primatum... super universam Ecclesiam... obtinet... cum potestatis plenitudine;* et adjungit: *De fide... quæstiones suo debent judicio definiri,... suâ... observatâ prærogativâ... in generalibus Conciliis.* Chalcedonense[7], S. Leoni obtemperans, ea sequitur, quæ Papa definierat: *Altera,* inquiunt Patres (i. e. præter eam, quam Pontifex statuit) *definitio non sit.* Sardicense[8] decernit: *A Synodo... posse ad Romanam Sedem appellari.* Lateranense III[9], a Romanæ Ecclesiæ decretis, inquit, *non potest recursus ad superiorem haberi.* Concilium Romanum[10], Symmacho Pontifice habitum, *Papam* declarat, *nullius, extra casum hæresis, judicio subjectum.* Constantinopolitanum IV[11] fatetur: *Sententiam, jam olim a sanctissimo Papâ Nicolao pronuntiatam... nequaquam possumus immutare.* Et Concilium Viennense[12] confitetur, *dubia fidei declarare ad Sedem Apostolicam pertinere.* Florentinum[13] edicit, *plenam potestatem (Pontifici) traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur.*

Levissima adversariorum argumenta.

Gravissima argumenta nostra.

Quid ipsa Concilia dixerint.

70. Et quum permagni æstiment adversarii obscura quædam Summorum Pontificum sanctorumque Patrum dicta, nihil

Quid summi Pontifices dixerint.

[1] Dist. 79, cap. « *Ejectionem* » 11. — [2] Causa 9, quæst. 3, cap. « *Facta* » 15. — [3] Causa 9, quæst. 3, cap. « *Ipsi sunt* » 16. — [4] Cap. « *Innotuit* » de Elect. — [5] Can. 39 inter *Arabicos* (Vide not. (*a*), pag. 301). — [6] Litteræ *Michael.* ad Gregor. X. — [7] Sess. 5. — [8] Can. 3. — [9] Capit. 1. — [10] Anno 503, Synod. *Rom.* V. — Conf. etiam, a° 501, Syn. *Rom.* III. — [11] Sess. 5. — [12] J. C. *Clementin.*, lib. I, de Summa Trinitate et Fide Cathol., tit. 1. — [13] Decretum Unionis.

moventur ex iis, quæ docent S. Anacletus: *Hujus Sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ... reguntur*[1]; S. Gelasius: *Sedes beati Petri... de omni Ecclesiâ fas habeat judicandi*[2]; Bonifacius VIII: *Subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ... (est) de necessitate salutis*[3]; ex Pii II[4] et Sixti IV[5] excommunicationis sententiâ contra eos, qui a Romano Pontifice Concilium appellare præsumant; ex iis, quæ asseverant S. Cyrillus: *Sicut Christus accepit a Patre... plenissimam potestatem, sic et Petro et ejus successoribus plenissime commisit, et nulli alii quam Petro... dedit* (supremam Ecclesiæ curam)[6]; Isidorus: *Subjicientes etiam reliqua decreta Præsulum Romanorum..., in quibus pro culmine Sedis Apostolicæ, non impar Conciliorum exstat auctoritas..., nec ullam Synodum ratam esse legimus, quæ ejus non fuerit auctoritate congregata vel fulta*[7]; S. Petrus Chrysologus: *Petrus, qui in propriâ Sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem*[8]; S. Thomas Angelicus: Unitas fidei *servari non posset, nisi quæstio fidei... determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest*[9], i. e. per Romanum Pontificem.

Quid SS. Patres.

En quid etiam *Andreas Duval*, Sorbonicus professor, de eodem argumento dicat. In disputatione: *De supremâ Romani Pontificis potestate* (p. II, qu. 4, sub finem) Summi Pontificis infallibilitatem strenue defendit, et præter S. Thomam[10], pro eâdem sententiâ plures citat Parisienses doctores, S. Bonaventuram[11], Hervæum Armoricum, Henricum Gandavensem et Joannem de Cellaia[12]. Et in eodem Tractatu (p. IV, qu. 7): *Quum totus orbis*, inquit, *exceptis pauculis doctoribus, eam* (sententiam) *amplectatur, et præterea rationibus validissimis, quum ex Scripturâ, Conciliis et Patribus, tum ex principiis Theologiæ petitis confirmetur.* Et in Procœmio, *Concilium Basileense*, ait, in hoc puncto Pontificiæ auctoritatis inimicum, *ab universali Ecclesiâ explosum semper rejectumque fuisse*[13]. Recole ea, quæ in hoc capite (*n. 2* et *3*) diximus. — Cetera Conciliorum et sanctorum Patrum de Pontificiarum definitionum infallibilitate testimonia hic prætermissa, in proximo capite commemorabimus.

Quid theologi.

Transitus ad reliqua.

CAPUT X.

PROBATUR, IN FIDEI ET MORUM QUÆSTIONIBUS DEFINIENDIS PONTIFICEM ROMANUM ESSE INFALLIBILEM.

Summus sacerdos infallibilis erat.

1. Summi Sacerdotis sententia etiam in antiquo Testamento infallibilis erat; quocirca siquis ejus decretis non paruisset, capitis pœnâ contumaciam luebat. In Deuteronomio scriptum est: *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel*[14]. Et apud Ecclesiasten legitur: *Verba sapientium*

[1] Dist. 22, Can. « *Sacrosancta* » 2. — [2] Causa 9, quæst. 3, cap. « *Cuncta* » 18. — [3] Extrav. « *Unam Sanctam* » de Majoritate et Obedientia, cap. 1. — [4] « *Exsecrabilis* » 18 Jan. 1459. — [5] « *Nos qui* » 15 Julii 1483 (Apud *Rocaberti*, de Rom. Pont., t. 3, lib. II, cap. 3). — [6] Apud *S. Thom.*, Opusculum I contra errores Græcorum (Cfr. quæ diximus, n. 11, pag. 309 (*b*). Nota edit.). — [7] Isidorus Mercator. Præfatio in Canones. — [8] Ep. ad *Eutychem.* — [9] 2ª 2æ, qu. 1, art. 10. — [10] L. c. — [11] In Sent. lib. IV, dist. 19, Exposit. textus, dub. 6; et art. 2, qu. 1 ad 4; Expos. in Regul. *Fratr. Min.* Præfat.; Breviloquium, pars 6, cap. 10. — [12] Vide *Duval*, l. c. — [13] Pars Prima. Anteloquium; in quæst.: *Quo pacto hoc Concilium æstimatum fuerit in Gallia* (Vide apud Rocaberti, tom. III. — Hujus Tractatûs editio Parisiens. 1877, in Appendice illam quæstionem reponit). — [14] Deuteron., XVII, 12.

sicut stimuli et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras [1]. Et licet constitutum esset *Sanhedrin*, ex septuaginta viris compositum, summi Sacerdotis tamen erat, majoris momenti dubia definire; quapropter in pectore gerebat Rationale, cui inscripta erant verba: *Judicium et Veritas* [2]. Si autem tale privilegium concessum fuit Synagogæ, multo magis idem existimari debet datum esse Ecclesiæ, quæ per totum orbem diffusa, et tantâ hæresum turbâ impugnata, magis indiget unico eoque infallibili judice, qui errores contra fidem morumque honestatem cito tollere possit.

Illa dote magis indiget Ecclesia Christi.

Quandonam infallibilis sit Summus Pontifex.

2. Itaque notari oportet, fallibiles esse Summi Pontificis definitiones, ubi agitur de mero dubio facti, quod ex solo hominum testimonio pendet, vel quum ut doctor privatus tantum loquitur. Sunt vero infallibiles, quum loquitur, etiam extra Concilium, ut Ecclesiæ doctor universalis, et *ex cathedrâ* definit fidei morumve controversias, quæ sunt vel juris tantum vel alicujus facti cum jure conjuncti; et illud quidem ex supremâ potestate, S. Petro et per eum omnibus ejus successoribus a Jesu Christo collatâ.

En verba Doctoris Angelici: postquam dixit, fidei veritates in Symbolis nobis tradi [3], ita pergit: *Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis.... Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud: « Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata* [4] *»; quod servari non posset, nisi quæstio de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a totâ Ecclesiâ firmiter teneatur* [5]. Atque idem docuerunt *S. Bonaventura* [6], *Thomassinus* [7], *Melchior Canus* [8], *Spondanus* [9], *Cajetanus* [10], *Sotus* [11], *Duvallius* [12], *Ludovicus Bail* [13], *Bellarminus* [14], *Gregorius de Valentia* [15], Card. *Gotti* [16], *Milante* [17] et alii communiter.

Num requiratur consultatio doctorum.

3. Ex iis tamen alii dicunt, Summum Pontificem tunc solum esse infallibilem, quum in quæstionibus definiendis mature procedat, audito judicio sapientum ac præsertim consultato Cardinalium consistorio, Spiritûs-Sancti quoque lumine implorato et indictis publicis precibus. Alii vero melius dicunt, eam conditionem esse congruentem tantum, non necessariam: quum infallibilitas soli Pontifici promissa sit, non vero ejus consultoribus; secus enim hæretici semper objicere possent, debitam considerationem non fuisse adhibitam, et Summum Pontificem viros parum doctos vel præjudicatâ opinione imbutos in consilium advocasse. Quid vero, si Summus Pontifex temere et sine opportuno consilio ageret?—Illud numquam accidere potest, respondet Bellarminus [18]; nam idem ille Deus, qui promisit, suo Se semper adfuturum esse vicario, nequando in fidei definitionibus erret (*rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* [19]), quemadmodum promissa non servare nequit, ita permittere non potest, ut Summus Pontifex vel fallatur vel temere aliquid definiat. Quare Concilium Tridentinum: *Quodsi in his* (Concilii definitionibus) *recipiendis aliqua difficultas oriatur*, inquit; *aut aliqua inciderint, quæ declarationem (quod non credit) aut definitionem postulent; præter*

[1] Eccl., XII, 11 et 12. — [2] Exod., XXVIII, 30 (*Pones autem in rationali judicii Doctrinam et Veritatem*); 1 Reg., XXIII, 9 seq.; XXX, 7 seq. — [3] 2ª 2æ, qu. 1, art. 9. — [4] 1 *Cor.*, I, 10. — [5] L. c., art. 10. — [6] Expos. in Regul. *Fratr. Minor.*, Præfat.; — de Ecclesiastica Hierarchia, pars 2, cap. 1. — [7] Dissertationes in Concilia; diss. 2, n. 49 et 50; diss. 18 passim. — [8] De Locis Theologic., lib. VI, cap. 7. — [9] Annal. *Baron.* Epitom., a° 33, n. 5. — [10] Comm. in 2ªm 2æ, qu. 1, art. 10. — [11] In Sent. lib. IV, dist. 22, qu. 2, art. 2. — [12] De suprema Rom. Pontif. Potestate, pars 2, qu. 1 et 2. — [13] Apparat. ad Summ. Concilior., pars 3, § Solutio quæstionum super Potestate Papali, quæst. 55; cfr. Summ. Concilior.; Conc. *Florentin.*, § De Auctoritate Pontificis Romani. — [14] De Romano Pontifice, lib. IV, cap. 2 seq. — [15] Comm. Theologici, tom. III, disp. 1, quæst. 1, punct. 7, § 40. — [16] Theol., tract. 1, quæst. 3, dub. 6, § 2. — [17] Exercitationes Dogmatico-morales in Prop. proscriptas ab Alex. VIII, exerc. 19, prop. 29. — [18] L. c., cap. 2. — [19] *Luc.*, XXII, 32.

alia remedia, in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus, beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit... consulatur [1].

Qualem notam incurrat contraria sententia.

4. Ceterum *Franciscus Suarez: Veritas catholica est,* inquit, *Pontificem definientem ex cathedrâ, esse regulam fidei, quæ errare non potest, quando aliquid... proponit... Ecclesiæ tamquam de fide... credendum; ita docent hoc tempore omnes catholici doctores, et censeo esse rem de fide certam* [2]. — Et deinde Rogerum, qui negabat, hoc esse de fide, Summum Pontificem, etiamsi sine Concilio generali definiat, non posse errare, sic compellat: *Est responsio non solum nimis temeraria, sed etiam erronea; nam... tam est constans Ecclesiæ consensus et catholicorum scriptorum concors de hac veritate sententia, ut eam in dubium revocare nullo modo liceat* [3]. — Idem de Summi Pontificis auctoritate affirmat *Bannez* [4]. Et Bellarminus: Sententia contraria, inquit, *videtur omnino erronea et hæresi proxima* [5]. Consentit quoque *Duvallius,* Doctor Sorbonicus, qui anno 1612 ita mentem suam aperuit: *Opinio, quæ Romæ tenetur, vacat omni temeritate, quum totus orbis, exceptis pauculis doctoribus, eam amplectatur, et præterea rationibus validissimis, quum ex Scripturâ, Conciliis et Patribus, tum ex principiis Theologiæ petitis confirmetur* [6]. Et: *Nemo nunc est in Ecclesiâ,* inquit, *qui ita* [i. e. contrarium] *pro certo sentiat, præter Vigorium et Richerium, quorum si vera esset sententia, totus fere orbis Christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret* [7]. Præterea doctissimus *Melchior Canus* in celebri opere *De locis theologicis* [8], Ecclesiam in rebus fidei semper consuevisse ait, non ad alium quam ad Pontificem Romanum recurrere, ejusque semper judicia ut irrefragabilia accepisse; itemque in solâ Ecclesiâ Romanâ impleta fuisse Jesu Christi de Petro ejusque successoribus vaticinia: reliquas enim Apostolorum Ecclesias aliquando esse occupatas vel ab infidelibus vel ab hæreticis, at solam Romanam Ecclesiam ab iis numquam esse infectam. Quare: *Nos autem,* inquit, *communem Catholicorum sententiam sequamur...,* (quam) *sacrarum etiam litterarum testimonia confirmant, Pontificum decreta definiunt,... Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiæ usus observat.* Atque ibidem hæc memoranda sane adjungit verba: *Sed quæris: Eritne hæreticum asserere, Romanam Ecclesiam degenerare quoque ut ceteras posse, et Apostolicam etiam Sedem a fide posse Christi deficere?... Hieronymus* [9] *... perjurum dicit, qui... Romanæ Sedis fidem non fuerit secutus. Cyprianus* [10] *...:* « QUI CATHEDRAM, inquit, PETRI, SUPRA QUAM FUNDATA EST ECCLESIA, DESERIT, IN ECCLESIA ESSE NON CONFIDAT... ». *Concilium Constantiense* [11] *illos esse hæreticos judicavit, qui Romanæ Ecclesiæ fidei et doctrinæ refragarentur. Illud postremo addam: Quum ex traditionibus Apostolorum ad evincendam hæresim argumentum firmum certumque trahatur; constet autem..., Romanos Episcopos Petro in... fidei magisterium successisse, ab Apostolis esse traditum; cur non audebimus assertionem adversam tamquam hæreticam condemnare? Sed... nolo ego judicium Ecclesiæ antevertere.... Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos Ecclesiæ ac perniciem afferre,*

Suarez. Bannez. Bellarm. Duval. Canus.

[1] Sess. XXV, cap. De recipiendis et observandis Decretis Concilii. — [2] De Fide theologica, disp. 5, sect. 8, n. 4. — [3] Ibid., disp. 20, sect. 3, n. 22. — [4] Scholastica Comm. in *D. Thom.*, 2^{a} $2^{æ}$, qu. 1, art. 10, dub. 2, concl. 4. — [5] De Rom. Pontifice, lib. IV, cap. 2. — [6] De Suprema R. Pont. Potestate, pars 4, quæst. 7, n. 5. — [7] Ibid., n. 3. — [8] De Locis Theol., lib. VI, cap. 7. — [9] Ep. 15 ad *Damasum*, n. 2. — [10] De Unitate Ecclesiæ, n. 4. — [11] Bulla *Martini V*, de errorib. *Wicleffi* et *Hus*, 22 Febr. 1418, « *sacro approbante Concilio* » promulgata: « *Inter cunctas* ».

qui aut negant, Romanum Pontificem Petro in fidei doctrinæque auctoritate succedere, aut certe adstruunt, summum Ecclesiæ Pastorem, quicumque tandem ille sit, errare in fidei judicio posse. Utrumque scilicet hæretici faciunt: qui vero illis in utroque repugnant, hi in Ecclesiâ Catholici habentur [1]. Fortasse dicet aliquis, potuisse me huic operæ parcere, nec recoquere quæstionem, a tot auctoribus agitatam. Sed ex iis, quæ ex *Melchiore Cano* attuli, nemo non videt, quantopere ad fidei bonum intersit, Summi Pontificis in rebus definiendis infallibilitatem plane stabiliri. Atque iis *Melchioris Cani* verbis valde suffragatur illud S. Cypriani: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt... quam dum sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur* [2]. Nam, ut recte animadvertit *Milante* [3], ii qui Summi Pontificis decretis pertinaciter restiterunt, primo schismatici ac deinde hæretici facti sunt.

Quæstio est summi momenti.

Probatur infallibilitas.

1. ex Scriptura. a *Matth.* XVI, 19.

5. Sed jam ad argumenta veniamus. — Infallibilia esse Romani Pontificis judicia, probatur primum ex Scripturis. S. Petro Jesus Christus dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* [4]. « Ligare » juxta Scripturas significat leges condere et obligationis vinculum imponere. Tunc ergo Petrus generalem potestatem accepit universam obligandi Ecclesiam, nullâ Concilii ratione habitâ; eademque tunc potestas collata est Petri successoribus, qui post ejus mortem Ecclesiam gubernarent. — Item S. Petro dixit: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [5]. Primo igitur de omnibus Apostolis locutus est: *expetivit vos;* tum vero solum Petrum alloquens: *rogavi,* inquit, *pro te;* non *pro vobis:* speciale Petro concessum privilegium fide numquam excidendi. In ea verba S. Leo: *Pro fide Petri,* inquit, *proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit* [6]. — Petri successoribus quoque idem datum est privilegium; omnes enim promissiones, Petro ut Ecclesiæ Capiti factæ, item ejus successoribus factæ necessario intelligi debent; quemadmodum illud intellexit Concilium Constantinopolitanum III, quum in IV^{a} et VIII^{a} Actione laudibus prosecutum est S. Agathonis orationem, quâ Summus Pontifex hoc argumentum dilucide explicavit. Et hæc est evidens ratio, quod, quum Petro datum sit illud privilegium ad superandas omnes Satanæ adversus Ecclesiam vexationes, idem valet de singulis ejus successoribus. Atque ita communi sententiâ illud intellexerunt SS. Patres: S. Augustinus [7], S. Joannes Chrysostomus [8], S. Leo [9], S. Gregorius [10], S. Bernardus [11] et S. Thomas [12].

b *Luc.* XXII 31-32.

Explicatur vers. 32.

6. Addidit Redemptor: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hic etiam magis patet, Dominum non membris, sed capiti, Petro, infallibilitatem impetrasse, ut sine membris quoque caput esset infallibile. Si fides Petri a dirigente Concilio penderet, Petrus non confirmaret fratres, sed a fratribus confirmaretur. — Item apposuit verbum *conversus: Et tu aliquando conversus confirma, cet.* Eorum explicatio, qui illud Ecclesiæ dictum esse volunt, nequaquam subsistere potest; Ecclesia numquam defecit nec deficere potest, ut conversione indigeret: Petrus vero, quem prævidit Dominus, tempore Passionis, ut hominem privatum esse defecturum, ut Pastor universalis reliquos deinde confirmare debebat; atque idem facerent ejus successores, quum Ecclesia semper indigeat pastore, qui eam infallibiliter

[1] L. c. — [2] Ep. ad *Cornel.* de 5 Presbyt. et *Fausto* (12^{a} inter Ep^{as} *S. Cornel.* Papæ). — [3] Exercitatio 19, prop. 29. — [4] *Matth.,* XVI, 19. — [5] *Luc.,* XXII, 31 et 32. — [6] Sermo 4, cap. 3. — [7] De Correptione et Gratia, cap. 8, n. 17. — [8] In *Matth.,* Homil. 82, n. 3. — [9] Sermo 4, cap. 3. — [10] Epistol. lib. VII, Ep. 40 ad *Eulogium.* — [11] Ep. 190 ad *Innocent.* — [12] 2^{a} 2^{æ}, qu. 1, art. 10.

in fide confirmet. En quid S. Bernardus Innocentio II scribat: *Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum.... Cui enim alteri* (Sedi) *aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?* [1] *Istam* (notentur hæc verba) *infallibilitatis Pontificiæ prærogativam constantissima perpetuaque Sanctorum Patrum traditio commonstrat.*

Objectio cum responsione.

Sequitur, non requiri Ecclesiæ consensum.

7. Alii tunc solum infallibiles esse contendunt Summi Pontificis definitiones, quum ad eas accedat Ecclesiæ consensus. Quibus ita respondet *Gagliardi: Quo vero pacto stabit sponsio Christi de fide Petri numquam defecturâ, deque Petro fratres confirmaturo, si Petri fides subjiciatur omnino fratrum, puta Episcoporum, censuræ aut confirmationi?* [2] Quod si ita esset (ita alius quidam auctor sapienter addit), Summus Pontifex nullam præ alio quolibet Episcopo vel etiam privato quocumque doctore prærogativam haberet; quandoquidem infallibilis fieret privati quoque doctoris sententia, si tota Ecclesia eam approbaret: Jesus Christus vero voluit, ut solius Petri esset fratres confirmare, quod super eum solum ædificasset Ecclesiam.

c Joan. XXI, 17.

8. Dominus his quoque verbis S. Petrum allocutus est: *Simon Joannis, amas me?... Pasce oves meas* [3]. Pascere intelligitur sanam tradere doctrinam; non vero falsam, quod non esset oves pascere sed occidere, ad pascua venenata eas conducendo. Ex eo textu S. Thomas infert, graviter errare eum, qui negat, Pontificiis definitionibus obtemperari debere. En ejus verba: *Petro dixit* (Christus): *Pasce oves meas, cet. — Per hoc autem excluditur quorumdam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur a... subjectione Petri, successorem ejus Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes* [4]. — Porro ad Natalem Alexandrum [5], qui illud: *pasce oves meas* non Petro sed Ecclesiæ dictum esse asserit, ita respondetur: Ergone Ecclesia seipsam pascere debet; itemque pascere Petrum? Sed si Dominus Ecclesiam alloqui voluisset, his usus esset verbis: Oves meæ, si me amatis, pascite Petrum, meum vicarium; vos pascite pastorem vestrum. — Sed revera Petrum allocutus est, et Petro imposuit, ut omnes fideles pasceret, tam subditos quam prælatos. *Pascit filios,* inquit S. Eucherius, *pascit et matres; regit et subditos et prælatos* [6]. Et S. Leo: *Unus Petrus eligitur,* inquit, *qui... omnibus... præponatur; ut quamvis... multi... sint... pastores, omnes... regat Petrus* [7]. Verumtamen, etsi tam clare loquitur Evangelium, volunt adversarii, pastorem ab ovibus pasci, fundamentum ædificio sustineri, magistrum doceri a discipulis, caput membris dirigi, Petrum a fratribus confirmari; uno verbo, totum inverti ordinem.

2. ex Conciliis.

9. Quoniam vero nihil magis valet ad declarandam Summi Pontificis infallibilitatem quam ipsorum œcumenicorum Conciliorum sententiæ, plura hic recolenda sunt testimonia, quæ in superiori Capite ex Conciliis attulimus.

Nicæn. I.

Concilium Nicænum I, Silvestro Papâ habitum, Canone 39° definit: *Ille qui tenet Sedem Romæ, caput est... cui data est potestas in omnes... populos..., ut qui sit Vicarius Christi... super cunctos populos et universam Ecclesiam Christianam; et quicumque contradixerit, a Synodo excommunicatur* [8]. — Concilium Chalcedonense, anno 451 sub S. Leone celebratum, cui 630 Episcopi interfuerunt, ita statuit (ut refert S. Thomas [9]): *Omnia ab eo* (i. e. a Leone) *definita,... teneantur tamquam a Vicario Apostolici throni.* Et in Actione II^a^, recitatâ S. Leonis epistolâ, Patres dixerunt: *Omnes ita credimus....*

Chalcedon.

[1] L. c. (Verba, quæ sequuntur, apud *S. Bernardum* invenire non potui. Nota edit.). — [2] Instit. Juris Canonici, lib. I, t. 12, n. 16. — [3] *Joan.*, XXI, 17. — [4] Contra Gent., lib. IV, cap. 76. — [5] Sæc. 15 et 16, Diss. 4, art 1, § 3, n. 8. — [6] Sermo in vigilia *S. Petri* (Biblioth. Max. Vet. Patr. — Ab aliis *S. Eucherio,* ab aliis *Eusebio Emisseno* [*Gallicano*] tribuitur. Nota edit.). — [7] Sermo 4, cap. 2. — [8] Can. 39 inter *Arabicos* (Vide not. (*a*), pag. 301). — [9] Opusc. 1 contra Errores *Græcorum.*

Anathema ei, qui ita non credit! Petrus per Leonem ita locutus est. Et de eodem Concilio scribit S. Thomas: *Romanus Pontifex... cujus auctoritate solâ... Synodus congregari potest, et a quo sententia Synodi confirmatur; et ad ipsum a Synodo appellatur: quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi* [1]. — Jam antea, Sardicense. anno 347 sub Julio I, statuerat Concilium Sardicense [2], a Synodo condemnatos posse Romanam Sedem appellare, hujusque arbitrio relinqui, velitne ipsa causam cognoscere an judices delegare. — Quod consonat iis, quæ Concilium Nicænum I de Sede Apostolicâ dixit: *Cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas... antiqua Apostolorum eorumque successorum atque Canonum auctoritas* Lateran. III. *reservavit* [3]. Ac similiter iis, quæ asseruit Concilium Lateranense III; postquam enim definivit, in Ecclesiis particularibus dubia judicio Superioris posse decerni, ita pergit: *In Romanâ vero Ecclesiâ speciale aliquid constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi* [4]. Si a Pontifice nullus datur ad alium superiorem recursus, in suis definitionibus pro Roman. infallibili eum haberi necesse est. Idem declarat Concilium Romanum sub Symmacho Papâ celebratum: *Papam esse summum Pastorem, nullius, extra casum hæresis, judicio subjectum* [5].

Constantinop. **10.** Præterea in Concilio Constantinopolitano II, anno 553, Vigilio Summo Pontifice, adversus Origenis hæresim et tria Capitula Theodori, Theodoreti et Ibæ celebrato, dicitur: *Nos... Apostolicam Sedem sequimur...; et ipsius communicatores, communicatores habemus* [6], *cet.* — In Concilio Constantinopolitano III, Constantinop. III. anno 680 sub S. Agathone habito, Patres, benigne exceptâ epistolâ, quâ Summus Pontifex Concilio præscripserat, quid contra Monothelitas de fide esset tenendum: *Et nos...*, inquiunt, *notionem accipientes suggestionis directæ... ab Agathone..., et alterius suggestionis, quæ facta est a subjacente ei Concilio,... sic sapimus... et credimus* [7]. *Per Agathonem Petrus loquebatur* [8]. — Et in Concilio Con- Constantinop. IV. stantinopolitano IV, anno 869, Adriano II Summo Pontifice celebrato, Nicolaum Papam vocant *Organum Sancti Spiritus* [9], et ideo protestantur: *Neque nos sane novam de illo judicio sententiam ferimus, sed jam olim a sanctissimo Papâ Nicolao pronunciatam, quam nequaquam possumus immutare* [10]. Et quum Concilio subscripsissent, hæc memoranda adjunxerunt verba: *Quoniam, sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et observantes ejus omnia constituta, speramus ut in unâ Communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianæ Religionis soliditas* [11]. — Insuper Concilium Lugdunen- Lugdun. II. se II, anno 1274 sub Gregorio X habitum, quo convenerant 500 Episcopi, con-

[1] De Potentia, qu. 10, art. 4 ad 13[m]. — [2] [Al. a° 343] Can. 3 et 5. — [3] Corp. Jur. 2, qu. 6, *Omnes Episcopi* (Jul. I, Epist. 2 contra Orientales, n. 2; quæ epistola supposititia est. Nota edit.). — [4] Cap. 1, de Electione S. Pontif. (Corp. Jur., cap. *Licet* 6, *de Electione*). — [5] Conf. Syn. *Roman.* III, a° 501. — [6] Actio 4. Sententia *Mennæ* contra *Anthimum* (*a*). — [7] Actio 8. — [8] Actio 18. Sermo Acclamatorius. — [9] Actio 10, Regula 2. — [10] Actio 5. — [11] Actio 1, Libellus Professionis.

(*a*) Hæc sententia lata est in Concilio *Constantinopolitano*, anno 536, Romanâ sede post *Agapeti* obitum vacante. Celebratum est contra *Anthimum, Severum, Petrum, Zoaram* aliosque *Acephalorum* principes. « Legati sedis Apostolicæ », inquit *Binius* (Cf. *Labbe-Colet* [*Venetiis* 1728], tom. 5, col 1245), « quos pontifex anno 535 ad res componendas Constantinopolim præmiserat..., summo studio post obitum Agapeti curarunt, ut quæ ab eodem Agapeto adhuc vivente constituta fuissent, nullo hæreticorum insultu labefactarentur... Induxerunt Mennam Constantinopolitanum aliosque Orientales Episcopos, ut idem procurarent... Pari consensu decreverunt... synodum colligere, ut hæretici, auctoritate Pontificis Agapeti compressi, legatorum etiam sedis Apostolicæ, et Mennæ, qui præfecturâ sedis Apostolicæ fungebatur, aliorumque orthodoxorum præsulum sententiâ condemnarentur » (Nota edit.).

stituit: *Ipsa quoque... Romana Ecclesia... principatum super universam Ecclesiam... obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro..., cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine, recepisse... recognoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere; sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri* [1]. Si ergo a Summo Pontifice definiri debent quæstiones fidei, omnes ejus definitiones ut fidei dogmata haberi necesse est. — Minime vero, inquit *Bossuet* [2], quum de hoc ipso Concilii textu loquitur; etiam Parisiensis Facultas plura circa fidem definit, sed non idcirco dogmata constituit. — Respondemus: A Facultate Parisiensi plura definiuntur; sed nemo asserit, ea a tali Facultate definiri debere, quemadmodum de Summo Pontifice dicitur: *suo debent judicio definiri.* Aliud profecto est, rem aliquam ab aliquâ Facultate definiri; aliud, dogma definiri a Summo Pontifice, quem primatum et principatum super universam Ecclesiam obtinere constat, et qui veritates fidei defendere tenetur. Si hic eas definit ut Primas et Princeps Ecclesiæ, Ecclesia ejus definitione stare tenetur; eo magis, quod idem Concilium declaravit, in quo consistat plenitudo potestatis: *Potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit,... suâ tamen observatâ prærogativâ tum in generalibus Conciliis tum in aliquibus aliis, semper salvâ* [3]. Et tandem quum recitata esset hæc sententia, his verbis annuit Concilium: *Suprascriptâ fidei veritate, prout plene lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam, Catholicam et orthodoxam fidem cognoscimus et acceptamus, et ore ac corde confitemur, quod vere tenet et fideliter docet et prædicat Sancta Romana Ecclesia* [4].

Objectio cum responsione.

— Etiamsi nulla alia haberetur Conciliorum declaratio, non intelligo, quomodo negari posset Summi Pontificis infallibilitas ejusque supra Concilium præstantia. — Ad hæc, Concilium Generale Viennense sub Clemente V statuit: *Dubia fidei declarare, ad Sedem dumtaxat Apostolicam pertinere* [5]. — Et Concilium Constantiense ratam habuit Martini V epistolam, quæ hæresis suspectos interrogari jubebat: *Utrum credat, quod Papa... sit successor... Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesiâ Dei?* [6] — Suprema autem potestas ea est, ut recte ait Bellarminus, *quâ nulla est major et cui nulla æqualis* [7]. — Item Concilium Florentinum in ultimâ Sessione decrevit: *Definimus,... Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et... successorem esse Beati Petri,... totiusque Ecclesiæ Caput, et... Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro... regendi... Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur* [8]. Quum igitur certum sit, Summum Pontificem totius Ecclesiæ esse doctorem, similiter pro certo haberi debet, in omnibus fidei definitionibus eum esse infallibilem, ne Ecclesia ab ipso suo doctore decipiatur. Quocirca Synodus Parisiensis octoginta quinque Episcoporum, anno 1650 ad Innocentium Papam X scripsit: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos, quem fides Petri numquam deficiens retineri pro jure suo postulat* [9].

Viennense. Constantiense. Florentin. Parisien.

11. *Launoy* [10] aliique Summi Pontificis infallibilitatis oppugnatores Sedem Apostolicam sive Romanam (quam ipsi Ecclesiam universalem intelligunt) a Sedente seu Romano Pontifice distinguunt, et Se-

Inepta distinctio inter sedem et sedentem.

[1] Litteræ *Michael.* ad Gregor. X. — [2] Defensio Declarationis cleri *Gallicani,* lib. VII, cap. 36. — [3] *Lugd.* II, l. c. — [4] L. c. — [5] *Clementin.* Fidei Cathol. de Summa Trinit. *Apostolicæ considerationis,* inquit *(ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) aciem* (ad ea) *convertentes, cet.* (Nota edit.). — [6] Bulla *Martini V « Inter cunctas ».* — [7] De Concil., lib. II, cap. 17. — [8] Decretum Unionis. — [9] Epist. ad *Innoc. X* (de libro *Jansenii* et de quinque propositionibus. — *Actes du Clergé de France, t. 1. chap. 2).* — [10] Epistolar. lib. V, Ep. 6 ad *Jacob. Bevilaquam.*

dem infallibilem dicunt, non vero Sedentem. Ingeniosa quidem distinctio, sed non vera, utpote contraria communi sententiæ Conciliorum, Pontificum et Patrum, a quibus Sedes Apostolica seu Romana Romanus Pontifex communiter intelligitur. In Concilio Nicæno I [1] dicitur: *Omnes Episcopi... Apostolicam appellent Sedem.* In Concilio Sardicensi [2]: *A Synodo.... posse Romanam Sedem appellare, cet.* In Concilio Viennensi [3]: *Dubia fidei declarare ad Sedem... Apostolicam pertinere.* In Concilio Constantinopolitano [4]: *Nos... Apostolicam Sedem sequimur,... et condemnatos ab ipsâ et nos condemnamus.* In Concilio Lugdunensi II [5]: *Ipsa quoque... Romana Ecclesia... principatum super universam Ecclesiam... obtinet.* Anacletus Papa: *Hæc vero,* inquit, *Apostolica Sedes,... caput... omnium Ecclesiarum* [6]*, cet.* Et Theodoretus in suâ Epistolâ ad Leonem Pontificem: *Ego Apostolicæ vestræ Sedis exspecto sententiam* [7]. Et ipsi Parisiensis Synodi Episcopi (ut suprà retulimus) ad Innocentium X scripserunt: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos, quem fides Petri numquam deficiens retineri pro suo jure postulat.* Sedes igitur significat sedentem.

12. Item probatur Summi Pontificis infallibilitas ex traditione Apostolicâ, quam attestantur Sancti Patres. S. Ignatius Martyr: *Qui igitur his,* inquit (i. e. Romanis Pontificibus), *non obedit, atheus prorsus et impius est, et Christum contemnit, et constitutionem ejus imminuit* [8]. — S. Irenæus: *Necesse est... omnes ab ipsâ* (Romanâ Ecclesiâ) *tamquam a fonte et capite pendere* [9]. — S. Hieronymus in epistolâ suâ ad S. Damasum, oraculum ejus petens, debeatne in SS. Trinitate una hypostasis an vero triplex admitti: *A Pastore,* inquit, *præsidium ovis flagito... Cum successore Piscatoris... loquor... super illam petram ædificatam Ecclesiam scio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit.* Ac deinde concludit: *Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam,... ut mihi litteris tuis sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas. Discernite, obsecro, si placet, et non timebo tres hypostases dicere* [10]. S. Gregorius in Epistolâ ad Galliæ Episcopos: In quæstionibus magni momenti, inquit, *ad nostram studeat producere notionem, quatenus a nobis valeat congruâ sine dubio sententiâ terminari* [11]. — S. Athanasius, *Romanam Ecclesiam,* ait, *semper conservare veram de Deo*

3. ex Traditione.

S. Ignat.

S. Irenaeus.

S. Hieronym.

S. Gregor.

S. Athanas.

[1] In Epist. 2 *S. Julii* Pap. contra *Orientales,* n. 2 (Apud *Migne,* tom. 8, pro subditivâ habetur. Nota edit.). — [2] Can. 3 et 5. — [3] *Clementin.* Fidei Catholicæ de Summa Trinit. — [4] Actio 4 (Concil. a° 536, Sede Apostolicâ vacante, Constantinopoli celebratum. Nota edit.). — [5] Litteræ *Mich.* ad Gregor. X. — [6] Dist. 22, cap. « *Sacrosancta* » 2. — [7] Ep. 113 *Leoni* episcopo *Romæ* (*a*). — [8] Ep. ad *Trallesios,* n. 7 (inter interpolatas. Nota edit.). — [9] Advers. Hæres., lib. III, cap. 3, n. 2 (His verbis Bellarminus, *de Rom. Pontif., lib. II, cap. 15,* Irenæi sententiam paucis expressit. Nota edit.). — [10] Ep. 15 ad *Damasum,* n. 2, 3 et 5. — [11] Epistol. lib. V, Ep. 54 ad universos Regni *Childeberti* Episcopos.

(*a*) Hanc epistolam *Theodoretus, Cyrensis* Episcopus, ad *S. Leonem Magnum* misit, quum (ut ipse ibidem narrat) absens et indictâ causâ tamquam hæreticus ab Alexandrinorum antistite condemnatus esset et anathemate confixus. Præclarum illud observantiæ erga Apostolicam Sedem documentum a magnifico hoc exorditur præconio: *Si Paulus, præco veritatis, tuba Spiritus-Sancti, ad magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiæ de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret, multo magis nos humiles et pusilli ad apostolicam sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit.* Deinde expositâ totâ rerum serie: *Condemnatus sum,* inquit. *At ego apostolicæ vestræ sedis exspecto sententiam, et oro atque obtestor sanctitatem tuam, ut mihi ad rectum et justum tribunal vestrum provocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhærentem ostendere... Ante omnia ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere annon: vestram enim sententiam exspecto* [Vide *Migne* Patrol. *Græce* et *Latine,* vol. 83, col. 1311 seq.] (Nota edit.).

sententiam. Et in iisdem litteris Summum Pontificem his verbis alloquitur: *Tu profanarum hæresum atque imperitorum omniumque infestantium depositor, Princeps et Doctor, Caputque omnium orthodoxæ doctrinæ et immaculatæ fidei exi-*
S. Cyprian. *stis* [1]. — S. Cyprianus: *Deus unus est,* inquit, *et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum* (*a*) *Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare et unum sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit* [2]. Et alio loco: *Qui Cathedram Petri, super quem fundatâ est Ecclesia* (*b*), *deserit, in Ecclesiâ se esse confidit?* [3] Et alibi, de Romanis Pontificibus loquens: *Ad quos,* inquit, *perfidia habere non possit accessum* [4]. —
S. Petr. Chrysolog. S. Petrus Chrysologus Eutychetem his verbis ad obedientiam Summo Pontifici præstandam hortatur: *Quoniam beatus Petrus, qui in propriâ Sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus*
Theodoret. *fidei veritatem* [5]. — Theodoretus: *Ego,* inquit, *Apostolicæ Vestræ Sedis exspecto sententiam, et obsecro Vestram Sanctitatem, ut mihi opem ferat, justum vestrum et rectum appellanti judicium* [6]. —
S. August. S. Augustinus: *Inde* (a Romano Pontifice) *etiam rescripta venerunt; causa* (Pelagianorum) *finita est* [7]. Et alio loco: *Numerate sacerdotes vel ab ipsâ Petri Sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ* [8]. —
S. Bernard. S. Bernardus [9] (loco suprà citato): *Istam,* inquit, *infallibilitatis Pontificiæ prærogativam constantissima perpetuaque sanctorum Patrum traditio commonstrat.* —
S. Thomas. S. Thomas: *Postquam... essent* (aliqua) *auctoritate... Ecclesiæ determinata, siquis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice* [10]. Et Quæstione I, art. X jam dixerat, fieri non posse, ut in Ecclesiâ sit unitas fidei, *nisi quæstio fidei... exorta determinetur per eum* (Summum Pontificem), *qui toti Ecclesiæ præest.* —
S. Bonavent. Idem ait S. Bonaventura: *Papa non potest errare, suppositis duobus: primum quod determinet quatenus Papa.... Alterum...,* *ut... intendat facere dogma fidei* [11]. —
Jansenius. Atque idem sensit Jansenius, quum in libro procemiali Ecclesiam Romanam, Petri successorem, se sequi affirmat, et hæc deinde subdit verba: *Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio; quicumque cum ipso non colligit, spargit* [12].

4. ex testimoniis Canonum.

13. Idem quoque probant sacri Canones. In *can. Sacrosancta 2, dist. 22* Anacletus Papa: *Hæc vero,* inquit, *Apostolica Sedes, cardo et caput... omnium Ecclesiarum, a Domino et non ab alio est constituta; et sicut cardine ostium regitur, sic hujus Sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ (Domino disponente) reguntur.* — Gelasius Papa (can. *Cuncta* 18, causa 9, qu. 3) ad Episcopos Dardaniæ in hunc modum scribit: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes beati Petri Apo-*

[1] Epist. ad *Felicem* Pap. (Inter Epistolas *S. Felicis.* — Epistola dubiæ auctoritatis. Nota edit.).
[2] Epist. 40 ad plebem, n. 5. — [3] De Unitate Ecclesiæ, n. 4. — [4] Ep. ad Cornel. de 5 Presbyter. et *Fausto,* n 14 (12ª inter Ep. *S. Cornelii* Pap.). — [5] Ep. ad *Eutychem.* — [6] Ep. 113 ad *Leonem* Pap. — [7] Sermo 131, n. 10. — [8] Psalmus contra partem *Donati.*
[9] Ep. 190 ad *Innoc. II* (*Dignum namque arbitror,* inquit, *ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis.* Nota edit.).
[10] 2ª 2æ, qu. 11, art. 2 ad 3. — [11] Petr. Trigosus, Ord. Capucc. — Sti Bonaventuræ Sum. Theol., qu. 1, art. 3, dub. 3, quintus locus. — Cfr. S. Bonav. (Noviss. edit. Ad Claras Aquas, 1891, tom. V), Quæst. disputat. IV, art. 3, de Obedientia Summo Pontifici debita. — [12] Augustinus: de Ratione et Auctoritate, lib. Procemial., cap. 29.

(*a*) Sic legunt *Manutius* et *Pamelius;* alii habent: *Super petram* (Nota edit.).

(*b*) Vide hujus Voluminis pag. 296, nota (*a*).

stoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesiâ fas habeat judicandi. — Bonifacius VIII: *Porro,* inquit, *subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus,... definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis* [1]. — Quare doctus quidam auctor, *Joannes Laurentius Berti: Quorumdam sententia,* inquit, *de appellatione a sententiâ Pontificum ad Concilia, et de infallibilitate Romanæ et Apostolicæ Sedis dependenter ab aliorum Episcoporum approbatione, licet tantâ animositate tantoque argumentorum apparatu a nonnullis propugnetur, falsissima est* [2].

Objectio cum responsione.

14. Mirum dictu! Ubi Summorum Pontificum aliquis verbulum ambiguum de Conciliorum auctoritate emisit, illud confestim adversarii suo arbitratu interpretantes, velut sacrosanctam sententiam celebrant. Quæcumque vero multi Pontifices diserte pronuntiarunt de supremâ atque infallibili auctoritate Romani Pontificis, prorsus nihil valent, quod suam (ut ajunt) ipsorum causam defenderent. Sed idem nos de iis asserere possumus, quæ Concilia de suâ præstantiâ dixisse contendunt adversarii. Ergone hanc gravem Jesus Christus in suâ Ecclesiâ reliquit rerum perturbationem, ut siquando Concilium et Pontifex contrarium decernant, nobis constare nequeat, utrius sequenda sit sententia? Sed non ita est; nam ipsa Concilia (ut suprà vidimus) luce clarius exposuerunt, Summi Pontificis potestatem supremam esse atque infallibilem, eumque non solum singulis Ecclesiis particularibus, sed etiam universæ Ecclesiæ præsidere.

5. ex ratione.

15. Sed ad rationem veniamus. Certum est, ad dirimendas in Ecclesiâ fidei controversias, aliquem requiri judicem, eumque infallibilem: secus enim, quum homines, etiam doctrinâ eruditi, alii aliud sentiant, multa dogmata confusa remanerent atque incerta. Ad ea autem dijudicanda (ut diximus cap. VI, § II) non semper sufficiunt Scripturæ; nam haud raro controversiæ ipsum Scripturæ sensum respiciunt. Multo minus sufficere potest privatus ille sensus, quem propugnant hæretici; est enim prorsus incertus et ineptus ad fidem dirigendam; ad hæc, adeo diversus est in hominibus, ut si fidei regula esset, tot in hoc mundo essent fides, quot sunt hominum capita. Porro Concilia generalia non semper congregari possunt, propter vel bella suscepta vel sumptuum onus sustinendum vel denique propter locorum angustias; aut saltem non tam cito convenire possunt quam opus esset ad exstirpandas hæreses, quæ illico velut pestis coinquinant. Quapropter, si non statuisset Deus, ut infallibiles essent definitiones Romani Pontificis, sed sola Concilia Generalia fidei quæstiones dijudicarent, parum providisset Ecclesiæ; quum enim Conciliorum generalium convocatio in tot incurrat difficultates, plerisque sæculis defuisset Ecclesiæ judex infallibilis, qui sine morâ tolleret schismata et hæreses, quæ quovis tempore oriri possunt.

6. ex historia.

16. Sed non ita est; suum enim Jesus Christus his in terris reliquit Vicarium, eique Se adfuturum esse promisit, ut in dubiis fidei tamquam judex infallibilis celeriter excîdat errores, quibus Ecclesiæ adversarii tenentur. Et reverâ hæc perpetua fuit Ecclesiæ praxis, ut a solis Pontificibus hæreses condemnarentur; et tunc solum post Romani Pontificis definitionem congregata sunt Concilia, quum ea habendi esset opportunitas, eorumque convocationem expedire constaret ad gliscentis alicujus erroris ignem efficacius exstinguendum. Primis ceteroquin Ecclesiæ sæculis nullum prorsus fuit Concilium generale, sed soli Pontifices plures hæreses condemnarunt; et qui condemnati erant a Romano Pontifice, ab universâ Ecclesiâ pro vere hæreticis habebantur. Eâ ratione tribus primis sæculis damnati sunt Nicolaitæ, Marcionitæ, Montanistæ, Novatiani, Tertullianistæ, Origenistæ, cet. Quarto sæ-

[1] Extrav. « *Unam Sanctam* » 1, de Majorit. et Obedientia. — [2] De theologicis Disciplinis, lib. XVII, cap. 5.

culo soli Pontifices proscripserunt Joviniani et Priscilliani hæreses; quinto sæculo Pelagii et Vigilantii; et postea similiter Leo IX [1] condemnavit errores *Berengarii*, Eugenius III [2] *Gilberti Porretani*, atque eodem modo S. Pius V [3] et Urbanus VIII [4] errores *Baji* rejecerunt. Jam ab anno 101 S. Anacletus Papa præscripsit: *Quodsi difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum vel majorum judicia aut majores causæ fuerint; ad Sedem Apostolicam... referantur; quoniam Apostoli hoc statuerunt jussione Salvatoris* [5]. Inter majores causas autem sine ullâ dubitatione primas tenent causæ fidei. — Ita quoque anno 336 scribit S. Julius I: *Primæ Sedis Ecclesiæ convocandarum... Synodorum jura,... singulari privilegio, evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis; quia semper majores causæ ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri perceptæ sunt:... a tempore... Apostolorum hæc huic sedi sanctæ concessa sunt et postea in... Nicænâ Synodo... corroborata* [6]. — Præterea S. Augustinus eorum respuit sententiam, qui ad condemnandam hæresim Concilium semper requiri opinantur: *Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit; quum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit* [7]. Et alio loco, quum de Romani Pontificis decisionibus agit: *Iis repugnare*, inquit, *insolentissima insania est* [8]. — Sed omnium maximum est illud, quod generale Concilium VIII, anno 869 sub Adriano II habitum, his verbis statuit: *Retro olimque semper, quum hæreses et scelera pullularent, noxias illas herbas et zizania Apostolicæ Sedis vestræ (Romanæ) successores exstirparunt* [9].

Du-Hamel [10] vestigiis insistens *Petri de Marca* [11] tunc solum Romani Pontificis definitiones infallibiles haberi ait, quum de rebus perspicuis agatur. Præclarum sane privilegium Ecclesiæ Capiti tribuunt! Quum res vel ex Scripturis vel ex Traditione in seipsis perspicuæ sunt, quilibet privatus asseverare potest, eas esse de fide, eumque falli, qui eas rejiciat. Sed hæc est Salvatoris S. Petro ejusque successoribus facta promissio, non esse eos erraturos, quum ea declarant, quæcumque in rebus fidei fidelibus dubia sunt atque obscura.

Objectio. De Conciliorum utilitate.

17. Ergone, inquient, inutilia sunt Concilia generalia? — Minime vero; non sunt inutilia, sed ad plura consequenda prosunt. Prosunt, ut decreta, de communi consilio sancita, libentiore animo a populis suscipiantur. Etiam reges nonnumquam Senatum convocare solent ad ea tractanda negotia, quæ per se ipsi dirimere possent. Prosunt, ut advocati Episcopi doctrinam et rationes Decretorum plenius edocti, fideles suos in definitis veritatibus melius erudire possint. Prosunt ad oppilandum os eorum, qui de Summi Pontificis definitionibus murmurant. Item prosunt, ut melius examinentur nonnulla nondum definita nec satis disputata; quamquam indubitatum ceteroquin manet, Conciliorum definitiones, ut fidei auctoritatem habeant, corroborari debere confirmatione Romani Pontificis, a cujus approbatione omnem vim suam hauriunt; ut in ultimo Concilio Lateranensi (Sess. XI) his verbis definitur: *Consueverunt antiquorum Conciliorum Pa-*

[1] Conc. *Roman.* II, a° 1050. — [2] Conc. *Rhemense*, a° 1148. — [3] Const. « *In omnibus Afflictionibus* » (Exstat in Bulla « *Provisionis nostræ* » Gregorii XIII, 29 Jan. 1579). — [4] Bulla « *In Eminenti* » 6 Martii 1641. — [5] Ep. 1 ad omnes Episcopos, n. 4 (Apud *Isid. Mercat.* — Eruditis Catholicis hæc epistola suppositia videtur. Nota edit.). — [6] Ep. increpatoria ad Orientales, n. 1 et 4 (Subditiva videtur. Nota edit.). — [7] Contra duas Epistolas *Pelagianor.*, lib. IV, cap. 12, n. 34.

[8] Ep. 54 (al. 118) ad *Januarium*, cap. 5 *(Si quid horum*, inquit, *tota per orbem frequentat Ecclesia* [illud facere debemus]: *nam et hinc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Nota edit.).

[9] Conc. œcumen. VIII (Constp. IV), Actio 3. — [10] Theologia, Tract. de Eccl., lib. III, cap. 7, n. 13.

[11] De Concordia Sacerdotii et Imperii, lib. V, cap. 8, n. 3.

tres, pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt corroboratione, a Romano Pontifice subscriptionem approbationemque humiliter petere et obtinere, prout ex Nicænâ et Ephesinâ et Chalcedonensi... et sextâ Constantinopolitanâ et septimâ... Nicænâ et Romanâ sub Symmacho Synodis habitis, earumque gestis... manifeste colligitur [1]. Quibus consonat illud, quod Paschalis II scribit in Epistolâ ad Archiepiscopum Panormitanum (quam Baronius refert ad annum 1102, n. 6): *Ajunt, in Conciliis statutum non inveniri: quasi Romanæ Ecclesiæ Concilia ulla legem præfixerint; quum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem et facta sint et robur acceperint, et in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas* [2].

Hæretici ne Conciliis quidem se subjiciunt.

18. Si autem hæreses infallibili Pontificum decisione condemnari nequivissent, sed exspectandum fuisset Concilium, magnum interim vitari non potuisset detrimentum, quod suo progressu error intulisset, donec a Concilio proscriberetur. Ad hæc meminisse oportet, hæreticis, qui Papæ definitionibus obsequi renuant, nihil vulgo prodesse Concilia; quod iis non desint prætextus, quibus (ut *Lutheri* temporibus accidit) etiam Concilii definitiones aspernentur: Concilium quippe vel liberum vel legitimum fuisse negabunt, vel decreta asserent aut sine debito examine condita aut sancita sine suffragio eorum omnium, qui intervenire debuissent, vel denique corrupta fuisse Concilii Acta prætendent. Fuit, qui diceret, ad Concilium concurrere debere non solum omnes Episcopos, sed etiam omnes parochos, sacerdotes et diaconos atque ipsos sæculares. *Summus Pontifex et Episcopi* (ita auctor quidam, qui hanc sententiam sequitur) *non sunt aliud quam populorum emissarii et delegati. Academicæ Facultates, Collegia et ipsi privati ad bonum publicum tuendum convenire deberent.* Sed illud prorsus abhorret a primorum Ecclesiæ Conciliorum usu et a doctrinâ sanctorum Patrum, ut S. Cypriani [3], S. Hilarii [4], S. Ambrosii [5] et S. Hieronymi [6], qui ad solos Episcopos pertinere ajunt, in Concilio tamquam judices ferre suffragium. Atque idem in Epistolâ ad Concilium Ephesinum affirmat Theodosius Junior: *Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis... se immiscere* [7]. Solis Cardinalibus concessum est, unà cum Episcopis suffragium ferre; idemque licet (ut scribit Benedictus XIV [8]) Abbatibus et ordinum regularium Generalibus Præpositis, utpote quasi-episcopalem jurisdictionem habentibus.

Conclusio. Fidei unitas non servatur nisi Pontificis infallibilitate.

19. Præterquam quod hæretici obstinati semper contendent, Concilium ideo non fuisse universale nec legitimum, quod ipsi (qui quidem melior Ecclesiæ pars sibi esse videntur) vel non adfuerint vel etiam restiterint. Quapropter, sublatâ Summi Pontificis infallibilitate, nullus jam superest modus, quo hæretici coarguantur. Ac proinde recte monuit S. Thomas (ut suprà notavimus): *Una fides debet esse...; quod servari non posset, nisi quæstio fidei... determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a totâ Ecclesia firmiter teneatur* [9]. — En quid in *Lutheranâ* hæresi acciderit: *Lutherus* primum a Pontifice male edocto ad Pontificem melius edoctum provocavit [10]; deinde a Pontifice ad futurum Concilium [11]; tum a Tridentino Concilio, jam celebrato, ad divinam Scripturam; postremo a Scripturâ ad spiritum privatum,

[1] Lateran. V, Sess. 11, Bulla « *Pastor æternus* ». — [2] Decretal. *Greg.*, De Electione, tit. 6, cap. « *Significasti* », 4. — [3] Ep. 73 ad *Jubajanum*, n. 1. — [4] De Synodis, init. — [5] Ep. 21 ad *Valentinian.* Imperat. — [6] Apologia adv. Libros *Rufini*, lib. II, n. 19. — [7] Ep. ad Synod. *Ephesin.* (Apud *Labbe*, Conc. *Ephes.*, pars 1, cap. 35). — [8] De Syn. Diœces., lib. XIII, cap. 2, n. 5. — [9] 2ª 2ªe, qu. 1, art. 10. — [10] Appellatio *D. Mart. Lutheri* prima, a *Cajetano* ad Papam, aº 1518, die 16 oct. (*Jenæ* 1612, vol. I, fol. 170ᵇ). — [11] Appellatio *D. Mart. Luth.* secunda, a Papa ad Concilium, aº 1518, die 28 Nov. (ibid., fol. 179ª); quam appellationem iteravit die 17 Nov. 1520.

id est, ad subversum suum cerebrum [1]; ac postea librum exaravit, ut demonstraret, *nihil opus esse Conciliis;* et vel eo progressus est, ut etiam Concilium Nicænum I *fœnum et stramen* nuncuparet [2].

Objectio. Errarunt Pontifices.

20. Quî ergo fit, inquiunt adversarii, ut plures Pontifices in rebus fidei definiendis erraverint? — Sed huic rei semper studuerunt Pontificum auctoritatis impugnatores, ut in eorum definitionibus errores reperirent; quamquam nullum unquam deprehenderunt errorem circa fidei dogmata, quem Pontifex, ut Papa et Ecclesiæ Doctor, protulisset.

1. Liberius.

Ajunt, Liberium Papam, quum haberentur Arimínense et Sirmiense Concilium, in Arianam hæresim esse prolapsum, quod Arianorum fidei formulæ subscripsisset.

Respondetur.

— Sed, ut referunt S. Athanasius [3], S. Hilarius [4], S. Hieronymus [5], Sulpicius Severus [6] et Theodoretus, [7] sic se res habuit: A Liberio et reliquis Catholicorum Episcopis postularunt, ut ei formulæ subscriberent, quæ profitebatur, Filium non esse creaturam ut ceteras omnes, sed habere substantiam, Patri similem; deerant autem verba Concilii Nicæni, Eum esse verum Deum sicut Patrem, et Patri consubstantialem. Hîc autem latebat fallacia, quâ Valens, Arianorum caput, Liberium ad subscribendum induxit, quod simul promitteret, postmodum omnia verba necessaria formulæ adjectum iri; et propter eam promissionem, itemque ut Arianorum atque Constantii Imperatoris persecutioni se subtraherent, Summus Pontifex ceteriique Episcopi huic subscripserunt formulæ. Alii vero cum *Honorato Tournely* [8] dicunt, non subscripsisse Liberium huic formulæ, quæ tertia erat; quandoquidem quum Patres Sirmienses anno 359 tertiam illam formulam proponerent, Liberius jam ab anno superiore (ut narrat S. Athanasius) de exsilio revocatus, Sedem suam recuperaverat; sed eum primæ subscripsisse existimant formulæ, quam S. Hilarius [9] sensu Catholico interpretatus est. Itaque Liberius, sive primæ sive tertiæ subscripsit formulæ, quamquam peccavit, numquam dici potest Arianam approbasse hæresim. Atque illud etiam magis patet ex eo, quod quum agnovisset, se non recte egisse, publico edicto professus est, numquam se intendisse a Nicænâ fide recedere; suamque subscriptionem diserte revocavit.

2. Vigilius.

21. Item Vigilium accusant, quod in Ibæ, Theodori et Theodoreti scriptis ac personis condemnandis sibi non constiterit.

Respondetur.

— Hic plurima dici oporteret; sed responsionis summa huc recidit: Quum duo de eo argumento generalia Concilia essent habita, Chalcedonense ac Constantinopolitanum II, et Chalcedonense condemnasset quidem Ibæ scripta (in quibus Nestorii errores excusabantur), non vero ejus personam, Constantinopolitanum autem tam scripta quam personam, Vigilius primo secutus est Chalcedonense, postea Constantinopolitanum Concilium; eamque ob causam accusatur, quod in fide erraverit. — At, si Vigilius de hoc errore ar-

[1] Sermo: *Attendite a falsis Prophetis, Matth.*, VII (Articuli CCCCC *M. Lutheri*, ex sermonibus ejus triginta sex; quibus singulatim responsum est a *Joanne Cochleo Wendelstino*, 1526). Sermo XI (*a*).

[2] A° 1539. Von den Conciliis und Kirchen (*Jenæ* 1568) (*b*). — [3] Historia *Arianorum* ad Monachos, n. 41. — [4] Adv. *Constant.* - Fragment. 6, n. 6. — [5] Dialog. adv. *Luciferian.*, n. 17-20. — [6] Hist. Sacra, lib. II, n. 40 seq. — [7] Hist. Ecclesiast., lib. II, cap 14-17. — [8] Prælect. Theol. De Trinitate, quæst. 4, art. 2, sect. 4, de Lapsu *Liberii*, Resp. 2. — [9] De Synodis, n. 38 seq.

(*a*) Art. 113: *Dominus hic committit et promittit omnibus christianis, judices esse super omnem doctrinam.* Art. 116: *Neque Papæ neque Conciliis neque ulli hominum commissum est, ut constituat et concludat, quid sit fides.* Art. 118: *Ideo debeo dicere, Papa, tu concludisti cum Conciliis, nunc ego habeo judicium, an accipere queam necne* (Nota edit.).

(*b*) Illos Nicæni Concilii articulos, præter eum de Divinitate Christi, *fœnum, stramen, ligna et stipulas* fuisse ait (Nota edit.).

guitur, alterutrum quoque Concilium de eodem crimine argui necesse est. Directe vero sic respondetur: Concilium Chalcedonense, personas excusans, existimabat, Ibam et reliquos duos in bonâ fide scripsisse; Constantinopolitanum contrà, quum etiam personas condemnaret, eos in malâ fide scripsisse opinabatur. Ceterum ibi non expresse agebatur de aliquo fidei dogmate, ut S. Gregorius his verbis rite declaravit: *Scire vos volo,... quia in eâ* (i. e. in Synodo Constantinopol.) *de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est*[1]. Iterum legantur ea, quæ hac de re diximus in superiori Capite (§ 5, n. 60).

3. Iterum *Vigilius.* Respondetur.

22. Item frustra opponitur Vigilii quædam epistola, ex quâ apparet, eum ratam habuisse Eutychianam hæresim; hæc enim epistola a Baronio [2], Bellarmino [3] atque etiam a Sexto Concilio generali [4] non sine ratione ut falsa rejicitur. Et etiamsi pro verâ haberetur, scripta tamen dicitur, Sylverio, legitimo Pontifice, adhuc vivo; sed post hujus obitum Vigilius Pontificatum abdicavit, ac deinde de communi totius Cleri consensu Pontifex electus, palam detestatus est Eutychianam hæresim. — Accedit, quod supposítam illam epistolam privatim a Vigilio conscriptam esse patet, et adjectâ conditione, ut nemini nota fieret: *Oportet ergo* (sic in ipsâ epistolâ legitur), *ut hæc, quæ vobis scribo, nullus agnoscat* [5]. Quapropter etiamsi authentica esset, nullum ex eâ inferri posset argumentum contra infallibiles Pontificias definitiones *ex cathedrâ*, quæ ut vim suam obtineant, non privatæ, sed publicæ esse debent.

4. *Honorius.* Respondetur.

23. Honorium quoque accusant, quod in epistolis assensus sit Sergio, Monothelitarum capiti, qui hunc disseminabat errorem, unam fuisse in Christo voluntatem unamque operationem. Sed S. Maximus [6] et Joannes IV [7] Honorii causam defendunt, ejusque litteras reverâ sensu Catholico explicari posse dicunt. — Et sane; Honorius recte quidem sentiebat, duas esse voluntates duasque operationes in Christo; sed exorto Sergii errore, ad sedandum schisma et ne in suspicionem veniret, sentire se vel cum Eutychianis, qui unam tantum in Christo volebant naturam, vel cum Nestorianis, qui duas in Christo ponebant personas; in secundâ Epistolâ ad Sergium se velle scripsit, non nominari neque unam neque duas operationes: *Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes... prædicare, sed pro unâ quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri; et pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, divinitatis et carnis assumptæ, in unâ personâ Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes* [8]. Itaque asseruit Honorius, unum quidem esse operatorem in Christo, sed duas operationes secundum duas in Eo conjunctas naturas, quæ singulæ suas cujusque habebant operationes proprias: *Oportet... unum operatorem Christum... in utrisque naturis... confiteri; et pro duabus operationibus... ipsas potius duas naturas... in unâ personâ Unigeniti Dei Patris... prædicare propria operantes.* — Et in primâ suâ ad Sergium epistolâ idem paucis verbis sic innuit: *In duabus naturis* (Christum) *operatum divinitus atque humanitus* [9]. — Honorium porro reverâ credidisse, duas esse in Christo operationes et (quod consequens est) duas voluntates, divinitatis unam, alteram humanitatis, magis etiam patet ex his aliis verbis secundæ Epistolæ: *Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas... atque ope-*

[1] Epistol. lib. IV, ep. 39 ad *Constantium* Ep^m. — [2] Annales, a° 538, n. 19. — [3] De Romano Pontifice, lib. IV, cap. 10. — [4] Actio 14. — [5] Epist. ad *Theodosium, Anthimum* et *Severum.* Apud *Liberatum* Diacon. Breviarium, cap. 22. — [6] Disputatio cum *Pyrrho.* — [7] Ep. 2 ad *Constantinum III* Imperat. [8] Ep. 2 (al. 5) ad *Sergium.* — [9] Ep. 1 (al. 4) ad *Serg.*

ratrices confiteri debemus: et divinam quidem, quæ Dei sunt operantem; et humanam, quæ carnis sunt exsequentem,... naturarum differentias integras confitentes [1]. Si ergo dicit, duas in Christo fuisse naturas, operantes secundum integras earum differentias, sequitur, ut duas quoque in Christo voluntates fuisse crediderit. Verba autem: *non nos oportet unam vel duas operationes prædicare*, ideo scripsit, quia timebat, ne vocabulum *unius operationis* Eutychianæ hæresi, et nomen *duarum operationum* hæresi Nestorianæ faveret (*a*).

Confirmatur responsio.

24. Neque obstant hæc alia verba, quæ in eâdem Honorii epistolâ leguntur: *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi* [2]. — Nam ita respondet ad ea, quæ sibi scripserat Sergius, nonnullos nempe asserere, Christum ut hominem habuisse duas inter se contrarias voluntates, spiritûs videlicet et carnis, quales in nobis reperiuntur; contra quem errorem Honorius affirmat, Christum unam tantum, i. e. solius spiritûs, non vero carnis habuisse voluntatem, quæ in nobis est ex culpâ Adami: ita testantur (locis citatis) Joannes Papa IV et S. Maximus; et sic ejus causam defendunt *Tournely* [3], *Berti* [4] et similiter ipse Natalis Alexander, qui: *Locutus est* (Honorius), inquit,... *mente Catholicâ...; siquidem absolute duas voluntates Christi non negavit, sed voluntates pugnantes* [5]. Idemque prorsus liquet ex ratione, quam in suâ epistolâ Honorius affert: *Quia profecto a Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata... Non est itaque assumpta, sicut præfati sumus, a Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus* [6], *cet.*

Instant: Synodus VI hæreticum eum vocat.

25. Sed, reponunt adversarii, Honorius nihilominus, unà cum Cyro, Sergio, Pyrrho aliisque Monothelitis, tamquam hæreticus, a Synodo VI [7] condemnatus est. — Existimant vero *Baronius* [8], *Binius* [9], *Frassen* [10] aliique, ab æmulis Romanæ Ecclesiæ nomen Honorii huic Actioni dolose fuisse insertum; et Bellarminus [11], qui illud pro certo habet, ex pluribus rationibus argumentatur ac præsertim ex eo, quod Honorii condemnatio pugnaret cum epistolâ S. Agathonis, ejus successoris, ad Imperatorem Constantinum Pogonatum; ibi enim testatur, ex promissione Christi numquam defecisse, neque umquam deficere posse fidem Romanorum Pontificum: *Apostolica Christi Ecclesia, quæ... numquam errasse probabitur,... sed illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini... pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi... fatus est: Petre, rogavi pro te* [12], *cet.* Eaque S. Agathonis epistola a Concilio approbata est, eamque Patres a Spiritu-Sancto dictatam esse pronuntiarunt. — Item ex eo argumentatur Bellarminus, quod in Concilio Romano, a S. Martino Papâ ante Synodum VI celebrato [13], damnati quidem fuerunt Cyrus, Sergius, cet., nulla vero Honorii mentio facta est.

Respondetur: *a* negatur.

b etiamsi concedatur, nihil probat.

26. At, dato etiam, Honorii nomen a Concilio inter hæreticos fuisse repositum, ajunt tamen (locis citatis) *Bellarminus* [14], *Tournely* [15] et *Berti* [16] cum *Joanne a Tur-*

[1] Ep. 2 (al. 5). — [2] Ep. 1 (al. 4). — [3] Comp. Theol. De Incarn., pars 2, disp. 3, cap. 4, de Mente *Honorii*, Concl. 2. — [4] De Theol. Discipl., lib. XXVI, cap. 11, prop. 1. — [5] Hist. Eccl., sæc. 7, Diss. 2, prop. 3. — [6] Ep. 1 (al. 4) ad *Sergium*. — [7] Actio 13. — [8] Annales, a° 681, n. 16. — [9] Conc. Generalia. Notæ ad Conc. VI œcum. — [10] *Scotus* Academicus. De Incarn., tr. 1, disp. 2, art. 1, sect. 2, qu. 3, § 2. — [11] De Romano Pont., lib. IV, cap. 11 ad 2m. — [12] Ep. 1 ad Imperatores (In Conc. *Constp.* III, Actio 4). — [13] A° 649, Actio 5, can. 18. — [14] L. c., cap. 11. — [15] L. c., Conclus. ultima. — [16] L. c., Resp. 1.

(*a*) En enim ipsa ejus verba (Ep. 4, [al. 1] ad *Sergium*. Apud *Migne*, Patr. Lat., tom. 80, col. 474): *Ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur: aut certe, si rursus unam operationem D. N. Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur* (Nota edit.).

recremata [1], eum esse condemnatum propter errorem facti ex falsâ informatione Patrum; quare Synodus erravit non errore facti dogmatici (in quo nec Papa nec Concilium œcumenicum errare potest), sed errore facti particularis ex falsâ informatione, inde exortâ quod Honorii litteræ ex Latino male translatæ essent in Græcum, et ideo Patres judicarent, mente hæreticâ eum ad Sergium scripsisse; in quem errorem etiam Concilia generalia incidere posse, omnes consentiunt. Porro in hoc facto particulari reverâ deceptum fuisse Concilium, probatur ex iis, quæ ad Honorii causam tuendam afferunt Joannes IV [2], Martinus I [3], S. Agatho [4], Nicolaus I [5] et Concilium Romanum [6] sub eodem Martino, qui Honorii litteras melius intellexerunt quam Patres Græci, in Synodo congregati. Quapropter antiquiores, iique majori numero quam recentiores, Honorii nomen ab hæresis notâ intactum reliquerunt; ut *S. Maximus* [7], *Theophanes Isaurus* [8], *Zonaras* [9], *Paulus Diaconus* [10] et etiam *Photius* [11], Romanæ Ecclesiæ infestus (*a*); quos omnes citat *Bellarminus* [12], et subjungit, omnes historicos Latinos (inter quos *Anastasius* [13], *Beda* [14], *Blondus* [15], *Nauclerus* [16], *Sabellicus* [17], *Platina* [18] aliique recensentur) Honorium Papam Catholicum vocare. Idque eo magis (ita *Bellarminus* [19], *Joannes a Turrecremata* [20], *Melchior Canus* [21], *Petit-Didier* [22] et *Combefisius* [23]) quod Honorius, si umquam Sergii errorem in iis epistolis amplexus esset, ut homo privatus quidem errasset in iis litteris privatis, non autem encyclicis; minime vero ut Pontifex et universalis Doctor Ecclesiæ. Sed rite inspectis ejus verbis (quæ suprà attulimus), intelligere non possumus, quomodo Honorius tamquam hæreticus possit condemnari. — Ita ergo res se habet, sicut Leo II in Epistolâ suâ scripsit, Honorium, etsi in Monothelitarum hæresim non fuerit prolapsus, non esse tamen a culpâ immunem; quia *flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit* [24]. Quum errorem a principio supprimere debuisset, officio suo defuit.

5. *Nicolaus.*

27. Præterea Nicolaum I [25] docuisse ajunt ratum esse Baptismum, in nomine Christi collatum, non expressis tribus divinis Personis. — Respondetur, Nicolaum ibi non fuisse interrogatum de formâ Baptismi, sed num validus esset Baptismus, a Pagano sive Judæo collatus. Ad quod respondit, Baptismum valere; illudque solum de valore Baptismi tunc definiens, obiter de ejus formâ locutus est. Non negatur autem, in iis errare posse Summum Pontificem, quæ obiter dicat neque ex proposito definiat.

[1] Summa de Eccl^ia, lib. II, cap. 93. — [2] L. c. — [3] Ep. 3 ad Imperatores. — [4] L. c. — [5] Ep. 93 ad *Michael.* Imper. — [6] L. c. — [7] L. c. — [8] Apud *Bellarm.* — [9] Annales, lib. XIV, n. 21. — [10] Hist. miscella, lib. XIX, *Constantinus.* — [11] De Septem Synodis, Epistolar. lib. I, ep. 8, n. 17. — [12] L. c. — [13] Hist. de Vitis Roman. Pontif. 72, *Honorius.* — [14] Hist. Eccl. Gentis *Anglorum*, lib. II, cap. 17-19. — [15] Historia Decades 1, lib. IX. — [16] Chronica, Generatio 21. — [17] Enneades Rapsodiæ historicæ, Enneadis 8 lib. VI. — [18] De Vitis ac Gestis SS. Pontif., *Honorius I.* — [19] L. c. — [20] L. c. — [21] De Locis Theolog, lib. VI, cap. 8 ad 11^m. — [22] *Traité théolog. sur l'Autorité et l'Infaillibilité des Papes, chap. 8.* « *Je réponds donc* ». — [23] Diss. Apolog. pro Actis Synod. VI, cap. 3, § 3. — [24] Ep. 4 ad Ep^os Hispaniæ. — [25] Can. « *A Quodam* » 24, de Consecratione, dist. 4 (Ep. 97 ad *Bulgaros*, n. 15).

(*a*) *Bellarminus* (de Rom. Pont., lib. IV, cap. XI) de *Photio* hæc habet: *Deinde Photius etiam Græcus et Romanæ Ecclesiæ infestus, in Libell. de 7 Synodis, ubi ad VI Synodum venit, dicit damnatos fuisse Cyrum, Sergium, cet.; at de Honorio nihil dicit tale.* Quonam ex libro vel ex qua editione Bellarminus illud mutuatus sit, equidem nescio; verumtamen notandum censeo, apud Migne (Patr. Græce et Lat., vol. 102, col. 647), Epistol., lib. I, Ep. 8, n. 17 ita legi: *Pyrrhum, Paulum... Honorium Romanum, cet.;* et (vol. 103, col. 58) *Photii Myriobiblon sive Bibliotheca,* Cod. XIX, Synodus Sexta: *Lecta sunt acta Sextæ Synodi... quibus Sergius... cet., damnati; Honorius autem Romanus,... aliique... unam... operationem in Christo asserere ausi* (Nota edit.).

6. *Gregor. II.* Objiciunt, Gregorium II [1] viro permisisse ob infirmitatem uxoris aliam sibi ducere. — Respondetur, mulierem illam ob suam infirmitatem perpetuâ laborasse impotentiâ, eamque fuisse antecedentem matrimonio; quod idcirco sine ullâ dubitatione nullum fuerat.

7. *Innoc. III.* **28.** Innocentium III [2] credidisse ajunt, Lege Mosaicâ teneri Christianos. — Respondetur, in eo textu Summum Pontificem Veteris Testamenti leges commemorare, non ut obligationem imponentes, sed tamquam exemplaria, juxta quæ in Novo Testamento nonnulli Ritus nuper instituti observari debeant.

8. *Stephan. VII, Joan. IX, Sergius III.* Stephanum VII ajunt irrita declarasse acta Formosi Papæ, et jussisse, ut ordinati ab eo iterum ordinem susciperent; Joannem IX vero contrarium dixisse et pronuntiasse, Formosum legitimum fuisse Pontificem; Sergium III denique paulo post iterum eum vocasse illegitimum. Unde colligunt errasse vel Joannem vel Stephanum et Sergium. — Respondit Card. Bellarminus [3], Formosum, licet ante Pontificatum degradatus fuisset, deinde tamen verum fuisse Pontificem et validos ordines, ab eo collatos; errasse ergo Stephanum ac Sergium, non tamen errore juris, sed meri facti.

Et eodem modo respondetur ad alias quasdam ejusdem generis difficultates, quas opponunt adversarii: nonnullos videlicet, siquando erraverint, aut non esse locutos *ex cathedrâ*, aut solummodo in errorem facti incidisse.

CAPUT XI.

OPERIS CONCLUSIO.

Recapitulatio. **1.** Hic tandem concludere et per summa capita recolere libet, quidquid in primâ, secundâ et tertiâ parte diximus.

Deus existit. Certo quidem existit Deus; si enim non esset Deus Creator, ex nobis, ejus creaturis, nemo existeret, quum sine causâ suâ nullus dari possit effectus. Materialistæ, ut Deum excludant, ad æternam materiam recurrunt, nec quidquam præter materiam existere dicunt, omniaque a materiâ esse producta. Sed impium illud systema prorsus subsistere non posse, manifestum est ex multis iis rationibus, quas in primâ parte attulimus. Etiamsi nulla alia daretur ratio, jam satis illud probatur ex eo, quod materiam ex seipsâ cæcam et inertem esse constat; ac proinde non poterat sine suo motore, ex semetipsâ, ad aliquid producendum se movere. Porro, si Deus non exstitisset (ut volunt Materialistæ), ad movendam et dirigendam materiam, præter casum, nullus fuisset motor; casus autem, utpote mentis expers, auctor esse non potuit hujus mundi, ad quem formandum opus erat mente infinitæ quidem sapientiæ, ut eum componeret definito illo et constanti ordine, quo constitutum esse videmus. — Accedit, quod a materiâ produci non potuerunt spiritus, quales sunt animæ nostræ. Etenim nemo dare potest, quod ipse non habet; ex quo evidenti principio magnum illud confecimus argumentum, ad quod nulla habetur responsio: anima mentem cogitantem habet; sed materia mentem habere nequit; non potest ergo anima a materiâ esse producta. — Itaque materiâ æternâ e medio sublatâ, aliud esse debet primum principium, quod omnia, tam materialia quam spiritualia, produ-

Materialistæ errant.

[1] Can. « *Quod proposuisti* » 18, Caus. 32, qu. 7 (Ep. 14 ad *Bonifacium*, n. 2). — [2] Can. « *Per Venerabilem* » 13, tit. 17 (Regest., lib. V, Ep. 128 ad *Willelmum Montis Pessulani*). — [3] L. c., cap. 12.

xit. Illud autem principium est Deus, qui utpote a Semetipso, independens est, perfectissimus et in omnibus perfectionibus infinitus.

Religio est necessaria.

2. Si autem Deus existit, item religio esse debet; quum enim creaverit homines, ratione præditos, justum est et necessarium, ab iis ope religionis Eum adorari, amari Eique præstari obedientiam; et ideo tenetur homo, inter omnes religiones, quæ tantopere inter se differunt, investigare, quænam sit vera religio. Ad illud autem dignoscendum homini, cui in pœnam peccati obscurata est acies mentis, satis non erat solius naturæ lumen, sed modo speciali requirebatur divina Revelatio, quæ veram religionem ei ostenderet. Eam ergo credere oportet veram esse religionem, quæ veram acceperit Revelationem divinam. Idcirco in hoc opere vidimus, non potuisse a Deo esse revelatam religionem gentilium, qui pro vero Deo tot adorarent deos commenticios et in eorum numero reponerent sidera, bestias, dæmones et eos homines, qui post vitam sceleratam obiissent. Hoc ipso, quod in plures deos crederent, jam patet, omnes fuisse commenticios, quum Deus (ut in III[â] parte, cap. II demonstravimus) unus esse debeat.

Necessaria est Revelatio.

Revelationem non habent Gentiles.

Non habent Judæi.

3. Religio Hebraica aliquando, i. e. ante Messiæ adventum, vera fuit, divinamque tunc accepit Revelationem, quæ initio Patriarchis et Prophetis illius populi facta, deinde in Scripturas sacras relata fuit atque miraculis et vaticiniorum impletione confirmata. Atvero post adventum Messiæ, qui fuit Jesus Christus, non amplius est Religio, sed secta impiorum, qui obstinati suum recusare pergunt Redemptorem, quamquam impletas conspiciunt omnes prophetias, consignatas in Scripturis, quæ ab ipsis ad nos pervenerunt et prænuntiabant, non solum quo tempore veniret Messias, sed etiam quâ pœnâ eorum obstinatio plecteretur. Præterquam quod in præsenti legem *Talmudicam* sequuntur, erroribus et blasphemiis refertam.

Non habent *Mahumedani*.

4. Religionem *Mahumedanam* nemo nescit, ex Hebraismo et hæresibus esse conflatam, propagatam autem a *Mahumede*, viro abjecto, impudico et prædatore, qui cum plebe perditâ sibique simillimâ seduxit populos ad fidem legemque amplectendam, bestiis potius quam hominibus propriam. Gloriabatur quidem *Mahumedes* (ut ipse in suo *Alcorano* scripsit), hanc suam religionem a Deo sibi esse revelatam; sed Alcoranum perlegenti illico patebit, eum ex solis fabulis rebusque ineptis atque impiis constare.

Revelationem habet Christiana Religio.

Liquet ergo, inter omnes, quæ nunc existunt, religiones, solam Christianam esse veram, olim in Veteri ac postea in Novo Testamento a Deo revelatam; quæ credenda docet mysteria, ratione quidem superiora, sed ei nihil contraria; præcepta imponit sancta prorsus et rationi consentanea; eademque deinde comprobata est conversione mundi, qui veritatis luce collustratus decrevit, eam (Gentilium videlicet) abjicere legem, quæ omnibus vitiis liberum relinqueret aditum, eamque, Jesu Christi nempe, legem amplecti, quæ omnem terrenam cupiditatem superare jubeat, et ab omni pravâ actione vel cogitatione abstinere. Præterea confirmata est vaticiniorum impletione, testimonio miraculorum et constantiâ martyrum, qui, nisi Deus auxilio fuisset, tot grassantium tyrannorum sævitias utique tolerare non potuissent. In summâ, adeo manifesta sunt Christianæ Religionis argumenta, ut quilibet fidelium cum Richardo a S. Victore merito Deum sic alloqui possit: *Domine, si error est, a Teipso decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ nonnisi per Te fieri possunt*[1].

Christiana Ecclesia est Catholica Romana.

5. Sed in Christianâ Religione diversæ sunt Ecclesiæ, quæ diversa profitentur fidei dogmata. Quænam earum vera est Ecclesia? Vera Ecclesia est Romano-Catholica. Quid ita? Quia prima a Jesu Christo condita est, et reliquæ omnes (id quod

[1] De Trinitate, lib. I, cap. 2.

nemo negat) ab eâ egressæ sunt et separatæ. Si autem Romana Ecclesia prima fuit, sine ullâ dubitatione unice vera est; quum Jesus Christus, qui eam condidit, Ipse professus sit, numquam usque ad mundi exitum, eam esse defecturam. Si ergo vera est Romana Ecclesia, certo falsæ sunt reliquæ omnes, ab eâ divisæ, quæ aliam fidem profitentur. Perperam igitur lamentatur *Petrus Bayle* [1], *intolerantiæ* dogma, quod Catholici tenent, esse horribile, eosque constituere generis humani inimicos. Intolerantiam illam exercuisse videmus vel prima Ecclesiæ sæcula, in quibus fideles semper recusarunt infidelium et hæreticorum communionem. — *Deus* (ita reponit *Rousseau* [2]) *quovis cultu contentus est, dummodo ex corde procedat.* Quod omnino falsum est: cor enim ab intellectu pendet; quapropter, si rectæ sint intellectûs sententiæ, rectus est cultus; sin autem falsæ, item cultus est falsus. Porro, quum una sit veritas, unum tantum cultum Deus acceptum habere potest, et reliquos omnes abominatur. Narrat Lampridius [3], Alexandro Imperatori, quum Romæ inter cetera deorum templa Christo quoque templum erigere vellet, ita respondisse idololatras sacerdotes: *Minime vero; hic enim Christianorum Deus solus vult adorari; hoc templo exstructo, reliqui dii deserentur.* Et merito quidem hæc dicebant: unus enim est Deus, neque honorari potest nisi unâ fide. Et sicut Noe temporibus mortis præda fuit, quicumque extra arcam morabatur; sic lege gratiæ divulgatâ, extra Ecclesiam Catholicam nulla datur salus. Errabat *Tamerlanus*, quum diceret, quemadmodum monarchis gloriosum sit, multas sibi subjectas habere nationes, quæ moribus inter se differant, ita quoque Deo esse gloriæ, varias tueri religiones, fide inter se diversas. Etiamsi non aliud faterentur sectarii nisi hanc solam veritatem (quam reverâ admittunt), in Catholicâ quoque Ecclesiâ ad salutem perveniri posse, hoc ipso eam amplecti tenerentur: si enim est falsa (ut certum est) eorum religio, nullam excusationem habent, quum pereunt; nam posito, veram esse nostram fidem veraque ea, quæ doceat, reliquæ necessario sunt falsæ, utpote omnes reprobatæ et condemnatæ a nostrâ. Hoc argumentum plures *Mahumedanos* et hæreticos protestantes ad Ecclesiam Catholicam pertraxit, quod secum considerarent, *Alcoranum* et religionem pseudoreformatam spem salutis Catholicis relinquere; atvero quum *Alcoranus* et reformata religio suis salutem promittant, iis salutem negare Catholicam Ecclesiam. Atque ita *Henricus IV* in Congressu, quem inter Catholicos et Protestantes convocaverat, audito a Catholicis salutem in Ecclesiâ reformatâ negari, a Protestantibus vero concedi in Ecclesiâ Catholicâ, Catholicus esse voluit.

Extra eam esse non licet.

Extra eam non datur spes salutis.

Omnes ad eam accedere tenentur.

6. *Graviter peccaret in rebus ad salutem pertinentibus*, inquit S. Augustinus adversus hæreticos sui temporis, *vel eo solo, quod certis incerta præponeret* [4]. Multos infideles et hæreticos in articulo mortis fidem nostram amplecti vidimus; sed nullus umquam Catholicus repertus est, qui sub mortem ad aliorum sectam transierit. Unde *Melanchthon* matri suæ roganti, quænam ad salutem consequendam potior esset religio, Reformata (quam ille sequebatur) an nostra Catholica: *Ad vivendum*, respondit, *religio reformata præstat, Catholica vero ad moriendum* [5].

Pars tutior eligi debet.

7. Atvero, bone Deus! Etiamsi reliquæ sectæ, ut sunt evidenter falsæ, ita apud aliquos dubie veræ esse possent, quam stultum est, incertis adhærere, neque amplecti Catholicam, quæ certo est secura! Londini Angla quædam matrona, quum concioni de immortalitate animæ interfuisset, domum reversa, in cubiculum se inclusit, seque suspendit laqueo, hac schedulâ relictâ: *Videre libet, num reverâ*

Conclusio.

[1] Seu potius *Rousseau*, *Emile, liv. IV.* « *Honoré du ministère sacré* », *not.* — [2] L. c. « *Voilà le scepticisme* ». — [3] *Alexander Severus*, n. 43. — [4] De Baptismo contra *Donatistas*, lib. I, cap. 3. — [5] *Hæc plausibilior, illa securior*; apud Gotti, de Veritat. Relig., p. 2, cap. 109, § 3.

existat illa, quam dicunt, immortalitas. Misera! Jam vidit, sine dubio eam existere; sed postquam illud vidit, quomodo æternæ suæ damnationi jam medebitur? Idem ei dico, qui sibi promittens, salutem in pseudoreligione se consequi posse, extra Ecclesiam Catholicam mori vellet, et ita experiri, num vera sit sua religio; si in morte falsam eam (ut certo est) repererit, quomodo æternam suam reparabit perniciem? Ah! Deus profecto satis superque mentem nostram suo lumine perfudit ad dignoscendum, quænam vera sit religio, in quâ solâ salutem consequi possimus. Infernus vero et magis etiam animi cupiditates oblectationumque terrenarum libido tenebris obscurant mentem tam multorum infelicium, qui certo non auderent naviculâ pertusâ mari se committere cum hac fiduciâ: *fieri potest, ut naufragium evadam;* audent vero et vivere et mori in commenticiâ aliquâ religione; hac freti fiduciâ: *fieri potest, ut damnationem effugiam.* Malum vero totum nascitur ex cordis vitio; cor ægrotans mentem quoque morbo afficit. Si morbum a corde depellendum curarent, frangendo cupiditates virtutesque amplectendo, lumen sine dubio acquirerent; eoque collustrati intelligerent, quantopere intersit, æternam salutem in tuto collocare, et ad eam accedere Ecclesiam, in quâ solâ obtineri possit.

APPENDIX I.

CONFUTATUR LIBER, GALLICE CONSCRIPTUS SUB TITULO:

DE SPIRITU (DE L'ESPRIT),

ANNO 1759 A REGNANTE PONTIFICE CLEMENTE XIII CONDEMNATUS.

Liber valde perniciosus.

1. Initio hujus libri retractationem invenio, in quâ *Helvetius*, ejus auctor, hoc opus cum simplicitate se divulgasse ait [1], sine animo ullam oppugnandi Catholicam veritatem, nec præviso ingenti damno, quod esset consecuturum; quocirca profitetur, se damnare, quin etiam suppressa velle, quæ scripsisset. Sperare libet, *Helvetium* ea ex animo dixisse; ceterum, sive bonâ sive malâ fide scripsit, sive ut philosophus (ut ipse ait) sive ut Christianus locutus est, sive per hypothesin sive per thesin disseruit, hoc certum est, inter venenatos libros, qui hisce diebus prodierunt, hunc ejus librum dici posse omnium maxime pestiferum, quod ceterorum fere omnium contineat errores. Quapropter merito condemnatus est a Summo Pontifice [2], a *Christophoro de Beaumont*, Archiepiscopo Parisiensi [3] et a Sorbonicâ Facultate [4]. Porro, quod audivi, perniciosissimum hunc librum etiam in nostrâ urbe Neapoli per multorum manus circumferri, operæ pretium putavi, præcipuos ejus errores confutare, et præ ceteris duo ejus prorsus falsa principia, ex quibus sexcenti alii errores emanant. Dixi: *errores præcipuos;* si enim omnes confutare vellem, singula propemodum verba essent confutanda.

Merito condemnatus est.

Summatim refelletur.

2. Primum *Helvetii* principium, quam *hypothesin* vocat, *physicam sensibilitatem* respicit. Ait hominem præditum esse passivâ quâdam potentiâ seu *physicâ sensibilitate*, quæ est *facultas recipiendi varias impressiones, quibus res externæ nos*

I. Causa cognitionis: sensibilitas physica.

[1] *De l'Esprit, Avis au Lecteur.* — [2] *Clem. XIII*, Breve « *Injuncti Nobis* », 31 Jan. 1759. — [3] *Mandement « Il était donc réservé à nos jours ». Donné à la Roque, en Périgord, le 22 Nov. 1758.* —

[4] Determinatio Sacræ Facultatis Parisiensis super libro cui titulus, de l'Esprit. « *Fuere quidem ante hæc tempora* » (Paris, 1759).

afficiunt [1]. Eamque facultatem passivam vocat *cogitationum nostrarum causam effectricem* [2]. Quo posito, anima humana nihil differre videtur ab animâ brutorum animalium; neque ille hoc confirmare dubitat, quum asserit, eam facultatem *nobis cum bestiis esse communem* [3]. Quid ergo a bestiis homo differt? Respondet ille, differentiam in *externâ quâdam structurâ* [4] esse positam. Et adjungit: *Si natura pro manibus et flexibilibus digitis pedem equinum ad extremum brachium posuisset, quis dubitat, quin homines sine artibus, sine tecto, sine ullo contra feras præsidio, cibo comparando et belluis declinandis unice intenti, velut profuga pecora in silvis adhuc vagarentur?* [5] Ergone, *Helvetii* judicio, ab equo hoc solum differt homo, quod hic quidem manus, ille vero ungulas habet?

Inter hominem et bestiam nullum intrinsecum discrimen.

3. Equus ergo si manus haberet, item ut homo haberet intellectum? Ne illud quidem detrectare videtur Helvetius; ait enim, equum, quia non manus sed ungulas habeat, expertem manere *solertiæ necessariæ ad aliquod tractandum instrumentum vel ullam inventionem faciendam, quæ manuum usum requirat* [6]. Si ergo alicui homini deessent manus, et pro iis ungulas haberet, equo essetne similis? Et illæ actiones vel inventiones, quæ manuum usum requirunt, numquid fieri possent a bestiis, dummodo manibus essent præditæ? Ergo bestia illa, quæ manus haberet, horologia solaria conficere posset, latrunculis ludere et alia hujusmodi peragere?

Sed ab hoc philosopho discamus, quænam aliæ sint rationes, cur animalia non cogitent nec ratiocinentur ut homines. *Vita animalium*, inquit, *brevior esse solet quam nostra; neque ideo tot observare et (quod consequens est) tot notiones habere possunt, quot homo* [7]. Si equus ergo quinquaginta annos viveret, possetne fieri eximie doctus, egregius philosophus vel magnus regni minister?

[1] *Discours 1, chap. 1.* — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid., *note* 1. — [7] Ibid., *note* 2.

Alia ejus ratio hæc est, quod *homo his in terris est animal præ ceteris multiplicatum. Quo magis autem* (inquit) *multiplicatur species animalis, observationum capacis, eo magis abundat notionibus et spiritu* [8]. Si ergo minor esset hominum quam equorum numerus, num homines magis bestiæ forent quam equi? Et equi, si plures essent quam homines, numquid iis doctiores essent magisque eruditi? — Hæc omnia ex Helvetii rationibus per necessitatem sequuntur. Recte quidem hic auctor hominem equo assimilavit, quum ejus ratiocinia equinis ratiociniis non antecellant. O egregiam recentiorum philosophorum philosophandi methodum!

Confutatur.

4. Sed jam serio, non ut equi, sed ut homines, respondeamus ad absurdissimum illud *Helvetii* principium *de sensibilitate physicâ*. Asserit, cogitandi facultatem in homine non esse aliud quam *facultatem passivam recipiendi impressiones, quibus res externæ nos afficiunt*. Ab eo quærimus, de quo loqui velit: de corpore an de spiritu hominis? Concedimus, hominis corpus non esse aliud quam *facultatem physicam recipiendi externas impressiones* (licet melius dixisset *qualitatem* [non *facultatem*] *passivam:* facultas enim proprie ad agentem spiritum pertinet). Sed ejusmodi externarum impressionum quisnam recipit *sensibilitatem physicam?* Utrum corpus an anima hominis? Non corpus; nam materia non est sentiendi capax; eam recipit anima, sensu prædita. — Sed progrediamur. Postquam homo a rebus externis accepit vel delectationis vel doloris sensum, quo afficitur, non solum eum percipit, sed secum eum considerat, hanc sensuum perceptionem ab aliis perceptionibus distinguit et deinde judicat, quænam sibi majori sit vel delectationi vel dolori. Hoc judicium certo non est *physica sensibilitas*, sed actio spiritûs. *Minime vero*, respondet *Helvetius; judicare non est aliud quam sentire* [9]. Sed errat; sensus enim ab impressione provenit; judicium vero non provenit a sensu,

[8] Ibid., *note* 4. — [9] L. c., *chap. 1.*

sed super eo formatur. — Præterea multa fiunt ab homine judicia et cogitationes (ut jam notavimus in Parte I, cap. V, n. 6) rerum mere spiritualium et quæ a sensu prorsus discrepant, ut veritatis, bonitatis, justitiæ, ratiocinationis, contradictionis vel demonstrationis. Tales autem veritatis, bonitatis et similium rerum notiones, in quo, quæso, corporis organo formantur? Non sunt materia, nec proinde formari possunt a materialibus rerum externarum impressionibus. Ergo non *sensibilitates physicæ*, sed meræ intelligentiæ sunt et actiones spirituales; si autem meræ intelligentiæ, quomodo formari possunt ab *externis impressionibus*, quæ sunt materiales?

Helvetius instat.

5. *Helvetius*, qui equus fieri studuit, sed eo non potuit pervenire, vim quidem hujus argumenti intelligit; sed nihil inde turbatus, intrepide in suâ perstat sententiâ, etiam judicia, quæ de justitiâ, bonitate et similibus rebus fiant, esse sensuum perceptiones. Quid ita? En, quomodo illud explicet: « Fingamus tres tabulas, in quarum primâ depingatur rex justus, qui reum capite plectat; in alterâ rex bonus, qui reum, vinculis solutis, custodiâ liberet; in tertiâ ipse reus, qui e carcere egrediens, pugione armatus, quinquaginta cives necare properet. Ecquis, tres illas tabulas intuens, non sentiet, in rege justitiam, quæ morte unius hominis necem quinquaginta hominum prævertat, bonitati esse præferendam? Nec tamen hoc judicium reverâ aliud est quam sensuum perceptio » [1]. — Sed quis non videt, quam evidenter falsa sit hæc conclusio? Tres illæ tabulæ nihil aliud ostendere possunt nisi magnitudinem et colorem; ac proinde, si homo solâ *sensibilitate physicâ* esset prædĭtus, nequaquam judicare posset, quisnam sit actus justitiæ, quis bonitatis, quis vero sævitiæ. Judicium, talia vel juste, vel clementer vel crudeliter esse acta, ad solam spiritualem animæ facultatem pertinet; quapropter item spirituale est illud hominis judicium, bonitati in tali casu præferendam esse justitiam. *Ita ratiocinatur*, inquit *Valsecchi, quisquis non equus, sed homo est* [2].

Exemplum affert.

Respondetur.

6. Helvetius ergo (ut hoc argumentum concludamus) hoc statuit principium, ad cogitandum, considerandum et ratiocinandum nihil aliud nobis præsto esse præter *sensibilitatem physicam*, seu facultatem recipiendi rerum externarum impressiones; quam quidem facultatem nobis communem esse ait cum brutis animalibus, a quibus distinguamur diversâ tantum membrorum structurâ. Tale principium et mores et religionem et fidem destruit. Quandoquidem si in homine omnia ad sensum recidant, ratio jam adesse nequit; si autem desit ratio, nulla est libertas, nullum nec meritum nec demeritum et (quod consequens est) nec præmium nec pœna; homo enim sic agendo, bestiarum more, ex necessario instinctu ageret. Item si in homine solus habeatur sensus, ablata est et Dei notio et anima spiritualis et cognitio legis, virtutis aut vitii; omnia quippe fierent impulsu necessario, omniaque desinerent in morte, quâ anima, si materialis esset (ut eam fingit *Helvetius*) sine dubio dissolveretur. — Sed absurdum et falsum esse deterrimum hoc systema, clare patet ex eo, quod in nobis (ut suprà vidimus) certo adest superior quædam facultas, quæ notiones, ab externis impressionibus productas, considerat, eas distinguit, de iisque judicium pronuntiat: quæ præterea notiones sensibus et materiâ superiores sunt. Atque idcirco talis facultas non est sensus, sed mera intelligentia. Indeque probatur, ipsam animam esse spiritualem, eamque ideo agere cum cognitione boni ac mali et cum verâ libertate, quâ capax fiat meriti ac demeriti.

Helvetii doctrina destruit mores et religionem.

7. Alterum *Helvetii* principium hoc est, *delectationem et commodum proprium* efficere moralem hominis legem. Ipsum loquentem audiamus: « Manu forti rescin-

II. Causa disciplinæ moralis: delectatio, commodum.

[1] Ibid.

[2] *Dei Fondamenti della Religione, lib. I, cap. 4, n. 13.*

dere oportet incantamentum, cui potestatem suam adnexerunt genii illi malefici *(religionis ministros his verbis designat);* et nationibus vera detegere moralis disciplinæ principia. Eas doceri necesse est *(diligenter attendamus ad magna illa recipienda documenta)*, nos sensim sine sensu ad bonum, sive verum sive apparens, pertrahi; dolorem ac delectationem solos esse *motores universi moralis;* et sensum amoris suiipsius unicum fundamentum, in quo exstrui possit fructuosa disciplina moralis. Religionis de moribus principia expedire nequeunt nisi parvo Christianorum numero. Philosophus, qui in suis scriptis totum mundum alloquitur, virtuti ea dare debet fundamenta, in quibus omnes nationes ædificare possint; quapropter eam superstruere debet fundamento *commodi proprii.* Atque eo arctius tenendum est illud principium, quod rationes, a *commodo proprio* desumptæ... satis valent ad formandos viros, virtutis amantes »[1]. *Et deinde subjungit:* « Voces boni et mali ab origine creatæ sunt ad exprimendum sensum delectationis et doloris physici[2]; hic autem sensus in homine excitavit *proprii commodi* amorem; et talis amor eum impulit, ut cum aliis societatem iniret; porro, ut in eâ societate persisteret, requirebatur pactio, cujus fundamentum esse debebat commodum. Tunc ortæ sunt actiones justæ vel injustæ, antea quidem ignotæ. Ergo totius justitiæ auctores fuerunt *sensibilitas physica* et *commodum privatum* »[3]. — Ergo, quidquid delectationem fovet, honestum est, et similiter justum, quidquid fovet commodum privatum. Præclara sane philosophia!

Sed singulas ejus orationis propositiones seorsum consideremus, ut appareat, quam falsæ sint et perniciosæ.

Singula resumuntur. *a* de motore disciplinæ moralis.

8. Ait primum, *delectationem ac dolorem physicum solos esse motores universi moralis.* Falsum; in homine enim præter partem physicam sensitivam, ad quam spectat perceptio delectationis et doloris sensibilis, adest pars rationabilis, quâ cognoscit veritatem earum rerum, in quibus bonum suum consistit. Non ergo *delectatio et dolor physicus* sunt moralis disciplinæ motores, sed cognitio veritatis, seu veri boni verique mali.

b de ejus subjecto.

9. Ait secundo: *Religionis de moribus principia expedire nequeunt nisi parvo Christianorum numero. Philosophus, qui totum mundum alloquitur, virtuti ea dare debet fundamenta, in quibus omnes omnino nationes ædificare possint.* Supponit ergo *Helvetius*, solam Religionem Christianam vetare posse inordinatas delectationes; quod falsum est, quum ipsa recta ratio satis sit ad moderandum usum earum delectationum, quæ naturæ ordinem excedant.

c de ratione justitiæ.

10. Ait tertio: *Totius justitiæ auctores fuisse sensibilitatem physicam et commodum privatum.* Falsum; sola justitiæ regula est in æternâ Dei lege, a quâ derivatur lex naturæ. Justitia autem est virtus, quæ tam proximum, quam Deum et nosmetipsos respicit; unde nos obligat ad eum honorem eumque amorem Deo præstandum, quem Ille sibi meretur; ad illud proximo tribuendum, quod jure sibi vindicat; ad interdicendum nobismetipsis, quod recta ratio non permittit. Quibus positis, quomodo *totius justitiæ auctores* esse possunt *sensibilitas physica* et *commodum privatum?* Melius dicat *Helvetius*, si quidem de hominibus loquatur, *sensibilitatem et commodum proprium* in hoc mundo totius injustitiæ esse auctores; si porro de bestiis loquatur, quæ nihil aliud præter suam delectationem quærunt, sine ullo ad justitiam vel rationem respectu, recte dicit, sensibilitatem et commodum proprium totam iis justitiam totamque moralem disciplinam constituere.

d de origine societatis et legum.

11. Ait quarto: *Delectationis et doloris sensus in homine excitarunt proprii commodi amorem; qui quidem amor eum impulit ad societatem cum aliis ineundam; ut autem ea societas subsisteret, requirebantur pactiones, quarum fundamentum*

[1] *Discours 2, chap. 24.* — [2] *Discours 3, chap. 9.* — [3] *Discours 3, chap. 4.*

esse debebat commodum. Tunc ortæ sunt actiones justæ et injustæ, quæ antea non existebant. Falsum omnino. Quandoquidem non commodum ad societatem ordinavit hominem, sed natura seu, ut melius dicam, Deus, qui est naturæ auctor; Ille enim, quum homines multiplicari et in societate convivere deberent, ad pacem servandam iis imposuit, ut singuli proximo tribuerent, quod ei deberent: secus enim societas subsistere nequit. Ac proinde *commodum privatum* nequaquam est justitiæ auctor, sed ipsa justitia commodo privato frenum imponit, ut societas subsistat.

Aliquorum minus accurata doctrina.

12. Quid multa? Hoc suo systemate *Helvetius* omne jus naturæ tollit, quum illud in commodo vel privato vel totius societatis reponat. Ceterum falso huic et perniciosissimo principio favorem conciliarunt (ut rite demonstravit *Damianus Romanus* Causidicus in doctâ suâ *Dissertatione Apologeticâ de Existentiâ Juris Naturæ* [1]), *Hugo Grotius* in Tractatu *de Jure Belli ac Pacis* [2], et *Samuel Pufendorf* in suo opere *De Jure Naturæ et Gentium* [3], quum principium legis naturalis in socialitatis bono consistere asseverarent. Recte vero *Damianus*, tale principium ait non solum non stabilire jus naturæ, sed etiam, si non directe, indirecte saltem, illud destruere. Et re quidem verâ; *Grotius* inter alia argumenta hoc affert: Si per hypothesin non esset Deus nec rationis lumine prohibuisset, ne homines injuste alter alteri nocerent, quilibet proximo suo fortunas, famam et vitam impune auferre posset; et sic societas humana jam non posset servari (*a*). Ex quo concludere velle videtur, jus naturæ a societatis bono pendere. — Sed illud *Grotii* argumentum, indirecte saltem (ut dixi), Atheismo viam aperit. Et sane; impii hujus systematis promotores, videntes, Atheismum vulgo horrorem ideo incutere, quod necessario sequeretur, immanissima quæque delicta non amplius esse mala neque ex seipsis punitione digna; — Deo quippe e medio sublato, nihil jam vel justum vel injustum esse potest (quod quidem principium omnem legem omniumque rerum ordinem deleret); — talem ab Atheismo horrorem depellere conati sunt, hac nempe propositâ doctrinâ, optime haberi posse inter homines justitiam et injustitiam, virtutem et vitium, etiamsi Deus non existeret: atque ita *Grotii* hypothesin in thesin verterunt. Sed illud prorsus falsum est. Si enim Deus non existeret, non amplius haberetur bonum amplectendi fugiendique malum obligatio: quandoquidem si nullus daretur legislator, nulla esset lex; sublatâ autem lege, nullum remanet officium justa faciendi vitandique injusta. Accedit illud quoque, quod Deo non existente, neque existerent homines, neque ullum naturæ lumen, nec virtutes vel vitia. Præterea jus naturæ hominem dirigit non solum in iis actionibus, quæ proximum respiciunt, sed etiam in iis, quæ ad Deum et ad seipsum spectant; si ergo jus naturæ ex solo socialitatis principio penderet, nullum esset peccatum vel Dei nomen in vanum assumere vel blasphemiam proferre vel idola colere; atque impune interficerentur homines inutiles, et magis etiam, si reipublicæ essent perniciosi.

Athei illâ doctrinâ abusi sunt.

De bono societatis.

[1] *Della Esistenza del Diritto della Natura e delle Genti. Damiano Romano, Avvocato Napoletano* (*Napoli*, 1756). — [2] Prolegomena, n. 8. — [3] Lib. II, cap. 3, § 15.

(*a*) Ait enim (Prolegom., n. 11): *Et hæc quidem, quæ jam diximus, locum aliquem haberent, etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab Eo negotia humana.* Nisi quippe concedatur (ita eum ratiocinantem inducit S. Alphonsus) tunc etiam existere jus naturæ, factâ hypothesi non existere Deum, nulla tranquillitas neque ullus ordo servari posset. Ad quod illico S. Doctor: Sublato legislatore, sublatam esse legem necesse est (Nota edit.).

Atheo lex moralis esse nequit.

13. *Bayle* [1] quidem illud nobis persuadere studet, multos atheos, quamvis Deum esse negarent, honeste tamen et integre vixisse. Sed primum, communis est doctorum sententia, Dei existentiam adeo manifestis argumentis demonstrari, ut nemo umquam esse possit verus atheus, qui omnino persuasum habeat, Deum non existere. — Sed, dato talem aliquem haberi atheum, numquam tamen ejus actiones moraliter bonæ dici possunt, quum actionum humanarum bonitas moralis tota pendeat ex earum conformatione cum divinis legibus; quapropter ei, qui crederet, Deum non existere, jam non existerent leges vel officia, nec (quod consequens est) actiones moraliter honestæ aut vitiosæ.

De refrenandis cupiditatibus.

14. *Pufendorf* autem, ad probandum jus naturæ, eodem quidem ac *Grotius* utitur principio, aliâ tamen ratione considerato; ait enim, ideo jus naturæ a Deo datum esse hominibus, ut variis propensionibus, humanæ tranquillitati contrariis, frenum adhiberetur. — Illud vero nequaquam probat, existere jus naturæ; namque inordinatæ illæ propensiones, quæ humanæ societatis tranquillitatem disturbare possunt, non aderant in statu innocentiæ, quum homo ab omni inordinatâ concupiscentiâ esset immunis: verumtamen jam inde a primo illo statu lex naturæ promulgata fuit homini, qui solum ex peccato, postea commisso, ad malum proclivem se reddidit.

Deus bonum societatis intendit.

15. De cetero non est dubium, quin Deus, quum genus humanum multiplicari, et, quod consequens est, homines societatem inire vellet, ideo quoque leges naturales constituerit, ut homo pacifice cum aliis vivere posset. Sed jus naturæ non eo tantum spectat, ut bonum societatis servetur, sed etiam (ut diximus), ut homo in singulis actionibus dirigatur, tam erga proximum, quam erga Deum et semetipsum.

Fundamentum legis: finis creationis.

16. Quodnam ergo verum est principium, ex quo probatur, jus naturæ existere? Probatur ex fine, cui Deus creavit hominem. Dedit ei animam, naturâ suâ immortalem; quum enim purus spiritus sit, non habet partes corruptioni obnoxias. Animæ autem immortali atque æternæ non potuit Deus tamquam finem constituere bonum aliquod temporale et caducum, qualia sunt terrena omnia; sed finem ei debebat assignare similiter æternum, cujusmodi est æterna beatitudo. Atvero, quum hominem ratione et libertate donasset, divinæ gloriæ conveniebat, eum, priusquam talem finem consequeretur, Deo honorem tribuere, obediendo ejus legibus, quibus tamquam normâ uteretur ad actiones suas bonum eligendo vitandoque malum ordinandas. Et hæ quidem leges rationis lumine manifestantur homini, atque in iis consistit jus naturæ.

Helvetius justitiæ notionem evertit.

17. Sed ad *Helvetium* nostrum redeamus. *Physicam sensibilitatem et commodum privatum auctores esse* ait *totius justitiæ*. Illud efficeret, justum esse quidquid homini afferat delectationem sensibilem, ejusque faveat privato commodo. Talis justitia justitiæ esset contraria itemque contraria naturæ, neque servaret societatem, sed eam destrueret. Quod præterea ait, delectationem et commodum proprium impulisse hominem ad ineundam societatem, atque ita introductas esse pactiones, quarum ope societas subsistat; illud recte quidem asseritur, dummodo pactiones et in pactis justitia serventur: sed hoc admisso, fateri necesse est, non commodo privato, sed justitiæ et pactionum custodiâ societatem servari. Si contrà justitiæ auctor esset commodum privatum, nulla amplius existeret justitia, quum ad fovendum commodum proprium unusquisque alios exspoliare studeret, atque ita destructa jaceret societas. Illa societas, inquit Cicero, *quæ propter utilitatem constituitur* (i. e. propter utilitatem communem), *utilitate aliâ* (i. e. utilitate privatâ) *convellitur* [2]. Ac proinde, recentes illi philosophi, qui ideo scribunt, ut prosint so-

[1] *Pensées diverses, § 177; Continuation des Pensées, § 152.*

[2] De Legibus, lib. I, cap. 15.

cietati bonoque communi, societatis ac boni communis maximos se præbent adversarios; primas enim partes delectationi et commodo privato tribuentes, jus naturæ omnemque justitiam de medio tollunt.

Præclara *Parisiensis* Archiepiscopi responsio.

18. Sed audiamus, quam egregias præterea laudes *Helvetius* commodo privato tribuat: *Emolumentum*, inquit, *est probitatis meritique humani unicus judex. Emolumento e conspectu amisso, nulla remanet congrua probitatis notio; moralis disciplina tota subjecta est emolumenti legibus, sicut physica tota subjacet legibus motionis* [1]. — Hoc modo (ita in suo *Mandato* loquitur Archiepiscopus Parisiensis [2]) nulla jam erit in lege divinâ fundata distinctio inter justum et injustum; nulla jam erit naturalis obligatio præstandi officia et falsa evitandi. *Omnes leges*, inquit *Helvetius, pendent ex societatis conjunctione, et ex voluntate eorum, qui primi eam inierunt.* — Ergo, ita reponit idem Archiepiscopus, siquis injuste egerit, iis tantum pœnis subjacebit, quas legislatores imposuerint; sed nullum conscientiæ morsum vel divini judicii timorem habere poterit? Sic vero, inquit, honestatis et caritatis incitamenta (Helvetii judicio) jam nihil valent ad actus virtutis suscipiendos; et ad hoc unum attendere debet homo, num in suis actionibus commodum privatum vel publicum habeatur [3]. Si verum esset, emolumentum esse *unicum probitatis et meriti judicem*, nihil inter se differrent bonum et malum. Tale systema, exclamat idem Archiepiscopus, ad omnia mala aditum pandit; quandoquidem vocem conscientiæ comprimit, omnesque evertit divinas et humanas leges; quum tamen certum sit illud S. Joannis Chrysostomi [4], leges suas non condidisse primos legislatores nisi ob conscientiæ lumen, a Deo impertitum [5].

III De reliquis Helvetii erroribus.

19. Sed examinatis duobus illis præcipuis Helvetii exsecrandis principiis, nonnullos alios valde insignes inspiciamus, totoque ejus libro dispersos, errores contra religionem, libertatem et moralem disciplinam.

1. Circa religionem.

a de formatione mundi.

Contra religionem, de materiâ et de formatione hujus mundi agens, ita scribit: « Deus in universo physico unum tantum posuit principium. Materiæ dixit: *Vires tibi impertio.* Atque illico elementa, motionis legibus subjecta, sed errantia et in spatii desertis confusa, in mille coierunt monstruosas conjunctiones, in mille informes congeries, donec tandem in æquilibrium et in eum ordinem se disposuerunt, quo in præsenti ordinata dicitur rerum universitas [6] ». — Pauca hæc verba multos continent errores. Et 1^um^ quidem adumbratur Epicureum systema de formatione mundi ex fortuito atomorum concursu. 2° Iis verbis refragatur revelatio, quæ Deum verbo *fiat* universum conformasse docet; quum *Helvetius* doceat, elementa post *mille monstruosas conjunctiones* hunc mundum composuisse. 3° Asserens, Deum materiæ dixisse: *Vires tibi impertio*, supponit, vel saltem in dubium vocat, non a Deo creatam, sed æternam et a seipsâ esse materiam; nam hoc solum affirmat, Deum vires ei præbuisse; nec creationem commemorat. 4° *Elementa*, inquit, *motionis legibus subjecta, tandem post mille monstruosas conjunctiones in æquilibrium se disposuerunt.* — Si autem elementa *motionis legibus* subjecta sunt,

[1] *Discours 2, chap. 2 et 12.* — [2] *Mandement donné à la Roque, le 22 Nov. 1758.* — [3] L. c. — [4] Ad populum *Antioch.* Homil. 12, n. 4 (*a*). — [5] *De Beaumont*, l. c. — [6] *Discours 3, chap. 9.*

(*a*) « Quid tandem est », inquit, « quod dicunt? Non est nobis per se Lex in conscientiâ posita, nec eam naturæ Deus inseruit. Unde igitur, unde, inquam, de nuptiis, de cædibus, de testamentis, de depositis, de proximis non opprimendis, de infinitis aliis leges apud eos scripserunt legislatores? Hi quippe præsentes forte a majoribus natu didicerunt, et illi a prioribus, et rursum a superioribus isti. Qui vero ab initio et primi apud eos leges tulerunt, a quo didicerunt? Annon utique a conscientia?... a lege, quam hominem fingens Deus ab initio ipsi posuit. » Vide *Migne*, Patr. Græce et Latine, tom. 49, col. 133 (Nota edit.).

quomodo *mille monstruosas conjunctiones* efficere potuerunt? Monstra a legibus aliena sunt; leges quippe regulam denotant et ordinem. 5° Quî fit, ut materia, a Deo mota, ex seipsâ tandem *in æquilibrium se disposuerit?* Si se ipsa movere non poterat, multo minus in æquilibrium se ipsa poterat disponere; plus enim est, in æquilibrium disponi quam solum moveri. Ergone a Deo adepta est solam motionem, a seipsâ vero æquilibrii dispositionem?

b de divinâ Providentiâ.

20. Præterea: *Casus,* inquit, *plus in hoc mundo dominatur quam vulgo existimant homines* [1]. — Hic labitur in errorem contra Providentiam, de quâ egimus in IIª parte, cap. XVII, ubi demonstravimus, omnia a Deo esse disposita, quum in omnibus præclarus cernatur ordo, qui a casu provenire non potest; et ea ipsa, quæ nobis quidem inordinata videntur, hunc ordinem magis conservant secundum recta, nobis vero occulta, Dei judicia.

c de certâ hominis scientiâ.

21. Præterea: *Non datur,* inquit, *evidentia naturalis, sed omnia sunt probabilia* [2]. — Ergone certum non est, existere Deum, existere animas, eas esse spirituales, non esse eas mortales, præmium et pœnam in vitâ futurâ existere; sed mere probabilia sunt hæc omnia? Sed fallitur; nam ea omnia, etiam exclusâ fide, naturaliter evidentia sunt, ut in primâ et secundâ parte demonstravimus. — Item: *Quî certo sciamus,* inquit, *rerum universitatem non esse merum phœnomenon?* [3] — Iis verbis ad purum scepticismum auctorem recidere liquet.

d de novissimis.

22. Præterea: *Spes,* inquit, *et formido pœnarum ac delectationum temporalium ad formandum virum honestum æque valent ac pœnæ et deliciæ æternæ* [4]. Hic religionis prorsus incuriosum se præbet Helvetius. Et notari oportet verba: *æque valent;* ex quibus patet, eum non solum loqui de iis, quæ actu videmus, multos videlicet improbos pœnas temporales magis quam æternas reformidare; sed de ipsâ proprietate pœnarum temporalium, quam cum æternarum proprietate coæquat, ac si ambæ essent ejusdem ponderis. Et sic ostendit, quam parvi æstimet æterna.

e de religionis influxu.

23. Præterea, quum nominatim de religione loquitur, hæc habet: *Profundus quidam historicus* (notetur hæc vox: *profundus*): *Si in binas trutinæ lances, inquit, imponerentur bonum et malum, a religionibus allata, præponderaret malum* [5]. — Sequitur ergo, melius esse, si nulla existat religio, quum damno potius sit quam utilitati. Sed melius fecisset *profundus* ille historicus, si veridicus fuisset, neque adeo *profundus:* quod enim nimis profunde penetrare voluit, in profundum impietatis et falsitatis demersus est. Ex historiâ quippe constat, vel ipsas pseudo-religiones profuisse ad refrenanda populorum vitia; et philosophi gentiles, quamquam superstitiones et idololatriæ fabulas occulte improbabant, eas tamen affirmabant, ad plebem frenandam, servari oportere.

f de cogitandi et loquendi libertate.

24. Præterea: *Expedit,* inquit, *omnia secum cogitare et omnia dictis exponere* [6], etiamsi proferantur ea, quæ religioni, civitati vel rerum publicarum gubernatoribus funesta sint. — Egregio illo effato eversa jacet religio, societas et tranquillitas publica. Barbaram porro profundi illius historici propositionem his quidem verbis emendare conatur: *Desinunt autem* (funesta esse religioni, cet.), *quod iis contradicere licet.* Sed eam non emendat; nam solâ permissione contradicendi *funestis iis principiis,* non tollitur damnum, perverso illo axiomate illatum, *expedire* videlicet, *omnia secum cogitare et omnia dictis exponere.* Effatum illud ceteroquin consonat cum Helvetii systemate, delectationem nempe et commodum privatum esse *auctores cujuslibet justitiæ et judices totius probitatis ac meriti.* Interim tamen *Helvetio,* ut ex ejus retractatione patet,

[1] *Discours 3, chap. 1.* — [2] *Discours 1, chap. 1 et note E.* — [3] *Discours 1 et note E.* — [4] *Discours 2, chap. 24.* — [5] *Discours 2, chap. 24, note C (al. H).* — [6] *Préface.*

nequaquam expedire visum est, omnia secum cogitare omniaque verbis proferre, sed illud reprobavit et proscripsit; nec satis habuit, librum suum ab aliis fuisse impugnatum, sed et ipse eum composuisse doluit, et optavit, ut suppressum videret propter damnum, quod jam attulit vel in posterum afferre potest.

2. Circa hominis libertatem. Eam negat.

25. Deinde contra hominis libertatem hæc asserit: « Deus sic allocutus videtur hominem: Sensu te donavi; ejus ope tu, velut cæcum voluntatis meæ instrumentum, neque idoneum ad altitudinem meorum judiciorum cognoscendam, consilia mea inscius perficere debes. Præsidio delectationis et doloris te committo; ambo cogitationibus tuis tuisque actionibus invigilabunt; cupiditates tibi parient: excitabunt aversationes tuas et amicitias, teneros affectus et furores; desideria, timores, spes tuas accendent; plures tibi detegent veritates; in errores te præcipitabunt; et postquam effecerint, ut sexcenta produxeris incondita et inter se diversa systemata de morum disciplinâ legumque latione, veniet dies, quo tibi patefacient pura illa principia, quorum evolutioni ordo et bonum totius mundi moralis adnexum est » [1].

Confutatur.

26. Hæc omnia consequuntur duo illa *Helvetii* principia, quæ suprà commemoravimus: primum nempe, in nobis nihil aliud esse præter *sensibilitatem physicam*, quâ similes sumus brutis animalibus, et ex instinctu necessario agimus, non secus ac bestiæ vel *amentes* vel *pueri*, usum rationis nondum adepti, *quibus irasci* (sic ipse loquitur) *ineptum est, quum* (ut postea subdit) *commiseratione potius quam irâ digni sint* [2]. Et alterum ejus principium: *delectationem et commodum privatum* constituere moralem hominis legem, juxta quam agere debeat. — Sed prima præsertim ejus verba perpendamus: *Deus sic allocutus videtur hominem: Sensu te donavi; ejus ope tu, velut cæcum voluntatis meæ instrumentum, neque idoneum ad altitudinem meorum judiciorum cognoscendam, consilia mea inscius perficere debes.* — Ergone Deus non dedit homini rationem, sed tantummodo *sensum*, cujus ope, quidquid agit, libertatis expers, Dei voluntatem perficit? Ac proinde (quod consequens est) ea, quæ homo contra rationem facit, necessario facit, perficiens consilia Dei, qui vult, ita eum agere? Inter alios errores hic etiam habetur Calviniana hæresis, Deum esse peccati auctorem. — Sed prorsus falsa asserit; quandoquidem homo non solo sensu, ut brutum, sed etiam ratione a Deo insignitus est; quæ ratio, utpote superior, sensum refrenat et moderatur. Nec verum est, hominem machinæ instar operari, ut Helvetius eum describit, sed operatur ut agens liberum cum plenâ libertate eligendi bonum vel malum, prout voluerit.

Ejus argumentum.

27. Alio loco, expresse contra libertatem loquens: *Si haberetur animæ libertas*, inquit, *daretur effectus sine causâ et voluntas sine ratione* [3]. Quibus verbis dicere voluit, voluntatem sequi illud, quod sibi repræsentet intellectus; indeque impie concludit, hominem in agendo non esse liberum. — Sed fallitur; nam homo et ratione et libertate a Deo præditus est: quia rationem habet, ejus voluntas sequitur illud, quod sibi proponit ratio vel recta vel errore decepta, sive bonum verum exhibet sive bonum apparens; quum vero libera sit voluntas, rationem sequitur non necessario, sed libere et ideo tantum, quia vult eam sequi; quod adeo verum est, ut haud raro voluntas, relictis iis, quæ recta ratio proponat, pejora amplectatur; quare Ovidius: *Video meliora proboque*, inquit, *deteriora sequor* [4]. Atque ita homines peccant, sibique inferni pœnas promerentur; quod ea sequi volentes, quæ rectæ rationi sint contraria, suâ abutuntur libertate.

Rejicitur.

3. Circa moralem disciplinam.

28. Contra legem moralem hæc profert: *Quum homo naturâ suâ sensuum tantum-*

[1] *Discours 3, chap. 9.* — [2] *Discours 3, chap. 14, note.*

[3] *Discours 1, chap. 4.* — [4] Metamorph., lib. VII, v. 20 et 21.

a De objecto appetitus.

modo voluptatibus moveatur, consequens est, ut ad eas tantum voluptates cuncta ejus spectent desideria [1]. — Homo igitur, *Helvetii* judicio, solis sensuum voluptatibus movetur? Et voluptates unicum ejus desideriorum constituunt objectum? Ac proinde homo nihil præstat brutis animalibus, quum nihil habeat præter sensum, nihil appetat nisi corporis voluptates, nec præditus sit spiritu vel ratione? Atvero, inquit Archiepiscopus Parisiensis [2], eo ne Epicurus quidem progressus est, quamvis hominem materiam tantum esse diceret: affirmabat enim, hominis felicitatem in justâ et honestâ vitâ esse positam. Cicero quippe: *Clamat Epicurus*, inquit,... *non posse jucunde vivi, nisi sapienter, honeste justeque vivatur* [3]. Sed philosophus noster, ab Epicuro dissentiens, hominis felicitatem in sensuum deliciis positam esse censet. Belluina sane philosophia!

b De normâ actionum.

29. Præterea alio loco: « Rationem, inquit, in actionibus majoris momenti nos dirigere, non inficior; sed minuta quæque arbitrio et appetitioni nostræ relinquuntur. Qui ad singula rationem consultaret, assidue distineretur in ponderando, quid sibi faciendum esset; nec quidquam perficeret » [4]. — Ergone *minuta quæque arbitrio et appetitioni relinquuntur?* Minime vero; consonat illud quidem *Helvetii* principiis, delectationem et commodum privatum esse disciplinæ moralis motores, auctores totius justitiæ et probitatis meritique judices; sed juxta principia religionis et naturæ, ratio nequaquam arbitrio et appetitionibus nos relinquit, sed quantum convenit, eas domare docet. Ibidem subdit: *Siquis ad singula rationem consultaret, assidue distineretur in ponderando, quid sibi faciendum esset; nec quidquam perficeret.* — Sed experientia *Helvetium* falli demonstrat; tam multi enim probi viri neutiquam percipiunt illud Helvetii figmentum, fieri videlicet non posse, ut quis recte agat, quod singula sibi essent ponderanda; illi quidem in omnibus ad rationis normam se dirigentes, recte ac libere agunt.

c de moderatione affectuum.

30. Quum *de educatione juvenum* agit et *de primâ doctrinâ*, iis tradendâ, utilissimum esse judicat, *primæ hujus ætatis non contraire cupiditatibus.* Porro *pædagogos et concionatores stupidos* vocat, *quod temperanda esse desideria assidue moneant.* Præterea: *Siquis, ut cum virtute vivere posset,* inquit, *cupiditates suas semper vincere deberet, vir parum honestus esset, necesse est* [5]. Ac proinde temerarios illos, qui immanibus flagitiis nomen sibi fecerunt, tamquam acutos viros laudibus extollit. — Et ut uno verbo omnia complectar, præcepta ab *Helvetio* tradita, prorsus conveniunt incredulo, qui subverti et convelli cupiat omnes honestatis et religionis regulas. Religio enim non laudat, sed vituperat vitiosos, et nominatim adolescentulos hortatur, ut a primis ætatis suæ annis divinam legem servare assuescant: *Bonum est viro, quum portaverit jugum ab adolescentiâ suâ* [6]; et e contrario asseverat: *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient* [7]; quibus verbis nos docet, adole-

[1] *Discours 3, chap. 10.* — [2] L. c. (*a*). — [3] De Finibus Bonorum et Malorum, lib. I, cap. 18. — [4] *Discours 3, chap. 15.* — [5] *Discours 2, chap. 16.* — [6] Threni, III, 27. — [7] *Job*, XX, 11.

(*a*) « On pourrait demander », inquit, « si dans aucune Ecole païenne on a jamais enseigné nuement et publiquement, que *les plaisirs des sens sont l'unique objet des désirs de l'homme;* si Epicure lui-même ne s'est pas proposé les plaisirs de l'esprit. *Epicure,* disait un ancien, *soutient hautement, qu'on ne peut vivre agréablement, si l'on ne vit avec sagesse, avec honnêteté, avec justice...* Nous ne croyons pas, que personne attribue aux plaisirs des sens le privilège d'être toujours accompagnés de la *sagesse,* de *l'honnêteté,* de la *justice;* et de là il faut conclure, que le plus décrié d'entre les philosophes avait des idées supérieures à celles, qui se trouvent répandues dans le livre *de l'Esprit* » (Nota edit.).

scenti, qui vitiis se dederit, ipsa illa vitia tam alte velut in ossa permeare, ut ad sepulchrum usque ei inhæreant.

d De virtutis utilitate.

31. Præterea: *Quid prodest societati,* inquit, *privati cujusdam probitas? Nullam fere utilitatem ei affert* [1]. — Ergone soli improbi societati prosunt? Sed quæ umquam societas bona esse poterit atque utilis, si improbi sunt ii, ex quibus componitur?

Conclusio.

32. In summâ, *Helvetius,* qui *de Spiritu* scripsit, gloriari potest (ut a principio dixi) eo se præditum fuisse spiritu, quo superaret auctores, qui hactenus, vel in antiquitate vel ultimis his temporibus improbissimi prodierunt. Nam librum suum refertum voluit sententiis quam maxime impiis et perniciosis, quæ subvertunt et evellunt fidem, religionem, honestatem, societatem, rationem totamque, ut ita dicam, humanitatem. Fateor equidem, sæpe eum velut problemata proponere; deinde vero a problemate ad assertionem transit, suosque obtrudit errores tamquam axiomata, in rebus fidei et morum tenenda. Ejus librum in Galliâ et Romæ jam condemnatum esse monuimus. Probis viris perquam gratum fieret, si in nostro quoque regno a religiosissimo regnante principe nominatim proscriberetur, ad vitandum grave damnum, quod inferre potest adolescentulis, qui in iis rebus parum intelligunt vel infirmum habent spiritum: namque infamis illius operis plura exemplaria malâ nostrâ sorte Neapolim pervenerunt ibique circumferuntur.

APPENDIX II.

CONFUTATUR ALIUS LIBER, GALLICE CONSCRIPTUS,

CUI TITULUS:

DE LA PRÉDICATION, PAR L'AUTEUR DU DICTIONNAIRE PHILOSOPHIQUE.

Quid de eo libello censendum.

1. Quum prælo subjicerentur ultima hujus operis folia, liber, cujus inscriptionem hic commemoravi, in manus meas incidit. Ut partus ejusdem auctoris, qui *Lexicon Philosophicum,* ubique jam condemnatum, composuit, in haud sanæ doctrinæ suspicionem incurrat, necesse est; et re quidem verâ, plures non sanas in eo reperi propositiones, atque aliquam vere impiam et divinis Scripturis manifeste contrariam (*a*).

[1] *Discours 2, chap. 6.*

Sacras conciones dedecorat.

2. Sed quoniam inscribitur: *De Sacris Concionibus,* nemo est, qui non crederet, in eo tractari de sanctæ prædicationis fructu, de ejusque necessitate ad illuminandos homines, qui ob peccatum et naturæ corruptionem tenebris obvoluti et naturaliter propensi sunt non ad bonum vel virtutem (ut auctor quidem censet), sed ad malum et vitium. — Minime vero; operis propositum est, sacras conciones dedecorare, ac si prorsus inutiles forent ad mores reformandos. — Non mihi proposui, hic omnia exscribere, quæ auctor

(*a*) Hujus libelli auctor fuit *Gabriel Franciscus Coyer,* qui licet sacerdotio auctus, scriptis tamen suis, animum sacerdote dignum nequaquam se gerere, abunde monstravit. De eo non dubitabat asserere *Voltaire: C'est un de nos frères (Lettre à M. le Comte d'Argental, 3 Avril 1761);* et de hoc libello scribebat *(Lettre à M. Servan, Avocat Général du Parlement de Grenoble; Avril 1766): Le petit livre « de la Prédication » est de l'abbé Coyer,... qui veut à présent que nous ayons des censeurs au lieu de prédicateurs, ou plutôt qui ne veut que s'amuser.* Attamen libellus revera inscribitur: *Par l'auteur du Dictionnaire philosophique* (Nota edit.).

in suo libro asseruit; sed breviter ac summatim ea attingam, ex quibus lectores intelligant, quid dixerit.

Ad conversionem cordis eas inutiles vocat.

3. Conversionem *spiritûs* a *cordis* conversione distinguens, sacras conciones ait [1] priorem quidem obtinere posse, non vero alteram; aliis verbis, illud quidem assequi posse, ut mutetur religio, minime vero, ut mores immutentur. Quod sic probat. Tunc sacræ conciones haberi cœperunt, inquit [2], quum homines ad societatem ineundam convenerant. Quoniam in primâ urbe, Henoch nomine, quam Cain ædificaverat [3], improbi, ei similes, redundabant, Enos contra vitia, at frustra, concionatus est. In idem officium, etiam adjectis comminationibus, successit Henoch; sed illud non solum nulli utilitati, sed damno potius fuit; quum enim fideles se immiscuissent gentilibus, quos ad veri Dei cultum converterent, eorum filias matrimonio secum conjunxerunt; quo factum est, ut universa terra paulatim corrumperetur.

A creatione ad diluvium.

A diluvio ad Christum.

4. Tum ita pergit [4]: Videns Dominus, totum mundum peccato esse corruptum, Noe præcepit, ut hominibus denuntiaret vicinam diluvii pœnam; hic autem, in conspectu arcæ, quam exstruendam susceperat, contra vitia conciones habuit. Quod vero omnia in cassum cecidissent, mundum Deus submergere debuit; quod reverâ fecit. Post diluvium, rursus multiplicatâ progenie, duo condita sunt imperia, Babylonicum et Niniviticum. Noe prædicationi fortius etiam institit, impletæ punitionis exemplum in hominum memoriam revocans. Postea prophetæ concionandi munus susceperunt: homines vero nihil emendati, vetera delicta novis ita cumularunt, ut tandem Dominus ignem de cælo miserit, et integras quinque urbes concremarit. Jam nati Messiæ temporibus Baptista pœnitentiam prædicavit; sed quotusquisque eam amplexus est? Prædicavit Jesus Christus, sed paucos collegit discipulos, qui post ejus mortem Verbum Dei annuntiantes per universum orbem dispersi, ac tandem variis locis interfecti sunt ab iisdem illis hominibus, ad quos de divinis rebus sermonem habuerant. — Hæc ille. Deinde subdit:

De Christi discipulis.

De æra Christiana.

5. Constantini temporibus Evangelium libere prædicari ubique cœptum est. Multi quidem fidem amplexi sunt, vitia tamen non deposuerunt; ac proinde religionem, non autem mores, immutarunt. Magis deinde magisque sæculo tertiodecimo a *S. Francisci* et *S. Dominici* filiis prædicatio accrevit. Postea accesserunt *S. Ignatii* filii, aliique multi novarum familiarum religiosi sodales Ecclesiam concionatoribus impleverunt; ac nihilominus genus humanum in pejus ruit, vitiorum flagitiorumque plena sunt omnia [5]. Quodnam ergo reformandis moribus erit remedium, quum sacræ conciones hactenus inutiles fuerint? Auctor concludit, verum concionatorem, qui mundum reformare possit, esse bonum regimen, honestos remunerans et pœnis afficiens improbos [6]. Sacri oratores, inquit, bona et mala æterna, a fide proposita, denuntiant; illa autem, utpote futura et remota, nihil vel fere nihil efficiunt; magis enim quæ videntur, quam quæ audiuntur, hominem movent [7]. Quapropter ad consequendam vitiorum exstirpationem, diversa profert consilia: 1um patribus summam illam concedendam esse potestatem, quam Romulus Romanis tradiderat, filios ad arbitrium suum castigandi, dummodo eos (quod antea erat licitum) ne vendant vel interficiant [8]; 2° viros uxorum suarum constitui debere judices [9]; 3° heris eam in servos tribuendam esse auctoritatem, quam duces in milites, mercede conductos, habeant [10].

De remedio instituendo:

a de auctoritate *patris, mariti* et *heri.*

6. Quod vero potissimum proponit, hoc est, ut in singulis urbibus vel regionibus censor eligatur, qui decem familiis præsit; deinde ut ex vicinioribus regionibus collegium constituatur duodecim censo-

b de censoribus eligendis.

[1] *De la Prédication, pag. 13.* — [2] Ibid., *pag. 3-6.* — [3] Genes., IV, 17. — [4] *Pag. 6-13.* — [5] Ibid., *pag. 14-18.* — [6] Ibid., *pag. 64-65.* — [7] Ibid., *pag. 67.* — [8] Ibid., *pag. 125.* — [9] Ibid., *pag. 127.* — [10] Ibid., *pag. 131.*

rum, quorum tribunal a tribunalibus justitiæ differat: hujus autem tribunalis cura sit, in ea animadvertere vitia, quæ non fuerunt pro merito a magistratibus punita, et præmio afficere eas virtutes, quæ debitam remunerationem non acceperunt[1]. — Inde reprehendit auctorem libri: *De Spiritu Legum*, qui regimen monarchicum omnibus remedium afferre asserit[2]; eique respondet, *mundum universum esse valde commodum censorem*, qui nec delinquentes puniat nec remuneretur honestos.

Humana tantum remedia proponit.

7. Sed illud mihi valde displicet, in iis, quæ proponit, ut homines ad recte vivendum inducat, de humanis tantum subsidiis eum loqui, nec mentionem quidem facere de necessitate divinæ gratiæ, sine quâ omnes humanas vires ad conversionem cordium nihil valere certum est. Humanum regimen, puniendo improbos et bonos præmiis afficiendo, nisi gratiæ auxilium accesserit, hoc tantum efficiet, ut homines, velut totidem Pharisæi, extrinsecus quidem sancti videantur, intus vero vitiorum cubilia fiant. Ad corda reformanda sola gratia pertingere potest; quapropter sic nos orare docet Ecclesia: *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper et præveniat et sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos*[3]. Atque ideo prosunt sacræ conciones (de quibus infrà sermo erit), ut populus agnoscat gratiæ necessitatem ac simul necessitatem precationis ad gratiam obtinendam.

De Censorum collegio hic disputare non libet.

8. Meum ceteroquin non est, hanc alteram enodare libri partem, quæ de reipublicæ gubernatione disserit, quum ad meum institutum nihil pertineat. Hoc tantum dico: Si tale Censorum collegium, ab auctore propositum, subjectum esse deberet supremæ alicui potestati, huic (quum de proprio ejus jure agatur) decernendum relinquo, utrum expediat necne, novum illud tribunal institui; namque ex unâ parte videtur quidem quamdam habere posse utilitatem, ex alterâ vero majorem forsitan confusionem ordinisque perturbationem afferret. Sin illud collegium ab ullo pendere nollet, et pro regimine monarchico democraticum ubique vellet sanciri, communi contradiceret sententiæ sapientium, qui uno ore affirmant, optimum regimen esse monarchicum, et præ ceteris aptum ad rectum ordinem in societate servandum.

Vana eloquentia rejicienda est.

9. Ad primam ergo, quæ ad me spectat, veniamus partem, in quâ auctor sacras conciones ad morum reformationem inutiles atque ineptas vocat. Si loqui voluerit de vanâ et frondosâ concionandi methodo (cujus reverâ in suo libro mentionem facit), verum dicit eique assentior; nam ego quoque opusculum divulgavi, ut ostenderem, sacros illos oratores, qui ex concionibus non Deo sed sibimetipsis gloriam quærant, non solum esse inutiles, sed haud raro etiam perniciosos auditoribus, qui rudes plerique, ex iis concionibus, parum intellectis, nihil aliud sibi comparant nisi tædium divini Verbi atque fastidium. Ego quidem illud assevero: Si non adulteraretur Dei Verbum, sed cum simplicitate et sine fuco administraretur, omnino omnes sancte viverent. Gravem igitur rationem Deo reddent ii sacerdotes, qui sacram prædicationem grandi elatoque stilo deturpant: quum enim parum vel nihil a populo intelligantur, in causâ sunt, cur tot animæ ipsorum culpâ pereant. De hoc argumento aureus legatur *Muratorii* liber: *De populari Eloquentiâ*[4]. — Sed ad nostrum propositum redeamus. Si auctor de vanâ illâ concionandi methodo loquatur, recte asserit, ad pravos mores corrigendos nihil eam proficere. Sin autem loqui voluerit de sacrâ prædicatione in universum (ut revera loquitur), ejus assertionem non modo falsissimam dico, sed etiam perniciosam et impiam, utpote ipsis divinis Scripturis contrariam.

Sacræ conciones rite factæ, valde utiles sunt.

[1] Ibid., *pag. 136* seq. — [2] *L'Esprit des Lois, liv. V, chap. 19.* — [3] Domin. XVI post Pentec. Collect. — [4] *Muratori, Le Pregi dell'Eloquenza popolare.*

Probatur ex Scriptura:

10. Prædicatione tum fidem tum bonos mores dilatari et coli asseverant Scripturæ. Ad salutem hominibus afferendam, Jesus Christus asseruit, non satis esse suam Passionem, sed etiam prædicationem requiri, ut de peccatis pœnitentiam facerent, et ad meliorem se reciperent frugem: *Et sic oportebat Christum pati...: et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes* [1]. Eamque ob causam discipulis injunxit, ut per mundum universum euntes, non solum traderent mysteria, hominibus credenda, sed etiam præcepta, quæ servari deberent: *Euntes in mundum universum*, inquit, *prædicate Evangelium omni creaturæ* [2]. Et deinde ita pergit, ut apud S. Matthæum legimus: *docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis* [3]. Inde prædicarunt Apostoli, eorumque prædicatio per totum orbem fructuosa fuit, ut his verbis testatur S. Paulus: *In universo mundo... et fructificat,... sicut in vobis* [4]. Cum iis namque, ut refert S. Marcus, agebat Dominus, ut fructuosas redderet eorum conciones: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* [5].

Luc. XXIV. Marc. XVI. Matth. XXVIII. Coloss. I.

11. Sacras conciones ad mores reformandos ille quidem ineptas esse dicit [6]; Deus vero non ita. Deus, sicut pluvia terram fecundat et frumenti fertilem reddit, ita ait verbum divinum numquam vacuum remanere, sed fructus bonorum operum in animis producere: *Et quomodo descendit imber et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti et panem comedenti; sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum* [7], *cet.* Subjungit S. Paulus, adeo efficax esse Dei verbum, ut ad corda penetranda magis valeat quam gladius acie utrimque præditus: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* [8]. Vox *animæ* inferiorem designat hominis partem, quæ vocatur *animalis;* vox *spiritus* partem superiorem indicat, quæ *spiritualis* nuncupatur. Itaque verbum Dei efficit, ut pars superior cum inferiore ne cohærescat, quod in improbis fieri videmus, in quibus pars inferior superiorem ad se pertrahit: sacra prædicatio vero, seu ut melius dicam, divina gratia, prædicationis ope, partem inferiorem a superiore dividens, hoc efficit, ut pars superior non pertrahatur, sed dominari possit in singulas actiones singulaque hominis desideria.

Isaias, LV. Hebr. IV.

12. Præterea Apostolus: *Placuit Deo,* inquit, *per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* [9]. Ideo dicit *per stultitiam prædicationis*, quia Gentiles stultitiam existimabant redemptionis mysterium, ab Apostolis prædicatum: *nos autem,* inquit S. Paulus, *prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* [10]. Per prædicationem igitur talis stultitiæ Dominum ait credentes salvos facere voluisse; illud autem non solum significat, inducere hominem ad veram fidem mente amplectendam, sed etiam ad agendum juxta fidei præcepta: sola fides enim sine operibus ad salutem non perducit. Et propterea idem Apostolus retulit, Jesu Christi fidem per totum orbem sanctorum operum fructus producere: *In universo mundo* (fides)*... et fructificat,... sicut in vobis* [11]. 1 Cor. I.

Probatur ex historiâ:

13. Origenes, de suis temporibus agens: *In omni orbe terrarum,* inquit, *in omni Græciâ atque universis exteris nationibus innumeri sunt et immensi, qui relictis patriis legibus* (et quod consequens est, perversis suis moribus) *et his, quos putabant deos, se disciplinæ Christi tradiderunt* [12]. Ac proinde Apostoli, non sine magno animi solatio, prædicationis operâ, gentiles

[1] *Luc.*, XXIV, 46 et 47. — [2] *Marc.*, XVI, 15. — [3] *Matth.*, XXVIII, 20. — [4] *Coloss.*, I, 6. — [5] *Marc.*, XVI, 20. — [6] *De la Prédication, pag. 22-23.* — [7] *Is.*, LV, 10 et 11. — [8] *Hebr.*, IV, 12. — [9] 1 *Cor.*, I, 21. — [10] Ibid., v. 23. — [11] *Coloss.*, I, 6. — [12] De Principiis, lib. IV, n. 1.

viderunt non solum deos suos despicere et conculcare, sed sua etiam exstirpare vitia, tot sæculorum spatio inveterata, terrenas voluptates abominari, divitias et mundanos honores relinquere; atque e contrario libenter suscipere ærumnas, ludibria, paupertatem, insectationes, exsilia, tormenta et mortem.

Tribus primis sæculis.

14. Auctor ad exstirpanda vitia sacras conciones nihil profuisse asserit [1]. Non negamus, quantumvis habeantur conciones, numquam tamen defuisse, nunc etiam existere et semper futuros esse obstinatos, qui ne sua relinquant vitia, Deum relinquant: sed quam multi contrà, audito Dei verbo, immutarunt vitam, Deoque se dederunt! Neque scenicæ vel externæ tantum fuerunt illæ conversiones, quales fierent, si (ut auctor quidem proponit) temporalium tantum pœnarum et remunerationum ratio haberetur; sed veræ conversiones cordis. Quod præsertim monstrarunt tam multi martyres, qui ex præcepto Evangelii, ob fidei professionem, vitam in tormentis profuderunt; idque cum tanto moriendi desiderio, ut Tiberianus [2], Palæstinæ præfectus, ad imperatorem Trajanum scribere deberet, tam ingentem Christianorum numerum Jesu Christi causâ morti se offerre, ut ad omnes interficiendos non esset idoneus; illudque Trajanum [3] ad decernendum induxit, ut nullâ deinceps Christiani molestiâ afficerentur. Nec soli plebeii atque illitterati sacrâ prædicatione ad fidem se convertebant, sed etiam nobiles, docti, decuriones, judices et senatores; unde Tertullianus in apologiâ ad gentiles scribere poterat: *Vestra omnia implevimus, urbes, insulas,... conciliabula, castra,... decurias,... senatum, forum* [4]. Et quum tria prima sæcula sanguinis notâ distinguerentur, quartum deinde et quintum sæculum, Ecclesiæ pace restitutâ, macerationibus, corporis afflictationibus ultro susceptis, et avulsione a rebus mundanis insignita apparent; quandoquidem innumeri viri ac mulieres, patriis, parentibus, fortunis omnibusque relictis, deserta incolere cœperunt, ut sanctis virtutibus exercendis soli Deo gratum facerent. S. Hieronymus [5], quum in Palæstinâ degeret, quotidie ab Indiis, a Perside et ab Æthiopiâ turmas monachorum, qui in solitudine vitam duxissent, illuc advenisse refert, ut Hierosolymis loca sacra visitarent. Et Palladius [6] narrat, quarto sæculo ineunte, in Ægypto nominatim, intra unius urbis territorium viginti millia fuisse religiosarum virginum, quæ sancte viverent. En igitur, quosnam fructus sacræ conciones attulissent.

Quarto et quinto sæculo.

Alia hic in medium afferre et legentes tædio afficere nolo, ut sacrarum concionum utilitatem et necessitatem ostendam, quum satis sit illud Apostoli: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* [7] Ceterum ex iis paucis, quæ suprà disserui, satis demonstratum mihi videtur, quam impie in hoc libro asseratur, sacras conciones ad mores reformandos numquam utiles neque idoneas fuisse; quum e contrario minime dubium sit, quin sublatis concionibus, unum ex præcipuis nobis deesset subsidiis, ad veram conversionem cordium a Deo ordinatis.

Conclusio.

[1] *De la Prédication, pag. 14 seq. et 64.* — [2] Relatio ad *Trajanum* (App. ad Martyr. *S. Ignatii*). — [3] Apud *Suidam*, Historica, Art. *Trajanus*. — [4] Apologeticus, cap. 37. — [5] Ep. 107 ad *Lætam*. — [6] In Appendice ad *Palladii* Historiam *Lausiacam*. — Cfr. *Rufin.*, Histor. Monachorum, cap. 5. — [7] *Rom.*, X, 14.

EXHORTATIO

AD EOS QUI JESU FIDEI STUDIO TENENTUR.

O vos, fideles, qui Jesum Christum diligitis, respicite ad persecutionem, quâ tot increduli ejus Ecclesiam vexant. Non enim satis habent, si ipsi tantum pereant; sed ut exitii socios sibi adjungant, et scriptis et verbis ceteros quoque depravare conantur, suosque pestiferos libros per totum orbem, et in hanc etiam Italiam nostram, diffundere nituntur. Miseri quippe adolescentuli, vel nova audire cupientes, vel majorem in dissoluto suo vivendi genere appetentes libertatem, quum talia legunt, eorum veneno imbuuntur, omnique abjecto freno, in quælibet vitia ruunt. O vos, qui fidei studio ardetis, totis viribus operam vestram conferte, ut concionando, admonendo, instruendo et clamitando exitiosam hanc pestem funditus evellatis. Dicetis, ad illud perficiendum ineptas esse vires humanas. Recte dicitis, ita est; Dei manus hic requiritur. Sed num ideo inertes adstabimus, et intuentes solum lugentesque illa Ecclesiæ damna, nihil aliud faciemus? Si ad remedium afferendum nos idonei non sumus, Deus, quum sit omnipotens, idoneos nos reddere potest. Deus vero precibus nostris vult adiri. Precantes exauditurum Se promisit. Hoc igitur facere possumus et debemus: ad conciones, monita, institutiones et clamores accedant preces ad Deum; assidue Ei supplicemus, Eumque lacrymis nostris velut fatigemus, ut pro suâ misericordiâ medeatur animarum stragi, quam tali ratione his temporibus efficiunt inferi. Oremus igitur, et cum David his Eum verbis compellemus (*Psalm. 79*):

ORATIO

PRO ECCLESIÆ BONO.

Deus virtutum,... ostende faciem tuam, et salvi erimus [1]: Benignum tuum vultum ad nos converte, o Domine et Deus virtutum, nobisque salutem affer. *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam* [2]: Idolorum cultu expulso, sanctæ Ecclesiæ tuæ vineam in hoc mundo plantasti. *Plantasti radices ejus et implevit terram* [3]; et adeo firmiter eam plantasti, ut omnes quondam hujus mundi regiones fidem, ab eâ traditam, amplexæ essent, omnesque Jesu Christi crucem adorarent, et impleta cerneretur hæc prædictio, totam terram sanctâ fide tuâ plenam esse futuram. Deinde vero *exterminavit eam aper de silvâ; et singularis ferus depastus est eam* [4]: hæresis, fera bellua, ab inferorum silvâ egressa, eam devastavit; et posteris sæculis augescente exitio, in præsenti, paucis in Europâ exceptis imperiis, in reliquis omnibus jam non dici potest dominari fides, sed vel infidelitas vel hæresis illic regnat. Et quod pejus est, quodque acrius deplorat Ecclesia, in nonnullis regnis, ubi illæsa fides remanserat, ibi quoque eam persecuti sunt increduli. *Deus virtutum, convertere; respice de cælo, et vide, et visita vineam*

[1] Ps. LXXIX, v. 8. — [2] v. 9. — [3] v. 10. [4] v. 14.

istam [1]. Eja, misericorditer conversus, de cælo intuere, quantopere deformata sit vinea tua! *Vide, et visita vineam istam; et perfice eam, quam plantavit dextera tua* [2]: ad eam respice, visita eam, Tuque repara damna, quæ adversarii ei intulerunt nec desinunt inferre; despiciunt enim et derident omnia, tuam Ecclesiam, Scripturas tuas, præcepta tua, tuas sententias omnesque denique tuas veritates. Memento, tuis manibus eam fuisse plantatam. *Et super filium hominis, quem confirmasti Tibi* [3]. Memento, Pater æterne, dilectum tuum Filium, ut Tibi obediret, et hanc vineam secundum tuam voluntatem constitueret, filium hominis esse factum, eamque totius vitæ suæ sudoribus et laboribus plantasse. Per Jesu Christi igitur, Filii tui, amorem, Te precamur, *ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare; utque inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos.*

Tu autem, Verbum Incarnatum, Salvator mundi, qui morte tuâ salutem hominibus attulisti, quomodo apud eosdem illos homines tam ingratum animum reperire potes, ut non solum Tibi obedire Teque diligere recusent, sed vel eo etiam perveniant, ut denegent mortem et cruciatus, quos eorum causâ subiisti? Eorum utilitatis Tu assidue curam geris; illi vero nihil Te de ipsis cogitare asserunt. Immortales Tu eos creasti, ut æternam sibi acquirant felicitatem; illi vero sibi persuadere student, mortales se esse, ut sine ullo freno in vitia se abjiciant, atque ita in æternam ruant perniciem. Ah, per tuæ vitæ mortisque merita *tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti;* servis tuis succurre; noli permittere, ut inimicorum tuorum impietas exsultet in tot animarum ruinâ, quas sanguine tuo redemisti: *Dominare in medio inimicorum tuorum* [4].

Ad Te nos pariter convertimus, o cæli Regina, Maria, quæ quum præ ceteris creaturis Deum diligas, magis quoque ejus amas Ecclesiam. Tu, quæsumus, tuam interpone operam, ut eam reficias ab iis detrimentis, quibus in præsenti, quum ab ipsis filiis impugnatur, eam afflictatam vides. Tuæ preces, utpote preces maternæ, obtinent quidquid petunt a Deo, qui tantopere Te diligit. Deprecare ergo, deprecare pro Filii tui Ecclesiâ; lumen exora tam multis incredulis, qui eam persequuntur; fidelibus autem vires impetra, ne eorum insidiis se abripi sinant, neque eorum pernicie involvantur.

[1] v. 15. — [2] v. 15 et 16. — [3] v. 16.

[4] Ps. CIX, 2.

IV.

VINDICIÆ

PRO

SUPREMA PONTIFICIS POTESTATE

ADVERSUS JUSTINUM FEBRONIUM.

OPELLA

AB HONORIO DE HONORIIS

ELUCUBRATA

1768

Joannis Nicolai de Hontheim, qui mutato nomine *Justinus Febronius* dicebatur, teterrimus *de Statu Ecclesiæ et legitima Potestate Romani Pontificis liber singularis, ad reuniendos dissidentes in religione Christianos compositus* (5 Volum. in 4°, 1763), nihil aliud agebat, nisi ut totam Ecclesiæ constitutionem atque imprimis supremam Romani Pontificis auctoritatem funditus everteret. Quod ubi perspexit Alphonsus, strenuus ille Romani Primatûs et Infallibilitatis Vindex, acutâ veluti spinâ transfixus, acerbissime conflictatus est (Cfr. *Tannoja, Vita di S. Alf., Lib. III, cap. 25 et 41*); et quamquam de eodem argumento in Opere: *de Fidei Veritate* satis copiose disseruerat, denuo tamen, anno 1768, idque distincto volumine, in pestiferum hunc errorem invasit. Temporum vero iniquitate coactus, fictum nomen, Honorium de Honoriis, assumpsit (Cfr. Epistolas ad Typographum, die 3ª Martii et 28ª Maji, 1768). Porro, ne unius tantum regionis terminos sibi constitueret, non suâ vernaculâ, sed Latinâ linguâ usus est, omnium populorum eruditis cognitâ. -- Quapropter hoc loco non interpretis, sed solius editoris partes egimus.

FINIS OPERIS.

Ecclesia numquam deficiet.

1. Postquam Christus Dominus opus nostræ Redemptionis complevit, suam ac Sancti Spiritus assistentiam Ecclesiæ pollicitus est usque ad finem sæculorum, dicens: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*[1]. *Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*[2]. Promisit insuper quod hæreses et hæresiarchæ (qui sub nomine *portarum inferi* indicantur, ut explicat Sanctus Epiphanius[3]), numquam contra Ecclesiam prævalere poterunt: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*[4].

Christus visibile Caput Ecclesiæ praefecit.

Quum autem Redemptor noster principalis Ecclesiæ fundator, caput et pastor, esset ex hoc mundo discessurus, necesse fuit ut aliquod visibile caput et judicem supremum in Ecclesia relinqueret, qui ipsius gerens vices, fidei ac morum quæstiones infallibili judicio definiret, ut sic unitas fidei perpetuo servaretur, ne fideles semper in dubiis fluctuarent, si legitima deesset auctoritas, quâ controversiæ certâ definitione terminari possent, et cui omnes parere tenerentur, ne contentiones et schismata christianum orbem frequenter vexarent, si Ecclesia careret uno capite et gubernatore uno, quo omnia regi debent.

Hoc Caput non est Concilium.

2. Hanc necessitatem supremæ potestatis, per quam eadem una fides teneatur ab omnibus, litesque avertantur, omnes agnoscunt. Sed dubium fit, cuinam Christus hanc supremam potestatem et infallibile judicium commiserit? Galli hodierni tenent eam commissam esse Ecclesiæ, nomine Christi congregatæ, nempe legitimo Concilio œcumenico; attamen, solâ exceptâ Galliâ, ut testantur cardinalis Bellarminus[5] et Benedictus papa XIV[6] (ut refert *Billuart*[7]), cunctæ nationes nostram amplectuntur sententiam, nempe quod *Romanus Pontifex est supremum Ecclesiæ caput, ac consequenter ejus judicium infallibile est.*

Olim *Galli* theologi nobiscum sentiebant.

Dixi *hodierni Galli;* nam antiqui diverse opinati fuerunt; *Raynaldus* enim, scriptor gallus[8], asserit olim omnes unanimiter docuisse, Pontificis definitiones, adhuc extra Concilium, esse infallibiles.

[1] *Matth.*, XXVIII, 20. — [2] *Joan.*, XVI, 13. — [3] Ancoratus, n. 9; — Adversus Hæres., lib. III, hæres. 74, n. 14. — [4] *Matth.*, XVI, 18. — [5] De Sum. Pontif., lib. IV, cap. 2. *Hæc est*, inquit, *communissima sententia fere omnium Catholicorum* (Nota edit.). — [6] Breve « *Dum præterito* » 31 Julii 1748, ad Magn. Hispan. Inquisit. — [7] De regulis fidei, dissert. 4, art. 5, § 1, not. 4. — [8] Corona aurea Pontif., subnot. 2, verit. 7.

Præterea habetur apud *Mauclerum*[1], quod Facultas Parisiensis, anno 1330, tamquam hæreticos damnavit articulos *Marsilii Patavini*, qui dicebat Papam esse fallibilem. Eademque Facultas, anno 1534, proscripsit eumdem errorem adversus *Joannem Morandum*[2]. Item damnavit *Marcum Antonium de Dominis* ut hæreticum, qui auctoritatem Pontificis errori obnoxiam esse docebat[3]. Præterea habetur apud *Bulæum*[4], eamdem Facultatem olim hæc scripsisse: *Certum est, Episcopum Romanum, tamquam Vicarium Christi, non habere superiorem, quum Christus non habuerit, et Ecclesiam Catholicam a Se et per Se fundatam Petro tamquam capiti tradidisse gubernandam. Duvallius* autem, doctor Sorbonicus, anno 1612, de hac re ita scripsit: *Opinionem quæ Romæ tenetur,... totus orbis, exceptis pauculis doctoribus, amplectitur; et præterea rationibus validissimis quum ex Scriptura, Conciliis, et Patribus, tum ex principiis theologiæ petitis confirmatur*[5]. Addidit: *Nemo nunc est in Ecclesia, qui ita... sentiat, præter Vigorium et Richerium* (qui postea se retractavit), *quorum si vera esset sententia, totus orbis christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret*[6].

De *Græcorum* sententia.

3. *Febronius*[7] Ecclesiæ Gallicanæ adjungit Græcam, quam asserit in Concilio Florentino numquam agnoscere voluisse Romanum Pontificem Conciliis superiorem, nec in suis definitionibus infallibilem. Sed ex historiâ patet, quod super hoc puncto magna in Concilio illo fuit disceptatio; Græci enim contendebant, suas appellationes sine patriarcharum consensu recipi a Romanâ Sede non posse; verum *Basilius Bessarion*, Niceæ archiepiscopus, medium invenit conveniendi, nempe ut in decreto synodali diceretur: *Salvis... privilegiis omnibus et juribus eorum* [i. e. *Græcorum*][8]; nam verbum *privilegiis* peculiarem significabat concessionem Græcis impertitam, quæ nullum Sedi Apostolicæ præjudicium inferebat; et ita factum est, atque concordia firmata.

Concilii *Florentini* definitio.

Ceterum in eodem Concilio declaratum fuit, Pontificem Romanum *totius Ecclesiæ Caput.... et Doctorem existere, et ipsi... regendi... universalem Ecclesiam a Domino... plenam potestatem traditam esse, cet.*[9]. Quibus verbis sat aperte explanatum fuit, supremam et infallibilem auctoritatem in Ecclesia, non alteri quam Romano Pontifici a Christo fuisse collatam. De hoc decreto Concilii infrà prolixior sermo redibit.

Basilius. Cyrillus. Chrysostomus.

Verum est, quod *Bessarion* prius in Concilio contendit, Papam Concilio subesse, sed postea se retractavit; unde a *Marco* Ephesino proditor Ecclesiæ suæ appellatus fuit. Miror autem interea *Febronium* Gallicanæ Ecclesiæ adjungere voluisse Græcam. Si attulisset Ecclesiam Græcam Basilii, Cyrilli, Chrysostomi, aliorumque sanctorum Patrum, utique recte argueret; sed quamnam Ecclesiam adducit? Ecclesiam Græcam schismaticam, quæ usque ab anno 800, quum se a Romanâ Ecclesiâ sejunxit, plurimos errores adoptavit, et in apertum schisma lapsa est; neque prius Romanæ Sedi bellum gerere destitit, ut ait Bellarminus[10], quam a *Turcarum* imperatore oppressa religionem et dignitatem amisit.

De Ecclesia *Africana.*

4. Adjungit etiam *Febronius*[11] Ecclesiam Africanam, tempore quo illa auctoritate Sancti Cypriani innixa, noluit acquiescere sententiæ Stephani papæ, qui hæreticorum rebaptizationem prohibuit. Sed huic Sancti Cypriani historiæ, quæ toties ab adversariis nobis objicitur, plures a nostris responsiones redduntur, quas superfluum est hic adducere; sufficit hic referre duas Sancti Augustini dictiones

[1] De Monarchia, pars IV, lib. VIII, cap. 6. — [2] Ibid. — [3] Apud *d'Argentré*, Collect. Judicior., tom. II, pag. 103. — [4] Hist. Universit. *Paris.*, ann. 1396. — [5] De supr. Rom. Pontif. Potest., pars 4, qu. 7, n. 5. — [6] Ibid., n. 3. — [7] De Statu Ecclesiæ et legitim. Potest. Rom. Pont., lib. singul., cap. 1, § 10, n. 1. — [8] Concil. *Florent.*, Decret. Unionis; prid. Non. Jul. 1439: «Lætentur cæli». — [9] Sess. ult. Defin. — [10] Præfat. in libros de Summo Pontif. — [11] L. c., n. 2.

super hac re; ipse scripsit [1], Cyprianum pœnituisse postea erroris et mutasse sententiam, licet retractatio non inveniatur. Item scripsit, hanc culpam Cypriani falce martyrii fuisse facile purgatam [2]. Dixit *facile*, quia Sanctus Augustinus culpam illam tantummodo venialem reputavit. Pariter Sanctus Gregorius Nazianzenus Sanctum Cyprianum de errore illo non excusat, dicens quod interdum morbus etiam præstantissimos viros attigit [3].

De Ecclesia *Asiatica*.

Febronius hoc modo adjungere potuisset etiam Ecclesiam Asiaticam, tempore quo restitit Victori papæ, præcipienti ut Pascha non in quartadecimâ lunâ, sed subsequenti dominicâ celebraretur.Tamen episcoporum aliquorum contumacia nequit probare, Papam nec etiam super Ecclesias particulares auctoritatem habere, dum ipsemet pater Natalis Alexander [4], unus ex maximis oppugnatoribus pontificiæ potestatis, fatetur omnes christianos Romano Pontifici obtemperare teneri.

Præterea in Concilio Nicæno I dictum fuit, Pontifici *datam esse potestatem in omnes populos christianos... et universam Ecclesiam* [5]. Item Concilium Florentinum declaravit *ipsi... regendi... Ecclesiam... plenam potestatem traditam esse* [6]. Ex his nos papistæ, seu Papæ adulatores, ad captandam Pontificis benevolentiam, ut adversarii calumniantur, deducimus et recte (ut infrà videbimus), hanc potestatem plenam extendi ad Ecclesiam tam dispersam quam congregatam; sed Febronius adhuc super Ecclesiam dispersam vult Papam hac potestate carere.

De Ecclesia *Moguntina*.

5. Adjungit [7] quoque Ecclesiæ Gallicanæ Ecclesiam Moguntinam, quæ (ut ait constare ex actis) Basileensis Synodi decreta acceptavit. Hujusmodi acta ad me numquam pervenere; ceterum, quidquid sit de Ecclesia Moguntina, certum est nullam aliam Ecclesiam præter Gallicanam decreta Concilii Basileensis adversus pontificiam potestatem approbasse.

Probatur ex *Gallis*, Romanum Pontificem esse infallibilem.

6. Ceterum errat *Febronius* [8] asserens Ecclesiam Gallicanam semper adhæsisse sententiæ, quod Papa subsit Concilio; oppositum ostendunt *Charlas* [9], cardinalis *de Aguirre* [10] et pater *Serry* [11]. Episcopi Galliæ in actu generalis conventus anni 1625, dixerunt: *Episcopi reverebuntur Papam, caput visibile universalis Ecclesiæ, supra quod Christus Jesus Ecclesiam suam fundavit, tradendo ei Claves cæli cum infallibilitate fidei, cet.* [12]. Et in conventu anni 1653, in causa Jansenii, 31 episcopi scripserunt ad Innocentium X, inter alia verba, hæc: *Judicia pro sanciendâ regulâ fidei a Summis Pontificibus lata,... divinâ æque ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui christiani omnes, ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur* [13]. Unde *Duvallius* scripsit: *Velint nolint adversarii, li-*

[1] Epist. 93 ad *Vincentium*, cap. 10, n. 38. — [2] De Baptism. contr. *Donat.*, lib. I, cap. 18, n. 28 (*a*). — [3] Orat. 43, in laudem *Basilii Magni*, n. 28 (*b*). — [4] Hist. sæc. XV et XVI, dissert. 4. — [5] Can. 39 inter *Arabicos* (Vide pag. 301, not. (*a*)). — [6] Sess. ult. Defin. — [7] *Febron.*, l. c., Append. 1, § 14. — [8] L. c., cap. 1, § 10, n. 3. — [9] De Libertatib. Eccles. Gallic., lib. VIII, cap. 14, n. 12. — [10] Defensio Cathedræ *Petri*, Disp. 2 seq. — [11] De Rom. Pontif., dissert. duplex. — Append. historica de mente Eccl. Gallic. — [12] Monita conventus ad Dominos Archiepisc. et Episc. regni, n. 137 (*c*). — [13] Epist. 15 Jul. 1653 (*d*).

(*a*) *Quod ergo ille vir sanctus*, inquit, *de Baptismo aliter sentiens quam se res habebat... in Catholicâ unitate permansit, et caritatis ubertate compensatum est, et passionis falce purgatum. — Quocirca* (ita pergit Bellarminus, de Sum. Pont., lib. IV, cap. 7) *B. Augustinus clare docet, Cyprianum venialiter solum peccasse et salvâ caritate; et ideo falce martyrii facile purgatum* (Nota edit.).

(*b*) Generale hoc ponit principium: *Neque enim vulgares tantum homines, sed etiam præstantissimos quosque viros Momus attingit, ut solius Dei sit omni peccato vacare, atque ab animi perturbatione immunem esse* (Nota edit.).

(*c*) *Avis de l'Assemblée (de 1625) à MM. les Archev. et Evêq. du Royaume, n. 137 (Procès-verbaux des Assemblées du clergé de France, Edit. de Paris, 1768, tom. II, Pièces justificatives, pag. 95).*

(*d*) *Lettre du 15 Juillet 1653 (Procès-verbaux des Assemblées du clergé de France, tom. IV, Pièces justificatives).*

quido constat, veteres Ecclesiæ Gallicanæ proceres hanc in Summis Pontificibus... infallibilitatem semper agnovisse...; eosque qui veritatem hanc impugnare conati sunt, a ducentis aut circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cœpisse[1]. Item *Balutius* in Vita *Petri de Marca*[2], testatur quod Petrus in ultimo suo opere infallibilitatem Papæ strenue defendit.

Hæc Catholicorum est sententia.

7. Sed audiamus, quid proferat doctissimus *Melchior Canus* in suo celebri opere *De Locis theologicis*, de iis qui contra Papæ infallibilitatem decertant: *Nos autem communem catholicorum sententiam sequamur,... (quam) sacrarum etiam Litterarum testimonia confirmant, Pontificum decreta finiunt,... Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiæ usus observat*[3]. Et deinde hæc notabilia verba subdit: *Sed quæris: Eritne hæreticum asserere, Romanam Ecclesiam degenerare quoque ut ceteras posse, et Apostolicam etiam Sedem a fide posse Christi deficere?... Hieronymus*[4] *profanum et perjurum dicit, qui... Romanæ Sedis fidem non fuerit secutus.... Atque Cyprianus idem: « Qui Cathedram Petri, inquit, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse non confidat*[5]*... » Concilium Constantiense*[6] *illos esse hæreticos judicavit, qui Romanæ Ecclesiæ fidei et doctrinæ refragarentur. Illud postremo addam: quum ex traditionibus Apostolorum ad evincendam hæresim argumentum firmum certumque trahatur; constat autem... Romanos Episcopos Petro in... fidei magisterium successisse, ab Apostolis esse traditum, cur non audebimus assertionem adversam tamquam hæreticam condemnare? Sed...nolo ego Ecclesiæ judicium antevertere.... Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos Ecclesiæ ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei doctrinæque auctoritate succedere, aut certe adstruunt summum Ecclesiæ Pastorem, quicumque tandem ille sit, errare in fidei judicio posse. Utrumque scilicet hæretici faciunt; qui vero illis in utroque repugnant, hi in Ecclesia catholici habentur*[7].

S. Cyprianus.

Hucusque *Canus*, ejusque dictis valde consonat famosa sententia Sancti Cypriani: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt..., quam dum sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur*[8]. Idque nimis verum est; nam, sublatâ infallibilitate circa res fidei a Pontifice Romano, nullum suppetit medium (ut infrà videbimus), ad hæreticos convincendos. Ac ideo illi, qui pertinaciter Pontificum definitionibus restiterunt, prius schismatici, postea hæretici effecti sunt.

Neque illud impedimento est hæreticorum conversioni.

Ait *Febronius*[9], quod suprema Pontificis potestas, qualem nos sustinemus, tenet hæreticos, ne Catholicæ Ecclesiæ adhæreant. Sed errat; non suprema Papæ potestas, sed libertas conscientiæ, sensuales delectationes, divitiarum concupiscentia et superbia tenet eos a nostrâ Ecclesiâ segregatos; ipsi enim nihili faciunt auctoritatem tam Papæ quam Synodorum, in quibus potestatem supremam residere *Febronius* adstruit. Præsertim *Lutherus* memorabile de hoc exemplum porrexit; nam prius a sententiâ sibi contrariâ datâ a Facultate Sorbonicâ ipse appellavit ad Papam; postea a Papâ non bene instructo (ut ajebat) appellavit ad Papam instructum; postea a Papâ instructo ad Concilium generale; postea demum a Concilio ad seipsum (*a*). Et idem pluries accidit quod hæretici, non acquiescendo pon-

[1] De supr. Rom. Pontif. Potest., pars 2, qu. 2, n. 4. — [2] Num. 52. — [3] De Locis theol., lib. VI, cap. 7. — [4] De nomine Hypostasis, Epist. 15 ad *Damasum*. — [5] De Unit. Eccles., cap. 4 (Vide hujus voluminis pag. 296, not. (*a*)). — [6] Bulla *Martini V* « *Inter cunctas* », 22 Febr. 1418, « *Sacro approbante Concilio* » promulgata. — [7] De Locis theol., lib. VI, cap. 7. — [8] Epist. 55 ad *Cornelium*, n. 5. — [9] L. c., cap. 8, § 8.

(*a*) Vide: Tract. 3, de Fidei Veritate, part. 3, cap. X, n. 19, pag. 355-356.

tificiis definitionibus, nec decretis Conciliorum acquieverunt.

De hujus Operis Instituto.

8. *Justinus Febronius*, qui Gallis arctese conjunxit, plurima adversus pontificiam potestatem eructat, ac plures quæstiones movet, et omnes contra Pontificem resolvit; sed, illis omissis, circa quas non deerit, qui Febronium confutabit, mea tantummodo refert, supremam Papæ ab ejus oppositionibus ac sophismatis vindicare auctoritatem, quæ necessario debet esse munita privilegio infallibilitatis; minime enim suprema esse posset, nisi etiam infallibilis esset. Quapropter de hoc præcipuo puncto hic agam; nam, posito quod Pontificis auctoritas in Ecclesia est suprema et infallibilis, omnes cessant quæstiones et evanescunt.

CAPITULUM I.

PROBATUR SUPREMA ROMANI PONTIFICIS POTESTAS SCRIPTURIS SACRIS, ET PRÆSERTIM TEXTU SANCTI MATTHÆI: « TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM, CET ».

Febronius negat, monarchicum esse Ecclesiæ regimen.

1. *Febronius*, per totum caput I et II [1], totis viribus probare nititur regimen Pontificis Romani nequaquam esse supremum sive monarchicum, sed dumtaxat aristocraticum, vel ad summum ex aristocratiâ et monarchiâ conflatum. Hinc Papam episcoporum primum esse asserit, ut qui a Christo Domino constitutus est primas et caput ministeriale ad unitatem corporis aristocratici Ecclesiæ servandam; sed non ideo, inquit, Papa in communi episcopatu majori auctoritate pollet quam alii episcopi, qui æque ac Papa Ecclesiæ fundamenta, ovium pastores, Christique vicarii existunt, quique non a Papâ, sed ab ipso Christo immediate et independenter a Pontifice, ad regendam Ecclesiam plenam auctoritatem acceperunt in omnibus illis, sive ordinis, sive jurisdictionis, quæ ad regimen Ecclesiæ spectant. Proinde dicit Papam nullo gaudere privilegio infallibilitatis, quæ tantum Ecclesiæ in nomine Christi congregatæ, sive Concilio œcumenico tradita est, cui Pontifex omnino subjicitur.

Negat Pontificis infallibilitatem.

Totam Ecclesiæ constitutionem evertit.

2. Ex his autem falsis principiis plura infert corollaria falsa:

Infert 1^um^ Summum Pontificem non habere potestatem aut jurisdictionem proprie talem supra alios episcopos, sed ipsum et omnes alios episcopos subditos esse collegio, aut Concilio, ejusque decisionibus; et proinde nihil posse Papam in alienis episcopatibus ordinare [2].

2° Qualis est in senatu præsidens, talem esse Pontificem in collegio Ecclesiæ; postulat enim suffragia aliorum, qui ei non subsunt, nihilque proprio arbitrio statuit; vigilat, monet, corrigit, sed ex suâ auctoritate non punit; illorum caput est, inter ipsos primus, sed non stricto sensu illis major [3].

3° Papam, tamquam primum in Ecclesiâ, vigilare debere ut Canones observentur, illibatum custodiatur fidei depositum, et iidem sint substantialiter ritus in administratione Sacramentorum; atque ideo potestatem habere cogendi eos, qui in falsis doctrinis aut pravis moribus duri sunt [4].

4° Etsi Pontifex, si solus sit, non habeat potestatem condendi leges pro totâ Ecclesiâ, posse tamen eum, quando difficile sit generale Concilium convocare,

[1] De Statu Ecclesiæ, cap. I et II.

[2] Cap. 7, § 3. — [3] Cap. 2, § 4, n. 1. — [4] n. 2.

leges condere easque Ecclesiæ proponere; ita vero, ut vim legis non habeant, nisi postquam sint communi consensu receptæ [1].

5° Licet Papa non sit omnium controversiarum judex, ejus tamen judicio, quia primas habet partes in judicando, omnes stare teneri, nec oppositum docere posse, donec Ecclesia non contradicat [2].

6° Si aliquod grave damnum Ecclesiæ immineret, quod solis Apostolicæ Sedis curis non posset averti, posse Papam et debere congregare Concilium generale [3].

7° In rebus gravioribus ad universam Ecclesiam spectantibus, tam quoad fidem quam quoad disciplinam, Papæ consilium requirendum esse [4].

8° Pontificem dispensare posse a legibus, etiam a generalibus Conciliis latis, casu quo ipsum Concilium dispensaret [5].

9° Pertinere ad Papam judicium ferre in causis appellationis, sed cum certis conditionibus [6].

10° Romanum Pontificem, ratione sui primatus, jus habere expediendi vicarios et legatos, sed cum eâ tantum auctoritate jurisdictionis, quæ illis a Concilio Tridentino concessa est [7].

11° Collationem quorumcumque beneficiorum originario jure ad episcopos pertinere, sublatis provisionibus ad Sedem Romanam devolutis [8].

12° Jus appellationum ex omnibus Ecclesiæ partibus de jure Romano Pontifici non competere [9].

13° Abolendas prorsus esse annatas, nempe reservationes fructuum unius anni beneficiorum aliquorum vacantium in favorem Cameræ Apostolicæ [10].

14° Nullo jure posse Papam aliquorum casuum absolutionem nec dispensationes sibi reservare [11].

15° Invalidum esse privilegium mendicantibus a Papa concessum excipiendi confessiones in aliorum diœcesibus [12].

16° Abrogandam esse regularium exemptionem a jurisdictione Ordinariorum [13].

17° Episcopos immerito Cardinalibus postponi [14].

18° Peragendam esse reductionem genuini juris canonici, quum sit noxia Ecclesiæ potestas, quam Papa post falsas decretales sibi arrogavit [15].

19° Causas fidei non servari Pontifici, sed tantum œcumenicis Conciliis. Papam nil aliud posse extra Concilium, quam suo dissensu impedire quominus aliquid dependens ab ordine Ecclesiæ universalis perficiatur [16].

20° Confirmationem electionis episcoporum ad Synodum provincialem aut metropolitanam pertinere; et idem dicendum de translationibus episcoporum, eorumque resignationibus et depositionibus [17].

21° Erectionem novorum episcopatuum de jure a metropolitano, vel particulari Concilio, fieri posse; idemque dicendum de novis metropolibus et Ecclesiis primatialibus [18].

Omitto alia similia, quæ disperse in libro Febronii afferuntur. Sed his tantum consideratis, quæ suprà notavimus, quis non cernit, quod si his perniciosis principiis et illationibus Febronii in Ecclesia locus daretur, tota Ecclesia contentionibus et schismatibus irreparabiliter impleretur? Dicunt, schismata reparari per Concilia; infrà videbimus per manifesta momenta, quod Concilia respectu ad schismaticos nullum vel fere nullum remedium porrigunt.

Vera doctrina.

3. Nos autem propugnamus primatum Romani Pontificis non esse solius directionis; consistentis in purâ vigilantiâ, in exhortationibus, admonitionibus, et a consensu Ecclesiæ dependentem; sed esse primatum proprie potestatis et jurisdictionis, inseparabiliter ex divinâ institutione præ se ferentem, præter directionem, sequentia jura, scilicet:

[1] n. 3. — [2] n. 4. — [3] n. 5. — [4] n. 6. — [5] n. 7. — [6] n. 8; Cfr. cap. 5, § 7. — [7] Cap. 2, § 10. — [8] Cap. 7, § 4. — [9] Cap. 5, § 6. — [10] Cap. 7, § 5. — [11] Ibid., § 6. — [12] Ibid., § 7. — [13] § 8. — [14] § 9. — [15] Cap. 3, § 9; Cap. 8 passim. — [16] Cap. 4, § 2. — [17] Ibid., § 3, 4, 6-8. — [18] § 9.

1° Judicium ferre in causis, quæ majores dicuntur.

2° Sancire leges universam Ecclesiam obligantes, statim ac sint sufficienter promulgatæ.

3° Appellationes ex toto orbe christiano recipere, etiam in prima instantia.

4° Habere superioritatem supra Concilia generalia, atque ordinariam et immediatam potestatem super omnes fideles.

Matth. XVI, 13-19.

4. *Febronius* [1] autem explicare incipit Scripturas, quibus nos Papæ adulatores communiter utimur ad adstruendam supremam Romani Pontificis potestatem: et primo loquitur de laudato Matthæi textu ubi Salvator noster, quum discipulos interrogasset: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* atque Petrus respondisset: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, Jesus ipsi dixit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est; et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [2].

Quid de hoc textu Febronius.

Ait *Febronius: Unde Romani eorumque fautores concludunt, solum Sanctum Petrum, ejusque in Romanâ Sede successores, esse lapides fundamentales Ecclesiæ; soli Petro immediate a Christo datas esse Claves Ecclesiæ; ac per hunc in reliquos Apostolos, per ejus successores in omnes episcopos omnem sacram auctoritatem dimanare; quod quam parum Patrum, imo universalis Ecclesiæ sensui conveniat, mox videbimus* [3]. Deinde dicit hunc textum variis modis a Patribus interpretari: primo alii per illam *petram* intelligunt Petri confessionem de Christi divinitate, nomine aliorum etiam Apostolorum peractam; alii per *petram* intelligunt ipsum Salvatorem Jesum, qui est Ecclesiæ lapis angularis verumque Ecclesiæ fundamentum, juxta illud: *Ad quem accedentes lapidem vivum, cet.* [4], ac illud Divi Pauli: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* [5]. Atque pro hujusmodi interpretatione citat Sanctum Augustinum dicentem: *Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam; petra enim erat Christus, cet.* [6]

Quid SS. Patres.

5. Ceterum, quod verba Christi « *super hanc petram* » de Petro intelligantur, est communis sententia Sanctorum Patrum, quorum oracula hic ipsorum verbis adnotabimus.

S. Cyprianus.

Sanctus Cyprianus ait: *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare et unum sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit* [7]. Et alibi: *Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem ædificavit Ecclesiam suam* [8].

S. Maximus.

Sanctus Maximus: *Per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: « Tu es Petrus, et super hanc petram, cet. »* [9].

S. Gregorius Nyss.

Sanctus Gregorius Nyssenus: *Dei vero Ecclesia in ipso* (Petro) *solidatur; hic enim juxta prærogativam sibi a Domino concessam, firma et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam ædificavit* [10].

S. Gregorius Naz.

Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat* [11].

S. Epiphan.

Sanctus Epiphanius: *Princeps Apostolorum Petrus... solidæ petræ instar nobis exstitit, cui velut fundamento Domini*

[1] L. c., cap. 1, § 2. — [2] *Matth.*, XVI, 13-19. — [3] L. c. — [4] I. *Petr.*, II, 4. — [5] 1 *Cor.*, III, 11. — [6] In *Joan. Evang.*, tract. 124, n. 5.

[7] Epist. 40, ad plebem, de quinq. presb. schism. Edit. *Bened.* (*Migne*, Patr. Lat., tom. 4, col. 336) pro: *super Petrum* legit *super petram*. Atvero *Manutius* et *Pamelius* legunt « *super Petrum* » (Nota edit.).

[8] Epist. 71, ad Quintum, n. 3. — [9] Homil. 68, in Natal. BB. Petri et Pauli, serm. 1. — [10] Laudat. 2, in S. Steph. circa finem. — [11] Orat. 26 (al. 32). De Moderatione in disputando, n. 18.

fides innititur, supra quam Ecclesia modis omnibus exstructa est [1]. Addidit idem Sanctus Epiphanius eodem loco hæc memorabilia verba: *Ille quoque firmissimus structuræ lapis ac divinæ domus fundamentum fuit* [2]. Et alibi idem Sanctus Epiphanius in Ancorato: *Dominus constituit Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est* [3].

S. Joannes Chrysost. Pariter a Sancto Joanne Chrysostomo appellatur Petrus *Basis Ecclesiæ* [4].

S. Basilius. Sanctus Basilius scribit: *Quoniam* (Petrus) *fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit* [5].

6. Progrediamur ad alios Patres.

S. Augustin. Sanctus Augustinus dixit: *Petrum itaque fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit, et ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod ecclesiastici ædificii altitudo consurgit* [6]. Alibi Sanctus Doctor sic scripsit: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede...; ipsa est petra quam non vincunt superbæ inferorum Portæ* [7].

Origenes. Origenes: *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento et petræ solidissimæ, super quam Christus ædificavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: « Modicæ, inquit, fidei, quare dubitasti? »* [8]. Et alibi quoque Origenes protulit illam succi plenam sententiam: *Si prævalerent (inferi) adversus petram in qua Ecclesia fundata est, etiam adversus Ecclesiam prævalerent* [9]; ubi verbum *petram* necessario intelligendum de persona Petri; alioquin, si Origenes intellexisset *petram* esse Ecclesiam, prorsus inepte locutus fuisset, dicendo quod si infernus prævaleret contra Ecclesiam, in quâ fundata est Ecclesia, contra Ecclesiam etiam prævaleret.

Sanctus Paulinus: *Petra est Christus... Etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, cui dicit: « Super hanc petram, cet. »* [10]. *S. Paulinus.*

Sanctus Gregorius: *Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam?* [11] *S. Greg.*

Sanctus Athanasius: *Tu es... Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ... sunt confirmatæ* [12]. Columnæ sunt episcopi, sed Petrus columnarum fundamentum est. *S. Athanas.*

Sanctus Cyrillus: *Secundum hanc promissionem* (scilicet: Tu es Petrus, et super hanc Petram) *Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione hæreticaque circumventione manet immaculata* [13]. *S. Cyrillus.*

Sanctus Hilarius: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum!... O beatus cœli janitor!* [14] *S. Hilarius.*

Sanctus Ambrosius [al. S. Augustinus]: *Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tamquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat* [15]. Nota hæc postrema verba: *saxum immobile, cet.* *S. Ambros.*

[1] Adversus Hæreses, lib. II; Hæres. 59, n. 7. — [2] Ibid., n. 8. — [3] Ancoratus, cap. 9. — [4] In illud: *Vidi Dominum*, homil. 4, n. 3. — [5] Adv. Eunomium, lib. II, n. 4. — [6] Serm. 91, n. 1. In Appendice (falso ei adscribitur. Nota edit.). — [7] Psalm. contr. partem *Donati*. — [8] In Exodum, homil. 5, n. 4. — [9] In *Matth.*, XVI, 18, et apud *Bellarm.*, De Sum. Pontif., lib. IV, cap. 3 (*a*). — [10] Epist. 4 (al. 23), ad *Severum*, n. 43. — [11] Epist. lib. VI, ep. 37 (al. lib. VII, ep. 40) ad *Eulogium*. — [12] Epist. ad *Felic. II* pap. (Ep. dubiæ fidei. Nota edit.). — [13] Apud *S. Thom.*, Catena aurea, in Evang. *S. Matth.*, XVI, 18. — [14] In *Matth.*, cap. 16, n. 7. — [15] Opera *S. Aug.* Serm. 192. App. Edit. Ben. (Juxta alios, *S. Ambr.* vel *S. Maxim.*).

(*a*) *Migne*, Patrol. Græce et Latine, tom. XIII, *Origen.* 3, col. 1001-1004; vetus interpretatio: *Manifestum est,* inquit, *quia nec adversus petram illam, super quam ædificatur Ecclesia, nec adversus Ecclesiam, quæ ædificatur super hujusmodi petram, portæ prævalebunt inferorum.... Adversus quem autem portæ prævaluerint inferorum, ille neque petra dicendus est, super quam Christus ædificat Ecclesiam, neque Ecclesia, quæ super petram ædificatur a Christo* (Nota edit.).

Tertull. Tertullianus: *Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?* [1]

S. Gregor. Sanctus Gregorius: *Cunctis enim Evangelium scientibus liquet quod... Petro... totius Ecclesiæ cura commissa est; ipsi quippe dicitur:...* « *Tu es Petrus, et super hanc petram, cet.* » [2].

S. Petrus Chrysol. Sanctus Petrus Chrysologus scripsit: *Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare* [3].

S. Hieron. **7.** Sed audiamus, quid de hoc textu dicat Sanctus Hieronymus. Sanctus Doctor ait verbum *petram* omnino intelligendum esse de personâ Petri propter litteralem sensum particulæ *petræ*, quæ in eo loco significat idem ac Petrum. Sanctus Hieronymus [4] scribit, quod Christus verba illa: « *Tu es Petrus, et super hanc petram, cet.*, » protulit syriaco idiomate, in quo *petra* idem est ac *Cephas;* quum enim Sanctus Petrus ab ejus fratre Sancto Andræa fuit ad Christum adductus, tum Dominus ei dixit: *Tu es Simon, filius Jona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* [5]. Maxime animadvertenda sunt verba: *Cephas, quod interpretatur Petrus.* Hinc ait S. Hieronymus quod quum Christus ibi Simonem nuncupaverit *Petrum*, nomine illo supereminentem ei potestatem prænuntiavit, quam in posterum super omnes Apostolos ipsi conferre designabat; idcirco sic scribit: *Non quod aliud significet* Petrus, *aliud* Cephas; *sed quod quam nos latine et græce* PETRAM *vocemus, hanc Hebræi et Syri propter linguæ inter se viciniam* CEPHAN *nuncupent* [6]. Itaque dicente Jesu: « *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* » hinc constat verbum *petram* a Christo applicatum fuisse, non quidem suæ divinæ personæ, nec fidei professioni a Petro exhibitæ, sed propriæ personæ Petri. Et ideo Sanctus Hieronymus pluribus aliis in locis tradidit, per verbum *petram* intelligi personam Petri. Ad Sanctum Damasum papam scripsit: *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio* [7]. Et postea subdit: *Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, Antichristi est* [8]. Alibi: *Super Petrum fundatur Ecclesia; licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti Claves regni cælorum accipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio* [9]. Præterea idem Sanctus Hieronymus scripsit: *Secundum metaphoram petræ recte dicitur ei:* « *Ædificabo Ecclesiam meam super te* » [10].

Quid de S. Augustino.

8. Et sic respondetur *Febronio* afferenti auctoritatem Sancti Augustini, qui in suis Retractationibus [11] dicit verbum illud *petram* intelligendum de Christo, non de Petro. Primo advertendum, Sanctum Augustinum opinionem hanc non absolute tenuisse; nam ibidem ait: *Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector.* Secundo respondetur cum

[1] De Præscriptionibus, cap. 22 (*a*). — [2] Epist. lib. V, ep. 20 (alias, lib. IV, ep. 32) ad *Mauricium Augustum.* — [3] Sermo 154. — [4] Comment. in Ep. ad *Galat.*, lib. I, cap. 2, v. 11-13. — [5] *Joan.*, I, 42. — [6] L. c. — [7] Epist. 15, ad *Damasum*, de trib. Hypost., n. 2. — [8] Ibid. — [9] Adv. *Jovinianum*, lib. I, n. 26. — [10] Comment. in Evang. *Matth.*, lib. III, cap. 16, v. 18. — [11] Retract. lib. I, cap. 21, n. 1.

(*a*) *Solent dicere*, inquit, *non omnia Apostolos scisse... Quis igitur integræ mentis credere potest, aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit...? Latuit aliquid* PETRUM, ÆDIFICANDÆ ECCLESIÆ PETRAM DICTUM, *claves regni cælorum consecutum...? Latuit et Joannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem...? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit...?... Ostendit, illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat* (Nota edit.).

Bellarmino [1], Sanctum Doctorem ideo hanc opinionem amplexum esse, quia verbum *Petrus* sumpsit uti nomen derivatum a *petra*, ut Sanctus exprimit in alio loco dicens: *Petrus a* PETRA *cognominatus,... apostolatus principatum tenens* [2]. Sed Sanctus Hieronymus [3], qui in lingua syriaca erat valde edoctus, dicit nomen *Petri* non cognominari a *petra*, sed idem esse ac *petram* sive *Cephas*. Et idem explicat Sanctus Cyrillus, ubi loquens de verbis illis suprà relatis, « *Tu es Simon, filius Jona, vocaberis Cephas, cet.*, » dicit: *Nec Simon fore jam nomen illi, sed Petrum, prædicit; vocabulo ipso commode significans, quod in eo tamquam in petra lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam* [4].

Idem notavit Sanctus Optatus Milevitanus, dicens: *Negare non potes, scire te in urbe Româ Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in quâ sederit omnium Apostolorum caput Petrus; unde et Cephas appellatus est, cet.* [5].

Objicitur 1um Christus est petra.

9. Dicunt [6], Christum esse primam *petram* et principale Ecclesiæ fundamentum. Quis hoc negat? sed hoc non impedit quod Dominus ex hoc mundo discedens et mundo invisibilis factus, Petrum ut fundamentum Ecclesiæ secundarium et visibile reliquerit. Salvator propriâ virtute est fundamentum Ecclesiæ, Petrus autem per Christi communicationem. Idcirco Sanctus Leo, Petrum alloquens nomine Christi,

Explicatur a S. Leone.

scribit: *Quum ego sim inviolabilis Petra,... ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia* [7]. Et alibi scripsit: *Christus est petra primaria, supra quam Ecclesia est ædificata; et Petrus est secundaria petra, supra quam reliqua structura consurgit.*

Explicatur a S. Basilio.

Idemque eleganter scripsit Sanctus Basilius aut alius Pater: *At Petrus audierat se esse petram, ita laudatus a Domino; licet enim petra esset, non tamen petra erat ut Christus. Ut Petrus petra erat; nam Christus vere est immobilis petra; Petrus vero propter petram; dignitates namque suas Jesus largitur aliis;... petra est et petram facit* [8].

Idem intellectum fuit in Concilio Chalcedonensi [9], ubi Petrus appellatur *petra*.

Sequenda est SS. Patrum interpretatio.

10. Si igitur verum est, quod scribit Vincentius Lirinensis [10], cujus auctoritatem laudat *Febronius* [11], nempe quod in interpretandis Scripturis sacris maxime attendendus est consensus sanctorum Patrum unanimis aut saltem communior, juxta hanc regulam non dubitandum, quod illud « *hanc petram* » de persona Petri interpretari debemus, eo quod (ut vidimus) sic communiter sancti Patres sentiunt, videlicet S. Cyprianus, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Chrysostomus, S. Epiphanius, S. Augustinus, S. Basilius, S. Hieronymus, S. Cyrillus, S. Athanasius, S. Hilarius, S. Maximus, S. Paulinus, S. Gregorius Magnus, necnon Origenes, Tertullianus, et alii, ut infrà.

[1] De Summ. Pontif. lib. I, cap. 10 (*a*). — [2] Serm. 76, n. 3. — [3] Comment. in Ep. ad *Galat.* lib. I, cap. 2, n. 11-13. — [4] In *Joan.* Evangel., lib. II, cap. 1, v. 42. — [5] De Schism. *Donatistar.* adv. Parmenian. lib, II, cap. 2. — [6] *Febron.* l. c. cap. 1, § 2, n. 2; — *Calvinus*, Instit. Christ. Relig. lib. IV, cap. 6, n. 6. — [7] Sermo 4, cap. 2. — [8] Homil. de Pœnitentia, n. 4. (In Appendice). — [9] Act. 3. — [10] Commonitorium primum, n. 27. — [11] L. c., cap. I, § 1, n. 2.

(*a*) In illud S. Augustini: *Non enim dictum est illi: « tu es petra »*, *sed: « tu es Petrus »*, Bellarminus: « Addo », inquit, « Augustinum ex » solâ ignorantiâ linguæ Hebrææ esse decepto. Nam argumentum ipsius est (ut hoc » loco indicat), quia non est dictum, *tu es petra*, » sed *tu es Petrus*. Itaque existimavit petram, » super quam ædificatur Ecclesia, non esse Petrum, quia credidit, *Cepham* non significare » petram, sed aliquid a petrâ derivatum..., » quomodo Christianus non significat Christum, » sed aliquid a Christo derivatum... At si advertisset, *Cepham* nihil aliud significare quam » petram, et Dominum dixisse: *Tu es petra, et* » *super hanc petram;* nihil dubitasset de veritate nostræ sententiæ » (Nota edit.).

Objicitur 2o De omnibus Apostolis hoc intelligendum.

11. Pergit *Febronius* [1], et opponit quod, licet verba *hanc petram* accipienda essent de personâ Petri, attamen, sicut Domino omnes Apostolos interroganti Petrus non tantum suo quam suorum condiscipulorum nomine respondit, ita quum Christus Petro dixerit: *Tu es Petrus et super hanc petram, cet.*, [2] intelligendum per illa verba non solum Petrum, sed etiam reliquos Apostolos tamquam fundamenta Ecclesiæ constitutos fuisse, juxta illud Sancti Pauli: *Superædificati super fundamentum Apostolorum* [3], illudque Joannis in Apocalypsi, ubi: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni* [4]. — Et pro hac suâ oppositione *Febronius* [5] affert etiam auctoritatem Sancti Leonis: *Transivit... in alios Apostolos jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur; Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus forma præponitur* [6]. Mirum videbitur alicui, *Febronium* plures Patrum auctoritates pro se adducere, quæ manifeste sibi adversantur; sed mirum non erit eis, qui ipsius astutiam inspicient; ideo namque affert ipse pro se auctoritates sibi adversantes, ne alii postea pro nostrâ sententiâ illas probare, uti revera probant, existiment.

Respondetur.

12. Sed respondeamus ad objectionem factam a *Febronio*. — Etsi alii Apostoli merito dici possunt Ecclesiæ fundamenta, ita ut verba illa *et super hanc petram, cet.*, indirecte vel minus principaliter omnes Apostolos respexerint, tamen Petrus fuit a Christo consideratus tamquam principale fundamentum, quum ipsi signate verba illa directa fuerint, ut patet ex ipso textu citato Matthæi, ubi Dominus primum omnes interrogavit discipulos: *Vos autem quem me esse dicitis?* Sed solus Petrus respondit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Et tunc Salvator ei dixit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* [7]. Ratio igitur qua Petrus fuit a Christo constitutus petra fundamentalis Ecclesiæ, fuit quia ipse solus specialiter illuminatus et inspiratus exstitit ad confitendum Jesum filium Dei, et ideo meruit a Christo audire: *Beatus es Simon, cet.*

Responsionem confirmant S. Epiphan.

Hinc scribit Sanctus Epiphanius: *Et beatus* (Petrus) *idcirco dicitur...; sic enim ei qui inter Apostolos primus esset, consentaneum erat, solidæ, inquam, illi petræ, supra quam Ecclesia Dei est fundata, et Portæ inferi non prævalebunt illi; quarum Portarum nomine hæreses et hæreseon conditores intelliguntur* [8].

S. Basilius.

Idem scribit Sanctus Basilius: *Quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit* [9].

S. Ambros.

Idem scribit S. Ambrosius: *Quia* (Petrus) *solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur* [10].

S. Gregor.

S. Gregorius: *Cunctis enim Evangelium scientibus liquet quod... Petro... totius Ecclesiæ cura commissa est; ipsi quippe dicitur:... « Tu es Petrus, cet. »* [11].

S. Leo.

Sed distinctius id declaravit S. Leo: *Ideo beatus es, quia te Pater meus docuit, nec terrena opinio te fefellit.... Et ego, inquit, dico tibi: hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam: « Quia tu es Petrus..., et super hanc petram, cet. »* [12]. Et idem S. Leo in eodem sermone, apud ipsum *Febronium* [13], addit: *Transivit... in alios Apostolos jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio com-*

[1] L. c., cap. I, § 2, n. 3. — [2] *Matth.*, XVI, 18. — [3] *Ephes.*, II, 20. — [4] Apoc. XXI, 14. — [5] L. c., cap. 1, § 2, n. 3. — [6] Sermo 4, cap. 3. — [7] *Matth.*, XVI, 15-18. — [8] Ancoratus, cap. 9. — [9] Adv. *Eunomium*, lib. II, n. 4. — [10] Exposit. Evang. secund. *Luc.*, lib. 10, n. 175. — [11] Epist. lib. V, ep. 20 (alias, lib. IV, ep. 32) ad *Mauricium Augustum*. — [12] Sermo 4, cap. 2. — [13] L. c., cap. 1, § 2, n. 3.

meavit; sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur; Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus forma præponitur [1]. Quibus verbis S. Leo sat clare explicat quod, licet Apostoli ex peculiari privilegio æqualem ac Petrus potestatem plenam acceperint ubique prædicandi, sacerdotes ordinandi, episcopos constituendi, novas Ecclesias fundandi, novasque leges circa Sacramentorum administrationem sanciendi (hoc enim necesse fuit, ait Bellarminus [2], in illis primordiis ad fidem propagandam), Petrus tamen accepit ut ordinarius pastor, Apostoli ut delegati; et ipsi omnes erant subordinati Petro tamquam omnium rectori, a quo dependere debebant, ut sic contentiones eliminarentur.

S. Hieron. Idem expressit S. Hieronymus (ut suprà adduximus), dicens quod, licet Ecclesia super omnes Apostolos fundata fuerit, tamen ad schismata evitanda Petrus omnibus fuit prælatus: *Super Petrum fundatur Ecclesia; licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat..., tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio* [3]. En ratio convincens cur S. Petrus intelligi debeat electus a Christo tamquam fundamentum principale et supremum omnium caput, cui omnes parere tenebantur, quia aliter inter ipsos Apostolos contentiones evitari non potuissent.

Idem dicendum de *Petri* successoribus.

13. Eamdem autem potestatem, quam Christus tradidit Petro, necessario censendum est quoque tradidisse Summis Pontificibus, successoribus Petri; quoniam potestas illa, ut observat S. Augustinus [4], non fuit Petro collata in favorem suæ personæ, sed in beneficium Ecclesiæ; unde necesse fuit ut usquedum Ecclesia permansura est, Pontifices eamdem potestatem obtineant, prout idem S. Augustinus scripsit: *In quâ* (Romanâ Ecclesiâ) *semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus* [5].

Ineptum Febronii effugium.

Id *Febronius* non negat; negat vero Petro potestatem supremam traditam fuisse super universam Ecclesiam; at, quia videt sanctorum Patrum sententias evidenter sibi adversari, audet dicere Patres in hac re *figuratas aut ampullatas elocutiones* [6] protulisse. De hoc fusius quidem infrà agemus; sed velit aut nolit *Febronius*, certum est, Patres communiter sentire, quod verbis illis: *Tu es Petrus, cet.*, fuerit Petrus constitutus a Christo præ Apostolis primum fundamentum Ecclesiæ. Atque si Petrus est Ecclesiæ fundamentum, sine dubio ejus potestas esse debet suprema et infallibilis; alioquin ædificium Ecclesiæ numquam in tuto, sed in continuo labendi periculo maneret, argumento Origenis qui scripsit (ut suprà retulimus): *Si prævalerent* (inferi) *adversus petram, in qua Ecclesia fundata erat, etiam adversus Ecclesiam prævalerent* [7]. Hinc S. Thomas ostendit, definire dogmata fidei tantum ad Papam spectare, dicens: *Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis.... Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud: « Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata »* [8]; *quod servari non posset, nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a totâ Ecclesiâ firmiter teneatur* [9]. Idemque tenuerunt S. Bonaventura [10], *Eckius* [11], cardinalis *Hosius* [12], cardinalis *Cajetanus* [13], *Thomas Waldensis* [14], cardinalis *Turrecremata* [15],

[1] L. c., cap. 3. — [2] De Sum. Pontif., lib. I, cap. 9. — [3] Adv. *Jovinianum*, lib. I, n. 26. — [4] Sermo 295, cap. 2; — Enarrat. in Ps. 108, n. 1; — De Agone christian, cap. 30. — [5] Epist. 43 ad *Glorium*, cap. 3, n. 7. — [6] L. c., cap. 3, § 8. — [7] In *Matth.*, XVI, 18, et apud *Bellarm.*, De Sum. Pontif., lib. IV, cap. 3 (Vide etiam not. (*a*) in hoc Volum., pag. 392). — [8] 1 *Cor.*, I, 10. — [9] Summa, 2ª 2æ, qu. 1, aº 10. — [10] In IV sent., dist. 19, Exposit. textus, dub. 6; et art. 2, qu. 1 ad 4. — Item *Petr. Trigosus, Ord. Capuc.* Sⁱ Bonaventuræ Sum. Theol., qu. 1, art. 3, dub. 3, quintus locus (Edit. *Lugduni*, 1616). — [11] De Primatu *Petri*, lib. I, cap. 18. — [12] Contr. *Brentium*, lib. II (alias: Veræ Christianæ Catholicæque doctrinæ propugnatio, lib. II). — [13] De Auctorit. Papæ et Concil. tr. I, cap. 9. — [14] Doctrinale Antiquitatum Fidei, lib. II, cap. 47 et 48. — [15] Summa de Eccl., lib. II, cap. 107 seq.

Joan. Driedo, doctor *Lovanien.* [1], *Stapleton* [2], *Sanderus* [3], *Melchior Canus* [4], *Bellarminus* [5], *Spondanus* [6], *Thomassinus* [7], *Ludovicus Bail* [8], *Duvallius* [9], *Soto* [10], cardinalis *Gotti* [11], et alii innumerabiles.

Repetamus hic memorabilem illam Cypriani sententiam: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam dum sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur* [12]. Nota: *Unus sacerdos, judex vice Christi.*

CAPITULUM II.

PROBATUR POTESTAS SUPREMA PONTIFICIS DUOBUS ALIIS TEXTIBUS:
« ET TIBI DABO CLAVES, CET. » ET:
« ROGAVI PRO TE, UT NON DEFICIAT FIDES TUA, CET. ».

Matth. XVI, 19.

1. Præterea, in eodem capite XVI Sancti Matthæi habetur quod Christus dixit Petro: *Et tibi dabo Claves regni cælorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis* [13].

Quid de hoc textu *Febron.*

Febronius [14] ait potestatem Clavium non quidem Petro ejusque successoribus, sed universitati Ecclesiæ traditam fuisse, ita ut illa tam per Summum Pontificem quam per alios Ecclesiæ ministros, pro suâ cujusque portione, exerceatur; citatque pro se Concilium Tridentinum in Sessione XIV, ubi dictum fuit: *Si quis dixerit Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium et contra institutionem Christi,... anathema sit* [15]. Quapropter (inquit Febronius) falsum est, Claves Ecclesiæ specialiter Petro fuisse commissas; nam episcopi in usu Clavium semper Ecclesiæ ministros se agnoverunt.

Quid SS. Patres.

2. Sed obstant *Febronio* Tertullianus, Sanctus Gregorius, Sanctus Basilius, Sanctus Paschasius, cet. Quamvis enim Ecclesia ligandi et solvendi potestatem participet, quum in Ecclesiæ favorem Claves Petro traditæ fuerint, tamen negari nequit, principaliter Petrum claves a Christo accepisse, tamquam Ecclesiæ rectorem, cui Ecclesiæ universalis cura commissa est, ut eadem Clavium potestas a Petro aliis Ecclesiis postea communicaretur.

S. Gregor.

Sic scribit Sanctus Gregorius: *Ecce Claves regni cælestis accepit (Petrus); potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ et principatus committitur* [16]. Et deinde subdit: *Curæ nobis fuit, quæ universis Ecclesiis a nobis impenditur* [17].

S. Paschas.

Hinc Sanctus Paschasius Radbertus scripsit: *Jure igitur* (Petrus) *in meritis primus æstimatur, per quem et in quo ad alios dona transmittuntur; accipiunt autem reliqui in eo omnes Claves regni cælorum, quum ei a Domino specialius com-*

[1] De Ecclesiast. Scriptur. et Dogmat., lib. IV, cap. 3, pars 3. — [2] Relectio Principior. fidei doctrinal. controv., cap. 3 qu. 4. — [3] De Clave *David*, lib. V, cap. 4. — [4] De Locis theol., lib. VI, cap. 7. — [5] De Sum. Pontif., lib. IV, cap. 2. — [6] Ad ann. 800, n. 2. — [7] In Concilia generalia et particularia, diss. 18 et passim. — [8] Apparatus ad Summam Concilior., pars 3. — [9] De supr. Rom. Pontif. Potest., pars 2, quæst. 1 et 2. — [10] Defensio catholic. confession. adv. Prolegomena *Brentii*, cap. 83-85. — [11] De vera Christi Eccl., cap. 11, § 1. — [12] Epist. 55, ad *Cornelium* Papam, n. 5. — [13] *Matth.*, XVI, 19. — [14] Loc. cit., cap. 1, § 6. — [15] Sess. XIV de Pœnit. Sacram., can. 15. — [16] Epist. lib. V, epist. 20 (alias, lib. IV, ep. 32) ad *Mauricium Augustum*. — [17] Ibid., epist. 13 ad *Gaudentium* Episcopum.

mittantur, cet. [1]. Nota: *Per quem ad alios dona transmittuntur.*

S. Basilius. Idem prius jam scripsit Sanctus Basilius: *Beatus ille Petrus, omnibus discipulis prælatus, cui soli majora data quam aliis sunt testimonia, qui prædicatus est beatus, cui Claves regni cælorum concreditæ sunt* [2].

Tertullian. Et prior omnibus ac clarius id scripsit Tertullianus: *Si adhuc clausum putas cælum, memento Claves ejus hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse* [3].

Potestas igitur Clavium per Petrum aliis Ecclesiæ ministris communicatur. Sicque intelligitur ille Tridentini Canon, ubi damnatur qui dixerit *Claves Ecclesiæ datas tantum ad solvendum, cet.* Accipiunt quippe Claves omnes Ecclesiæ ministri, sed istæ specialius Petro committuntur, ut per ipsum aliis transmittantur.

Objicitur: de omnibus Apostolis hoc intelligendum.

3. Dicunt, quod Christus etiam aliis Apostolis in alio loco Claves tradidit, dicens: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo* [4]. Sed hoc quid obstat? Jam suprà diximus, Apostolos immediate a Christo potestatem quidem æqualem ac Petrum recepisse, tamquam primos Evangelii fundatores; sed omnes ipsos fuisse Petro subjectos ut capiti et principi, prout cuncti Patres eum proclamant: S. Gregorius Nyssenus: *Ille* (Petrus) *quem Dominus apostolici chori principem... designavit* [5]; S. Ephrem: *Princeps et vertex Apostolorum Petrus* [6]; S. Basilius: *Beatus ille Petrus omnibus discipulis prælatus* [7]; S. Gregorius Nazianzenus: *Petrus Apostolorum princeps* [8], et alii plurimi; quapropter in Concilio Ephesino dictum fuit: *Beatissimus Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo... Claves regni accepit* [9].

Respondetur.

Magis explicatur responsio.

Præterea advertendum, ut suprà innuimus, Apostolis æqualem illam potestatem collatam fuisse per singulare privilegium, quæ ideo cum ipsis exstincta est. Unde falsum est episcopos, tamquam Apostolorum successores, quoad potestatem Clavium æquales esse Pontifici; dicuntur ipsi quippe successores Apostolorum quoad ordinem et characterem, non vero quoad potestatem et jurisdictionem, quam Apostoli habebant. Profecto episcopi etiam positi sunt a Spiritu-Sancto *regere Ecclesiam Dei,* ut dicitur in Actibus Apostolorum [10]; sed ipsi tamquam membra pro uniuscujusque portione Ecclesiam regunt, Papa vero tamquam caput, cui totius Ecclesiæ regimen est commissum. — Sed hæc res melius infrà elucidabitur.

Objicitur 2° DABO.

4. Objicit quidam *Febronii* socius, Christum non dixisse Petro: *Tibi* DO *Claves regni cælorum,* sed *tibi* DABO. Unde infert quod Petro Claves tantum promissæ fuerint; sed omnibus Apostolis post resurrectionem Salvator dixit: *Quæcumque alligaveritis, cet.* [11], ut suprà; unde ait Claves non soli Petro, sed toti Ecclesiæ fuisse traditas. — At respondetur, non decuisse quod Christus, dum adhuc vitâ hic fungebatur eratque visibile Ecclesiæ caput, Claves traderet Petro, eumque suum vicarium constitueret; sed quod id effectum haberet, quum Dominus jam ascendisset ad cælos, et mundo invisibilis factus esset; et ideo dixit: *Tibi dabo Claves,* et non: *tibi do.* Ceterum nequit in dubium revocari, quod sicut confessio Petri singularis fuit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi* [12], ita pariter singularis fuit promissio Clavium ipsi facta, volens Christus singularem illam Petri confessionem dono Clavium remunerare, prout declararunt

Respondetur.

[1] Exposit. in *Matth.*, lib. VI, cap. 10, § Primus, inquit, *Simon.* — [2] De Judicio Dei, proœm. n. 7. — [3] Advers. *Gnosticos* Scorpiace, cap. 10. — [4] Matth., XVIII, 18. — [5] Laudat. 2, in *S. Steph.* — [6] De Compunctione, serm. 4. — [7] De Judicio Dei, prœm., n. 7. — [8] Carmin., lib, II, sect. 1, carmen 12, vers. 222. — [9] Act. III. — [10] Act., XX, 28. — [11] *Matth.*, XVIII, 18. — [12] *Matth.*, XVI, 16.

Patres suprà relati (*a*). Quibus adde S. Augustinum dicentem: *Petrus Apostolus, qui, ubi dixit: « Tu es Christus, Filius Dei vivi », tam beatus a Domino appellatus est, ut Claves regni cœlorum accipere mereretur* [1].

S. Francisc. Sales. Maxime ponderanda sunt verba scripta a S. Francisco Salesio, in quodam suo sermone: *Hæreticorum ministri omnem lapidem movent, ut nos avertant ab obedientiâ, quæ debetur vicario Christi. Dixerunt S. Petro promissionem a Domino factam nomine totius Ecclesiæ, sic ut nullum privilegium peculiare concessum fuerit ipsius personæ. Si hoc interpretandi modo non pervertatur Scriptura, numquam ab aliquo in alienum sensum detorquebitur* [2]. Præterea sapienter etiam animadvertit, quod Dominus immediate antea jam de Ecclesiâ locutus fuerat, dicens: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Unde arguit: *Si Christus Ecclesiæ immediate Claves tradere voluisset, dixisset: « Et dabo illi Claves ». Sed dixit: « Dabo tibi »* [3]. Ergo principaliter Petro tradidit Claves, ut illarum potestas aliis deinde Ecclesiæ ministris communicaretur.

Luc. XXII, 31-32. **5.** Adest in Evangelio S. Lucæ alius textus, quo probatur infallibilitas Romani Pontificis plurium Sanctorum Patrum auctoritate: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [4].

Quid de hoc textu Febronius. Dicimus, hoc loco Christum rogasse pro Petro, ne in ipso aut ejus successoribus Pontificibus umquam fides deficeret. Febronius ait Salvatorem hic non rogasse pro Petro tamquam Ecclesiæ rectore, sed pro ejus particulari persona, ne in communi aliorum discipulorum scandalo fidem perderet [5]; unde accidit, quod Petrus quamvis Dominum externe ore negasset, tamen fidem in corde servavit.

Quid SS. Patres. At Sanctus Bernardus et alii sentiunt, Christum tunc vere orasse pro Petro et ejus successoribus, ut in doctrinâ fidei semper essent infallibiles; en verba Sancti Doctoris: *Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: « Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua? »* [6]. *Istam infallibilitatis pontificiæ prærogativam constantissima perpetuaque Sanctorum Patrum traditio commonstrat.* *S. Bernard.*

Idem dixit prius Sanctus Lucius papa et martyr: *Hæc sancta et apostolica mater omnium Ecclesiarum..., quæ... a tramite apostolicæ traditionis numquam errasse probatur..., secundum ipsius Domini... pollicitationem, qui... fatus est...: « Ego... pro te rogavi, ut non deficiat fides tua »* [7]. *S. Lucius.*

Sanctus Agatho, in epistola ad Constantinum imperatorem, probata in Synodo VI, *S. Agatho.*

[1] Contr. *Gaudentium*, lib. I, cap. 31, n. 39. — [2] *Controverses, discours 32* (*b*). — [3] Ibid. (*c*). — [4] *Luc.*, XXII, 31 et 32. — [5] *Matth.* XXVI, 31. — [6] Epist. 190, ad *Innoc. II.* — Verba, quæ sequuntur, apud S. Bernardum invenire non potui (Nota edit.). — [7] Ad Episc. Gall. et Hisp., n. 6 (Epist. suspectæ fidei. Nota edit.)

(*a*) Cap. I, n. 12.

(*b*) *Les ministres taschent tant qu'ils peuvent, de troubler si finement la claire fontaine de l'Evangile, que S. Pierre n'y puisse plus trouver ses clefs, et font leur possible pour nous dégouster d'y boire l'eau de la saincte obéissance qu'on doit au vicaire de nostre Seigneur. Mais qu'ont-ils fait? Ils se sont avisez de dire que S. Pierre avait receu cette promesse de nostre Seigneur, au nom de toute l'Eglise, sans qu'il ait receu pour cela aucun privilège particulier en sa personne. Or si cecy n'est pas violer l'Escriture, jamais homme ne la violera* (Nota edit.).

(*c*) *Qui l'eust empesché d'ajouster: « Et dabo illi claves regni », s'il les eust voulu donner à toute l'Eglise immédiatement? Il ne dit pas « illi », mais « dabo tibi »* (Nota edit.).

post verba: *Ego autem rogavi pro te, cet.*, scripsit: *Qui* (Dominus) *fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper cunctis est cognitum* [1].

S. Leo IX. Idem scripsit Sanctus Leo IX: *Nimirum solus est pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus et Salvator asserit se rogasse, dicens...: « Rogavi pro te, cet. »; quæ venerabilis et efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius* [2]. Quamobrem Innocentius III deinde scripsit: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelliget, qui... notabit... pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus* [3].

Objicitur: de tota Ecclesia est intelligendum. **6.** Dicit autem alius auctor ex adversariis, quod Christus, quum dixit: *Rogavi pro te, cet.*, tunc non rogavit pro solo Petro, sed pro totâ Ecclesiâ, ipsamque in personâ Petri allocutus est. Adducit pro hac suâ interpretatione Sanctum Augustinum, qui dicit: *Manifestum est omnes in Petro contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur* [4].

Respondetur. Respondetur: Nulli dubium quod Christus rogans pro Petro tamquam primo pastore et Ecclesiæ doctore, etiam pro omnibus fidelibus rogavit, qui a Petro in fide instruendi erant. Ceterum patet, Dominum in eo loco pro solo Petro exorasse, dum singulariter Petro dixit: *Simon, Simon;* et postquam alios admonuit: *Satanas expetivit* vos, *cet.*, ad solum Petrum conversus dixit: *Ego autem rogavi pro* TE (non jam pro VOBIS), *ut non deficiat fides tua.*

Confirmatur responsio. Idque ex sequentibus verbis magis clarescit: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hoc, ut explicat Theophylactus, Petro dictum fuit tamquam Apostolorum principi Ecclesiæque fundamento: *Quia te habeo ut principem discipulorum,... confirma ceteros; hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es et fundamentum* [5]. Et sic etiam id interpretatur idem Sanctus Augustinus: « *Rogavi, inquit, pro te, ne deficiat fides tua* »; *hoc est, ne auferatur ex ore tuo verbum veritatis usque valde* [6]. Et prius id scripsit Sanctus Chrysostomus: *Quam est fervidus! quam agnoscit creditum a Christo gregem! quam in hoc choro princeps est!... Merito primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu; ad hunc enim dixit Christus: « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos »* [7].

Concluditur. **7.** Ex hoc accidit quod Sanctus Petrus, sciens se a Deo electum pro Ecclesiæ doctore et magistro, in primo Concilio Hierosolymitano dixit: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere* [8]. Itaque Petrus singulariter electus fuit, non tantum ut gentes eum audirent, sed etiam ut ipsi crederent. Quapropter, postmodum scripsit Sanctus Cyprianus: *Ad quos* (Romanos Pontifices) *perfidia habere non possit accessum* [9]. Et S. Fulgentius dixit: *Quod... Romana... tenet et docet Ecclesia, totusque cum ea christianus orbis... nihil hæsitans credit* [10]. Patresque Synodi VI confessi sunt: *Nullum errorem in Cathedra Romana unquam fuisse, nec futurum, successoresque Petri, quo pro tam particulariter rogavit Christus, numquam a fidei semitâ deviaturos* [11].

Sed transeamus ad alium Evangelii textum magis urgentem et convincentem pro supremâ Pontificis auctoritate.

[1] Epist. 1 ad *Constantin.* Imperat. — Conc. Constantin. III, act. 8. — [2] Epist. 101, ad *Petrum Antiochenum.* — [3] Epist. ad Archiepisc. *Arelaten.*; in Jur. Can. Cap. *Majores*, de Baptismo. — [4] Quæstiones Vet. et Nov. Testam., q. 75 (In Append. Opus immerito ei adscriptum. Nota edit.). — [5] Enarrat. in Evang. *Luc.*, cap. 22, v. 28-34. — [6] In Psalm. 118. serm. 13, n. 3. — [7] In Act. Apost. homil. 3, n. 1 et 3. — [8] Act., XV, 7. — [9] Epist. 55, ad *Cornel.* pap., n. 14. — [10] De Incarnat. et Grat. *Christi*, c. 11, n. 21 (alias epist. 17, ad *Petrum* Diaconum). — [11] Act. 4.

CAPITULUM III.

PROBATUR SUPREMA PAPÆ POTESTAS ALIO TEXTU: « PASCE OVES MEAS ».

Joan. XXI, 15-17.

1. Habetur in Evangelio Joannis, quod Christus Dominus prius interrogavit Petrum: *Simon Joannis, amas me plus his?* Respondit Petrus: *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Dominus eamdem replicavit interrogationem, et Petrus idem responsum dedit. Deinde dixit Petro: *Pasce agnos meos;* et tertio eum interrogavit: *Amas me?* Denique dixit ei: *Pasce oves meas* [1]. — Per verbum *pasce* intelligitur omne officium pastorale, quod non solum est cibum præbere, sed ducere, præesse, corrigere, et castigare. Ex toto autem verborum contextu diserte apparet, officium agnorum et ovium pascendarum Petro præcipue fuisse collatum.

Quid de hoc textu *Febron.*

2. *Febronius* fatetur, quod Patres ex hoc textu Joannis agnoverint, præcipuum aliquid Petro præ reliquis Apostolis ob ejus caritatem in Christum fuisse collatum, nempe primatum in Ecclesiâ: *Unde magis magisque declaratur* (sunt ejus verba), *Ecclesiæ cœtibus præsidendi jus fuisse huic Apostolo concessum* [2]. Verumtamen, quamvis Petrus (ait Febronius) sit primus lapis ex ministerialibus, tamen est sicut alii Apostoli una ex vivis petris, nec doctrina ejus est certior quam reliquorum. Et salvâ præeminentiâ Petri, ovium cura æque immediate reliquis discipulis a Christo tradita fuit, ejusque successoribus episcopis, qui communem pastoris, cum Papâ, qualitatem in Ecclesiâ habent, prout ipse Petrus ad presbyteros suos scripsit: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* [3]. — Addit Febronius: *Contineat de reliquo verbum « pascendi » Petro (suppone etiam soli) dictum quantamcumque auctoritatem et potestatem, non repugno; hoc contendo, nullam verbo « pascendi » inesse, quæ non æque, immo amplius, contineatur illis Christi dictis ad omnes Apostolos: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » [4]; item his: « Euntes... docete omnes gentes [5] » [6].*

Refellitur.

3. At quod dicit *Febronius,* minime concordat cum textu Joannis. Primo dico; unà cum Petro ibi erant alii discipuli: cur Dominus dixit Petro: *Pasce,* et non aliis: *Pascite oves meas?* — Secundo adverto, Christum ibi dixisse: *Simon Joannis, amas me plus his?* Ergo illud *pasce* non omnibus Apostolis, sed soli Petro dictum est. — Insuper verbum *pasce* importat, Petrum tunc primum pastorem ovilis Christi fuisse constitutum, ita ut quum alibi Christus aliis discipulis dixerit: *Ego mitto vos, cet. Euntes docete, cet.,* hæc omnia intelligenda, ut ipsi primo et principali pastori subesse deberent. Et sic pariter intelligendum illud: *Pascite, qui in vobis est, gregem* [7], nempe cum subordinatione primo pastori Petro et ejus successoribus; quamvis enim plures sint pastores et plures greges, omnes tamen unum sunt ovile, primo pastori subjectum, qualis est Romanus Pontifex. Sunt quidem pastores omnes episcopi, et curam habent pascendi agnos Christi, sed tam agni quam oves (scilicet fideles et episcopi) uno pastori subjacent.

Responsionem confirmant SS. Patres.

Noster *Febronius* hanc distinctionem deridet, vocans eam *imaginariam et noviter adinventam* [8], sed eam tradunt S. Eucherius, S. Bernardus, S. Ambrosius.

S. Eucher.

S. Eucherius scripsit: *Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem cum con-*

[1] *Joan.,* XXI, 15-17. — [2] L. c., cap. 2, § 1. — [3] 1 *Petr.,* V, 2. — [4] *Joan.,* XX, 21. — [5] *Matth.,* XXVIII, 19. — [6] L. c, cap. 1, § 3. — [7] 1 *Petr.,* V, 2. — [8] L. c., cap. 1, § 3.

stituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est [1]. Episcopi particularium gregum pastores sunt, unusquisque sui, prout scripsit S. Petrus: *Pascite, qui in vobis est, gregem* [2]; sed Papa est totius Ecclesiæ pastor.

S. Bernard. Audi S. Bernardum scribentem ad Eugenium III: *Sunt quidem et alii... gregum pastores...; habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus; nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor* [3]. Eodem loco addit S. Bernardus: *Cui enim, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute... totæ commissæ sunt oves? « Si amas me, Petre, pasce oves meas ». Quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis...? « Oves meas », inquit...: Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil* [4].

S. Ambros. Idem significavit S. Ambrosius scribens: *Et jam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculas, ut secundo, sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret* [5].

S. Epiphan. 4. Idem sentit S. Epiphanius: *Hic est qui audivit: « Pasce oves meas », cui concreditum est ovile* [6].

S. Joan. Chrysost. S. Joannes Chrysostomus in hunc locum: *Aliis omissis, Petrum affatur,... fratrum ei curam committit* [7]. Et infrà: *Quum magna Dominus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset, cet* [8].

S. Maxim. S. Maximus: *Hic est Petrus, cui Christus... oviculas suas agnosque commendat* [9].

S. Augustinus. S. Augustinus: *Non enim inter discipulos solus meruit pascere dominicas oves; sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur* [10]. Et alibi pariter dixit: *In ipso Petro unitatem commendavit; multi erant Apostoli, et uni dicitur: « Pasce oves meas »* [11]. — Hic textus multum proderit in capite VII, ad explicandam mentem S. Augustini.

S. Leo. S. Leo papa: *Cui quum præ ceteris solvendi et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est* [12]. Et in alio loco: *De toto mundo unus Petrus eligitur..., ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus* [13].

Theophyl. Theophylactus: *Ovium totius mundi ovile Petro commendabat; non autem aliis, sed huic tradidit* [14].

S. Cyrillus. S. Augustinus. Et idem dicunt S. Cyrillus [15] et S. Augustinus [16], in eumdem locum Joannis.

S. Thomas. Idem scripsit S. Thomas: *Petro et ejus successoribus* (Christus) *plenissime* (potestatem) *commisit, et etiam nulli alii quam Petro quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit* [17]. Hinc scripsit idem Sanctus Doctor, temere errare, qui asserunt, fideles definitionibus Papæ subesse non teneri: *Petro dixit...: « Pasce oves meas, cet. »; ... per hoc autem excluditur quorumdam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia et subjectione Petri, successorem ejus Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes* [18].

Conclusio. 5. Hinc apparet, quantum erret *Febronius* [19] dicens, illud *pasce* dictum fuisse non Petro, sed Ecclesiæ; quæ si est congregata in Synodo œcumenicâ, ei subjacet Pontifex; si autem non est congregata, sed dispersa, Pontifex est quidem

[1] Serm. in Vigil. *S. Petri.* (Alii hunc sermonem *S. Eucherio*, alii *Eusebio Emisseno* [*Gallicano*] adscribunt. Legitur in Bibl. Max. Veter. Patr., tom. 6. Nota edit.). — [2] 1 *Petr.*, V, 2. — [3] De Consideratione, lib. II, cap. 8, n. 15. — [4] Ibid. — [5] In *Luc.*, lib. X, n. 176. — [6] Ancoratus, cap. 9. — [7] In *Joan.*, homil. 88, n. 1. — [8] Ibid., n. 2. — [9] Homil. 68, in Natal. *BB. Petri et Pauli*, 1. — [10] Serm. 295, cap. 4. — [11] Serm. 46, cap. 13, n. 30. — [12] Epist. 10, ad episc. provinc. *Viennensis*, cap. 2. — [13] Sermo 4, cap. 2. — [14] Enarrat. in Evang. *Joannis*, cap. 21, v. 15-19. — [15] *S. Cyr. Alex.*, in *Joannis* Evang., lib. XII, cap. 21, v. 15-17. — [16] In *Joan.* Evangel., tract. 123, n. 5. — [17] Opusc. contr. Errores *Græcor.*, cap. 32 (Ex *S. Cyril.*, in Thesaur. Vide in hoc volumine pag. 309, not. (*b*)). — [18] Contra *Gent.*, lib. IV, cap. 76. — [19] L. c., cap. 1, § 3; cap. 3, § 6.

illius caput, sed caput tantum ministeriale, et ideo majorem in hoc corpore aristocratico partem non habet quam alii episcopi, qui æqualem ac Papa potestatem habent, tam quoad ea quæ sunt ordinis, quam jurisdictionis; nam æque ac Papa sunt ipsi pastores ovilis Christi, tamquam Apostolorum successores.

Sed in omnibus his *Febronius* errat. Ait, non Petro, sed Ecclesiæ dictum fuisse: *Pasce oves meas.* Ergo Christus imposuit Ecclesiæ, ut seipsam pasceret? Imposuit ovili, ut pasceret pastorem? Peto: Ecclesia estne ovile Christi? atqui si Christus imposuit Petro pascere suum ovile, quomodo ovile non subjacebit Petro, sed ovile præerit Petro?

Episcopus, pastor sub primo pastore.

6. Episcopi autem sunt quidem ovium Christi pastores, ad partem sollicitudinis vocati, sed Pontifici, tamquam primo totius ovilis pastori, principalis cura collata fuit; unde ipsi tamquam supremo capiti omnes episcopi subesse tenentur.

Febronius dicit: *Itaque Ecclesia ipsa principaliter et radicaliter obtinet potestatem Clavium, quæ ab illa in omnes ejus ministros ipsumque Summum Pontificem derivatur, et singulis quibusque pro sua portione communicatur* [1].

Sed aliter docet S. Leo dicens: *Quibus* (sacerdotibus) *quum dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis; quoniam et inter... Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præemineret;... de quâ formâ episcoporum quoque est orta distinctio,... ne omnes sibi omnia vindicarent,... per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluceret* [2].

Præterea scripsit S. Gregorius: *Se dicit Sedi Apostolicæ subjici: si qua culpa in episcopis invenitur, nescio quis ei episcopus subjectus non sit; quum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt* [3].

Unde Zosimus *impiam confusionem* vocavit, ut unus invadat fines alterius episcopi: *Omnes admonemus, ut quique finibus territoriisque suis contenti sint; nam barbara et impia istu confusio est, aliena præsumere* [4]. — Observa quæ supra hoc puncto dicemus in capite VII.

Episcopus quomodo universæ Ecclesiæ consulere debeat.

7. Licet autem cura episcoporum particularis sit respectu ad suos particulares greges, attamen, si aliquis episcopus oriri nosset hæresim aliquam in Ecclesiâ alienâ, tenetur ipse, quantum potest, damnum reparare, eo quod omnes episcopi tenentur quidem bono Ecclesiæ universalis incumbere. Si quis enim numerosum haberet gregem, iste principalem curam illius uni committeret pastori, sed alios quoque pastores inferiores destinaret, quorum unusquisque portionem illius gregis custodiret. Si autem aliquando eorum aliquis adverteret lupos alienis portionibus insidias machinari, certe damno occurrere teneretur. Eodem modo episcopi, quum omnes ejusdem ovilis Christi pastores sint, tenentur, quoad possunt eorumque incumbentiæ convenit, Ecclesiam universalem tueri et damnum reparare.

Ita explicandi sunt *S. Augustin.* et *S. Cyprian.*

Et hoc utique est, quod S. Augustinus et S. Cyprianus scripserunt, ac frustra Febronius nobis opponit. S. Augustinus dicebat: *Quum... communis sit omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio,... specula pastoralis, facio quod possum... ut pestilentibus... eorum scriptis medentia et munientia scripta prætendam* [5]. Et S. Cyprianus inquit: *Copiosum corpus est sacerdotum... unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro... gregem Christi... vastare tentaverit, subveniant ceteri;... nam, etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus* [6]. Sed ex his dictis non infertur, quod *Febronius* [7] infert, nempe quod omnes episcopi,

[1] L. c., cap. 1, § 6, n. 3. — [2] Epist. 14 ad *Anastasium* Episcopum, cap. 11. — [3] Epist. lib. IX, ep. 59 ad *Joannem* episc. *Syracusan.* (al. lib. VII, indict. 2, epist. 67). — [4] Epist. 1, ad Episcopos *Gall.*, cap. 3. — [5] Contr. duas epist. *Pelagianor.*, lib. I, cap. 1, n. 2. — [6] Epist. 67 (alias 68), ad *Stephanum* Papam, n. 3. — [7] L. c., cap. 3, § 1.

tamquam ovilis Christi pastores, in potestate æquales sunt Pontifici et ab eo independentes; sed tantum infertur quod, ubi quidam lupus gregem Christi vastare tentaverit (ut loquitur S. Cyprianus [1]) et desit alius, qui damnum reparet, quivis episcopus, ut damno occurratur, operam dare tenetur.

In episcopo distinguatur *ordo* a *jurisdictione.*

8. Distinguere autem oportet in episcopis potestatem *ordinis*, quæ ad intrinsecum episcopatûs pertinet, nempe quod episcopus valeat ordines conferre, ecclesias consecrare, sacramentum Confirmationis ministrare, et similia, a potestate *jurisdictionis*, quæ ad externum, scilicet ad gregis gubernium, spectat.

Quoad potestatem *ordinis*, sine dubio omnes episcopi æquales sunt Pontifici (eam enim tam Papa quam episcopi immediate a Christo habuerunt); sed non quoad potestatem *jurisdictionis*. Quæstio autem, an potestas jurisdictionis, quam habent episcopi, immediate a Christo vel a Papa eis communicetur, est quæstio de mero nomine; nam, etiamsi episcopi illam a Deo, non a Papa, immediate reciperent, semper tamen recipiunt subjectam supremæ potestati, quam Christus Papæ contulit super cunctam Ecclesiam. Quamvis igitur episcopi immediate a Deo haberent potestatem, hoc tamen non impedit ipsos Pontifici subesse, ut revera subsunt. Et ideo Summi Pontifices ab antiquis sibi reservare consueverunt dispensationes irregularitatum, impedimentorum dirimentium matrimonia, sicut etiam plurium votorum, et absolutionem plurimorum casuum, virtute illius supremæ potestatis, prout Tridentina Synodus declaravit: *Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare* [2]. Perpende verba: *Suo potuerunt peculiari judicio reservare.*

Hinc Facultas Parisiensis, anno 1554, plenis votis sequens decretum prodidit: *Omnes et singuli magistri nostri... ipsum Romanum Pontificem et summum Jesu Christi Vicarium et universalem Ecclesiæ Pastorem, cui plenitudo potestatis a Christo data sit,... fideliter et libenter agnoscunt et confitentur* [3]. *Gamachæus*, ejusdem Facultatis regius professor, distinguens jam in episcopis potestatem characteris a potestate jurisdictionis, scripsit: Clarissimi theologi sustinent, *episcopos, etiamsi habeant potestatem characteris immediate a Christo, non tamen potestatem jurisdictionis, sed hanc potius a Summo Pontifice accipere* [4]. Ac prius id scripsit Innocentius I, anno 404, ad episcopos Africanos: *A quo* (Petro) *ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit* [5].

Objicitur: *oves* MEAS.

9. Objicit alius auctor ex adversariis, Christum non dixisse Petro: *Pasce oves* TUAS, sed: *Pasce oves* MEAS; et ex hoc infert, Christum esse pastorem absolutum gregis, Petrum autem et Apostolos pastores tantum ministeriales.

Respondetur.

Respondetur: Salvator noster, dum hic vixit, non tantum invisibilis et internus, sed etiam visibilis pastor Ecclesiæ et caput exstitit, et ideo dixit: *Oves meas*, non *tuas;* quum vero postea in cælum ascendit, mansit quidem ipse invisibilis et internus pastor Ecclesiæ, prosequens suæ gratiæ influxibus ac internis illustrationibus eam regere; sed illi suo visibili ovili visibilem et externum pastorem reliquit Petrum, qui visibiliter dubia fidei definire posset; alioquin tam Papa quam episcopi et sacerdotes essent superflui. Itaque Petrus, respectu Christi pastoris invisibilis, non est nisi unus ex ejus grege; et hoc est, quod S. Augustinus dixit (et adversarius nobis opponit) scribens, Christum esse *pastorum pastorem;* sed, respectu ad Ecclesiam et ejus externum regimen, est supremus et visibilis pastor. Quis non

[1] Epist. 67 ad *Stephanum* Papam, n. 3. — [2] Sess. 14, De Pœnit., cap. 7. — [3] Apud *Maucler.*, De Monarch., pars IV, lib. VIII, cap. 6. — [4] De Sacram. Ordinis, cap. 9. — [5] Epist. 29, ad Episc. Concilii *Carthagin.*, n. 1.

videt, ad regendum regnum visibile, visibili capite opus esse?

Objicitur 2° A grege eligitur pastor.

10. Pergit idem auctor, et ait: *Successores Petri aliâ auctoritate non gaudere, nisi illâ, quam grex ipsis impertitur, quum gregi collata sit facultas eligendi Pontificem.* — Sed peto: adversarii non negant, Papam habere saltem primatum in Ecclesia; cardinales autem habent primatum? minime; quomodo igitur possunt cardinales Papæ conferre primatum illum, quem non habent? Habent quidem ipsi facultatem eligendi Papam, sed Papa electus non jam ab ipsis, sed a Deo auctoritatem accipit. Hinc adhuc in conciliabulo Basileensi, ubi potestas pontificia tam fuit depressa, in oratione ad Patres habitâ dictum fuit: *Hæc potestas et præsulatûs auctoritas Petro tributa fuit, non ab hominibus, sed ab ipso... Salvatore* [1]. Et S. Gelasius papa, alloquens Patres Concilii Romani, dixit: *Romana... Ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesiis prælata est, sed evangelicâ voce Domini... primatum obtinuit* [2].

Respondetur.

CAPITULUM IV.

PROBATUR SUPREMA SIVE MONARCHICA PONTIFICIS POTESTAS AB IPSIS CONCILIIS ŒCUMENICIS.

I. Concilia supremam potestatem Pontifici deferunt.

1. Contendit *Febronius* [3], supremam potestatem cum infallibilitatis prærogativa in definiendis quæstionibus de fide, tantum generalibus Conciliis, non autem Petro ejusque successoribus fuisse promissam. Sed ne verba inutiliter proferamus, punctum in quo rei substantia consistit, aggrediamur.

Quæro: Si probabo ipsa generalia Concilia tribuere Pontifici supremam potestatem, quis negare poterit, Papam esse infallibilem et Conciliis superiorem? Sed ubi, dicet Febronius, in Conciliis sancita manet propositio hæc, quod Papa sit infallibilis Conciliisque superior? Non equidem in aliquo Concilio hæc propositio his ipsis terminis expressa exstat; sed plura Concilia dicunt, Papam esse Caput, super omnem Ecclesiam potestatem habens; — dicunt, Papam esse Vicarium Christi, immediate ab eo constitutum, et ideo ajunt omnia tenenda, quæ ab ipso definiuntur; — dicunt, Papam habere potestatem supremam in universa Ecclesia, et ideo omnes fidei quæstiones ab eo decernendas esse; — dicunt, Pontificias definitiones non posse immutari, eo quod Papa est organum Spiritus-Sancti; — dicunt, a Pontificis sententiis ad alium superiorem non esse recursum; — dicunt, extra casum hæresis, Papam nullo modo alterius potestatis judicio subjici; — dicunt demum, non esse licitum appellare a Papa ad Concilium, sed bene a Concilio ad Papam.

His positis, quis asserere poterit, Papam esse fallibilem et Concilio subjectum? — Videamus, si vera sint, quæ hic prænotavimus.

2. In Concilio I Nicæno dictum fuit: *Ille qui tenet Sedem Romæ, caput est et princeps omnium patriarcharum; quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes... populos, ut qui sit Vicarius Christi... super... universam Ecclesiam Christianam; et quicumque contradixerit, a Synodo excommunicatur* [4]. Nota: *Cui data est potestas in* Nic. I.

[1] Orat. ad Patres habita ab archiep. *Tarentin.* — [2] Conc. *Roman.* I, a° 494, Decret. de Apocryph. Scripturis. — [3] L. c., cap. 1, § 9. — [4] Can. 39 (*a*).

(*a*) Inter *Arabicos*. Vide in hoc volumine pag. 301, not. (*a*).

omnes populos,... super universam Ecclesiam Christianam.

Chalced. **3.** In Concilio Chalcedonensi, sub S. Leone I, dictum fuit: *Episcopum Romanum non proprie primatem, sed principem significare; solus vero Romanus Pontifex est princeps christianæ diœceseos* [1]. Adverte: *non primatem, sed principem significare;* quibus verbis suprema auctoritas Pontificis designatur; quamvis autem Patres aliquoties Papam promiscue *primatem* ac *principem* vocent, tamen pro eodem primatem ac principem accipiunt, ut infrà videbimus.

Præterea in eodem Concilio refert S. Thomas dictum fuisse: *Omnia ab eo* (scilicet a Leone) *definita teneantur, tamquam a Vicario Apostolici Throni* [2].

Insuper in Actione II, quum lecta fuisset in Concilio S. Leonis epistola, ubi instructio a Pontifice mittebatur eorum, quæ credenda erant juxta id, quod ipse jam prius contra Eutychetem definierat, ab omnibus prolatum fuit: *Hæc Patrum fides,... omnes ita credimus;... Petrus per Leonem ita locutus est* [3]. Sed attentius perpende verba relata a divo Thoma: *Omnia ab eo definita teneantur;* et cur? *tamquam a Vicario Apostolici Throni.*

Lateran. III. **4.** In Concilio Lateranensi III, ut habetur in *capite Licet,* dictum fuit, quum de particularibus Ecclesiis agatur, dubia superioris judicio definiri debere; sed quum agitur de Sede Apostolica, sic fuit declaratum: *In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi* [4]. Si a Papa ad alium superiorem non patet recursus, Papa ergo caput supremum reputatur; ac si est supremum, omnes ei parere debent, ne velimus dare plura capita suprema, propter quæ innumerabilia schismata in Ecclesia postea orirentur.

Constantinop. IV. **5.** In Concilio Constantinopolitano IV, sub Adriano II, Nicolaus papa, qui Adrianum antecessit, fuit appellatus *Organum Sancti-Spiritus* [5]: ab organo Sancti-Spiritus audiri nequeunt nisi infallibiles veritates.

Deinde Patres Concilii dixerunt: *Neque nos sane novam de illo judicio sententiam ferimus, sed jam olim a sanctissimo papa Nicolao... pronunciatam, quam nequaquam possumus immutare* [6]. Definitiones igitur pontificias ipsi Patres Concilii fatentur non posse a Concilio mutari.

Deinceps iidem Patres, postquam Synodo subscripserunt, hæc addiderunt verba: *Quoniam, sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem* (nota hic, *Sedem Apostolicam* non esse quidem Concilium, ut aliqui interpretari malunt, eamque confundere, sed Romanam esse Ecclesiam), *et observantes omnia ejus constituta, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua* (nota) *est integra et vera Christianæ Religionis soliditas* [7].

En quomodo Concilia loquantur de Pontificis infallibilitate, et consequenter de ejus potestate supremâ; hæc enim duo invicem necessario connectuntur, quia auctoritas Papæ non posset esse infallibilis, nisi simul suprema existeret.

Lugdun. II. **6.** In Concilio Lugdunensi II (hoc Concilium nimis urget adversarios, et ideo in eo diutius morandum), sub Gregorio X congregato, anno 1274, concursu 500 episcoporum, dictum fuit: *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam... obtinet, quem se ab ipso Domino in Beato Petro,... cujus Roma-*

[1] Act. 15, can. 9 (*a*). — [2] Contr. error. *Græcor.*, cap. 32. — [3] Act. 2. — [4] Cap. 1; In Jure Can., cap. *Licet* 6, *de Elect.* — [5] Actio 10, regula 2. — [6] Act. 5. — [7] Act. 1, Libell. *Adrian.*

(*a*) Illis verbis *Binius* (Notæ ad Act. 15, can. 9) Concilii *Chalcedonensis* canonem explicat. *Græca vox* ἔξαρχος, inquit,... *principem significat... Constituitur, ut siquis cum metropolitano aliquo controversiam habeat, non alibi cum convenire possit..., quam apud Principem Diœceseos, Romanum Pontificem* (Nota edit.).

nus Pontifex est successor, cum potestatis PLENITUDINE, *recepisse veraciter et humiliter recognoscit* [1]. Attende « *cum potestatis plenitudine* »; potestas plena nequit esse nisi suprema, absoluta et independens; alioquin plena dici non posset.

Præterea adduntur ibi hæc notabilia verba: *Et sicut præ ceteris tenetur* (ipsa Romana Ecclesia) *fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones,* SUO DEBENT JUDICIO DEFINIRI [2]. Ergo fidei quæstiones a Papa debent definiri; et consequenter ejus definitiones sunt infallibiles et aliorum judicio minime subjectæ.

Hæc fuit confessio fidei facta in Concilio a legatis imperatoris Michaelis Paleologi; et ipsamet fuit postea a toto Concilio acceptata, ac prima fuit Constitutio in Concilio edita, fatentibus Patribus: *Suprascriptâ fidei veritate, prout plene lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam, et orthodoxam fidem cognoscimus et acceptamus, et ore ac corde confitemur, quod vere tenet, et fideliter docet et prædicat sancta Romana Ecclesia* [3].

Objicitur. **7.** Advertantur singulariter verba suprà relata: *Si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri.* Episcopus Bossuet [4], non habens ad hanc Concilii sententiam quid respondeat, opponit, quod etiam Facultas Parisiensis plures prodit definitiones circa res fidei, sed non ideo illæ infallibiles sunt. — Sed respondemus: Facultas Parisiensis definit quidem plura dubia fidei, sed nemo asserit nec credit, quod fidei quæstiones omnes a Facultate Parisiensi definiri debent, prout dictum fuit de Pontifice in Concilio: *Suo debent judicio definiri.* Hæc sola confessio hujus œcumenicæ Synodi ex 500 Patribus compositæ, mihi videtur quod satis esse deberet ad ora adversariorum omnino occludenda.

Respondetur.

Magis explicatur.

Insuper dixit Concilium, ut suprà notavimus, quod Ecclesia Romana *super universam Ecclesiam summum et plenum principatum obtinet cum potestatis plenitudine;* quapropter, quum Papa aliquid de fide definit, non definit nisi ut Ecclesiæ universalis princeps et caput, cui veritatem fidei tueri spectat; idcirco tota Ecclesia stare tenetur omnibus, quæ Pontifex decernit.

Præterea Concilium declaravit, in quo consisteret illa *plenitudo potestatis*, qua pollet Pontifex, dixitque: *Sic potestatis plenitudo consistit, quod* (Romana Ecclesia) *Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit* (en communicatio jurisdictionis, quæ a Papa fit ad alios episcopos),... *suâ tamen observatâ prærogativâ, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis, semper salvâ* [5]. « Prærogativa », nempe quod omnes quæstiones fidei « *suo debent judicio definiri* », ratione suæ infallibilitatis, juxta id, quod scribit S. Bernardus, de Pontifice loquens: *Istam infallibilitatis prærogativam constantissima perpetuaque Sanctorum Patrum traditio commonstrat* (*a*).

[1] Epist. *Mich.* imper. ad *Greg. X.* — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Defens. Declarat. Cleri *Gallicani*, lib. VII, cap. 36.

[5] L. c.

(*a*) Ex *S. Bernardo*, præter alia, hæc etiam citari possunt: *De Consideratione, lib. II, cap. 8.* Pauca quædam exscribere libet: « Discipuli navigabant, et dominus apparebat in littore... Sciens Petrus, quia Dominus est, in mare se misit, et sic venit ad ipsum, aliis navigio pervenientibus. Quid istud? Nempe signum singularis pontificii Petri, per quod non navem unam, ut ceteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum... Ita quum quisque ceterorum habeat suam, tibi una commissa est grandissima navis; facta ex omnibus universalis Ecclesia, toto orbe diffusa ». — Item *Epistola 190, ad Innoc. II* seu: *Tractatus de erroribus Abælardi, Præfatio.* « Oportet », inquit « ad vestrum referri apostolatum pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sen-

Viennense. 8. Item in Concilio Viennensi, celebrato anno 1311 sub Clemente V, approbata fuit ejusdem Pontificis declaratio, quæ habetur in *Clementinis*, ubi Clemens, loquens de quæstionibus fidei, dixit: *Nos igitur ad tam præclarum testimonium* (*a*)*... Apostolicæ considerationis, ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet, aciem convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus, cet.* [1]. Nota: « *Ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet* ».

Constant. 9. Præterea in eodem Concilio Constantiensi, in quo adversarii contendunt declaratum fuisse Papam suprema potestate carere, approbata fuit epistola Martini V, ubi præcipiebatur interrogari suspectos de hæresi: *Utrum credant quod Papa... sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei?* [2].

Idemque *Febronius* [3] scribit: *Concilium Constantiense sententiam damnat Joannis Wiclefi:* « *Non est de necessitate salutis, credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias* [4] ». Addit tamen *Febronius*, ne præjudicium sibi injiciat, Concilium in hoc *haud ultra condignum favisse Pontifici.* Sed ipse proferat quidquid velit, omnes intelligunt, ut scribit cardinalis Bellarminus [5], potestatem supremam esse illam, quæ nec majorem nec æqualem habet.

Florentin. 10. Præterea in Concilio Florentino (de cujus Concilii decreto sub initio jam mentionem fecimus, sed hic prolixius de eo tractandum), in ultima sessione dictum fuit: *Definimus... Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et... successorem esse beati Petri... totiusque Ecclesiæ Caput, et... Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in beato Petro... regendi... Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo* PLENAM POTESTATEM *traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur* [6].

Si igitur Papa est *Doctor totius Ecclesiæ*, infallibilis omnino habendus est; aliter Ecclesia tota ab eodem suo doctore posset esse decepta. Insuper, si Papa plenam habet potestatem regendi Ecclesiam, necessario superior Conciliis esse debet; aliter, si Concilio subesset, Patres Florentini nequaquam asserere potuissent, illi a Christo *plenam potestatem* esse traditam.

De genuino Decreti sensu.

Dicitur in fine: *Quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur.* Ergo ipsamet Concilia in eorum Actibus, et sacri Canones ostendunt, ad Papam plenam potestatem regendi Ecclesiam pertinere. At Febronius [7] aliter legit verba illa in aliis exemplaribus, nimirum: *Juxta eum modum, qui et in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur* », sublato verbo *etiam;* et sic deinde explicat, Papam habere quidem plenam potestatem, sed *juxta modum,* sive limitationem, *quæ in Actibus Conciliorum et Canonibus continetur.* Sed particula illa *etiam,* quæ magni ponderis est, legitur in pluribus exemplaribus, quæ inveniuntur apud quinque bibliothecas, ut observat pater A-Bennettis [8]. Quamobrem verba

[1] *Clementinar.*, lib. I, tit. 1, De summa Trinitate. — [2] Bulla « *Inter cunctas* ». — [3] L. c., cap. 2, § 3, n. 1. — [4] Conc. *Constantien.*, sess. 8, propos. 41 *Wiclefi.* — [5] De Concil. et Eccl., lib. II, cap. 17. — [6] Sess. 22, Decret. Unionis. — [7] L. c, cap. 5, § 7, n. 5. — [8] Privilegior. Roman. Pontif. Vindic., p. 1, a. 5, § 1.

---

tire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos...* In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis et sedem, si vestrâ admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestrâ auctoritate conteritis fidei corruptores ». — *Epist. 198, ad Innoc.*, in quâ hæc leguntur: « Ex privilegio Sedis apostolicæ constat, summam rerum ad vestram potissimum respicere summam auctoritatem et plenariam potestatem » (Nota edit.).

(*a*) Id est Joannis Apostoli (*Joan.*, XIX, 33-35), cujus verba Summus Pontifex suprà adduxerat (Nota edit.).

« *quemadmodum etiam continetur* », non præ se ferunt potestatis limitationem, sed demonstrant, quod plena potestas expresse est tradita Pontifici etiam in Actis Conciliorum et in sacris Canonibus, prout revera expressum fuit suprà in aliis Conciliis, nempe in Nicæno I et Lugdunensi II: vide suprà, num. 2 et 6.

Febronius instat. Inquit *Febronius* [1], quod sua lectio magis congruit cum textu græco eorumdem verborum; at sedulo advertendum cum Tournely, quod versio nostra latina Abrahami Cretensis æque ac græca fuit a Patribus approbata et inserta in Actis Concilii, atque ab Eugenio IV et imperatore Michaele subscripta: *Certum esse* (ait Tournely) *græca æque ac latina Concilii Florentini Acta, sacro approbante Concilio, Eugenii nomine esse edita; porro in Actis* *Florentin.* *latinè exaratis sic legitur:* « *Quemadmodum etiam, cet.* ». *Id vero ita esse constat ex Concilii Florentini codicibus, qui in nobili bibliotheca Colbertina, Eugenii ac Michaelis imperatoris signis muniti, asservantur* [2]. His positis, verisimilius est lectionem græcam traductam fuisse ex latina, quam latina ex græca, eo quod Papa et maxima Patrum pars ex latinis erant. Præterquam quod naturalis et proprius sensus aliorum verborum decreti omnino consonat particulis illis *etiam* et *continetur;* si enim Concilium illis aliis verbis, quæ adversariis placent, « *juxta eum modum, qui in gestis Conciliorum... continetur* », declarare voluisset, quod potestas Pontificis restricta est intra limites a Conciliis et Canonibus præscriptos, non quippe dixisset prius, Pontifici a *Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem* traditam esse, sed tantum ei traditam esse potestatem *juxta eum modum, qui in gestis, cet.;* nam habere *plenam* potestatem est quidem oppositum potestati limitatæ. Præterea non dixisset *continetur,* sed potius *juxta eum modum qui in gestis, cet.* limitatur, vel explicatur, aut tribuitur; sed dixit *continetur,* verbum quod correspondet plenæ potestati traditæ Pontifici, juxta eloquia antecedentium Conciliorum, et præsertim Lugdunensis II, ubi dictum fuit: *Romanus Pontifex est* (Petri) *successor, cum potestatis plenitudine* [3].

Primum Febronii effugium: Conc. Flor. non est œcumenicum. **11.** *Febronius* tandem, ut ab omnibus istis difficultatibus se expediat, sic dictitat: *Tertium (subjungendum videtur), quod in eâdem Tridentinâ Synodo a Gallis pernegatum fuerit, Florentino inter generalia Concilia locum dandum esse, quippe quod ex quibusdam Italis et quatuor solum Græcis Patribus compositum fuit* [4]. Sed *Respondetur.* in hoc ipsi Galli Febronio adversantur; nam pater *Boucat* [5], pater *Annatus* [6], auctor *Dictionarii portatilis Conciliorum,* laudant Florentinum pro certo Concilio œcumenico. Item Jueninus [7] quatuor rationibus prolixe id probat, et respondet, in Gallia de eo fuisse dubitatum tantum donec res discussæ non fuerint, non autem postea. Mira res! *Febronius* vocat generale Concilium Basileense, quod a sola Gallia œcumenicum reputatur [8]; negat autem Florentinum esse generale, quoniam a sola Gallia (ut innuit) refutatur [9]. Sed revera nec a Gallia refutatur.

Alterum effugium: a de falsis Decretalibus. **12.** Attamen *Febronius* [10] novum et generalius excogitavit responsum, quo ab omnibus istis prolatis Conciliorum sententiis brevi se expedit. Ipse, loquens primo de Decretalibus ab Isidoro collectis, editis in lucem circa annum 843, et deinde adoptatis ac etiam in suo Decreto

[1] L. c. — [2] Compendium de Concil. in particulari, art. 2, § de Conc. *Florentino.* — [3] Epist. *Mich.* imper. ad *Greg. X.* — [4] L. c., cap. 5, § 4, n. 5. — [5] Theolog. Patrum, De Conciliis, art. 2. — [6] Apparatus ad positivam theologiam, lib. V, art. 20 (*a*). — [7] Instit. theol. Proleg. Diss. 4, qu. 3, cap. 2, art. 18, § 3. — [8] L. c., cap. 6, § 1, n. 4; § 16, n. 11. — [9] Cap. 5, § 4, n. 5. — [10] Cap. 1, § 8, n. 10.

(*a*) Concilium œcumenicum fuisse docet, quamdiu Græci adfuerint; recte tamen in Decreto pro Armeniis dictum esse: *sacro approbante Concilio œcumenico* (Nota edit.).

a Gratiano adauctis, inquit ex his falsis decretalibus valde exaltatam fuisse pontificiam potestatem. Sed immerito id supponit; non enim ab hujusmodi documentis, sed a sententiis Conciliorum et Patrum, sacris Scripturis innixis, potestas Pontificis suprema patefacta exstitit.

b Quid de ipsis Conciliis affirmet.

Deinceps progreditur *Febronius* ad loquendum de Conciliis generalibus, et usque eo pervenit, ut audacter asserat, aliquas sententias, quæ eumdem redolent spiritum (nempe falsitatis), de quo Decretalia Isidori imbuuntur, etiam in Acta publica Conciliorum intromissas fuisse; sed addit, istas nullum præjudicium veritati postmodum patefactæ attulisse; tunc enim, ait, homines in sæculis obscuris versabantur, sed hodie, rebus melius dilucidatis, melius etiam judicium de legitima potestate Pontificis fertur, quam protulerunt antiqui nostri patres, falsis illis documentis decepti. Transcribamus hic ejus verba, ne aliquis in hoc me nimis Febronium gravare suspicetur. Postquam ipse falsitatem decretalium exaggeravit, sic pergit: *Et nonnulla, eumdem spiritum redolentia, in Acta publica Conciliorum etiam generalium irrepserunt, quæ nullum veritati post detectæ præjudicium generant; dum hodie historiam sacram et Acta ecclesiastica septem vel octo primorum sæculorum in fontibus scrutamur, multo certius de genuina potestate Summi Pontificis, quatenus ea revera ex Deo est, judicamus, quam patres nostri, falsis illis documentis innocenter delusi* [1]. Addit: *Si enim ignorantia et excessus superstitionis obfuit, quominus obscurata per aliquot sæcula nosceretur veritas et justi ecclesiasticæ potestatis limites, nihil impedit, quominus quæ errore aliove vitio male inducta sunt, nunc, cognitâ veritate, restituantur in legitimum statum* [2]. Et alibi addit, quod in sæculis IV, V et VI, plura de Pontifice tacite ab Ecclesia, aut expresse a Conciliis, dicta fuerunt in obsequium Romanæ Sedis: *Quæ sæculis IV, V vel VI Romanis Pontificibus ab Ecclesia tacite, aut a Conciliis expresse, in reverentiam primæ Sedis attributa sunt* [3]. Ergo, etiam infra prima octo sæcula, a Conciliis plura Pontifici attributa sunt, non juxta veritatem, sed tantum in reverentiam primæ Sedis?

Respondetur ad *a*.

13. Quoad Decretalia *Isidori*, non intendo omnia illa ut legitima tueri; scio enim plura eorum, maxime circa epistolas Pontificum, esse aut falsa, aut saltem adulterata, aut mutata quoad nomina auctorum. Respectu vero ad Decretalia Gregorii IX, Bonifacii VIII, et Clementis V, lego hos Pontifices ad trutinam illa revocasse (prout Gregorius colligere ea fecit, discutere, resecatis superfluis, per S. Raymundum), ac præcepisse, de ipsis tam in judiciis quam in scholis usum fieri. Idcirco dico his decretalibus omnino obtemperandum; quamvis enim Pontifices præfati aliqua eorum ex falsis fontibus hausissent, vim tamen legis ipsis tribuerunt; quod et Justinianus fecit, dicens: *Omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertietur auctoritas* [4].

Respondetur ad *b*.

Quoad illud autem quod ait *Febronius* [5], nempe quod in Acta Conciliorum irrepserint nonnulla redolentia eumdem spiritum Decretalium Isidorianorum, quia tunc patres nostri versabantur in sæculis tenebrosis, in quibus latebant veritates, quæ hodie detectæ sunt, et ideo melius nunc judicatur de potestate Pontificis quam patres nostri, falsis illis documentis delusi, judicarunt, inter hos hodiernos illuminatos nolo esse; sed malo delusis antiquis Patribus adhærere, qui in Conciliis œcumenicis locuti sunt; et sic me gerens, credo non posse errare, quoniam illi, de auctoritate agendo, deludi non poterant. Et ita arguo: Quod Papa circa definitiones fidei infallibilis aut fallibilis sit, quodque in auctoritate sit Conciliis superior aut inferior, est res principaliter ad fidei regulam pertinens; unde Spiritui-Sancto incumbebat, ut in Conciliis illis

[1] L. c. — [2] L. c., cap. 8, § 6. — [3] Ibid., § 5, n. 3. — [4] Codex, lib. I, tit. 17, De veteri Jure enucleando, 1, § 6. — [5] L. c., cap. 1, § 8, n. 10.

declararetur, quis in Ecclesia, Papa an Concilium, auctoritatem haberet, infallibiliter definiendi quæstiones fidei, ut fideles de iis, quæ credere debent, manerent certi, nec perpetuo errarent. Propterea absolute dico, non potuisse Deum permittere, quod œcumenicæ Synodi falsis documentis in hoc puncto deluderentur, ut *Febronius* vult nobis suadere, et ita deinceps totum christianum orbem in rebus fidei deciperent. Hinc malo credere sententiis prolatis a Conciliis sæculorum ignorantiæ, quam illustrationibus deinde peractis a Febronio ejusque sociis in sæculis illuminatis; habeo enim pro certo, legitima Concilia generalia Spiritus-Sancti assistentiâ frui, et ideo errare non posse. Admiror interea animum *Febronii*, qui Sedem Romanam, semper et ab omnibus Ecclesiæ Patribus et principibus veneratam, tamquam sedem ignorantiæ, deceptionis et superstitionis deludere et deprimere pergit.

Lateran. V.

14. Præterea celebratum fuit Concilium Lateranense V, sub Leone X, ubi, postquam reprobatum fuit decretum conciliabuli Basileensis de superioritate Concilii, declaratum fuit, Papam præesse Conciliis: *Solum romanum Pontificem,... tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum... sacrorumque Canonum decretis, sed propriâ etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat* (et hoc quam bene consonat verbis præcedentis Synodi Florentinæ superius relatis: *quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur*), *quorum aliqua referre placuit, cet.* [1].

Ac proinde ibi referuntur Concilia, quæ his Pontificum præceptis jam pridem obtemperaverant, nimirum Ephesinum I Cælestino, Chalcedonense Leoni, Synodus VI Agathoni, et Synodus VII Adriano; ac postea Concilia, quæ approbationem a Pontificibus expostulaverant et obtinuerant.

Objicitur 1.

Dicunt *Dupin* [2] et *Launoy*, [3] quod illa propositio: « *Tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem* », non fuit principalis, sed incidens; posita enim fuit ut ratio, quæ falsa esse poterat. — Sed respondetur, non quidem per incidens illam appositam fuisse, sed tamquam veram declarationem; nam Concilium ibi declarare voluit, Papam, *tamquam super omnia Concilia auctoritatem habentem*, posse ea suo arbitrio convocare, transferre et dissolvere.

Respondetur.

Objicitur 2.

15. Scio, adversarios hoc Concilium uti generale non admittere, dicentes inter alia, quod episcopi in eo neque ad numerum centenarium pertigerint. — Sed ostendit cardinalis Bellarminus, [4] nihil huic Concilio defuisse, ut esset œcumenicum et legitimum; fuit enim legitime convocatum; fuit omnibus apertum, quod profecto sufficit ad illud generale reddendum; Patres fuerunt 107, ibique verus certusque Pontifex præsedit; quapropter Concilium hoc communiter pro legitimo habitum fuit, prout cum Bellarmino illud habuerunt cardinalis *Baronius* [5], *Cabassutius* [6], *Thomassinus*, *Graveson*, [7] cet.

Respondetur.

Objicitur 3.

Replicant adversarii: Saltem hoc Concilium non ab omnibus receptum est. — Sed huic respondet idem Bellarminus, [8] id parum referre, quia Conciliorum decreta populi approbatione aut acceptatione non indigent, ut certum est apud omnes, præsertim ubi agitur de re ad fidem spectante, sicut hæc erat, juxta id quod suprà diximus.

Respondetur.

[1] Sess. 11; Bulla « *Pastor æternus* ». — [2] De antiqua Ecclesiæ Disciplina, diss. 6, § ultim. — [3] Epistolar. lib. I, ep. 11 ad *Ludov. Maræsium*. — [4] De Concil. et Eccl., lib. II, cap. 17. — [5] Continuat. *Spond.*, ann. 1511-1517. — [6] Notitia ecclesiastica Concil., sæc. XVI. — [7] Histor. Eccl., sæc. XVI, colloq. 4. — [8] L. c.

Conclusio: Illud Concilium rejicere, nefas est.

16. Ergo, dicent, numquid hæreticus est, qui hoc Concilii decretum non sequitur? — Respondet Bellarminus: non est hæreticus, quia tale decretum non est in forma Canonis extensum; sed a magna temeritate non est excusandus: *Quod vero Concilium hoc* (verba Bellarmini) *rem istam non definierit proprie* (canone formali) *ut decretum fide catholica tenendum, dubium est; et ideo non sunt proprie hæretici, qui contrarium sentiunt; sed a temeritate magna excusari non possunt* [1].

Inquit episcopus *Bossuet* in sua *Defensione Declarationis* (si vere ipse libri illius auctor fuit), de hoc Concilio loquens: *Pro certo œcumenicum haberi, Bellarmini... fluctuatio non sinit* [2]. Sed Bellarminus non fluctuat, sed tenet pro certo, Concilium illud fuisse œcumenicum; dubitat tantum, an hæreticus dici possit, qui decretum de auctoritate Pontificis super Concilia non amplectitur; ceterum pro certo habet, hunc magnæ temeritatis notam evitare non posse. Et Bellarmino adhæsit doctor sorbonicus *Duvallius*, qui scripsit circa annum 1612, dixitque opinionem oppositam de præstantia Concilii supra Pontificem non posse excusari saltem a temeritate inobedientiæ: *A temeritate tamen inobedientiæ vix potest excusari; fovet enim ut plurimum inobedientiam, et dissidia multa magnosque tumultus in Ecclesia semper excitavit* [3].

Dixi superius: « *Si vere* (ipse *Bossuetus*) *libri illius auctor fuit* »; nam plura adsunt argumenta, quod opus illud valde adulteratum fuit ab aliis, aut saltem quod Bossuetus noluerit illud pervulgari, dum ipse post comitia anni 1682, in quibus Declaratio Cleri Gallicani de Concilii superioritate prodiit, aliis 22 annis supervixit; at liber non prius typis editus fuit quam anno 1730, nempe 26 annis post Bossueti obitum.

Trident. **17.** Sententiis Conciliorum addo illam, quæ habetur in Concilio Tridentino, ubi dicitur: *Merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare* [4].

Febronii dubium. Hujusmodi Tridentini notabile dictum nihili facit Febronius; nam sic de illo loquitur: *Ea* (verba) *generaliora sunt, nec exprimunt a quo, et quibus gradibus, ac quoad quas partes, suprema hæc potestas Romano Præsuli in universa Ecclesia tradita fuerit; nihilque impedit, quominus credamus, reservandorum nonnullorum graviorum peccatorum potestatem ab Ecclesia seu Concilio supremo Pontifici permissam fuisse* [5].

Respondetur ad primam dubii partem. Inquit igitur *Febronius* primo loco, verba Concilii non exprimere, *a quo* hæc suprema potestas tradita fuerit Pontifici; et ex eo inducitur credere, quod illa potestas reservandi sibi crimina graviora a Concilio ipsi tradita fuerit. — Sed Febronius nihil bene ratiocinatur; si enim potestas quam habet Pontifex, est suprema, nequit illa dici tradita, nisi a Christo. Nec ullo modo intelligi potest tradita a Concilio, ut credere vult *Febronius;* nam, si potestas suprema apud Concilium erat, non poterat ipsa a Concilio in Pontificem transferri, quia nullus superior potest suam supremam potestatem in alium transferre, aut saltem transferre non potest, quin seipsum de ea exspoliet; alioquin in ejusdem rei gubernio darentur duæ supremæ potestates, quæ consistere non possunt. Quod si umquam suprema illa potestas transferretur in alium cum dependentia a transferente, non esset amplius suprema, sed subordinata; potestas enim suprema est illa, quæ non dependet ab alio, nec superiorem, nec æqualem habet. Quomodocumque autem dicatur, simul ac verum est, quod Papa habet supremam potestatem, ipsa debet esse absoluta et independens. Potestas autem dependens, quæ communicatur alteri, pot-

[1] L. c. — [2] Appendix ad Defens. Declarationis *Cleri Gall.*, lib. II, cap. 8. — [3] De supr. Rom. Pontif. Potest., pars 4, quæst. 7, n. 6. — [4] Sess. 14, de Pœnit., cap. 7. — [5] L. c., cap. 5, § 4, n. 6.

erit dici quidem plenaria, sed non suprema; etenim *plenaria* excludit restrictionem, sed non dependentiam; *suprema* vero excludit omnem restrictionem et omnem dependentiam a quocumque superiore; et ideo *plenaria* communicabilis est et revocabilis; *suprema* autem est incommunicabilis et irrevocabilis ab homine. Dico ab *homine;* nam omnis potestas est a Deo; Deus autem, sive Christus, qui est rector rectorum et caput supremum Ecclesiæ invisibile, constituit in terris Pontificem caput supremum visibile, ab omni alio terreno superiore independens.

Respondetur ad alteram dubii partem.

18. Insuper secundo loco objicit *Febronius*, quod verba Tridentini non exprimunt, *quibus gradibus ac quoad quas partes* hæc suprema potestas in universa Ecclesia Pontifici tradita fuerit. — Neque hoc recte opponit; etenim, quum Concilium dixerit, Pontificis potestatem esse supremam, necessario intelligenda est potestas universalis quoad omnes gradus et partes; si enim pro omnibus gradibus et quoad omnes partes non intelligeretur, amplius suprema non esset.

Conclusio.

Ergo, instabit *Febronius*, a Tridentino quæstio decisa est pro Pontifice? — Non est decisa in terminis, neque cum Canone formali, sed decisa est in substantia.

Uno verbo igitur « *suprema* » Concilium hanc quæstionem magnam decrevit? — Utique, respondeo; illo uno verbo « *suprema* » satis decrevit, aut supponit decretam; quia tota quæstio in hoc tantum consistebat, an Pontifex in universa Ecclesia *supremam* potestatem haberet; atque id quippe Concilium declaravit illis verbis: *Pro suprema potestate, sibi in universa Ecclesia tradita.*

II ut certum sit Concilium, judice opus est.

19. Præterea Pontificem superiorem esse Conciliis, duobus validissimis *momentis* probatur.

Primum momentum. — Qui censent Papam subesse Concilio, negare non possunt quod, ut Concilium legitimum sit, oportet ut sit uniforme divinis Scripturis et traditioni Patrum; ut sit convocatum a potestatem habente; ut omnes convocentur, qui illud formare debent; ut dubia fidei sufficienter disserantur; ut in suffragiis præstandis sit in omnibus omnimoda libertas. His positis, si dubium aliquando insurgeret, an in aliquo Concilio omnes istæ conditiones interfuerint, debet profecto existere judex, qui decernat, Concilium legitimum vel illegitimum fuisse. Hic judex nequit esse idem Concilium, de cujus valore fit dubium. Nec potest esse aliud Concilium; nam de isto alio idem dubium fieri posset, et sic procederetur in infinitum. Tunc ergo necessario Papa judex esse debet, prout fatetur eo casu pater Natalis Alexander, qui prius inquit, Concilium generale auctoritatem non a Papa, sed a Christo immediate habere; deinde subdit: *Sed quia conditiones quædam ad Synodum œcumenicam necessario concurrunt, ut scilicet secundum Scripturas sacras, secundum traditionem Patrum, secundum ecclesiasticas regulas, cum plena suffragiorum libertate, consentiente regulariter Summo Pontifice et per se ipsum, vel per legatos, si voluerit, præsidente, et suffragii prærogativâ gaudente, celebretur ab episcopis ex toto orbe christiano convocatis, nemine qui jus habuerit excluso,* ALIQUAM IN ECCLESIA AUCTORITATEM ESSE NECESSE EST, AD QUAM SPECTET JUDICARE AC DECLARARE, QUOD CUM HARUM CONDITIONUM CONCURSU SYNODUS GESTA SIT; *qua ex declaratione christianorum omnium obligatio ad ejus decreta quum de fide, tum de morum disciplinâ recipienda consequitur...* ITA SUMMI PONTIFICIS *est, declarare, quæ Concilia vere œcumenica sint; ad ipsum spectat judicare, an iis instructa sint conditionibus, quæ Concilii œcumenici rationem constituunt*[1].

Conclusio.

20. Itaque, si Papa eo casu potest et debet judicare, an Concilium fuerit legitimum vel non, ergo Papa Concilio non subjicitur, sed præest; sat enim constans juris axioma est: *Lex superioris per in-*

[1] Hist. Eccles., sæc. XV et XVI, diss. 4, a. 1, § 5, n. 46.

feriorem tolli non potest[1]. Et si Papa Concilio præest, debet esse etiam infallibilis; alioquin ejus decisio inanis esset. Præterea ponamus, quod Papa Concilium aliquod illegitimum declaret, et contrà Patres Concilii illud legitimum esse propugnent; si verum esset juxta adversarios, Papam Concilio subesse, ecce tunc in Ecclesia duo suprema capita, et irreparabile schisma.

Prævertitur objectio.

Dicet forte pater Natalis, Papam in eo solo casu infallibilem et superiorem esse Concilio. Sic ipse dicet. — Sed ubi habetur, quod eo solo casu Pontifex Concilio præsit? haud deerunt alii, qui id negabunt; et hoc casu posset schisma usque ad mundi finem persistere. Quis non videt, quod si Pontificis infallibilitas et auctoritas supra Concilium non admittitur, Ecclesia evaderet conventus contentionum, ad quas sedandas nullum suppeteret medium?

III contra certam sententiam non valet dubia exceptio.

21. *Secundum momentum.* — Indubitata est regula, quod quum propositio quædam est universalis et certa, ut ab aliquâ exceptione limitanda sit, exceptio illa nequit habere locum, nisi ipsa æque sit certa ac propositio; secus exceptio dubia propositionem certam universalem infirmare non potest. At certum est, sicut ipsa Concilia superius relata docent, Papam potestatem plenam et supremam habere super universam Ecclesiam; nam in Concilio Nicæno I dictum fuit: *Qui tenet Sedem Romæ, caput est... cui data est potestas... super... universalem Ecclesiam*[2]. — In Concilio Lugdunensi II dictum fuit: *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum... principatum super universam Ecclesiam... obtinet... cum potestatis plenitudine*[3]. — In Concilio Florentino dictum fuit: *Ipsi* (Romano Pontifici) *in Beato Petro... regendi... universalem Ecclesiam a Domino nostro... plenam potestatem traditam esse*[4]. — In Concilio Tridentino dictum fuit: *Pontifices Maximi, pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita, cet.*[5].

Conclusio.

Id non negant nec negare queunt adversarii, nempe quod Papa potestatem habet plenam et supremam super universam Ecclesiam; aliter directe Conciliis contradicerent; sed ajunt, Papam habere tantum potestatem plenam super Ecclesiam universam *dispersam*, non vero super Ecclesiam in Concilio *congregatam*. — Sed hic argumentum meum resumo, et dico: Posito, quod Papa indubitanter super Ecclesiam universam plenam et supremam potestatem obtinet, ut exceptio illa (nempe quod hoc intelligatur de Ecclesia *dispersa*, non autem de *congregata*) locum habere possit, eam uti certam adversarii probare tenerentur; aliter Papam exspoliare nequeunt plenâ illâ et supremâ potestate, quâ eum pollere ipsa Concilia fatentur. Sed quomodo umquam hanc exceptionem uti certam probabunt, dum idem pater Natalis[6] ait, suam sententiam terminos probabilis opinionis non excedere? Et idem episcopus Bossuet declarat in sua *Defensione*[7], quod in congressu episcoporum Galliæ anni 1682, nihil decretum eo animo, ut conscientias constringeret, nec damnando eos, qui contrarium sentiunt. Usquedum igitur hanc eorum exceptionem sive limitationem ut certam non probabunt, pro certo tenendum, quod Papa plenam et supremam potestatem super universam Ecclesiam, tam dispersam quam congregatam, obtinet. Ego videre nescio, quamnam responsionem congruam ad hanc rationem ipsi invenire valeant.

[1] *Clementinar.*, lib. I, tit. 3, *de Electione*, cap. 2. — [2] Can. 39 (Inter *Arabicos*). — [3] Epist. *Mich.* imper. ad *Greg. X.* — [4] Collatio 22, Decret. Unionis. — [5] Sess. 14, de Pœnitentia, cap. 7. — [6] Hist. Eccles., sæc. XV et XVI, diss. 4, art. 3, scholium. — [7] Gallia orthodoxa, dissert. prævia, n. 6.

CAPITULUM V.

PROBATUR SUPREMA PONTIFICIS POTESTAS, ET CONSEQUENTER INFALLIBILITAS, COMMUNI SANCTORUM PATRUM AUCTORITATE.

Invocatur Patrum Traditio.

1. Vidimus, quæ dicunt Concilia de Pontificis Romani infallibilitate et suprema potestate. Observemus modo, quid de his sancti Patres proferant.

Ait *Febronius* [1], adducens verba Vincentii Lirinensis [2], sacras Scripturas non proprio arbitrio, sed juxta Patrum traditionem interpretandas esse. Videamus propterea, quid sancti Patres de Pontificis Romani auctoritate dicant, et incipiamus ab antiquioribus.

S. Ignat. Loquens S. Hieronymus de S. Ignatii martyris epistola, quam misit ad Romanos, hæc nobis tradit: *Nobile Romanæ Ecclesiæ testimonium* (Ignatius [3]) *perhibet, eam sanctificatam, illuminatam,... Deo dignam,... castissimam, Spiritu-Sancto plenam appellans.* Nota hæc postrema verba: « *castissimam* », nimirum, quæ numquam fuit nec erit erroribus fœdata; « *Spiritu-Sancto plenam* », scilicet plenam spiritu veritatis.

Præterea idem S. Ignatius, in alia epistola ad Trallenses scripsit: *Qui igitur his* (nempe Romanis Pontificibus) *non obedierit, atheus prorsus et impius est, et Christum contemnit, et constitutionem ejus imminuit* [4]. Dicit « *constitutionem* », id est statutum Christi Domini, quod omnes ab Ecclesia Romana tamquam capite dependeant.

S. Irenaeus. **2.** Idem expresse scripsit S. Irenæus: *Necesse est... omnes ab ipsa* (Romana Ecclesia) *tamquam a fonte et capite pendere* [5]. Perpende « *necesse est... pendere* ». Deinde addidit: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles; in qua semper... conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio* [6].

Explicantur illa verba.

Nota igitur 1^um^ quod *in Ecclesia Romana traditio, quæ est ab Apostolis, conservata est.* Nota 2° verba: « *Hoc est eos, qui sunt undique fideles* »; his verbis confutatur Febronius [7], qui dicit Papam in aliena diœcesi jurisdictionem exercere non posse; si enim omnes fideles ubique existentes debent ad Ecclesiam Romanam convenire, ergo Papa in quacumque diœcesi, et super quoscumque fideles, immediatam jurisdictionem habet, ut docent Albertus Magnus [8], S. Thomas [9], S. Bonaventura [10], et alii communiter. Ac maxime id declaravit Universitas Parisiensis usque ab anno 1252, in quo consulta, an parocho invito parochianus ejus valeat peccata sua Papæ confiteri, seu pœnitentiariis ejus (vel suo episcopo, aut pœnitentiariis ipsius), atque ab eisdem pœnitentiam recipere, sic respondit: *Dicimus in hoc unanimiter consentientes, prædicta licite posse fieri et debere. Si qui autem dicant contrarium, quantum in nobis est, reprobamus, errorem reputantes.* Ita legitur apud Bulæum [11].

Item in Concilio generali Lateranensi, sub Innocentio III, habetur: *Romana Ec-*

[1] L. c., cap. 1, § 1, n. 2. — [2] Commonitor. primum, n. 27. — [3] Epist. ad *Roman.*, in tit.

[4] Ad *Trallian.*, cap. 7 (Epist. interpolata. Nota edit.).

[5] Adv. Hæres., lib. III, cap. 3. His verbis Card. *Bellarminus* (De Sum. Pontif., lib. II, cap. 15) mentem *S. Irenæi* refert (Nota edit.). — [6] Contra Hæres., lib. III, cap. 3, n. 2. — [7] L. c., cap. 7, § 3. — [8] In 4 Sentent., d. 19, B, art. 10. — [9] Opusc. 19, contr. impugn. cultum Dei et Relig., cap. 4. — [10] In 4 Sentent., d. 19, art. 3; — Quare *Fratres Minores* prædicant; — Exposit. in Regulam *Fratr. Minorum*, Exposit. Confirmationis Regulæ. — [11] Hist. Universit. *Paris*, ann. 1252.

clesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra [1].

Febronii explicatio.

3. Progrediamur ad aliorum Patrum auctoritates. Sed antequam eas exponamus, advertendum quod Febronius videns, Patrum sententias opinioni suæ prorsus adversari, ipse vocat eas « *figuratas aut ampullatas elocutiones* »; en ejus verba: *Quæ hinc inde occurrunt figuratæ aut ampullatæ Patrum elocutiones, substantiam rei non mutant* [2]. Deinde sic scribit: Tituli et dignitates, Romanæ Ecclesiæ sive Pontifici attributæ, nempe Matris et Magistræ Ecclesiarum, Capitis Ecclesiæ, Vicarii Christi, causa fuerunt, ut Patres extenderent pontificiam potestatem [3]; *id ita ferente* (nota ejus verba) *humanæ conditionis infirmitate, quæ ægre intra legitimos fines sese continet; scilicet a proprio et stricto sensu verborum, nonnumquam generalius et sine consideratione aut respectu ad determinata quædam jura, quæ primatui adhærere serius prætensa sunt, prolatorum, argumenta desumuntur pro eorumdem putativorum jurium assertione* [4]. Ergo, juxta *Febronium*, Patrum sententiæ « *ab infirmitate humanæ conditionis* » ortum habuerunt? Ergo dicta Patrum nonnumquam « *sine consideratione* » prolata sunt? Si hoc esset, frustra dehinc Patrum auctoritates adversus hæreticos opponi possent; nam ipsi cum Febronio responderent, Patres *ex infirmitate humanæ conditionis* intra legitimos fines non se continuisse, *et sine consideratione* verba nonnumquam protulisse.

Rejicitur.

Refellitur alia Febronii interpretatio.

4. Prosequitur ibi *Febronius*, adducitque id, quod Græci in Florentino Concilio Romanis objecerunt: *Quæ honoris causa dicta sunt, in consequentiam trahi non debere* [5]. Ergo Patres tantum honoris causa, id est ad Papam adulandum, plura de ipsius auctoritate dixerunt; ideoque de eorum sententiis nulla aut parva ratio habenda erit? — Proinde concludit,[6] quod hujusmodi Patrum sententiæ probabiliter ansam præbuerunt supponendi in Papa auctoritatem, quam non obtinet. En æstimatio, quam novus Patrum censor Febronius de ipsorum auctoritatibus habet! Sed errat; nam sancti Patres non figurate aut ampullose, sed in spiritu veritatis locuti sunt. Scripsit Melchior Canus, nullo modo Sanctorum Patrum doctrinam et traditionem Ecclesiæ divelli et separari posse [7] (*b*). Ipsemet autem *Febronius* [8] laudat verba Vincentii Lirinensis, qui scripsit: *Post Prophetas, Apostolos et Evangelistas, Sanctos quoque Doctores accepimus, quo eorum catholicam, hoc est universalem, intelligentiam, tamquam Ecclesiæ regulam a Deo præscriptam, sequeremur* (*c*). — Idem *Febronius* ibidem refert verba Innocentii III (quæ habentur *in capite 2, de presbyt. non baptiz.*): *Sopitis igitur quæstionibus doctorum, Patrum senten-*

[1] In Concil. *Lateran.* IV, capit. 5. — [2] L. c., cap. 3, § 8. — [3] Cfr. ibid., § 6 et 8 (*a*). — [4] L. c., cap. 3, § 8. — [5] Ibid., § 8, init. — [6] Ibid., n. 7. — [7] De Locis theol., lib. VII, cap. 3. — [8] L. c., cap. 1, § 1.

(*a*) En ipsa ejus verba (§ 8): « Genuina Romanæ Ecclesiæ jura, hactenus relata (quæ licet propriis suis limitibus circumscripta, nihilominus de se magna et omni titulo veneranda esse, nemo negaverit), occasionem dederunt tum Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis, tum ipsis etiam Romanis Pontificibus, ut sæpe de illis illorumque complexu (inter quæ universalis Primatus semper præeminet) amplissimis verbis, præsertim in æstu concertationis, loquerentur et scriberent. Inde novus iterum... titulus extendendæ Pontificiæ potestatis: id ita ferente » cet. ut suprà in textu. — De titulis et dignitate agit § 6 (Nota edit.).

(*b*) « Hæc igitur duo », inquit, « ita sunt connexa atque conjuncta, ut divelli ac dissociari non possint, doctrina sanctorum Patrum et Ecclesiæ traditio » (Nota edit.).

(*c*) Hæc verba apud *Vincentium* frustra quæsivi. Febronius ea a *Melchiore Cano* mutuatus videtur, ideo in errorem inductus, quod *Canus* eodem loco *(de Locis theologicis, lib. VII, cap. 3)* plura *Vincentii Lirinensis* testimonia proferat (Nota edit.).

tias teneas. — Addit insuper verba Concilii Senonensis, ubi dictum fuit: *Hac (Ecclesiâ) enim internuntiâ, Patrum et sacrorum Conciliorum organis Spiritus-Sanctus docet nos omnia;... sine quorum auspiciis, qui Scripturæ Sacræ sensum habere se jactitant, non intelligunt, quæ loquuntur* [1]. — Post hæc ab ipsomet relata, quomodo *Febronius* potuit alibi scribere, elocutiones Patrum circa Pontificis auctoritatem esse *figuratas* aut *ampullatas, ex infirmitate humanæ conditionis et sine consideratione, honoris tantum causa prolatas?*

5. Sed pergamus exponere has *figuratas* aut *ampullatas* Patrum elocutiones.

S. Hieron. S. Hieronymus sic scripsit: *A Pastore præsidium ovis flagito.... Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe Arca non fuerit, peribit, regnante diluvio.... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est* [2]. Omnia verba hæc infallibilitatem et superioritatem supremam Pontificis ostendunt.

Quid de his verbis Febronius. At quid de his dicit *Febronius?* Dicit [3], quod verba præfata Hieronymi sunt *turgida*, quodque in illâ magnâ contentione, quæ tunc aderat inter episcopos circa Dei hypostases, Sanctus Doctor tutius esse judicavit, consulere Papam, licet ejus judicium non esset ineluctabile. Ita *Febronius;* sed mihi videntur verba S. Hieronymi evidenter denotare, quod judicium Pontificis ipse ineluctabile existimabat. — Sed ait *Febronius* [4], S. Hieronymum in tantum judicio Damasi se remisisse, in quantum sciebat (ut in alia epistola expressit) (*a*), totum Occidentem sentire idem quod Pontifex sentiebat. Si hoc esset, respondeo, satis erat Hieronymo scribere ad Damasum se communione ei consociari; sed Sanctus Doctor præfata *turgida verba* scripsit: *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ communione consocior.* Addidit: *Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Addidit: *Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est.* Addidit: *Si quis in Noe Arca non fuerit, peribit.* Addidit: *Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est.* Verba hæc non solum significant, S. Hieronymum judicio Pontificis in eâ quæstione voluisse adhærere, sed etiam ipsi persuasum exploratumque esse, quod quæcumque sententia Pontificis, in materiâ fidei, nullo modo errori poterat esse obnoxia.

Adde huic aliam gravissimam sententiam S. Hieronymi in *Dialogo adversus Luciferianos*, ubi dicit, quod si Pontifici non daretur super Ecclesiam potestas *eminens*, salus non esset in Ecclesia, quia alioquin schismatum multiplicitas vitari non posset; en ejus verba: *Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam et ab omnibus* EMINENS *detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes* [5].

6. Auctoritates S. Cypriani superius *S. Cyprian.* jam allatas, hic repetere non oportet; satis est, de eis tantum tres memorare, in quibus S. Cyprianus, juxta *Febronium*, etiam *turgide* loquitur.

[1] a° 1528, Decreta fidei, cap. 4. — [2] Epist. 15, ad *Damasum*, de trib. Hypost., n. 2. — [3] L. c., cap. 3, § 8, n. 2. — [4] Ibid. — [5] n. 9.

(*a*) Hæc sunt *S. Hieronymi* verba (ep. 17, ad *Marcum* presbyterum): *Hæreticus vocor... si ab Arianis, merito: si ab orthodoxis, qui hujusmodi arguunt fidem, orthodoxi esse desierunt, aut si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso Petroque condemnent.* Quam quidem epistolam scripsit anno 379, tribus annis postquam *Damasum* Papam interrogaverat (ep. 15): *Cathedram Petri et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam... A Pastore, cet.* ut suprà in textu (Nota edit.).

Prima est: *Qui Cathedram... Petri deserit, in Ecclesia se esse confidit?* [1]

Altera: *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare et unum sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit* [2]. En S. Cyprianus quomodo *turgide* loquitur, dum scribit quod *spargit*, qui colligit extra Cathedram Petri, *Domini voce fundatam.*

Tertia est illa: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt,... quam dum... nec unus in Ecclesia... sacerdos et... judex vice Christi cogitatur* [3].

7. Transeamus ad alios Patres.

S. Athanas. S. Athanasius scripsit: *Romanam Ecclesiam semper conservare veram de Deo sententiam* [4].

In eâdem epistola, alloquens Papam, de ipsius infallibilitate dixit: *Tu profanarum hæresum atque imperitorum omniumque infestantium depositor, Princeps et Doctor, Caputque orthodoxæ doctrinæ et immaculatæ fidei existis* [5]. Perpende verba: *Hæresum depositor, Caput orthodoxæ doctrinæ et immaculatæ fidei.*

Et addidit ibidem: *Ob id vos prædecessoresque vestros, apostolicos videlicet præsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit* [6].

S. Gregor. Naz. **8.** S. Gregorius Nazianzenus scripsit: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, et semper* (nota) *eam retinet, sicut decet urbem, quæ toti orbi præsidet, semper integram fidem habere* [7].

S. Optat. Sanctus Optatus Milevitanus, scribens contra Donatistas, post judicium a Melchiade papa latum, dixit nullum remanere dubium: *Melchiadis sententiâ... judicium clausum est* [8].

Idem Sanctus scripsit, haberi tamquam schismaticum, qui diversam doctrinam tenet quam Ecclesia Romana docet: *Ut jam schismaticus... esset, qui contra singularem Cathedram* (Romani Pontificis) *alteram collocaret* [9]. Ergo extra Cathedram Romani Pontificis altera non datur.

S. Cyrillus scripsit: *Petro omnes jure divino caput inclinant, et primates mundi tamquam ipsi Domino Jesu obediunt* [10]. *S. Cyrill.*

Idem S. Cyrillus dixit quod, sicut Pater æternus suo Filio omnimodam potestatem, et nulli alteri, tradidit, ita Christus supremum Ecclesiæ regimen nulli alteri quam Petro et ejus successoribus dedit: *Sicut Christus accepit a Patre... plenissimam potestatem, sic et Petro et ejus successoribus plenissime commisit, et nulli alii quam Petro, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit* [11]. Adverte verba: « *Plenissime commisit, et nulli alii... dedit* »; nimis luculenter S. Cyrillus expressit hic superioritatem Pontificis Romani super Ecclesiam, tam dispersam quam congregatam.

9. Præterea S. Augustinus scripsit: *In quâ* (Romanâ Ecclesiâ) *semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus* [12]. *S. Augustinus.*

Alibi autem explicat idem Sanctus Doctor, hunc principatum Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem continere; ibi enim loquens de quocumque successore S. Petri, ait hanc esse *petram* adversus quam errores fidei prævalere non possunt: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo Patrum, quis cui suc-*

[1] De Unitate Ecclesiæ, cap. 4 (Vide in hoc Volum., pag. 296, not. *a*). — [2] Epist. 40, ad plebem de quinq. presb. schism., n. 5 (*a*). — [3] Epist. 55, ad *Cornelium* Papam, n. 5. — [4] Epist. ad *Felic.* Pap. (Epist. dubiæ auctoritatis. Nota edit.) — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Carminum, lib. II, sect. 1, carm. 11, vers. 568-571. — [8] De Schism. *Donatist.*, adv. *Parmenian.*, lib. I, cap. 24. — [9] Ibid., lib. II, cap. 2. — [10] Lib. Thesaur. Apud *S. Thom.*, opusc. contr. error. Græcor., cap. 32 (*b*). — [11] Ibid. — [12] Epist. 43, ad *Glorium* cet., cap. 3, n. 7.

(*a*) Manutius et Pamelius habent: *super Petrum*; aliæ editiones, quas sequitur Migne (Patr. Lat., tom. IV, col. 336): *super petram* (Nota edit.). — (*b*) Vide in hoc Volum., Tractat. 3, pag. 309, not. *b*.

cessit, videte; ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum Portæ [1].

Idem S. Augustinus alibi scripsit: *In his verbis* (*a*) *Apostolicæ Sedis, tam antiqua atque fundata, certa et clara est catholica fides, ut nefas sit de illâ dubitare christiano* [2].

Et ad Julianum sic scripsit: *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem?* [3]

S. Hilarius. **10.** S. Hilarius scripsit: *Tanta enim ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum, primum Filii Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cælestis regni janitorem, et in terreno judicio judicem cæli, Satanæ convicio nuncuparet* (*b*) [4].

S. Beda Vener. Venerabilis Beda scripsit: *Specialiter* (Petrus) *Claves regni cælorum et principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales... nec januam possint regni cælestis ingredi* [5].

S. Petrus Chrysol. S. Petrus Chrysologus, antistes Ravennatensis, Eutycheti ad ipsum recurrenti, tempore quo ille renuebat Pontifici obtemperare, sic respondit: *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ a Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam* (nota) *Beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem* [6]. Et deinde subdidit: *Nos enim pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanæ civitatis Episcopi, causas audire non possumus* [7].

11. S. Fulgentius scripsit, esse tam certas Pontificis definitiones, ut omnia, ab ipso tradita, omnis christianus orbis sine hæsitatione amplectatur: *Quod... Romana... tenet et docet Ecclesia, totusque cum eâ christianus orbis... nihil hæsitans credit* [8]. *S. Fulgent.*

S. Gregorius Magnus scripsit: *Quis enim nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam?... Cui Veritatis voce dicitur: « Tibi dabo Claves regni cælorum* [9]. Quamobrem Ecclesiæ soliditas a soliditate Petri dependet. *S. Greg. M.*

Idemque Pontifex, in epistolâ ad Galliæ episcopos, scripsit, quod occurrente quæstione aliquâ in materiâ fidei, Sedi Apostolicæ retulissent, ut ab ipsâ definiri sine dubio potuisset: *Si quam vero contentionem... de fidei causâ evenire contigerit,... ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congruâ sine dubio sententiâ terminari* [10]. Notentur verba: « *sine dubio terminari* ».

S. Anselmus dicit, Christum Pontifici Romano Ecclesiam suam regendam commisisse; unde subdit: *Ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur* [11]. *S. Anselm.*

S. Bernardus, loquens de S. Petro, ait: *Qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet* [12]. — Item scripsit: *Nulli dubium est, quod ea, quæ apostolicâ firmantur auctoritate, rata semper existunt, nec alicujus possunt deinceps mutilari cavillatione* [13]. Præterea S. Bernardus scripsit magnum illud dictum, nempe quod infallibilitas Pontificis ex constantissima *S. Bernard.*

[1] Psalmus contra partem *Donati*, — [2] Epist. 190, ad *Optatum*, cap. 6, n. 23. — [3] Opus imperf. contr. *Julian.*, lib. II, cap. 103. — [4] Tract. in Ps. 131, n. 4. — [5] Homil. lib. II, homil. 16, in Natal. *SS. Petri et Pauli.* — [6] Epist. ad *Eutychet.* — Concil. *Chalced.*, p. 1. — [7] Ibid. — [8] De Incarn. et Grat. Christi, cap. 11 (alias epist. 17 ad *Petr. Diacon.*, cap. 11, n. 21). — [9] Epist. lib. VI, ep. 37 (al. lib. VII, ep. 40) ad *Eulogium.* — [10] Epist. lib. IV, ep. 52 (al., lib. V, ep. 54) ad regni *Childeberti* Episcopos. — [11] De Fide Trinitatis et de Incarnat. Verbi præfat., Epist. ad *Urbanum* Papam. — [12] De Considerat., lib. II, cap. 8, n. 16. — [13] Epist. 337 (alias 370) ad *Innocentium* Papam, n. 1.

(*a*) Id est S. Zosimi papæ, cujus verba, ad suam argumentationem roborandam, Augustinus protulerat (Nota edit.).

(*b*) *Matth.*, XVI, 23: *Qui conversus, dixit Petro: Vade post me, Satana, cet.* (Nota edit.).

et perpetua traditione ostenditur: *Infallibilitatis pontificiæ prærogativam constantissima perpetuaque Sanctorum Patrum traditio commonstrat* (*a*).

Idem scripsit Melchior Canus: *Constat autem... Romanos Episcopos Petro in... fidei magisterio successisse, ab Apostolis esse traditum* [1].

S. Thomas. **12.** Præterea S. Thomas, qui omnium Patrum opera evolvit, nullamque propositionem ut certam asseruit, in quâ sancti Patres concordes non fuerint, sic scribit: *Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur; quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice* [2].

Atque prius Sanctus Doctor jam dixerat, quod in Ecclesiâ unitas fidei esse non posset, *nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum* (scilicet per Papam), *qui toti Ecclesiæ præest* [3].

S. Bonav. Idem scripsit S. Bonaventura: *Papa non potest errare, supposito... quod intendat facere dogma fidei, cet.* [4]. Hinc scripsit Duvallius, loquens de sententia opposita: *Nemo nunc est in Ecclesia, qui ita pro certo sentiat, præter Vigorium et Richerium, quorum si vera esset sententia, totus fere orbis christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret* [5]. Hicque transeunter advertatur, Richerium postea suam illam opinionem expresse revocasse in vitâ et in morte.

Suarez. Pater Franciscus Suarez, scribens adversus impugnantes Pontificis infallibilitatem, ait quod eorum opinio *non solum (est) nimis temeraria, sed etiam erronea...; jam vero tam est... catholicorum scriptorum concors de hac veritate sententia, ut eam in dubium revocare, nullo modo liceat* [6].

Bannez. Idem scripsit pater Bannez dominicanus [7]; *Bellarmin.* et cardinalis Bellarminus scripsit, quod opposita sententia *videtur omnino erronea et hæresi proxima* [8]; refertque idem Bellarminus, Joannem Calixtum Lutheranum sic scripsisse: *Negari non posse, si Christus suo loco Romanum Pontificem universæ per orbem Ecclesiæ præfecit, ideo præfecisse, ut controversias fidei sententiâ falli nesciâ decideret ac terminaret, cui mentes fidelium adhærere oporteat* [9].

Sed quod mirabilius est, en quod scripsit Joannes Parisiensis de infallibilitate et suprema potestate Papæ, antequam Sedi Romanæ infestus esse inciperet: *Divideretur Ecclesia, nisi per unius sententiam unitas servaretur; hic autem principatum hujusmodi habens, est Petrus successorque ejus* [10].

Triumph. Adde Augustinum *Triumphum* [11], doctorem Academiæ Parisiensis, qui scripsit hæresim esse, Pontifici aliquid de fide decernenti non adhærere.

Conclusio. **13.** Auctoritates autem superius relatæ Sanctorum Patrum patenter ostendunt, Pontificem infallibilem et Conciliis superiorem esse. Sed, ut notavimus, illæ respectu ad Febronium nihil valent, quia sunt (ut ait) *elocutiones figuratæ aut ampullatæ*. Scire vellem, quasnam auctoritates aut probationes afferre deberemus ad Febronium suadendum.

Febronii fallaciæ. Textus Scripturarum a nobis suprà adducti, quoad eum non probant; nam pro libito ipse eas interpretatur, et sic nihili facit. In Evangelio S. Matthæi dicitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædi-*

[1] De Locis theol., lib. VI, cap. 7. — [2] 2ª 2æ qu. 11, art. 2 ad 3. — [3] Ibid., qu. 1, art. 10. — [4] *Petr. Trigosus*, Ord. Capuc., *S. Bonaventuræ* Summ. theol., qu. 1, art. 3, dub. 3, quintus locus. — Cfr. *S. Bonav.* (Noviss. edit., *Ad Claras Aquas*, 1891, tom. V). Quæst. disputat. IV, art. 3, de obedientiâ Summo Pontifici debitâ. — [5] De supr. Rom. Pontif. potest., p. 4, qu. 7, n. 3. — [6] Tract. de Fide, disp. 20, sect. 3, n. 22. — [7] In 2ªm 2æ, qu. 1, art. 10, dubit. 2, concl. 4. — [8] De Sum. Pontif., lib. IV, cap. 2. — [9] Vindiciæ *Bellarminianæ* R. P. *Viti Erbermanni, S. J.*; de Rom. Pontif., lib. IV, cap. 2. — [10] De Potest. regia et papali, cap. 3. — [11] De ecclesiast. Potest., qu. 10, art. 3.

(*a*) Vide pag. 348 hujus Voluminis.

ficabo Ecclesiam meam [1]. Vidimus, quod Sancti Patres communiter pro *petra* intelligunt Petrum, seu Cepham; sed quia hæc interpretatio Febronio non arridet, ideo hic textus nihil ipsi probat. In Evangelio S. Joannis a Christo dicitur Petro: *Pasce oves meas* [2]. Quibus verbis communiter Patres ajunt, Petro principalem ovilis Christi curam fuisse commissam; sed nihil etiam respectu ad *Febronium* id probat; et sic pariter alias Scripturas ipse despicit.

Nec etiam quoad ipsum valent dicta Conciliorum, quæ suprà retulimus, eo quod (ut ipse ait) hæc Concilia locuta sunt in sæculis obscuris, sæculis ignorantiæ, in quibus latebant veritates, quæ postmodum a *Febronio* detectæ fuerunt.

Denique sententias sanctorum Patrum nec etiam ipse magni facit, quoniam Patres locuti sunt *figurate aut ampullose*, nempe per hyperbolas et exaggerationes.

Scripturæ itaque non valent pro nostra sententia, quia non probant *Febronio;* nec officit ei, quod Patres pro nobis communiter eas interpretantur. Concilia nec etiam valent, quia locuta sunt ex ignorantia in sæculis tenebrosis. Sententiæ sanctorum Patrum, per quos (ut testatur S. Bernardus suprà laudatus) *constantissima et perpetua traditio* habetur de infallibilitate Pontificis Romani, et consequenter de ejus supremâ potestate supra Concilia, nec etiam valent, eo quod sunt *elocutiones figuratæ aut ampullatæ.* Peto a *Febronio*, quænam alia momenta invenire poterimus, ut veritatem assequamur? Sed nemo nos corripiet, si non ejus dicta, sed potius sectari eligimus oracula Conciliorum œcumenicorum, quæ non quippe ex ignorantiâ, sed ex assistentiâ Spiritus-Sancti locuta sunt, et sententias sanctorum Patrum, qui non *figurate aut per exaggerationes*, sed spiritu veritatis ducti, sua dicta protulerunt.

CAPITULUM VI.

PROBATUR RATIONE, PONTIFICIS ROMANI POTESTATEM IN ECCLESIA ESSE SUPREMAM.

De regimine monarchico.

1. Docet S. Thomas, regimen monarchicum esse omnibus aliis perfectius: *Optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum;... pax enim et unitas subditorum est finis regentis; unitatis autem congruentior causa est unus quam multi* [3]. Idem olim scripsit Plato: *Unius dominatio, bonis instructa legibus, sex illarum omnium optima est;... gubernationem vero eam, in quâ non multi imperant, mediam censere debemus...; ceterum multorum administrationem omnibus in rebus debilem* [4]. Aristoteles pariter, postquam tres gubernii formas adduxerat, scribit: *Harum optima regnum* [5]. Idem dixit Plutarchus: *Si optio eligendi concessa fuerit, non aliud deligat quam unius potestatem* [6]. Et ita etiam Euripides [7], Isocrates [8], Stobæus [9], et alii philosophi gentiles locuti sunt.

Disserens autem S. Thomas particulariter de rebus fidei, dicit: *Circa vero ea quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur* [10]. Hinc angelicus Doctor statum Ecclesiæ omnino monarchicum existere fundat.

[1] *Matth.*, XVI, 18. — [2] *Joan.*, XXI, 17. — [3] Contra *Gent.*, lib. IV, cap. 76. — [4] De Regno. — [5] Ethic., lib. VIII, cap. 10. — [6] De Monarchia. — [7] In *Phœnicis*, vers. 503-506. — [8] *Nicocles.* — [9] Sententiæ ex thesauris Græcorum delectæ, interprete *Conrado Gesnero Tigurino;* sermo 45. — [10] L. c.

Idque prius docuit S. Cyprianus: *Unus igitur omnium Dominus est Deus;... ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum:... rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus* [1].

Idem scripsit S. Joannes Chrysostomus, ubi loquens prius de anarchia, id est de carentiâ principatus, dicit, eam esse *argumentum subversionis;* deinde necessitatem unius rectoris sic describit: *Si navigio* (ait) *ademeris gubernatorem, navem demerges...; si a grege pastorem abstuleris, omnia evertisti* [2].

Cur ceteris præferendum.

Ratio autem, cur regimen monarchicum aliis præferatur, est quia monarchia, quæ ab uno solo pendet, difficilius quam aristocratia dependens a pluribus, dividi et destrui potest; difficilius enim simplex unitas dividitur quam multitudo, licet hæc ad unionem conspiret. Et revera omnia symbola, quibus in Scripturis denotatur Ecclesia, nimirum regni, navis, arcæ, ovilis, domus, aciei ordinatæ, omnia necessitatem unius rectoris significant.

Ex historia autem patet, regimen monarchicum omnibus aliis fuisse melius; et aristocraticum sæpe dissensionum, immo aliquando exterminii imperiorum causam exstitisse.

Ex communi sententia illud est Ecclesiæ regimen.

Corpus quidem Ecclesiæ mysticum numquam potest esse unum, nisi unum præsit visibile caput, a quo corpus Ecclesiæ regatur. In antiquâ Lege Dominus sic præcepit: *Amarias autem, sacerdos et pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit; porro Zabadias, filius Ismahel, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent* [3]. Si ergo in Lege antiquâ unus sacerdos præesse debuit divinis rebus, quanto magis id locum habere debet in Lege novâ, quæ antiquæ perfectio et complementum est? Hinc communiter doctores, ut *S. Thomas* [4], *Gerson* [5], *Bellarminus* [6], *Duvallius* [7], *Gretserus* [8], *Sanderus* [9], *Charlas* [10] et alii (nec contradicunt *Dupinus* [11] et *Richerius* [12]), docent, regimen Ecclesiæ esse monarchicum, cum duplici tamen discrimine a gubernio monarchico temporali: primum, quia episcopi, licet Papæ subjecti, non sunt tamen ejus vicarii, sed ordinariâ potestate suas regunt Ecclesias; secundum, quia nec Papa, nec episcopi, hæreditariâ successione suas dignitates acquirunt, ut reges, sed ex omni classe fidelium eliguntur.

Hæc sententia teneri debet.

2. Omnino igitur principatum Ecclesiæ monarchicum esse tuemur cum S. Thoma, ut suprà, et S. Antonino [13], et aliis pluribus, inter quos pro omnibus valeat unus *Joannes Gerson*, qui pertingit ad asserendum, hæreticum esse, qui Pontificis statum pertinaciter negaret esse monarchicum. En ejus verba: *Status papalis institutus est a Christo supernaturaliter et immediate, tamquam primatum habens monarchicum et regalem in ecclesiasticâ hierarchiâ, secundum quem statum unicum et supremum Ecclesia militans dicitur una sub Christo; quem primatum quisquis impugnare, vel diminuere, vel alicui ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, schismaticus, impius atque sacrilegus. Cadit enim in hæresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiæ usque hodie, tam per institutionem Christi de principatu Petri super alios Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis suis et generalibus Conciliis* [14]. Inquit igitur *Gerson*, tam institutione Christi quam traditione Ecclesiæ de hæresi notandum,

Gersonii testimonium.

[1] De Idolor. Vanitate, cap. 8. — [2] In Ep. ad *Hebr.*, homil. 34, n. 1. — [3] II Paral., XIX, 11. — [4] Contra *Gent.*, lib. IV, cap. 76. — [5] De Statib. ecclesiast., Considerat. super Stat. Summ. Pontif., consid. 1. — [6] De Sum. Pontif., lib. I, cap. 9. — [7] De supr. Rom. Pontif. Potest., p. 1, qu. 2, n. 4 seq. — [8] Commentarius Exegeticus, cap. 9, de Primatu Summi Pontificis (*Jac. Gretserus, S. J.*, tom. VII, Defensio Romanorum Pontificum, Ratisbonæ 1736). — [9] De visib. Monarch., lib. V. — [10] De Libertatib. Eccl. *Gallic.*, lib. XII, cap. 2 et 5. — [11] De antiq. Eccl. discipl., diss. 4, cap. 2, § 3. — [12] De eccl. et polit. Potest., cap. 3. — [13] Summa, p. 3, tit. 22, cap. 2, § 3. — [14] De Statib. eccl., Considerat. super Statum Summi Pontif., consid. 1.

qui statum papalem negat esse monarchicum; quum enim Petrus Ecclesiæ fundamentum totiusque ovilis pastor a Christo fuerit deputatus, merito infertur, supremam potestatem ipsi ejusque successoribus traditam fuisse. Hæc famosa *Gersonii* sententia, tam validâ ratione probata, ad compescendos negantes monarchicum Papæ regimen potissimum valet.

Explicatur nostra sententia.

3. Tanto magis, quod nec Papa, nec quivis temporalis monarcha, potestatem supremam talem habet, ut quidquid velit, ad libidinem agere valeat; habent enim ipsi potestatem supremam, quodammodo moralem, quâ possunt independenter quidem ab assensu aliorum facere omnia, sed ea tantum, quæ consona videntur rationi. Præterea quivis monarcha, directive et ordinarie loquendo, legibus sui regni conformare se debet; potest tamen in illis semper dispensare. Præterea convenit principi, consilium a sapientibus exquirere et sequi; idque præsertim Papa ordinarie in usu habet, cardinales aliosque prælatos in negotiis majoris momenti consulendo. Verumtamen falsum et perniciosum principium illud *Gersonii* fuit, nempe quod monarcha a suâ natione legitime judicari possit; nam (ut ait), quum natio sit totum respectu principis, qui tantum est pars, in natione suprema auctoritas manet. Principium dixi falsum regnisque infestissimum; sic enim subditis seditiones commovendi in principem occasio præberetur, semper ac ipsi principem injusta præcipere putarent.

Febronii explicatio.

4. *Febronius*[1] autem supremam potestatem apud Ecclesiam existere adstruit; Pontifici tantum attribuit primatum, quo tamquam caput ministeriale corporis Ecclesiæ, idest tamquam Ecclesiæ minister, potest dumtaxat, casu quo Concilium sine magna difficultate congregari nequit, leges aliquas generales indicere; sed illæ robur non habent, nisi communi consensu aliorum recipiantur; potest etiam (ait) in controversiis fidei aut morum aut disciplinæ, suas definitiones ferre; et illis, juxta *Gersonium*[2], provisorie obtemperandum est, ad non dogmatizandum oppositum; tamen ipsæ non sunt irrefragabiles, nec obligant, si Ecclesia reclamat. Dicit etiam, causas majores referendas esse ad Pontificem, sed non quidem ut quæstiones suo judicio terminentur, sed tantum ut sic Ecclesiæ dissitæ conferre inter se, communique bono consulere possint. Addit, muneri Pontificis annexam esse sollicitudinem, ut Canones ubique observentur, fidei integritas custodiatur, ritus substantiales in Sacramentis ministrandis adhibeantur, et unam sanam doctrinam omnes profiteantur. Ceterum *Febronius* vult, primatum Papæ non esse potestatis et jurisdictionis super alias Ecclesias, sed directionis tantum et vigilantiæ; unde scribit, non posse Pontificem condere leges pro totâ Ecclesiâ obligantes, nec responsa ipsius obligationem strictam inducere; et ideo reprehendit episcopos, qui omnimodæ obedientiæ Pontificis se subjiciunt[3].

Ejus explicationem rejiciunt: a Doctores *Gallicani*.

5. Sed hujusmodi *Febronii* opiniones nec sententiis Conciliorum, ut vidimus, nec dictis Patrum, nec ipsius Gallicanæ Ecclesiæ sensui consonant; Facultas enim Parisiensis, anno 1617, damnavit ut hæreticam propositionem *Marci Antonii de Dominis*, qui dicebat, Papam non habere jurisdictionem de jure divino super alias Ecclesias[4]; et jampridem eadem Facultas, anno 1543, sic declaraverat: *Nec minus certum est, unum esse jure divino summum in Ecclesiâ Christi militante Pontificem, cui omnes christiani parere tenentur*[5]. Et ideo *Febronius*[6] reprehendit Gallos primatum jurisdictionis Papæ concedentes, dicens, hoc posito, resipiscentiam et reductionem Protestantium ad Ecclesiam Catholicam nequaquam posse obtineri.

[1] Cap. 1 et 2. — [2] De examinat. doctrinarum, consid. 2. — [3] *Febr.*, l. c., cap. 2 et 8. — [4] Apud *Duplessis d'Argentré*, Collectio judicior., t. II, pars 2, pag. 103. — [5] Apud *Maucler.*, de Monarch., p. 4, lib. VIII, cap. 6. — [6] L. c., append. 2.

b sanæ mentis rationes.

Sed in omnibus his *Febronius* errat; contradicit enim (ut dixi) Conciliis, sanctis Patribus, et evidenti rationi; ratio quippe, cur Pontifici suprema potestas attribuenda sit, patet ex eo, quod Patres communiter tradunt, nempe ideo in Ecclesiâ unum caput et pastorem constitutum fuisse a Christo, ut sic schismata removeantur et unitas fidei ubique servetur; nam, ubi in quæstionibus ultimum judicium a pluribus dependet, impossibile est, omnes contentiones et dissidia evitare. Dicit Apostolus: *Unus Dominus, una fides* [1]. Hinc merito scribit Bellarminus [2], quod non potest fides esse una, nisi unus sit judex, cui omnes parere tenentur. Id enim patet ex ipsis hæreticis, quorum unusquisque diversam componit sectam, eo quod unum judicem non habent; nam, ubi sunt multi pares et res est obscura, difficulter unus alterius judicio ultro se subjicit.

c SS. Patres. *S. Hieron.*

En quomodo S. Hieronymus id expresse manifestat: *Super Petrum fundatur Ecclesia; licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti Claves regni cælorum accipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim* (nota) *unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio* [3]. Quamvis igitur Apostoli, tamquam primi Evangelii fundatores, æque ac Petrus potestatem a Christo acceperint, attamen Petrus omnibus præficitur, ut lites removerentur. Ad lites autem et schismata removenda, non sufficit caput ministeriale, sed requiritur, dicit S. Hieronymus in alio loco, potestas super omnes alias *eminens;* alioquin, quot sacerdotes, tot schismata stabunt: *Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non* EXSORS *quædam et ab omnibus* EMINENS *detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes* [4].

6. Idem scripsit S. Optatus Milevitanus: *S. Optat.* *Negare non potes, scire te, in urbe Româ Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est; in quâ unâ Cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quæ est prima de dotibus* (nempe quod sit unica), *sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus,... Damaso Siricius, hodie qui noster est socius, cum quo nobis* (*a*) *totus orbis commercio formatarum* (*b*) *in unâ communionis societate concordat. Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare* [5]. Docet igitur hic S. Optatus, quod Cathedra Petri et successorum est unica constituta, ut unitas in Ecclesia ab omnibus servetur; et ideo schismaticus est, qui alteram præter Cathedram Petri collocat. Quid amplius, quæso, proferre poterat, ut auctoritatem pontificiam esse supremam, independentem et infallibilem ostenderet?

Idem prius significavit etiam S. Ire- *S. Irenæus.* næus, scribens: *Ad hanc enim Ecclesiam* (Romanam) *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles; in quâ semper... conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio* [6]. Perpende

[1] *Ephes.*, IV, 5. — [2] De Sum. Pontif., lib. I, cap. 9. — [3] Adv. *Jovinian.*, lib. I, n. 26. — [4] Dialog. adv. *Luciferianos*, n. 9. — [5] De Schism. *Donatist.*, adv. *Parmenian.*, lib. II, cap. 2 et 3. — [6] Contra Hæres., lib. III, cap. 3, n. 2.

(*a*) Alii legunt *nobiscum* (Nota edit.).

(*b*) *Ferraris* (Bibliotheca Canonica; art. *Epistolæ ecclesiasticæ*): « *Formatæ* epistolæ erant », inquit, « quas nonnisi Primates ac Metropolitæ Episcopis sibi obnoxiis, Episcopi Clericis suis alio peregrinaturis largiebantur... Ne qua fraus hæreticorum intercederet, formatarum scribendarum formula certa concepta est a Synodo Nicænâ ». — Item conferri potest: *Cabassutii Notitia ecclesiastica;* sæcul. secund. Dissert. VII: *De literis formatis seu Canonicis* (Nota edit.).

illud « *necesse est convenire* »; quod importat, omnes Ecclesias teneri ad sentiendum ut sentit Romana; et illud « *in qua semper conservata est traditio* »; in his duabus partibus expresse suprema potestas Pontificis, et ejus infallibilitas, demonstratur.

d Ipsi adversarii.

7. Insuper observo, quod tandem ipsi adversarii necessitatem unius capitis supremi agnoscunt et fatentur. Unus eorum, nempe auctor *Instructionum circa Sanctam Sedem*, sic loquitur (verbis ex gallico in latinum idioma traductis): *Incontrovertibile est, quod si Christus Jesus, concedendo æqualitatem potentiæ omnibus episcopis, medium non accepisset unum inter ipsos eligendi, cui omnes adhærendo, eum tamquam caput respicerent, brevi tot schismata orta fuissent, quot episcopales Cathedræ exstarent* (*a*).

e Ipse suam explicationem refellit *Febronius.*

Idem fatetur ipse *Febronius*, dicens, ne Ecclesia vacillaret, Petrum fuisse a Christo caput Ecclesiæ constitutum: *Petrum reliquis Christus prætulit,... sicque caput suæ Ecclesiæ dedit, sine quo corpus non potuisset non sæpius nutare* [1]. Idem dicit: *Causa instituendi inter Apostolos... primatûs est bonum unitatis..., sine quo impossibile est Ecclesiam subsistere* [2]. Idque ibi probat auctoritatibus S. Hieronymi et S. Optati, quas mox suprà adduximus. Et ibi addit, quod eadem ratio unitatis, ob quam unus Petrus a Christo fuit pastor et caput Ecclesiæ constitutus, effecit etiam, ut ejus principatus esset perpetuus in Ecclesiâ; quandoquidem ille non fuit Petro collatus pro sua peculiari personâ, sed in Ecclesiæ favorem; quapropter oportuit, ut talis principatus perduraret usquedum perdurabit Ecclesia, nempe usque ad finem sæculorum. Præterea *Febronius* hoc principium statuit: *Omnia illa et sola esse essentialia jura primatûs, sine quibus unitas non potest servari* [3]. Omnia hæc a Febronio prodita suadent, quod primatus Pontificis omnino debet esse supremus, quia aliter *corpus* (utor eisdem ipsius verbis) *non potuisset non sæpius nutare;* aliter *impossibile est, Ecclesiam subsistere;* aliter *unitas non potest servari.* En quomodo *Febronius* suis ipsis verbis se confutat.

Conclusio.

8. His enim positis, quomodo potest *Febronius* deinde concludere, primatum pontificium esse mere ministerialem, ejusque judicium esse fallibile ac judicio Ecclesiæ subjectum? item Papam non posse condere leges, et tanto minus ad eas obligare fideles? Quomodo cum tali primatu posset corpus Ecclesiæ *non sæpius nutare?* quomodo *Ecclesia subsistere?* quomodo *unitas servari*, et divisiones ac schismata evitari? Evitabuntur fortasse cum Conciliis generalibus? Sed si Concilia congregari non possent, prout non potuerunt per tercentos annos in primis Ecclesiæ sæculis, dum gentiles imperatores dominabantur? Quomodo eo casu, irruente aliquo errore contra fidem, promptum remedium præstabitur? Tunc, ait *Febronius* [4], Papa sententiam suam cum omnibus aliis christiani orbis Ecclesiis conferre debet, illarumque sententias colligendo, conclusionem deinde tenetur ipse promulgare, ut ab Ecclesiis acceptetur; et ita audenter asserit, in primis tribus sæculis factum esse; asserit, sed non probat, ut videre est loco citato. Contrà vero certum est, omnes hæreses, quæ primis temporibus prodierunt, a Pontificibus fuisse proscriptas, nimirum *Nicolaitarum, Ebionistarum, Marcionistarum, Montanistarum, Tertullianistarum, Origenistarum*, et aliorum plurium. S. Augustinus, reprobans opinionem eorum, qui dicebant, opus esse Concilio ad quamcumque hæ-

Exempla ex historia.

a Antiquæ hæreses.

[1] L. c., cap. 2, § 1, n. 3. — [2] Ibid., § 2. [3] Ibid., § 4, init. — [4] L. c., cap. 4, § 2, n. 7.

(*a*) *Istruzioni intorno la Santa Sede, tradotte dal Francese* (Prohib. Decr. S. Off. fer. V, 4 Jul. 1765). — *L'Esprit de Gerson, ou Instructions catholiques touchant le saint siège* (Decr. S. Off., 22 Apr. 1704 [*Eustache Le Noble*] (Nota edit.).

resim damnandam, scripsit: *Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, quum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit* [1].

Sozomenus, loquens de quæstione olim habita circa divinitatem Spiritûs-Sancti, scripsit: *Quæ controversia, quum in dies magis cresceret, Episcopus Romanus, de eâ certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, ut Trinitatem et consubstantialem esse, et gloriâ æqualem existimarent; quo facto, utpote controversia* JUDICIO ROMANÆ ECCLESIÆ *terminata, singuli quievere* [2].

Præterea, in Concilio œcumenico VIII, celebrato sub Adriano II, anno 869, prolatum fuit: *Retro olimque semper, quum hæreses et scelera pullularent, noxias illas herbas et zizania Apostolicæ Sedis vestræ (Romanæ) successores exstirparunt* [3].

b Bulla *Unigenitus.*

9. Quisque suadere omnino sibi debet, quod rumores sedare per dispersarum Ecclesiarum sententias circa aliquam urgentem fidei controversiam, sine Pontificis infallibili definitione, est moraliter et plus quam moraliter impossibile. Unum pro omnibus sufficiat exemplum. Bulla *Unigenitus* fuit quidem ab omnibus principalibus catholicis Ecclesiis acceptata (prout ostendit cardinalis *de Bissy*, particulari libro typis edito [4]), et præsertim ab episcopis Galliæ in concilio *Eburodunensi*, ac in pluribus eorum congressibus acclamata fuit ut dogmatica; nihilominus habueruntne finem rumores? — Remotius exemplum est illud, quod evenit in Ecclesiâ Græcâ post Synodum Florentinam: in eo Concilio latina et græca Ecclesia jam convenerunt; plures et magnæ inter ipsas contentiones intercesserunt, sed demum Concilii decretis omnes acquievere. Hic primo quæro: si nulla ex iis Ecclesiis cedere umquam alteri voluisset, et defuisset Papa, qui ut supremus judex quæstiones valuisset terminare, quomodo schismati reparatum fuisset? Dico præterea: quamvis Græci tunc Concilii decreto acquieverunt, attamen, peto, quanto tempore pax ista permansit? vix ad reditum in Græciam *Marci* metropolitani *Ephesini* a Concilio, ipse iterum suos Græcos ad priscos errores resumendos induxit. Quomodo *Marcus* alios pervertit, non obstante Concilio œcumenico celebrato? pervertit quidem dicendo, quod ex unâ parte ipsi Pontifici parere non tenebantur, eo quod Papa non est nisi Romæ patriarcha, ut Græci schismatici tenent; ex aliâ dicebat, Concilium non fuisse legitimum, et ita nec Pontifici, nec Concilio obedientiam præstandam esse concludebat. Et sic pariter alii hæretici, etiam post celebrata Concilia, fecerunt, obstinati in suis erroribus persistentes. At si omnes fideles communiter tenerent pro certo (prout revera certum est), Papam esse supremum quæstionum fidei judicem, et ejus judicia infallibilia esse, non amplius in Ecclesiâ adessent neque schismata, neque schismatici, nisi illi tantum, qui ex merâ obstinatione veritatem agnitam oppugnare vellent. Ideo repeto quod, sublatâ infallibilitate Pontificis et ejus supremâ potestate, aliud medium ad incredulos convincendos non suppetit.

c *Graecorum* Schisma.

Objectiones cum responsis.

10. Dicunt: Papa est homo fallibilis. — Et episcopi in Concilio congregati, nonne etiam sunt homines fallibiles? — Respondent, quod solis judicibus in Concilio generali congregatis infallibilitatis promissio facta est. — Sed hoc quomodo probant? non probant Scripturis; non probant Conciliis (excepto illo Basileæ, quod illegitimum fuit, ut a nostris auctoribus evidenter demonstratur); non probant sententiis sanctorum Patrum, quia Patres sunt contrarii. — Nequaquam, exclamant; Scripturæ, Concilia, Patres pro nobis sunt. — Et ideo, cum admiratione observo, progrediuntur ad afferendas pro ipsis illas easdem sententias, quæ eis magis obstant et ora eorum magis obturare deberent. Omnis eorum industria, ait quidam do-

[1] Contr. duas epist. *Pelagianor.*, lib. IV, cap. 12, n. 34. — [2] Hist. Eccles., lib. VI, cap. 22. — [3] Relat. in Concil. VIII, Actio 3. — [4] *Instruction pastorale au sujet de la Bulle « Unigenitus »*.

ctus auctor, consistit in sententiis tergiversandis, dentibus illas ad eorum sensum trahendo, vel explicando per quasdam vanas distinctiunculas ex eorum cerebris inventas ad veritatem eludendam; et postea clamant et contendunt, Patres dixisse ea, quæ ipsi a Patribus dicta fuisse fingunt, atque sic victoriam sibi canunt, concludendo: *Clarum est, probatum est, nulla responsio aut dubium remanet, quod pontificiæ definitiones non sunt irrefragabiles, et quod Concilium est supra Papam.* Sed si hæc nullus Patrum asserit, quid ipsis proderit adducere S. Cyprianum, S. Hieronymum, S. Augustinum, S. Gregorium, et alios, quum sancti Patres tradunt oppositum ad ea, quæ ipsi vellent ut Patres dicerent, sed non dicunt?

Ratio necessitatis evolvitur.

11. Sed redeamus ad punctum. Ponamus casum, quod ad aliquam hæresim proscribendam Concilium adunetur, et Concilium non sit a Papâ nec convocatum nec confirmatum; si postea episcopi congregati manerent discordes, peto, quisnam controversiam decernet? — Dicent: sufficit, quod major eorum pars conveniat. — Nego; nam etiam major pars errare potest, ut comprobatum est in Concilio Ariminensi et Ephesino II.

Præterea ponamus, quod episcopi in hujusmodi Concilio sint concordes, sufficietne Concilium illud ad quæstionem eliminandam? nequaquam profecto, quia contradictoribus ad illud infitiandum non deerunt prætextus, dicendo, Concilium non fuisse legitimum, vel ob defectum libertatis in tradendis suffragiis, vel ob defectum ordinis respectu illorum, ad quos suffragia dare spectabat (tanto magis, quod *Febronius* nollet laicos a Concilio excludi), vel ob defectum examinis circa puncta, quæ discuti debebant. Hinc manifestum fit, quod nullum superest medium compescendi quæstiones fidei et hæreticos convincendi, si suprema Papæ auctoritas ejusque judicium irrefragabile non admittitur.

Ultima *Febronii* effugia.

Præterea *Febronius* ait, quod si papa adest in Concilio, debet quidem suam sententiam manifestare, *non vero præscribere et dictare ea, quæ collegiali judicio decidenda sunt, aut dominari sive apertis modis, sive obliquis viis, aut secretis motibus.* Hoc posito, si Concilium Pontificis sententiæ adhæret, dissidentes numquam per decreta Concilii convinci poterunt; semper enim opponere possent, Concilium fuisse illegitimum, quia *obliquis viis et secretis motibus* illud Papa dominatus fuerit. Denique, si aliud hæretici objicere Concilio non poterunt, saltem dicent, illud illegitimum fuisse, quia factum est sine assistentiâ vel consensione sui ipsorum, qui se reputant tamquam saniorem partem Ecclesiæ.

Idcirco sapienter dixit S. Hieronymus, ad hoc Christum elegisse unum Petrum tamquam omnium caput, ut lites removeantur: *Propterea... unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio* [1]. — Caput est Papa, ait *Febronius* [2], sed caput tantum ministeriale, judicio aliorum subjectum. — Sed hoc modo responderet S. Hieronymus, quod occasio schismatum minime tolleretur. Additque sanctus Doctor memorabilem illam sententiam, quod salus Ecclesiæ pendet a dignitate Pontificis, cujus potestas si non est *eminens*, sive suprema, Ecclesia schismatibus implebitur, et sic salus non erit in Ecclesia: *Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes* [3].

Idem dixit S. Cyprianus, quando scripsit: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt aut nata sunt schismata, quam dum sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur; cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret* [4]. Et notentur præsertim hæc postrema ver-

[1] Adv. *Jovinian.*, lib. I, n. 26. — [2] L. c., cap. 3, § 6. — [3] Dial. adv. *Luciferianos*, n. 9. — [4] Epist. 55, ad *Cornelium*, n. 5.

ba: « *Cui si obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret*»; significant, quod quum supremo capiti non obeditur, nec etiam inferioribus prælatis obedientia servatur; utinam hoc experimento comprobatum non fuisset! — Vide alia maxime notabilia ad idem propositum concernentia, quæ in sequenti capitulo dicentur.

De summi Pontificis jurisdictione.

12. Sed antequam præsens capitulum terminemus, dicamus aliqua de judiciariâ Pontificis potestate, quam *Febronius* (ut retulimus) fere totaliter abolere nititur.

Asserit [1], quod Papa primatum jurisdictionis, de quo nunc gaudet, non obtinuit nisi per usurpationem, quæ usurpatio ex falsis Isidorianis Decretalibus causam habuit. — Ergo (dicemus) verum non est, quod Christus Ecclesiæ adsistit, ut pollicitus est, quum permiserit, quod Ecclesiæ gubernium subverteretur, sinens ut illa regeretur per tam longum tempus ab eo, qui vera regendi jurisdictione carebat? Sed vere Dominus Ecclesiæ suæ adest, et semper adfuit; primatus enim Pontificis impræsentiarum idem est, ac olim ante Isidori Decretales erat; et ideo a Concilio Lateranensi IV Ecclesia Romana appellata fuit *Mater universorum Christi fidelium* [2]. Quamvis autem Ecclesia habeat quidem leges naturales et divinas, quibus utique uniformare se debet, nihilominus etiam necessarium est ut, juxta circumstantias rerum et temporum, pluries alias leges promulget, quæ ad observantiam ipsarum divinarum legum conferunt. Ad servandam enim unitatem fidei et doctrinæ, duo requiruntur, ut scripsit Cælestinus papa, dicens: *Et quæ coercenda sunt, resecemus; et quæ observanda sunt, sanciamus* [3]. Atque ad hæc requiritur judiciaria potestas, quâ usque ab antiquis temporibus pollet Romanus Pontifex: *Quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus judicare* [4]; ita scripsit imperator Valentinianus ad Theodosium. Et venerabilis Beda scripsit: *Ideo beatus Petrus... specialiter Claves regni cælorum et principatum judiciariæ potestatis accepit* [5].

Omnibus Apostolis potestas ferendi leges collata fuit a Christo, quum ipsis dixit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo, cet.* [6]; ligare enim utique importat leges ferre, et obligare, prout reapse fecerunt Apostoli juxta id quod habetur in Actibus: *Perambulabat autem* (Paulus) *Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias; præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum* [7]. Hæc vero ligandi potestas principaliter tradita fuit Petro verbis illis: *Et tibi dabo Claves regni cælorum; et quodcumque ligaveris super terram, cet.* [8].

Theodosius et Valentinianus Augusti, hanc constitutionem ediderunt, ubi dictum fuit: *Ne quid... contra consuetudinem veterem liceat sini viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare; sed hoc illis omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas* [9]. Item Carolus Magnus in suis Capitularibus dixit: *Honoremus Romanam et Apostolicam Sedem,... ut licet vix ferendum ab illâ Sanctâ Sede imponatur jugum, feramus et piâ devotione toleremus* [10].

[1] L. c., cap. 3, § 9. — [2] Capitul. 5. — [3] *Cæl. I*, Epist. 4, ad episc. provinc. *Vienn.* et *Narbon.*, n. 1. — [4] Inter oper. *S. Leonis Magni*, epist. 55. — [5] Homil. lib. II, hom. 16, in Natal. *SS. Petri et Pauli.* — [6] *Matth.*, XVIII, 18. — [7] Act., XV, 41. — [8] *Matth.*, XVI, 19. — [9] Constit. *Valentini III.* Inter oper. *S. Leonis Magni*, epist. 11. — [10] Capitul. de honoranda Sede Apost.

CAPITULUM VII.

PERGITUR DEMONSTRARI,
AUCTORITATEM PONTIFICIS ESSE SUPREMAM;
ET FALSUM ESSE,
EPISCOPOS ÆQUALEM AC PAPAM IN ECCLESIA POTESTATEM HABERE.

Febronii doctrina de Unitate Episcopatûs.

1. *Febronius* hunc titulum præmittit: *Episcopatus in Ecclesiâ unus est, et omnibus episcopis certo modo communis*[1]. Deinde scripsit[2], Christum commisisse Apostolis, ut opus nostræ salutis a se incœptum ipsi prosequerentur, et ideo æqualem auctoritatem quam tradidit Petro, eis quoque est impertitus cum potestate assumendi ad idem opus perficiendum, alios ministros simili auctoritate munitos. Hinc sic ait: *Ex his consequens est, omnes episcopos in suâ institutione, præveniendo omnem humanam ordinationem, esse in potestate... gubernandi Ecclesiam æquales, non tantum quoad ea quæ ordinis sunt, sed et quæ jurisdictionis, in quantum hæc ad... Ecclesiæ regimen spectant; constat etenim, successorem in jura sui prædecessoris succedere, nisi ostendatur hæc in successore legitime restricta esse*[3].

Pergit deinde dicens, episcopos, quoad ea quæ pertinebant ad Apostolos ut Apostolos, nempe ad dona linguarum, miraculorum, et similia, eis non successisse; successisse vero quoad ea, quæ ipsis spectabant ut episcopis; unde concludit, quemlibet episcoporum æqualem universi curam sustinere, et unum episcopatum a pluribus geri; quum potestas clavium tradita sit (inquit) *universitati Ecclesiæ... ita ut illa per eos ministros pro suâ cujusque portione, ac inter hos per Summum Pontificem, exerceatur*[4].

Quid inde concludat.

2. Postmodum in *capite VII*[5] dicit quod, factâ proinde diœcesium divisione (quam asserit incepisse usque ab Apostolis), mansit illa solidaria sollicitudo et obligatio primorum pastorum; sed sine præjudicio jurium aliorum episcoporum in diœcesibus ipsis attributis.

Insuper inquit, quod *adscriptio episcoporum ad certum populum non impedit, quominus iidem vocari censeantur ad impendendam omnibus fidelibus pastoralem curam, dum id... salus populi exigit*[6]. Idque probat[7] textu S. Cypriani: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*[8]. Et hac sententiâ fretus, novus hic Ecclesiæ moderator *Febronius* vult[9], quod episcopi et Papa unum episcopatum in toto orbe christiano, unusquisque pro suâ portione, exerceant. Oportet igitur sedulo perpendere auctoritatem S. Cypriani, ut verum sancti Doctoris percipiamus sensum, qui longe abest a sensu *Febronii*, ut videbimus.

Quomodo *S. Cyprian.* unitatem explicet.

3. S. Cyprianus, in suo celebri opere *De Unitate Ecclesiæ*, scribit quod Satanas *hæreses invenit et schismata, quibus subverteret fidem,... scinderet unitatem*[10]; hæreses autem has et schismata dicit oriri ex eo, quod *ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur*[11]. Ad removendas igitur hæreses et schismata, opus est pervenire ad originem sive caput ecclesiasticæ potestatis; qualis autem sit hæc origo et caput, audiamus eumdem S. Cyprianum sic docentem: *Loquitur Dominus ad Petrum: « Ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et Portæ inferorum non vincent eam; et tibi dabo*

[1] L. c., cap. 3, § 1. — [2] L. c., cap. 1, § 7. — [3] L. c., cap. 7, § 1. — [4] L. c., cap. 1, § 6, init. — [5] § 3. — [6] L. c., cap. 7, § 1, n. 4. — [7] L. c., cap. 3, § 1, n. 2. — [8] De Unit. Eccl., cap. 5. — [9] L. c., cap. 3, § 1. — [10] L. c., cap. 3. — [11] Ibid.

Claves regni cælorum, et quæ ligaveris super terram, erunt ligata et in cælis; et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cælis [1] ». *Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit:* « *Pasce oves meas* [2] ». *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, et dicat:* « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiritum-Sanctum; si cujus remiseritis peccata, remittentur illi; si cujus tenueritis, tenebuntur* [3] »; *tamen, ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur* [4]. Sic habetur in editione S. Cypriani, factâ a *Paulo Manutio*, anno 1563 [5]. Idem autem textus habetur in decreto Gratiani [6], resecatis tantum infrà aliquibus verbis.

Declarat igitur hic S. Cyprianus, quod Dominus, ut unitatem Ecclesiæ demonstraret, disposuit, quod principium (principium nempe ecclesiasticæ potestatis) proficisceretur seu manaret ab unitate (quæ multiplicitati contraponitur), sive ab uno capite; nam, si manaret a multiplicitate, id est a multiplici capite, Ecclesia non amplius esset una, sed multiplex et divisa, nec unitas ejus amplius servari posset. Itaque unitas Ecclesiæ pendet ab unitate principii sive capitis; et ideo S. Cyprianus eodem loco [7] comparat principium unitatis Ecclesiæ ad unum lumen solis, ex quo multi radii prodeunt; ad unam radicem, ex qua manant multi rami; ad unum fontem, ex quo plures rivi defluunt; ita ut omnis vigor radiorum, ramorum et rivorum, ab uno sole, ab unâ radice, et ab uno fonte derivetur.

Febronius Cyprianum non recte interpretatur.

4. Id certum est; sed quæritur, quodnam sit hujusmodi unitatis Ecclesiæ principium sive caput, cui suprema potestas tradita sit? Febronius contendit, traditam esse universitati Ecclesiæ, unde scribit: *Quum itaque Ecclesia ipsa principaliter et radicaliter obtineat potestatem Clavium, quæ ab illâ in omnes ejus ministros ipsumque Summum Pontificem derivatur, et singulis quibusque pro suâ portione communicatur, cet.* [8]. Ac proinde infert, unumquemque episcopum de proprio jure universalis Ecclesiæ curam habere; idque deducit ex illâ sententiâ Cypriani: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur* [9]. Quapropter ait: *Inde nata pervulgata illa apud Cyprianum notio...: Episcopatus unus, cet.* [10].

Sed S. Cyprianus evidenter oppositum docet, loco suprà relato; nam ibi dicit, non Ecclesiam, sed Petrum fuisse constitutum a Christo principium unitatis, super quod Ecclesia est ædificata, inquiens: *Super unum illum* (Petrum) *ædificat Ecclesiam* [11]. Addit quod, licet Dominus omnibus Apostolis æqualem potestatem tribuerit, tamen, ad manifestandam unitatem Ecclesiæ, unam Sedem Petri constituit, ut hujusmodi unitatis origo ab uno, scilicet a Petro, inciperet: *Quamvis Apostolis omnibus... parem potestatem tribuat,... tamen, ut unitatem manifestaret, unam Cathedram* (doctrinæ tenendæ) *constituit, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit* [12]. Deinde subdit: *Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et*

[1] *Matth.*, XVI, 18 et 19. — [2] *Joan.*, XXI, 17. — [3] Ibid., XX, 21-23. — [4] De Unit. Eccl., cap. 4. — [5] Edit. *Romana* (*a*). — [6] Pars 2, Causa 24, qu. 1, cap. 18. — [7] De Unit. Eccl., cap. 5. — [8] L. c., cap. 1, § 6, n. 3. — [9] De Unit. Eccl., cap. 5. — [10] L. c., cap. 3, § 1, n. 2. — [11] De Unit. Eccl., cap. 4. — [12] De Unit. Eccl., cap. 4.

(*a*) Vide etiam in hoc Volumine, tract. 3, pag. 296, not. *a*.

honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur [1]. Quid clarius?

Ergo primatus potestatis ad hoc datus fuit Petro, ut ab hoc uno principio potestas aliis Ecclesiæ ministris communicetur, et sic una Ecclesia et una Cathedra monstretur. Unitas ergo Ecclesiæ derivatur ab unitate Cathedræ Petri; hinc ait Bellarminus: *Cyprianus... Sedem Petri comparat capiti, radici, fonti* [2]: sicut autem *in omni corpore virtus membrorum derivatur a capite, in omni arbore virtus ramorum oritur ex radice, in omnibus rivis aqua fluit a fonte* [3], sic in Ecclesia omnis episcopus dependet a Papa, qui est caput, radix, et fons potestatis. — Hinc S. Bernardus ad Mediolanenses scripsit: *(Apostolica Sedes) potest... alios* (nempe episcopos) *deprimere, alios sublimare,... ita ut de episcopis creare archiepiscopos liceat, et e converso* [4].

UNA requiritur Ecclesia, ex quâ cetera pendeant.

5. Natura unitatis est, quod una adsit Ecclesia, a quâ omnes aliæ Ecclesiæ circa doctrinam fidei pendere debeant, ut sic una fides in omnibus perpetuo servetur. Hæc una Ecclesia, ex quâ oritur unitas ecclesiastica, utique est Romana, ut scribit S. Cyprianus: *Ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam* PRINCIPALEM, *unde unitas sacerdotalis exorta est* [5]. Unde S. Irenæus, de eâdem Romanâ Ecclesiâ loquens, dixit: *Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem* (legunt alii *potiorem*) PRINCIPALITATEM, *necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles* [6]. Nota « *propter potentiorem principalitatem* »; ergo Romana Ecclesia non tantum aliquam habet præeminentiam, ut vult *Febronius*, sed præeminentiam principalem, *ad quam necesse est* (nota, non dicit expedit, aut decens est, sed *necesse est*) *omnem convenire Ecclesiam.*

Probatur.

Quapropter Ecclesia Romana vocatur *centrum unitatis*, in quo nomine etiam *Febronius* convenit. *Hanc* (nempe Sedem Romanam) *caput esse aliarum Ecclesiarum et centrum unitatis, nemo catholicorum negat* [7]. Quid significat *centrum unitatis?* significat, quod sicut omnes circumferentiæ lineæ in centro uniuntur, sic in judicio Ecclesiæ Romanæ omnes Ecclesiæ uniuntur et quiescunt. Propterea ait S. Cyprianus, quod ex separatione a Cathedrâ Petri, quam vocat *caput et originem veritatis*, hæreses ortum habuerunt: *Et quum hæreses et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt,* VERITATIS CAPUT *atque* ORIGINEM *reliquerunt* [8]. Et alibi dicit: *Qui Cathedram Petri... deserit, in Ecclesiâ se esse confidit?* [9] Ac proinde scripsit S. Leo, Christum super Petrum Ecclesiam ædificasse, *ut æterni templi ædificatio... in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut... nec Portæ contra illam inferi prævalerent* [10].

Ad unitatem igitur doctrinæ et fidei in totâ Ecclesiâ servandam, unum Romanum Pontificem *veritatis caput* (juxta S. Cyprianum) Dominus constituit, ut ipse universam regat Ecclesiam, omnesque fideles et episcopi ab ipso pendeant, ac in ejus judiciis quiescant.

Objicitur: IN SOLIDUM.

6. Sed instat *Febronius:* S. Cyprianus ait: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur* [11]. Quid denotat, inquit [12], illud *in solidum tenetur*, nisi quod singuli totius episcopatûs Ecclesiæ curam habent? — Sic intelligit *Febronius* textum illum; sed non sic intelligunt cardinalis *Bellarminus* [13], pater *Mamachius* [14], et alii communiter, immo nec etiam pater *Natalis Alexander* [15].

Respondetur.

Dixit S. Cyprianus *in solidum teneri*, sed non dixit, a singulis *in solidum te-*

[1] Ibid. (Vide in hoc Volumine, pag. 296, not. *a*). — [2] De Sum. Pontif., lib. IV, cap. 24. — [3] Ibid. — [4] Epist. 131, ad *Mediolanenses*. — [5] Epist. 55, ad *Cornelium* Papam, n. 14. — [6] Contra Hæres., lib. III, cap. 3, n. 2. — [7] L. c., cap. 3, § 8, n. 2. — [8] De Unit. Eccl., cap. 12. — [9] Ibid., cap. 4. — [10] Epist. 10, ad episc. prov. *Vienn.*, cap. 1. — [11] De Unit. Eccl., cap. 5. — [12] L. c., cap. 7, § 1, n. 4. — [13] De Sum. Pontif., lib. II, cap. 16. — [14] Origines et Antiquitates Christianæ, lib. IV, p. 2, cap. 1, § 3, n. 1. — [15] Hist. Eccles., sæc. I, diss. 4, § 3, n. 8.

neri æqualiter: Sanctus Doctor ibi non aliud dicere voluit, quam omnes episcopos unum componere corpus, quo universa regitur Ecclesia; ita ut omnes integrum episcopatum regunt, sed unusquisque pro suâ parte; si enim S. Cyprianus sentiret, quemque episcopum totius Ecclesiæ curam habere, utique dixisset: *Episcopatus unus est, qui totus a singulis in solidum tenetur;* sed dixit: *Cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Omnes igitur tenent unum episcopatum in solidum, sed unusquisque illum pro suâ portione regit; et omnes ab uno capite pendent, sicut omnes radii ab uno sole manant, ut sic Ecclesiæ et fidei unitas servetur.

Dicit autem *in solidum;* quia, etsi unusquisque curam habet suæ partis, tamen simul aliorum partes tenet *in solidum*, in quantum quisque episcopus vinculo mutuæ unionis, non quidem obligationis, cum aliis tam debet esse conjunctus, ut, ubi necessarium est, bono aliarum partium et totius ovilis, quum possit, providere teneatur. Omnibus enim cujuscumque corporis membris insita est obligatio, ut unum occurrat ad impediendum damnum alterius, et tanto magis totius corporis, ubi aliter detrimentum reparari non possit.

Responsio confirmatur ab ipso S. Cypriano et a S. August.

Hoc ipsemet S. Cyprianus exprimit in suâ epistolâ ad Stephanum, in quâ scribit: *Copiosum corpus est sacerdotum, concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit, subveniant ceteri.... Nam, etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, et oves universas, quas Christus sanguine suo et Passione quæsivit, colligere et fovere debemus*[1]. Idem expressit S. Augustinus, ubi sic scribit: *Quum... communis sit omnibus nobis, qui fungimur episcopatûs officio (quamvis ipse in eo præeminens celsiore fastigio), specula pastoralis, facio quod possum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus, adjuvantibus orationibus tuis, dare dignatur, ut pestilentibus et insidiantibus eorum scriptis medentia et munientia scripta prætendam*[2].

Sic igitur S. Cyprianus et S. Augustinus explicant, quemcumque episcopum teneri ad reparandum damnum fidei, ubi opus est, et ad tuendam unitatem Ecclesiæ. Hoc ipsum satis declarat S. Cyprianus eodem loco, ubi profert laudatam sententiam illam (quæ pluries a *Febronio* affertur in medium): *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Ibi enim sanctus Doctor probare vult, Ecclesiam esse unam, quia unam fidem omnes profiteri et defendere tenentur; hinc ait: *Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit?.... quando et beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat et sacramentum unitatis ostendat dicens: « Unum corpus et unus spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus*[3] *». Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in Ecclesiâ præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus.... Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et quum de fonte uno rivi plurimi defluunt,... unitas tamen servatur in origine;... sic et Ecclesia Domini, luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit;... unum tamen caput est, et origo una*[4].

Concluditur.

Patet igitur, in hoc loco S. Cyprianum nihil aliud significare velle, quam omnes fideles et maxime episcopos teneri ad tuendam ac observandam unitatem fidei et doctrinæ, ut unitas Ecclesiæ servetur;

[1] Epist. 67 (alias 68), ad *Stephanum* Papam, n. 3 et 4. — [2] Contr. duas epist. *Pelagianor.*, lib. I, cap. 1, n. 2. — [3] *Ephes.*, IV, 4-6. — [4] De Unit. Eccl., cap. 4 et 5.

ac propterea omnes a Romano Pontifice, tamquam capite et origine unitatis, pendere debent.

Febronius sibi ipse contradicit.

7. Observo autem, quod *Febronius* sic scribit: *Diximus suprà (cap. 1, § 6)... Claves a Christo non uni Apostolo, sed corpori Ecclesiæ datas esse, primario gerendas per Apostolos, quibus omnibus et singulis Dominus eas tradidit immediate, ita ut quilibet horum æqualem in eis partem habuisse credatur, non quidem* (nota) *quoad externum et politicum regimen, sed primam et essentialem religionis partem christianæ, videlicet fidei seu doctrinæ propagationem et conservationem* [1]. Apostoli igitur, ut hic ait *Febronius*, non habebant æqualem partem *quoad externum regimen Ecclesiæ;* quomodo autem dicit alibi, ut notavimus sub initio hujus capituli, quod episcopi, tamquam Apostolorum successores, sunt *in potestate... gubernandi Ecclesiam æquales* (Pontifici), *non tantum quoad ea quæ ordinis sunt, sed et quæ jurisdictionis, in quantum hæc ad... Ecclesiæ regimen spectant?* [2] En quomodo *Febronius* in suo falso systemate cogitur quandoque sibimet contradicere! Sic evenit iis, qui falsis principiis nituntur; facile in contradictiones incidunt.

Vera SS. Patrum de unitate doctrina.

8. Sed ipse sibi fingat et constituat, sicut vult, statum et regimen Ecclesiæ, numquam inficere poterit veritatem, quam Concilia et Patres docent, nempe quod suprema potestas in Ecclesia sit a Christo tradita Petro (ejusque successoribus) tamquam capiti, radici et fonti, ex quo illa deinde in alios episcopos diffunditur, ut *S. Cyprian.* clare vidimus doceri a S. Cypriano in loco citato, et in pluribus aliis confirmatur ac clarius explicatur; nam in epistolâ ad Jubaianum sic loquitur: *Nos... Ecclesiæ unius caput et radicem tenemus;... nam Petro primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, et unde* (id est a quo Petro) *unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit* [3]. Omnis igitur ecclesiastica potestas collata est Petro tamquam origini unitatis Ecclesiæ, et ex eo communicatur aliis.

Alio loco dicit: *Ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, cet.* [4]. — Alio loco dicit: *(Ecclesia), quæ una est, super unum, qui et Claves ejus accepit, Domini voce fundata est* [5]. — Alio loco dicit: *Qui Cathedram Petri... deserit, in Ecclesia se esse confidit?* [6] — Alio loco dicit (et hic patenter explicat supremam Pontificis potestatem ejusque infallibilitatem): *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata; aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare et unum sacerdotium, non potest.* Et concludit: *Quisquis alibi collegerit, spargit* [7].

Itaque, juxta S. Cyprianum, tota Ecclesia regitur et pendet a Cathedrâ Petri; nam, sicut unus est Christus et una Ecclesia, sic est una Cathedra, nimirum Petri, in quâ est vera doctrina fidei et extra quam qui colligit, spargit. Et invenio, *Jansenium* eadem verba scripsisse in capite 29 sui libri proœmialis, ubi, postquam protestatus est, se Ecclesiam Romanam sequi et Petri successorem, scribit: *Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio; quicumque cum ipso (successore Petri) non colligit, spargit* [8]. Apud aliquos forte hæc auctoritas Jansenii majoris ponderis erit quam illa S. Cypriani.

Una igitur est Cathedra, nempe illa, quæ est super Petrum fundata, extra quam omnes qui sunt, extra viam salutis incedunt, juxta oraculum Domini: *Qui non congregat mecum, spargit* [9].

[1] L. c., cap. 3, § 1, init. — [2] L. c., cap. 7, § 1. — [3] Epist. 73, ad *Jubaianum*, n. 2 et 7. — [4] Epist. 55, ad *Cornelium* Papam, n. 14. — [5] Epist. 73, ad *Jubaianum*, n. 11. — [6] De Unit. Eccl., cap. 4. — [7] Epist. 40, ad plebem, de quinq. presb. schism., n. 5 (*Manutius* et *Pamelius* legunt: *super Petrum*, alii: *super petram*. Nota edit.). — [8] De Ratione et Auctoritate in rebus theolog., lib. proœmial., cap. 29. — [9] *Matth.*, XII, 30.

S. Optat. **9.** Idem confirmatur a S. Optato Milevitano: *Negare non potes, scire te, in urbe Româ Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in quâ sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est; in quâ unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret* [1]. Et ad declarandum S. Optatus, hanc Cathedram esse Ecclesiam Romanam, subdit: *Ergo Cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, cet.* [2]. Quid apertius? Dicit itaque S. Optatus, in hac unicâ Cathedrâ Petri unitatem Ecclesiæ servari, atque schismaticum et impium esse, qui aliam Cathedram collocaret.

S. Pacian. Idem scripsit S. Pacianus, episcopus Barcinonensis: *Ante Passionem suam dixerat Dominus:* « *Quæcumque ligaveritis, cet.* »... *Ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno; mox id ipsum in commune præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit:* « *Et ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam* [3] ». Nota: « *Ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno* »; quomodo Christus ex uno unitatem Ecclesiæ et doctrinæ fundaret, si omnes episcopi auctoritatem in Ecclesia æqualem ac Pontifex haberent?

S. Augustinus. Idem brevi eloquio docuit S. Augustinus sermone 46, ubi dixit: *In ipso Petro unitatem commendavit; multi erant Apostoli, et uni dicitur:* « *Pasce oves meas* [4] ». Propterea igitur soli Petro Dominus suum ovile commendavit, ut in eo unitas doctrinæ servaretur; sed ut hæc unitas doctrinæ servaretur, non erat satis qualiscumque præsidentia, sed oportebat, ut Petrus supremam et eminentem præsidentiam haberet, prout inquit S. Hieronymus; nam aliter schismata non evitarentur: *Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes* [5]. Adverte, hanc *eminentem potestatem* datam esse, non universitati Ecclesiæ, ut ex suâ novâ doctrinâ vult *Febronius*, sed Summo Sacerdoti, ex cujus dignitate docet sanctus Doctor, salutem Ecclesiæ pendere.

Objectio **10.** Opponit *Febronius* [6] auctoritatem S. Augustini in Sermone ubi scribit, Christum non soli Petro, sed toti Ecclesiæ Claves tradidisse: *Has enim Claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ.... Audite in alio loco, quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis:* « *Accipite Spiritum-Sanctum* », *et continuo:* « *Si dimiseritis peccata, dimittentur, cet.* [7] ». — Eodem modo loquitur Beda: *Omni igitur electorum Ecclesiæ, juxta modum culparum vel pœnitentiæ, ligandi ac solvendi datur auctoritas* [8]. — Idem dicunt S. Fulgentius [9] et S. Cyrillus Alexandrinus [10] apud *Febronium* [11].

Responsio. Sed respondemus, prælaudatos Patres ibi de absolvendi facultate loqui; et nulli dubium, hanc facultatem non tantum ad Pontificem, sed etiam ad omnes episcopos pertinere, tamquam eorum characteri episcopali intrinsecam; sed hæc eadem facultas est ac semper fuit Pontifici subordinata, in quantum Pontifex potest eam limitare, sicut a Tridentinâ Synodo expressum fuit: *Merito Pontifices Maximi, pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ traditâ, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare* [12]. Et ad hoc comprobandum plures Canones ibi citantur: *cap. Ita quorumdam 6, de Judæis;*

[1] De Schism. Donatist. adv. *Parmenian.*, lib. II, cap. 2. — [2] Ibid., cap. 3. — [3] Epist. 3, ad *Sympronianum*, n. 11. — [4] Sermo 46, cap. 13, n. 30. — [5] Dialog. contra *Luciferianos*, n. 9. — [6] L. c., cap. 1, § 6, n. 2. — [7] Serm. 295, cap. 2. — [8] Homil. lib. II, homil. 16, in Natal. *SS. Petri et Pauli.* — [9] De Remissione Peccatorum, lib. I, cap. 19; — De Fide ad *Petrum*, cap. 3, n. 37. — [10] In *Joan.* Evang., lib. XII, cap. 20, v. 22. — [11] L. c. — [12] Sess. 14, cap. 7, de Pœnitent.

cap. Conquesti 22, de sent. excomm.; et alii.

Alia objectio.

11. *Febronius* [1] alium S. Augustini textum adducit, ubi sanctus Doctor generice loquitur de totâ ecclesiasticâ potestate, et dicit: *Unus pro omnibus dicit: « Tu es Filius Dei vivi », et propter hoc Claves cum omnibus, tamquam personam gerens Ecclesiæ, accepit; ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus* [2].— Sed quid *Febronius* ex his verbis inferre umquam poterit? Sanctus Doctor inquit: *Petrus accepit Claves cum omnibus;* profecto; nam ipse solus sine aliorum ministerio Ecclesiam universam gubernare non valebat. Subdit postea: *Quia unitas in omnibus;* maxime, quoniam Ecclesiæ unitas in unione membrorum cum capite consistit, sed servatâ semper debitâ subjectione, quam membra capiti præstare tenentur, dum a capite membris virtus communicatur. Verumtamen S. Augustinus per hujusmodi sententiam equidem non intellexit asserere, quod membra in potestate capiti sunt paria; et tanto minus, quod caput subjicitur membris, quum membra simul congregantur. Pluribus enim locis jam superius relatis sanctus Doctor supremam potestatem, quam Papa super universam obtinet Ecclesiam, satis declaravit; in uno loco dixit: *In quâ* (Ecclesiâ Romanâ) *semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus* [3].

Responsio.

Alio dixit: *Numerate sacerdotes vel ab ipsâ Sede Petri, et in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum Portæ* [4]. En clare descripta a divo Augustino Sedis Romanæ infallibilitas, quæ cum supremâ potestate necessario conjuncta esse debet.

Alio loco idem confirmavit expresse, docens: *In... verbis Apostolicæ Sedis, tam antiqua atque fundata, certa et clara est catholica fides, ut nefas sit de illâ dubitare christiano* [5].

Præterea id pariter declaravit exemplo damnationis Pelagianorum; etenim scripsit: *Inde* (a Sede Apostolica) *etiam rescripta venerunt; causa* (Pelagianorum) *finita est* [6]; *toto christiano orbe damnati sunt* [7]. *Litteris... Innocentii... de hac re dubitatio tota sublata est* [8]. Nota: « *Litteris Innocentii* »; damnatio igitur a Pontifice prodita, erat illa, quæ omnem *dubitationem* auferebat.

Hinc scripsit S. Pelagius papa, citans S. Augustinum, qui opinionem difformem doctrinæ Apostolicæ Sedis appellabat schisma: *Contra Apostolicam Sedem temere credentes pessima divisit opinio; quod schisma specialiter esse denuntiat Augustinus* [9].

Alia objectio.

12. Item *Febronius* [10] opponit auctoritatem venerabilis Bedæ, qui ita scribit: *Claves regni cælorum Petrus, tamquam personam gerens ipsius unitatis, accepit* [11].

Responsio.

— Equidem, respondemus, Petrus ut caput Ecclesiæ repræsentabat Ecclesiæ unitatem, scilicet Ecclesiam universam unitam, pari modo, quo rex universum suum regnum repræsentat. Hoc idem scripsit

[1] L. c. cap. 1, § 2, n. 3. — [2] In *Joan.* Evang., tr. 118, n. 4 (*a*). — [3] Epist. 43, ad *Glorium*, cap. 3, n. 7. — [4] Psalmus contra partem *Donati*. — [5] Epist. 190, ad *Optatum*, cap. 6, n. 23.— [6] Serm. 131, cap. 10. — [7] Epist. 190, ad *Optatum*, cap. 6, n. 22. — [8] Contr. duas epist. *Pelagianor.*, lib. II, cap. 3, n. 5. — [9] *S. Pelag. I*, Epist. ad *Viatorem* et *Pancratium*. — Can. Schism., caus. 24, qu. 1. — [10] L. c., cap. 1, § 6, n. 2. — [11] In *S. Joan.* Evang. Expositio, cap. 19, v. 23 et 24 (*b*).

(*a*) *Febronius* S. Augustini verba ad rem suam aliquantulum accommodavit. Sic enim loquitur S. Doctor: *Quum et illud* (id est: « Tu es Christus, Filius Dei vivi »), *unus pro omnibus dixerit, et hoc* (id est: « Tibi dabo Claves regni cælorum »), *cum omnibus, tamquam personam gerens ipsius unitatis, acceperit, ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus* (Nota edit.). — (*b*) En ipsa *S. Bedæ* Ven. verba, quæ *Febronius* paululum immutavit: *Ei (Petro) dicitur: Tibi dabo claves regni cælorum; tamquam ligandi et solvendi solus acceperit potestatem, quum et illud unus pro omnibus dixerit, et hoc cum omnibus, tamquam personam gerens unitatis, acceperit* (Nota edit.).

*

etiam divus Augustinus: *Petrus... propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit:* « *Tibi dabo claves, cet.* [1] ».

Pontifex non recipit potestatem ab Ecclesiâ.

Errat *Febronius* cum *Ludovico Dupino* [2] asserens, supremam potestatem, juxta hic allatas sententias Bedæ et Augustini, apud Ecclesiam existere atque ab Ecclesia Papæ communicari. Errat, dico; nam idem Augustinus Petrum, non tamquam simplicem Ecclesiæ ministrum, sed ut principem illius et caput, Ecclesiam repræsentantem reputavit, sicut rex omnes suos subditos repræsentat. En quomodo sanctus Doctor id declarat *in psalmum 108*, ubi scribit, Petrum in tantum Ecclesiam repræsentare, in quantum ipse Ecclesiæ primatum habet: *Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi quum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figurâ gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est:* « *Tibi dabo claves, cet.* [3] ». En quomodo sanctus Doctor conjungit primatum Petri super discipulos cum repræsentatione Ecclesiæ; ideo enim Petrus repræsentabat Ecclesiam, quia in ipso erat tota Ecclesiæ potestas, quæ in primatu erat.

Et revera scribit pater Natalis Alexander (quamvis hic auctor sit unus ex maximis pontificiæ potestatis oppugnatoribus), hanc esse divi Augustini sententiam, nempe quod Petro Claves traditæ fuerunt, non quidem tamquam Ecclesiæ legato, sicut regius orator claves alicujus civitatis, nomine sui regis, accipit, sed tamquam rectori et capiti Ecclesiæ, sicut princeps ensem accipit nomine populi, quem defendere obligatur. En verba patris Natalis: *Petro non sunt collatæ Claves nisi nomine Ecclesiæ, id est, ut Ecclesiæ dumtaxat legato, nego; id est, ut Ecclesiæ supremo post Christum* (nota *supremo*) *et sub Christo rectori ac moderatori, concedo. Illius itaque propositionis duplex potest esse sensus: primus, quod S. Petrus Ecclesiæ nomine Claves acceperit quemadmodum regius orator, nomine regis, alicujus civitatis claves accipit, in quam propterea nullam habet potestatem; at nequaquam ita est. Secundus, quod Ecclesiæ nomine Claves acceperit ut illius rector ac gubernator, quomodo princeps, populi nomine, gladium accipit, et ad ejus tuitionem totum regni splendorem convertere tenetur; quo sensu S. Petrum Claves nomine Ecclesiæ accepisse dixit S. Augustinus* [4]. Sic scribit pater Natalis Alexander. En quomodo ipsi adversarii nequeunt aliquando non pandere veritatem. Hinc quidam doctus auctor modernus (*a*), loquens de eo, quod dixit Dupinus, nempe quod in Ecclesiâ communicatur potestas æque Episcopis quam Pontifici: *Hæresim porro*, ait, *et schisma sapiunt hujusmodi assertiones.* A capite ad membra, non vero a membris ad caput virtus fluit; idcirco scripsit Tertullianus: *Si adhuc clausum putas cælum, memento Claves ejus Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ, reliquisse* [5].

Febronius instat.

13. Sed instat *Febronius* [6], Concilium Tridentinum, tractans de Indulgentiis, docere potestatem traditam esse Ecclesiæ: *Quum potestas... Ecclesiæ concessa sit, cet.* [7]. — Dicit « *Ecclesiæ sit* »; sed peto: quid est Ecclesia? S. Cyprianus instruit: *Ecclesia plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens* [8]. Ecclesia corpus est, compositum ex omnibus fidelibus inter se coeuntibus, et Pontifici eorum capiti adhærentibus, cujus Sedes est tamquam centrum, cui omnes aliæ Ecclesiæ conjungi tenentur, prout scripsit

Respondetur.

[1] Sermo 295, cap. 2. — [2] De Antiq. Eccl. Discipl., Diss. 6, § 1. — [3] Enarrat. in Ps. 108, n. 1. — [4] Hist. Eccles., sæc. I, diss. 4, § 3, obj. 4. — [5] Advers. *Gnosticos* Scorpiace, cap. 10. — [6] L. c., cap. 1, § 6, n. 1. — [7] Sess. 25, continuatio, Decret. de Indulgent. — [8] Epist. 69, ad *Florentium*, n. 8.

(*a*) *Carolus Gagliardus*, Institutiones Juris Canonici, lib. I. tit. 12, n. 8.

Renatus Massuetus (apud eumdem *Febronium* [1]) sic concludens: *Hæc* (Ecclesia Romana) *ceterarum caput, cui arctissime adhærere tenentur omnes* [2]. Maxime, quia Christus Petro principalius Clavium potestatem contulit, ut ab ipso illa postmodum participaretur et ad alios transiret, ut scripsit S. Thomas: *Ei (Petro) soli promisit: « Tibi dabo Claves regni, cet. »,... ut ostenderetur potestas Clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem* [3].

Idque prius scripsit S. Optatus Milevitanus: *Bono unitatis Beatus Petrus... præferri Apostolis omnibus meruit, et Claves regni cælorum communicandas ceteris solus accepit* [4]. Dixit « *communicandas* », non quidem immediate a Christo, ut vult *Febronius* [5], sed a Beato Petro; nam ipsemet Sanctus alibi jam scripsit (ut notavimus in hoc capite, n. 9), S. Petro tamquam capiti Ecclesiæ traditam esse a Domino Cathedram singularem, ut in illâ unitas doctrinæ et Ecclesiæ servaretur, ita ut schismaticus et impius reputaretur, qui aliam Cathedram adversus Cathedram Petri collocare tentaret. Sentit igitur divus Optatus, Clavium potestatem a S. Petro aliis distribuendam fuisse, prout jampridem Tertullianus, mox suprà citatus, scripsit: *Claves... Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse* [6].

Confirmatur responsio.

14. Sic etiam scripsit Innocentius I, anno 404, ad Episcopos Africanos in tertio Concilio Carthaginiensi adunatos: *A quo* (Petro) *ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit* [7].

Ita etiam scripsit S. Leo: *Dicitur beatissimo Petro: « Tibi dabo Claves, cet. ». Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur; Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur* [8]. Nota verba « *transivit, commeavit* ». — Et in eodem sermone S. Leo addidit: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur,... ut firmitas quæ... Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur* [9]. — Et in epistolâ 89 scripsit: *Ut in beatissimo Petro... principaliter* (primatum) *collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare* [10]. Propterea Papa creans episcopos, dicit ex antiqua consuetudine: *Providemus ecclesiæ N. de persona N., et præficimus eum in episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus et spiritualibus.* Unde postea scripsit Duvallius: *Ipse (Petrus) ita eas (Claves) accepit a Christo,... quia ab illo in reliquos Ecclesiæ pastores, tamquam e fonte, capite et radice, erant derivandæ* [11].

Romanus Pontifex, unicum Ecclesiæ Caput.

Ex hoc autem *Gerson* coactus fuit confiteri, ut suprà notavimus, tam ex institutione Christi quam generalium Synodorum et totius Ecclesiæ traditione, statum papalem esse vere supremum et monarchicum; et ibi subdidit: *Quem statum quisquis impugnare... præsumit... pertinaciter,... hæreticus est* [12]. Et in alio loco idem *Gerson* dixit: *Plenitudo potestatis ecclesiasticæ... non potest esse, de lege ordinata, nisi in unico Summo Pontifice formaliter et subjective* [13]. Si ergo, ex unâ parte, in Summo Pontifice est plenitudo legis, quæ idem est ac plenitudo potestatis, et, ex alia parte, si erroneum est dicere, quod Ecclesia plura capita habet, ergo Pontifex est unicum caput, in quo residet plena, suprema et independens potestas. Quomodo autem *Gerson*, postquam hujusmodi principia statuit, con-

[1] L. c., cap. 2, § 5, n. 2. — [2] Dissertat. præviæ in *Irenæi* libros, diss. 3, cap. 4, n. 30. — [3] Contra *Gent.*, lib. IV, cap. 76. — [4] De Schism. *Donatist.*, adv. *Parmenian*, lib. VII, cap. 3. — [5] L. c., cap. 7, § 1 et 2. — [6] Adversus *Gnosticos* Scorpiace, cap. 10. — [7] Rescript. ad Concil. *Carthag.* (et inter opera *S. Aug.*, epist. 181). — [8] Sermo 4, de Natali ipsius, cap. 3. — [9] Ibid. — [10] Epist. 89 (al. 10), ad episc. prov. *Vienn.*, cap. 1. — [11] De supr. Rom. Pontif. Potest., p. 1, qu. 3, n. 4. — [12] De Statib. ecclesiast., Considerat. super Statum Summ. Pont., consid. 2. — [13] De Potest. eccl. et Origine Jur., concl. 2.

tendere potuerit, Papam Concilio subesse, intelligere non valeo.

Ejus judicio consensus Ecclesiæ nullam vim impertit.

15. Clerus gallicanus, in comitiis anni 1682, inter quatuor celebres illas propositiones, istam in quarto loco protulit: *In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit*[1]. Sed quærimus, quomodo hujusmodi consensus accedere debet? Alii dicunt, tum pontificias definitiones evadere irreformabiles, quum omnium fidelium consensus accedit; alii, saltem quum accedit consensus omnium episcoporum; alii putant, unius tantum provinciæ consensum satis esse; alii demum requirunt consensum majoris partis episcoporum, in orbe christiano degentium. Sed hæc opinio non arridet *Febronio*[2], dicenti consensum majoris partis episcoporum non sufficere, quamvis in Synodis œcumenicis talis sit consuetudo, ut quæstiones per suffragia majoris partis votantium definiantur. His positis, quæritur quid dicendum, si pontificio decreto pars æqualis episcoporum accedat? et quid, si accedat minor pars, ut sæculo IV accidit, quum sententiæ S. Melchiadis papæ tantum 18 episcopi orthodoxi adhæserunt, sed contra alii 400 eam rejecerunt, prout refert Haunoldus[3]. In hujusmodi casibus quis litem dirimet, si unus supremus judex non agnoscitur, qui fidei causas definiendi infallibilem facultatem habeat?

Sic major Ecclesiæ pars semper docuit.

Ceterum, error est dicere, episcopos non formare corpus, nisi in Concilio sint adunati. Scripsit Duvallius: *Est enim de fide, Ecclesiam, non tantum ut congregatam in œcumenico Concilio, sed ut diffusam per orbem, errare non posse*[4]. Et Facultas Parisiensis, anno 1664, adversus quemdam librum, cui titulus: *Le Pacifique véritable*[5], sic declaravit: *Hæ propositiones, in quantum infallibilitatem Ecclesiæ universali in nullo alio statu quam in solo Concilio œcumenico congregatæ tribuunt,... temerariæ sunt, ipsi Ecclesiæ injuriosæ, et hæreticæ*[6]. Quapropter, quidquid dicat Febronius, certum est, quod sicut in Concilio sententia majoris partis episcoporum, adhærentium judicio Pontificis, dogma de fide constituit, ita etiam extra Concilium. Si autem consensus majoris partis episcoporum sufficit, utique Papam esse infallibilem, omnes credere tenemur, statim ac aliquid circa fidem aut mores ipse definitive decernit; non solum enim major, sed maxima pars Ecclesiæ (ajunt Bellarminus[7] et papa Benedictus XIV[8], ut refert Billuart[9]), exceptâ Galliâ, id tenet, et semper tenuit. Aut igitur infallibilitatem Pontificis fateri oportet, aut dicere, quod Ecclesia Catholica tantum ad Gallorum numerum redacta sit.

Ecclesiæ officium est, subesse Capiti.

16. Dicunt: Ecclesia est corpus Christi mysticum; unde sicut corpus nequit subsistere sine capite, ita caput nequit subsistere sine corpore. — Respondetur: Nulli dubium, quod corpus non potest esse sine capite, nec caput sine corpore; sed hoc, in casu nostro, non obest, ubi non de corporis constitutione sive integritate, sed tantum de regimine corporis Ecclesiæ agitur: constitutio quidem sive integritas corporis importat, ut ipsum non sit sine

[1] Declar. ann. 1682, prop. 4. — [2] L. c., cap. 6, § 8. — [3] Introd. ad Jus canon. — [4] De supr. Rom. Pontif. Potest., p. 2, qu. 2, n. 5. — [5] *Le Pacifique véritable sur le débat de l'usage du Sacrement de Pénitence* (*a*). — [6] Decret. ann. 1664. — [7] De Summ. Pontif., lib. IV, cap. 2. — [8] Breve « *Dum præterito* », 31 Jul. 1748, ad magn. *Hispan.* Inquisitor. — [9] In 2^am 2^æ, De regulis fidei, dissert. 4, a. 5, § 1, not. 4.
N. B. Illum *Haunoldi* librum non inveni.

(*a*) Cujus auctor, *Theophilus Brachet de la Milletière*, prius Calvinista, sed erroribus anno 1645 ejuratis, postmodum plura quidem ad confirmandam Catholicam Religionem scripta edidit; nonnulla tamen, quæ pristinam institutionem redolebant, perpetuo servavit (Nota edit.).

capite, nec caput sine corpore; regimen autem corporis Ecclesiæ importat, ut sicut corpus humanum a mente hominis gubernatur, sic corpus Ecclesiæ gubernetur a Papâ tamquam ab ejus capite. Officium igitur capitis, id est Pontificis, est regere et docere; officium corporis, id est Ecclesiæ, est audire et parere; quapropter Synodus Florentina declaravit, *Pontificem... esse... totius Ecclesiæ caput et... doctorem* [1].

Concilia non sunt inutilia.

17. Dicent: Si ergo Pontificis judicia sunt infallibilia, ejusque auctoritas suprema est et independens, ad quid Concilia deserviunt? — Respondetur: Ad plura et maxima bona deserviunt: prosunt, ut episcopi fortius se adhibeant ad dissidia compescenda; prosunt, ad reprimendos contumaces; prosunt, ut prælati peritiores reddantur ad populos suos instruendos; prosunt, ut pontificiæ definitiones ubique manifestentur; prosunt demum, ut dogmata fidei diligentius teneantur, sicut scripsit Vincentius Lirinensis: *Denique quid umquam aliud* (Ecclesia) *Conciliorum decretis enisa est, nisi ut, quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur?* [2]

Adde, quod aliquando Pontifices Concilia convocant, ut per discussionem in Concilio habitam de aliquo dubio fidei, ipsi clarius a Spiritu-Sancto illuminentur; scripsit enim cardinalis Perronius [3], quod Papæ infallibilitas non consistit in hoc, quod ipse semper a Spiritu-Sancto necessarium lumen recipiat, ut omnes fidei quæstiones decernat, sed in hoc, quod in illis, in quibus satis a Deo illustratum se sentit, sine errore judicet, et alias, in quibus non se sentit sufficienti lumine præditum, Concilio decidendas remittat, ut postmodum suum judicium proferat.

Concilia non sunt necessaria.

18. *Febronius* contendit, Concilia esse absolute necessaria, *propter* (ut ait) *indeclinabilem in materiis fidei auctoritatem, illis solis inhærentem* [4]. — Sed communiter theologi docent, Concilia esse quidem utilia, sed non necessaria; ita *Jueninus* [5], *Tournely* [6], *Duvallius* [7] et alii; atque Facultas Parisiensis, anno 1663, id expresse declaravit. Infrà autem referemus, plurimas hæreses exstinctas fuisse absque Concilio, sed per solas Pontificum definitiones; de quarum infallibilitate injustum est dubitare. Cardinalis *de Aguirre* [8] et pater *Petitdidier* [9], discurrendo de sæculo in sæculum, ostendunt, omnes scriptores christianos pro Pontificis infallibilitate semper pugnasse; immo *Charlas* [10] et pater *Serry* [11] scribunt, præsertim episcopos Galliæ et eorum Synodos, atque Parisiensem Academiam, ac alios theologos gallos, pontificiam infallibilitatem semper studiose defendisse. Pro eâ scripserunt etiam *Ludovicus Bail* [12], pater *Raynaudus* [13], *Jaubertus de Barrault*, archiepiscopus *Arelatensis* [14], *Nicolaus Coeffeteau*, episcopus *Massiliensis* [15], *Michael Mauclerus* [16], *Thomassinus* [17] et alii.

Pontificis sententia sufficit.

Antiqua Gallorum doctrina.

19. *Duvallius* scripsit: *Velint nolint adversarii, liquido constat, veteres Ecclesiæ Gallicanæ proceres hanc in Summis Pontificibus... infallibilitatem semper agnovisse,... eosque qui veritatem hanc impugnare conati sunt, a ducentis aut circiter annis* (scilicet a tempore Concilii Constantiensis), *quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cœpisse* [18]. *Ba-*

[1] Sess. 22, Decret. Unionis. — [2] Commonitor. primum, cap. 23. — [3] Apud *Christoph. Du Puy: Perroniana*, art. « *Infallibilitas* ». — [4] L. c., cap. 6, § 7, init. — [5] Institut. theol. proleg., diss. 4, qu. 3, cap. 1, a. 5, concl. 2. — [6] Prælect. theol. De Deo, disp. præv., qu. 4, § de Eccl., quær. 6°, et præsertim § de Conciliis, quær. 8°. — [7] De supr. Rom. Pontif. Potest., p. 4, qu. 1. — [8] Defensio Cathedræ *S. Petri*, disp. 2 seq. — [9] *Dissert. histor. et théol. sur l'autor. et l'infaillib. des Papes.* — [10] De Libertatib. Eccl. *Gallic.*, lib. X, cap. 10 et 11. — [11] De Rom. Pontif., dissert. duplex, Append. historica. — [12] Apparat. ad Summ. Concilior., p. 3. — [13] Corona aurea Roman. Pontif., subnot. 2, verit. 7. — [14] Clypeus cath. fid. — [15] Pro sacra Monarch. Eccl. Cath., adv. rempub. *M. A. De Dominis.* — [16] De sacra Monarch. — [17] In Concilia general. et particul., diss. 18 — [18] De supr Rom. Pontif. Potest., p. 2, qu. 2, n. 4.

lutius, in Vita *Petri de Marca* [1], et *Antonius Charlas* [2] testantur, præfatum Petrum, in quodam suo tractatu de infallibilitate Papæ, demonstrasse, opinionem oppositam *ab Ecclesia tolerari tantum* [3].

Præterea, in actu Cleri Gallicani, habito die 20 Januarii 1625, dictum fuit: *Omnes episcopi pariter venerabuntur nomen Sancti Patris Papæ, qui est caput visibile universalis Ecclesiæ, Vicarius Dei in terris, cet., uno verbo successor Petri, in quo apostolatus et episcopatus ortum habuerunt, ut super quem Jesus Christus Ecclesiam suam fundavit, ei tradendo cæli Claves cum infallibilitate fidei* [4]. Item episcopi congregati in congressu Parisiorum, celebrato anno 1653, scripserunt deinde Innocentio X inter alia hæc verba: *Judicia pro sanciendâ regulâ fidei a Summis Pontificibus lata,... divinâ æque ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui christiani omnes, ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur* [5].

Hinc marchio *Maffei* in tomo quinto sui operis: *Osservazioni letterarie*, non sine fundamento scripsit: *In somma non può mai dirsi, che l'inclita nazion Francese abbia in oggi, nel punto dell'infallibilità pontificia e della superiorità al Concilio, rinunziato concordemente a' sentimenti per tanti secoli professati da' lor maggiori, mentre tanti de' loro più insigni soggetti e non pochi de' lor più venerabili congressi all'età nostra tenuti, veggiamo così favorevoli all'antica e romana sentenza* (*a*).

Communis omnium sententia

Demum, qui vult plenius noscere, quam antiqua et communis fuerit catholicorum sententia de infallibilitate Pontificis, percurrat *Bibliothecam Pontificiam* patris Ludovici Jacobi [6], editam Lugduni anno 1643; patrem Raynaudum, in opusculo de hac materia [7]; librum Ludovici *Andruzzi* sub titulo: *Vetus Græcia* [8]; Franciscum Antonium *Simeoni* [9]; Victorium Amedeum *Soardi*, doctorem Universitatis Taurinensis [10]; item legat anonymi librum, editum anno 1682, cui titulus: *Doctrina quam de Primatu, Auctoritate ac Infallibilitate Romani Pontificis tradiderunt Lovanienses Sacræ Theologiæ magistri ac professores, tam veteres quam recentiores* (*b*).

Repellitur *Febronii* postulatum.

20. Sed audire libet a *Febronio*, quibusnam conditionibus Concilium debeat esse præditum, ut sit vere legitimum et œcumenicum. Ipse ad hoc requirit, ut in Concilio, ultra episcopos, non solum clerici, sed etiam laici conveniant, quoniam (ut ait) Ecclesia non solum ex episcopis, sed etiam ex clericis et laicis componitur. En ejus verba: *Extra Concilium Ecclesia consistit non in solis episcopis, sed in reliquis etiam clericis, immo laicis.... Corpus vero ex laicis clericisque compositum, fidem, quam tamquam fidele depositum servat, ad nos illibatam transmittit* [11].

Requirit insuper, *cap. 9, § 3*, ut Pontifex *se ejusdem* (Concilii) *decisionibus agnoscat subjectum.* Hoc igitur est Concilium legitimum et absolute necessarium a *Febronio* requisitum! Concilium ex episcopis, clericis et laicis composi-

[1] Num. 52. — [2] De Libertatib. Eccl. *Gallic.*, lib. X, cap. 10, n. 11. — [3] Manuscripta, t. 2, n. 31. — [4] Monita Conventus ad Dominos Archiep. et Episc. regni, n. 137. — [5] Epist. 15 Jul. 1653. — [6] *Ludov. Jac. a S. Carolo*, O. Carm. — [7] Opusc. de Infallibilit. Papæ. — [8] Vetus Græcia de S. Rom. Sede præclare sentiens. — [9] De Rom. Pontif. judiciaria Potest. — [10] De supr. Rom. Pontif. Auctorit. hodierna Eccl. Gallic. doctrina. — [11] L. c., cap. 6, § 8, n. 12.

(*a*) i. e. Nequaquam igitur dici potest, inclytam Gallorum nationem, circa infallibilitatem pontificiam ejusque supra Concilium præeminentiam, unanimiter abdicasse hodie animi sensus, quos per tot sæcula majores ejus professi sunt; quandoquidem tam multos ex insignioribus ipsius viris et non paucos ex venerabilioribus congressibus, nostra ætate habitis, conspicimus tantopere antiquæ romanæque sententiæ favere (Nota edit.).

(*b*) Cujus operis Auctor est *d'Aubermont*, S. Theologiæ Professor Lovaniensis.

tum! item Concilium, cujus *decisionibus Pontifex se agnoscat subjectum!* Sed quisnam Papa inveniri poterit, qui, factus proditor suæ Sedis et jurium, se ultro submittat decisionibus Concilii? et talis Concilii, nimirum ex clericis ac laicis compacti? En Concilia noviter adinventa, quibus *Febronius* universam Ecclesiam reformare nititur!

CAPITULUM VIII.

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS, QUAS FEBRONIUS OPPONIT ADVERSUS PONTIFICIS POTESTATEM.

1. Ex his brevi me expediam, quia eorum confutatio jam abunde facta est ab aliis, nec multis indiget verbis, ut probetur.

Febronius supremam Papæ potestatem se jactat Scripturis, Conciliis, et Patrum scriptis enervare. Sed jam suprà vidimus, Scripturas luculenter pontificiæ auctoritatis eminentiam declarare, juxta omnium sanctorum Patrum sensum. Videamus nunc Scripturas, quas *Febronius* objicit ad ostendendam Conciliorum generalium supremam potestatem.

Objicitur 1um: *Dic Ecclesiæ.*

1um Objicit illud, quod habetur in S. Matthæo: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum;... quod si non audierit..., dic Ecclesiæ* [1]. En, dicit [2], quomodo Christus præcepit, quod ubi agitur de aliqua re gravi, ad Ecclesiam recursus, non vero ad Papam habeatur.

Respondetur.

Sed quis non videt, textum præfatum non de alio loqui quam de fraternæ correptionis præcepto, quod non tantum Petro, sed omnibus Apostolis et omnibus fidelibus intimatur? Per illud autem verbum «*dic Ecclesiæ*», peto, quid nomine *Ecclesiæ* intelligitur? Conciliumne generale? nequaquam; generalia enim Concilia raro congregantur; unde ineptum esset, censere quod quotiescumque aliquis incorrigibilis peccator denunciandus esset, Concilium generale exspectari deberet. Nomine *Ecclesiæ* intelligitur prælatus Ecclesiæ illius, in qua peccator degit, ut explicat S. Joannes Chrysostomus: *Dic Ecclesiæ, præsulibus scilicet ac præsidentibus* [3]. Sic etiam explicat Origenes [4] hunc locum Matthæi, cum divo Thoma [5], Euthymio [6], Theophylacto [7], Maldonato [8] et aliis. Præterea dicitur ibi: «*Dic Ecclesiæ*»; atque (ut suprà, cap. 7, notavimus), juxta S. Cyprianum, Ecclesia aliud non est, nisi corpus ex omnibus fidelibus compactum, qui pastori suo adhærent: *Ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhærens* [9]. Quomodo igitur ex hoc textu, Papam subesse Concilio inferri potest?

Objicitur 2o: *Duo vel tres.*

2. Objicit [10] 2° illud aliud Matthæi: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [11]. Et sic contendit *Febronius* supremam Conciliorum auctoritatem supra Papam probare.

Respondetur.

Respondeo primo, non posse intelligi universe dictum, quod ubi sunt plures in nomine Christi congregati, eorum definitiones sint infallibiles; sic enim infallibiles essent definitiones etiam Conciliorum provincialium et adhuc Synodorum

[1] *Matth.*, XVIII, 15 et 17. — [2] L. c., cap. 1, § 5. — [3] In *Matth.*, homil. 61 (al. 60), n. 2. — [4] Comment. in *Matth.*, tom. XIII, n. 30. — [5] 2. 2, qu. 33, a. 3. — [6] In *Matth.*, cap. 18, v. 17. — [7] Enarrat. in Evang. *Matth.*, cap. 18, v. 15-17. — [8] Comment. in Evang. sec. *Matth.*, cap. 18, v. 18. — [9] Epist. 69, ad *Florentium*, n. 8. — [10] L. c., cap. 1, § 5. — [11] *Matth.*, XVIII, 20.

episcopalium, quæ in nomine Christi omnes quippe congregantur. Refert Bellarminus [1], adhuc Calvinum [2] sentire, quod præfatus textus minime probat pro infallibilitate Concilii; nam verba illa (ut ait) etiam particulari cœtui conveniunt. — Non ita, respondebit *Febronius* [3]; ea conveniunt tantum Conciliis generalibus. — Sed quis de hoc certos nos facit? Certum est, Dominum œcumenicis Conciliis adsistere ne errent, et ideo eorum Canones sunt infallibiles. Sed ut infallibiles sint, necesse est, ut Synodi congregentur in nomine Christi, id est auctoritate Christi, videlicet auctoritate sui Vicarii visibilis, Pontificis Romani; et tunc omnes episcopi congregati merito dicere possunt, habere se assistentiam Spiritûs-Sancti, quia tunc Spiritus-Sanctus tam Pontifici quam universo Concilio utique adest. At si Concilium hoc sine Pontificis auctoritate congregatum sit, nec ab ipso saltem confirmatum, quid aliud hoc Concilium erit nisi corpus mancum, membra sine capite? Notavimus suprà, ipsa Concilia generalia declarasse, Papam plenam potestatem habere super universam Ecclesiam, uti dictum fuit in Concilio Nicæno I [4] et in Concilio Florentino [5]; vide suprà [6]. Item in Concilio Lugdunensi II [7] dictum fuit, dubia fidei a Papa definiri debere (Vide *Cap. IV, n. 6*).

Objicitur 30: Visum est nobis.

3. Objicit [8] 3° illud quod dixerunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano: *Visum est enim Spiritui-Sancto et nobis* [9]. En, dicit, quod Conciliis generalibus Spiritus-Sanctus omnibus episcopis assistit, ut infallibilia sint, quæ ibi decernuntur.

Respondetur.

Repetimus, quod suprà diximus: perspectum est et certum, quod quum episcopi simul cum Papâ in Concilio aliquod dubium circa fidem definiunt, tunc omnibus Spiritus-Sanctus suam assistentiam præstat; sed hoc non tollit, quod a Papâ tamquam capite supremo in Concilio dogmata tenenda definiantur; quandoquidem suprema auctoritas in Papâ residet, sive in Concilio sive extra Concilium sit. Idque ab ipso contextu relatæ Scripturæ constat; nam in illo Concilio S. Petrus principalis definitor quæstionis fuit, quum ipse tamquam Concilii superior silentium omnibus indixit, et omne dubium in oppositum reprobando, dixit: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere.... Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum, cet.?* [10] Itaque S. Petrus ostendit, tunc ipsi soli a Deo auctoritatem traditam fuisse docendi gentes de his, quæ credere debebant; nota: « *Audire verbum Evangelii, et credere* ».

Urgetur.

Dicet *Febronius:* Sed si in Concilio Spiritus-Sanctus omnibus adstat, et Papæ et episcopis, ergo auctoritas suprema et infallibilitas non in solo Papâ est, sed in toto Concilio. — Respondetur, quod quum in Ecclesiâ una sola adsit suprema potestas, dum episcopi in Concilio unà cum Pontifice concurrunt, non est, quod episcoporum auctoritas præemineat super illam, quam Papa etiam extra Concilium habet; nec fit eo casu, quod duæ distinctæ auctoritates in Concilio adsint, una Pontificis, altera Concilii; sed evenit, quod eadem auctoritas suprema Papæ tunc ad alios Concilii Patres extenditur, et communis efficitur; ac ideo tunc bene omnes dicere valent: *Visum est Spiritui-Sancto et nobis.* Verumtamen salvum semper remanet, quod suprema potestas in Papâ residet.

Instant.

4. Instat *Febronius:* Sed S. Gregorius [11] scripsit, quod ipse primis quatuor generalibus Conciliis eamdem venerationem ac quatuor Evangeliis profitebatur; ergo S. Gregorius non in Pontifice, sed in Concilio superioritatem et infallibilitatem residere agnoscebat. — Febronius rectas

[1] De Concil. et Eccl., lib. II, cap. 2. — [2] Institut. Christ. Relig., lib. IV, cap. 9, n. 2. — [3] L. c. — [4] Can. 39 (inter *Arabicos*). — [5] Sess. 22, Decret. Unionis. — [6] Cap. 4, n. 2 et 10. — [7] Epist. *Michael.* Imper. ad *Gregor. X.* — [8] L. c. — [9] Act., XV, 28. — [10] Act., XV, 7 et 10. — [11] Epist. lib. I, ep. 25; lib. III, ep. 10, ad *Savinum.*

propositiones præmittit, sed improbas deducit illationes. Quis dubitat, quod legitima Concilia œcumenica eumdem respectum merentur quam exigunt Evangelia? et quod Papa tenere debet omnia dogmata a Conciliis definita? Id enim, quod aliquando declaratum est de fide, semper est de fide, nec umquam in posterum poterit neque a Papâ neque ab alio œcumenico Concilio in dubium revocari. Hoc tamen procedit de Conciliis, auctoritate Pontificis celebratis, aut saltem confirmatis; at si Concilium aliquod auctoritate ipsius destitutum esset, teneturne Papa illius Canonibus stare? Minime quidem, ut idem S. Gregorius declaravit; nam in fidei causis dixit, Papam esse judicem supremum et infallibilem, qui eas determinare debet, his verbis: *Si quam vero contentionem... de fidei causa evenire contigerit,... ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congruâ sine dubio sententiâ terminari* [1]. Sciebat quippe sanctus Doctor, non quidem a Concilio dari leges Pontifici, sed a Pontifice dari Concilio, prout Patres Synodi Chalcedonensis confessi sunt: *Imperari sibi a Pontifice Romano, legesque dari, et fidei formam præscribi patiuntur, et parent* [2].

Dixi autem suprà, teneri Papam stare omnibus dogmatibus *de fide* a Concilio definitis; nam in Canonibus ad meram disciplinam pertinentibus in Concilio statutis, bene potest Pontifex dispensare, ut eruitur ex epistolâ 13ª Gelasii papæ [3] et ex epistolâ 31ª ejusdem S. Gregorii [4]; et in effectu, idem S. Gregorius dispensavit in Canone Concilii Chalcedonensis, ubi omnes regulares episcopis subesse debere statutum fuerat [5]; sed S. Gregorius a jurisdictione episcoporum omnes regulares exemit, et suis peculiaribus religionis prælatis subjecit [6].

5. Objicit præterea magno apparatu *Febronius* [7] Concilia Constantiense et Basileense, quibus declaratum fuisse ait, Papam subjici Conciliis. Objicitur 4o: *Constant.* et *Basil.* Concil.

Sed præfatarum Synodorum dicta et auctoritatem ad trutinam hic revocare longum esset, et hujus opusculi brevitati, quam proposui, adversaretur. Me remitto ad alios auctores, et præsertim ad auctorem *Regalis Sacerdotii* [8], qui plene ostendit, neutram ex his Synodis probare pro adversariis, et præcipue respectu ad Synodum Constantiensem ostendit quod, adhuc admissis tamquam validis et conciliaribus sessionibus IV et V (in quibus adversarii omne suum fundamentum reponunt), ipsis tamen obstant plures notabilissimi defectus, nempe deliberationis, libertatis, ordinis, auctoritatis, et etiam validitatis quoad votantes. Scribit enim cardinalis Bellarminus [9], tempore præfatarum sessionum IV et V, Concilium non fuisse œcumenicum, eo quod non adfuit tunc nisi sola tertia pars Ecclesiæ, nempe illi Patres tantum, qui erant de obedientiâ Joannis, deerantque alii de obedientiâ tam Gregorii quam Benedicti; nec Martinus V in suâ Bullâ alia conciliaria decreta approbavit quam illa, quæ erant *de fide* (scilicet contra errores Wiclefi et aliorum hæreticorum), et quæ *conciliariter* statuta fuerant [10]. Sed, adhuc admissis ut validis prædictis sessionibus IV et V, probat præfatus auctor, ex eisdem Concilii verbis apparere, quod in illis sessionibus de solo casu schismatis et Papæ dubii sermo erat, quum ibi dicebatur « *super præmissis* »; quæ verba a Febronio prætermittuntur. Respondetur. a *Constant.*

Additur, quod natio germana a Con- Confirmatur responsio.

[1] Epist. lib. V, ep. 54 (al. lib. IV, ep. 52) ad Episcopos Gall. — [2] Act. 1, 3 et 16. — Legatur *Relatio Sanctæ Synodi Chalcedonensis ad SS. Papam Romanæ Ecclesiæ Leonem, de omnibus gestis generaliter.*

[3] Epist. 13, ad Episcopos *Dardaniæ.* — [4] Epist. lib. VIII, ep. 30 (al. 31), ad *Eulogium.* — [5] Act. 15, can. 4. — [6] Epistol. lib. II, ep. 41, ad *Castror.* Episcopum. — [7] L. c., cap. 6, § 1, n. 1 et 2.

[8] Regale Sacerdotium Romano Pontifici assertum. — Auctor est Card. *Sfondratus, Mediolanensis, Romæ* a° 1695 vitâ functus (Nota edit.).

[9] De Concil. et Eccl., lib. II, cap. 19. — [10] Conc. *Constantiense,* sess. 45.

cilio cautionem petiit, ut post novi Pontificis electionem, ante ipsius coronationem, reformatio capitis et membrorum statuta fuisset; sed a Concilio fuit dictum, *quod Papa electus ligari non poterat* [1].

Additur, quod Concilium Constantiense (ut habetur apud ipsum *Febronium* [2]), damnavit errorem Wiclefi: *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias* [3].

Verum est, quod episcopi Galliæ, in congressu habito anno 1682, dixerunt: *Non probari a Gallicanâ Ecclesiâ, qui eorum decretorum... robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant* [4]. Sed verum etiam est, quod deinde multi episcopi, qui in illo congressu adfuerunt, in quâdam epistolâ ad Innocentium XII, anno 1692, scripserunt: *Se de gestis hujusmodi vehementer quidem et super omne id quod dici potest, ex corde dolere, ac quæcumque in præfatis comitiis suis, anno 1682, statuta fuissent, quæ Sanctitati suæ displicuerant, sive circa ecclesiasticam potestatem et pontificiam auctoritatem decreta,... pro non decretis nec deliberatis habere et habenda esse; serio insuper spondentes, se ita in posterum gesturos, ut cet.*

b Basilecn. **6.** Respectu autem ad Synodum Basileensem, illa communissime non pro Synodo œcumenicâ, sed pro conciliabulo reputatur. De eâ cardinalis Turrecremata, testis de visu, scripsit, quod decreta contra Papæ auctoritatem condita fuerunt « *ad furorem quorumdam hostium Apostolicæ Sedis, cum multitudine populi parvi pretii et nullius auctoritatis* [5] ». Et Æneas Silvius (ut refert Ludovicus *Muratorius* in suis *Anecdotis* [6]) in oratione peractâ anno 1452 adversus Australes, loquens de præfatis decretis, dixit: *Inter episcopos... vidimus in Basilea coquos et stabularios, orbis negotia judicantes; quis horum dicta vel facta judicaverit legis habere vigorem?* [7].

Unde merito S. Antoninus [8] et S. Joannes de Capistrano [9] hanc Basileæ Synodum appellaverunt *conciliabulum viribus cassum, synagogam Satanæ, Synodum profanam, excommunicatam, et basiliscorum speluncam.*

Confirmatur responsio.

Præterea, in Bullâ *Moyses* Eugenii IV a Concilio Florentino approbatâ, dictum fuit: *Propositiones... juxta pravum... Basileensium intellectum* (nempe circa auctoritatem Concilii supra Papam)... *veluti sacrosanctæ Scripturæ, et sanctorum Patrum, et ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium, tamquam impias et scandalosas, cet., ipso sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus* [10]. Itaque, ad habendam Synodum Basileensem tamquam generalem et legitimam, deberemus Concilium Florentinum illegitimum reputare; sed, ut vidimus *(Cap. IV, n. 11)*, ipsi quoque Galli ut legitimum illud tuentur, et *Jueninus* [11] pluribus momentis id probat.

Dicit *Febronius* [12], per duas Bullas Eugenium revocasse Synodi Basileensis dissolutionem prius præceptam; sed Febronius (omissis aliis responsionibus) saltem meminisse debet de duabus conditionibus, in prædictis Bullis Eugenii appositis: prima, ut auferrentur omnia, quæ

[1] Cfr. Congregationem, die 11 Septembr. 1417 habitam. — [2] L. c., cap. 2, § 3, n. 1. — [3] Sess. 8, prop. 41 *Wiclefi*. — [4] Propos. 2. — [5] Summa de Eccl., lib. II, cap. 100. — [6] Anecdota latin., t. 2, pag. 162 (Edit. *Mediolan.*, 1697). — [7] Oratio habita anno 1452 advers. *Australes*. — [8] Chronicor., p. 3, tit. 22, cap. 10 § 4 (*a*). — [9] De Papæ et Concil. sive Ecclesiæ Auctorit., partis 2ᵃᵉ principal. pars 3, n. 68 (*b*). — [10] Bulla « *Moyses* », 4 Sept. 1439. — [11] Institut. theol. proleg., diss. 4, qu. 3, cap. 2, a. 18, § 3. — [12] L. c., cap. 6, § 16, n. 8.

(*a*) *Conciliabulum*, inquit, *nullas vires habens, — Synagoga Satanæ* (Nota edit.).

(*b*) *Jam videmus*, inquit, *abominationem desolationis, Amedeum Sabaudiensem, non in loco sancto, Romano throno, sed in loco profano, excommunicato et interdicto, basiliscorum speluncâ, dæmonumque cavernâ sedentem* (Nota edit.).

adversus pontificiam potestatem acta fuerant; secunda, ut in Synodo cum effectu legati Pontificis admitterentur; quapropter, his conditionibus non impletis, Bullæ locum habere non potuerunt.

Objicitur 5°: *Trident.*

7. *Febronius* [1] præterea asserit, Concilium Tridentinum pro suâ sententiâ fuisse.

Respondetur.

— Sed somnium somniat; patet enim ex historiâ Concilii [2], a cardinali *Pallavicino* descriptâ, quod, licet hæc quæstio ibi nec decisa nec discussa fuerit, attamen, demptis Gallis, omnes alii episcopi, quum de hoc puncto sermo factus fuerit, suam sententiam pro Pontifice satis manifestarunt.

Adde, quod in Concilio Lateranensi V [3], ut notavimus cap. IV, n. 14, aperte declaratum fuit, Papam *supra omnia Concilia auctoritatem habere.*

Objicitur 6°: *Jus Canon.*

8. Opponunt Canonem « *Si Papa* », ubi papa Bonifacius martyr dixit, Pontificem Romanum *a nemine esse judicandum, nisi deprehendatur a fide devius* [4]. Ex hoc sic arguunt: ergo Papa est capax labendi in hæresim: atque si labendi capax est, nequit esse infallibilis.

Respondetur.

Respondemus, quod si umquam Papa, ut privata persona, in hæresim incideret, tunc ipse statim a papatu decideret; quum enim tunc esset extra Ecclesiam, Ecclesiæ caput amplius esse non posset. Unde eo casu Ecclesia deberet, non quidem eum deponere, quia nemo supra Papam jus habet, sed eum a pontificatu lapsum declarare. Diximus, si Papa *ut privata persona* laberetur in hæresim; nam Papa tamquam Papa, nempe docens totam Ecclesiam *ex cathedra*, non potest aliquem errorem contra fidem docere; quia deficere non potest promissio Christi, nimirum contra Ecclesiam numquam inferi portas esse prævalituras; et hic repetere oportet celebrem illam sententiam Origenis: *Manifestum est, quod si prævalerent* (portæ inferi) *adversus petram, in qua fundata Ecclesia erat, contra Ecclesiam etiam prævalerent* [5].

Objicitur 7°: Totum præest parti.

9. Opponit etiam *Febronius* tritam illam objectionem adversariorum: Totum non potest esse minus quam pars; Papa est pars Ecclesiæ; ergo Ecclesia, quæ totum est, est major Papâ.

Respondetur.

Respondent fautores Papæ, et recte respondent, quod, licet Papa sit pars, est tamen pars principalis Ecclesiæ, quum sit ejus caput; et quum sit caput, est totum, a quo omnia membra dependent. Corpus est capite majus, sed corpus dependet a capite, dum a capite omnes vitales spiritus corpus accipit. In quantitate grex major est pastore, sed in qualitate pastor major est grege. Rex est pars regni, nempe hominum, qui regnum componunt; sed rex regnicolis omnibus dominatur; et omnes, sive dispersi, sive in corpore congregati, regnicoli regi subjiciuntur. Ecce in nihilum redacta hæc magna adversariorum objectio: *Totum est majus parte.*

[1] L. c., cap. 1, § 8. — [2] Lib. XXI, cap. 4. — [3] Sess. 11. — Bulla « *Pastor ætern.* ». — [4] Cap. « *Si Papa* » 6, dist. 40. — [5] In *Matth.*, XVI, 18, et apud *Bellarm.*, De Sum. Pontif., lib. IV, cap. 3 (Vide etiam not. *a* in hoc Volumine, pag. 392). Verba, a *S. Alphonso* allata, ita citantur a *Bellarmino* (Nota edit.).

CAPITULUM IX.

FEBRONIUS PLURA ASSERIT, QUÆ DEINDE NON PROBAT;
IMMO A NOBIS PROBATUR OPPOSITUM.

Rom. Pontificis est I convocare Concilia. *Pius II.*

1. *Febronius*[1] asserit primo, quod convocatio Conciliorum minime ad Papam pertinet.

Sed Pius II, in suâ Constitutione « *In minoribus* », testatur: *Nullum invenimus* (Concilium) *umquam fuisse ratum, quod, stante Romano indubitato Præsule, absque ipsius auctoritate convenerit*[2]. Cuinam credendum: Pontifici an Febronio? Deberet saltem ipse credere Hincmaro, qui parum benevolus erga Sedem Apostolicam fuit, et tamen sic confessus est: *Apostolicæ Sedis jussione et imperiali convocatione*[3] semper olim Concilia fieri solita. Credere deberet S. Athanasio (prout legitur apud S. Gregorium), qui scripsit, Patres Concilii Nicæni I concorditer statuisse, nullum Concilium sine Pontificis auctoritate celebrandum: *Scimus, in Nicæna magna Synodo... ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari*[4].

Conc. *Chalced.*

Item in Concilio Chalcedonensi declaratum fuit, Dioscorum ab Ecclesiâ Alexandriæ jussu Pontificis remotum fuisse, quia (attende rationem) *Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam* (nota) *licuit, numquam factum est*[5].

Item de Concilio Ephesino (in epistolâ ejusdem, quæ incipit « *Pietas vestra* ») legitur: *Hæc itaque etiam primus sanctissimus Episcopus Romanus Cœlestinus, antequam colligeretur sanctissima Synodus, nuntiavit*[6]. Conc. *Ephesin.*

Item in Concilio Nicæno II, sub Adriano I, reprobata fuit antecedens Synodus Constantinopolitana, eo quod sine Papæ consensu congregata fuerat, quia *non habuit cooperarium... Romanum Papam,... quemadmodum fieri in Synodis debet*[7]. *Nicaen. II.*

Præterea episcopi ad imperatorem sic scripserunt: *In Chalcedonensium civitate multis episcopis convenientibus per jussionem Leonis, Romani Pontificis, qui vere caput est Episcoporum, cet.*[8]. Et in relatione, ab ipso Concilio ad Papam missâ, dictum fuit: *Tu quidem, sicut membris caput, præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, cet.*[9].

Præterea Pelagius II declaravit irritum quoddam Concilium, quia factum sine assensu pontificio, ut habetur in canone « *Multis* »[10]. *Pelag. II.*

Ita pariter Julius papa ob eamdem causam irritavit aliud concilium Antiochiæ congregatum, ut refert Socrates[11]. *Julius.*

[1] L. c., cap. 6, § 2. — [2] 26 *Apr.* 1463. — [3] Opusc. LV capitulor. adv. *Hincmar. Laudunen.*, cap. 20 (*a*). — [4] Epist. ad *Felicem* Papam. — [5] Act. 1, init. — [6] Act. 3, Relatio ad imper. *Theodos.* et *Valent.* — [7] Act. 6, Definitio S. Synodi (Col. reg., t. 18). — [8] Conc. *Chalced.*, p. 3, cap. 32, Epist. Episcoporum *Mœsiæ* secundæ ad *Leonem* Imperat. — [9] Ibid., cap. 2, Relatio Concilii ad *Leonem* Papam. — [10] Dist. 17, cap. *Multis* 5, Epist. ad *Joannem* Episc. *Constantinop.* — [11] Hist., lib. II, cap. 8 (*b*).

(*a*) *Claret*, inquit,... *generales Synodos nominari, quum plures Episcopi quam in quibusdam præfatis Synodis fuerint congregati Apostolicæ Sedis jussione et imperiali convocatione* (Nota edit.).

(*b*) *Neque Julius interfuit*, inquit, *Romanæ Urbis Episcopus, nec quemquam eo misit, qui locum suum impleret; quum tamen ecclesiastica regula vetet, ne absque consensu Romani Pontificis quidquam in Ecclesia decernatur.* Et lib. II, cap. 17: *Julius... graviter conquestus est... quod contra canones ipsum ad Synodum non vocassent, quum ecclesiasticâ regulâ interdictum sit, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur* (Nota edit.).

Paschal. II. Præterea Paschalis II (ut habetur in capite « *Significasti* ») scripsit: *Quum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem et facta sint, et robur acceperint, et in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas* [1]; hocque vigore illius plenæ potestatis, quæ a Domino Pontifici tradita est, ut Concilium Florentinum declaravit verbis illis: *Et ipsi in Beato Petro... regendi... Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur* [2].

Objicitur. **2.** Sed clamat *Febronius* [3] dicens, quod in octo primis Conciliis generalibus, et præsertim quatuor Constantinopolitanis, Pontifices nullam habuerunt partem. —

Respondetur. Sed facto probatur oppositum; nam primum Concilium Constantinopoli celebratum sub Theodosio seniori, imperatore, in tantum potuit dici œcumenicum, in quantum a S. Damaso ut tale fuit declaratum; in eo enim Concilio nullus occidentalium episcoporum intervenit. Ultraquamquod plura adsunt documenta, quibus probatur, Concilium illud auctoritate Pontificis fuisse convocatum; Theodoretus [4] enim refert epistolam Patrum ejusdem Concilii ad S. Damasum, ubi scripserunt: *Nos.., ut propria membra per litteras Dei amantissimi imperatoris evocastis.* Item in Synodo VI sic legitur: *Maximus imperator Theodosius, et Damasus, fidei adamas,... obstiterunt (Macedonio)* [5].

Rom. Pontificis est II dirigere Concilia, vel sine iis agere. **3.** Asserit secundo *Febronius* [6], quod nullus Pontificum ausus est discutere definitiones Conciliorum pro generalibus habitorum; sed contrà, Pontifices suas definitiones ad Concilia transmittebant, ut ab illis confirmarentur.

At penitus in utroque errat.

Constat enim, quod in primis Ecclesiæ sæculis hæreses, quæ iis temporibus pullulaverant, Pontifices damnarunt, et ipsorum damnationibus omnes fideles acquievere; idque accidit, ut alibi notavimus [7], quoad hæreses Nicolaitarum, Ebionistarum, Marcionistarum, Cerdionistarum, Novatianorum, Valentinianorum, Apellianistarum, Tertullianistarum, Hermogenistarum et aliorum.

S. Augustin Id testatur S. Augustinus in libro contra duas epistolas Pelagii, ubi reprobans, qui dicebant, omnino Concilia esse necessaria ad hæreses damnandas, scribit: *Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, quum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit* [8]. Insuper id testatus est etiam Concilium Ro- *Conc. Rom.* manum œcumenicum, anno 869, sub Adriano II, ubi dictum fuit: *Retro olimque semper, quum hæreses et scelera pullularent, noxias illas herbas et zizania Apostolicæ Sedis Romanæ successores exstirparunt* [9]. Et adhuc in subsequentibus sæculis, plures aliæ hæreses a Pontificibus sine Concilio proscriptæ fuerunt, nempe Joviniani, Priscilliani, Pelagii, Vigilantii, Berengarii, Gilberti Porretani, et ultimo Baii et Jansenii.

Cur Concilia Pontificis sententiam confirmaverint. **4.** Respondemus præterea quod, licet in sequentibus sæculis Pontifices curaverint, quasdam eorum damnationes a Conciliis œcumenicis confirmari, hujusmodi tamen confirmationes non quidem a Pontificibus requisitæ fuerunt, ut ipsorum definitiones vim obligandi adipiscerentur, uti vult supponere *Febronius*, sed ut judicium solemnius redderetur; — item, ut episcopi, res in Concilio discutiendo, plenius de veritatibus fidei instruerentur, et sic melius postea suas diœceses instruerent; — item, ut sic ora occluderentur incredulorum, qui quum a solis Pontificibus condemnantur, solent eos inculpare vel de ignorantiâ, vel de omissâ debitâ quæstionis discussione; — ut de-

[1] Cap. « *Significasti* » 4 de Elect., epist. ad Archiepisc. *Panormitan.* — [2] Sess. ult. Def. — [3] L. c., cap. 6, § 2. — [4] Hist. Eccl., lib. V, cap. 9. — [5] Act. 18, serm. acclamatorius. — [6] L. c., cap. 6, § 6. — [7] Cap. VI. — [8] Lib. IV, cap. 12, n. 34. — [9] Act. 3, relat. in Conc. œcum. VIII, Act. 7.

mum populi ad se tuendos a seductoribus cautiores fierent. Hæ sunt veræ causæ, ob quas Pontifices, postquam errores damnaverunt, curarunt ut etiam a Conciliis damnarentur. Ac ideo Zosimus papa ad episcopos Carthaginienses (ut refert Baronius [1]) scripsit: *Quamvis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per Canones semper... servaverit,... tamen, quum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostrâ possit retractare sententiâ, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus;... non quia* (notetur) *quid deberet fieri, nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Ecclesiæ veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum.*

Pontifex normam Conciliis præscripsit.

5. Ceterum Pontifices, post suas definitiones, minime quidem Conciliorum confirmationes exspectabant, ut illæ firmæ et irrefragabiles evaderent; sed ipsi Conciliis normam præscribebant, quomodo ab eis decreta formanda fuissent. In causâ Nestorii, ab initio S. Cyrillus Alexandrinus, qui principaliter operam dedit, ut error Nestorii proscriberetur, scripsit Pontifici Cælestino: *Digneris... quid hic sentias, præscribere... Porro tuæ integritatis mens et super hac re sententia piissimis... totius Orientis antistitibus perspicue per litteras exponi debet; nam, cupientibus illis, ansam dabimus, ut omnes uno animo in unâ sententiâ persistant* [2]. En quomodo existimaret S. Cyrillus, quod Cælestini sententiæ omnes episcopi acquiescerent.

Conc. *Ephes.*

In Actis autem Concilii Ephesini (ut refert idem Febronius [3]) habetur, quod Cælestinus ad S. Cyrillum Alexandrinum sic scripsit: *Auctoritate igitur tecum nostræ Sedis adscitâ, vice nostrâ usus, hanc exsequéris districto rigore sententiam, ut infra decem dies* (Nestorius) *pravas prædicationes suas condemnet, cet. Eadem scripsimus ad sanctissimos fratres et coepiscopos nostros, Joannem, Rufum, cet., ut nota sit de eo nostra, immo Christi divina sententia* [4]. Scripsit etiam (ut habetur Act. 2) ad Patres Concilii: *Direximus pro nostrâ sollicitudine sanctissimos fratres* (legatos)..., *qui iis quæ aguntur, intersint, et quæ a nobis ante statuta sunt, exsequantur* [5]. — Scripsit simul ad suos legatos: *Auctoritatem Sedis Apostolicæ custodiri debere mandamus, siquidem et instructiones, quæ vobis traditæ sunt, hæc loquuntur* [6]. Quapropter Patres in prolatione sententiæ contra Nestorium dixerunt: *Coacti per sacros Canones et epistolam sanctissimi Patris nostri et comministri Cælestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis... perfusi ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus, cet.* [7]. — Sed dicitur ibi: « *coacti per Canones* »; ergo non per solam epistolam Cælestini? — Equidem, quia Pontifices dubia fidei non definiunt pro suo libito, sed juxta Scripturas Sacras et Canones præcedentium Conciliorum vel Pontificum.

6. Accedit, quod Arcadius, unus ex legatis, hæc protulit: *Nos etiam secuti sanctiones jam ab initio traditas,... necnon secuti formam Cælestini sanctissimi papæ,... cognoscat Nestorius se episcopali dignitate exutum, cet.* [8].

Accedit, quod post sententiam latam a Concilio contra Nestorium, pervenit Ephesum Philippus, alter legatus Papæ, qui, post exactam inquisitionem rerum gestarum, omnia exsecuta juxta Papæ sententiam invenit, et tunc Philippus et alii legati acta Concilii confirmaverunt. Id Febronius advertere debebat, dum scripsit [9], esse inauditum, Pontifices umquam

[1] Annal., ann. 418, n. 5. — [2] Epist. ad *Cælestin.* Papam. Conc. *Ephes*, p. 1, cap. 14. — [3] L. c., cap. 5, § 4, n. 2, ex Collect. *Harduin.*, t. 1, col. 1323. — [4] In Conc. *Ephes.*, p. 1, cap. 15, Ep. ad *Cyrill. Alexandr.* — [5] Conc. *Ephes.*, Act. 2, Epist. ad Synod. *Ephes.*, Coll. reg., t. 5, pag. 595. — [6] Epist. 17, ad Episcopos euntes ad Orientem. Apud *Balut.*, Nova Collect. Concil., pag. 381. — [7] Act. 1, Sentent. Depositionis contra *Nestorium.* — [8] Conc. *Ephes.*, Act. 3. — [9] L. c., cap. 6, § 6.

ad examen revocasse gesta ab aliquo Concilio generali. Claudat os Febronii saltem pater Natalis Alexander, ejus carissimus socius, qui scripsit: *Satis est quod præfuerit Ephesino Concilio Cœlestinus per legatos, et quod maxima ratio habita sit litterarum ipsius et sententiæ ab eo contra Nestorium latæ, ad eamque Patres decretum ac sententiam suam exegerint, ut ex illius auctoritate sacrum illud Concilium factum intelligatur ac dicatur* [1]. Et antea scripsit etiam Gennadius, *Cœlestinum decreta Synodi adversum supradictum Nestorium dictasse, cet.* [2].

Conc. Chalced.

7. Præterea S. Leo, in suâ epistolâ ad Patres Concilii Chalcedonensis, scripsit: *Fratres carissimi, rejectâ penitus audaciâ disputandi contra fidem divinitus inspiratam,... nec liceat defendi, quod non licet credi, quum secundum evangelicas auctoritates... apostolicamque doctrinam... lucidissime per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis Domini nostri... pia et sincera confessio* [3].

Confirmatur.

8. Præterea, in eodem Concilio Chalcedonensi (cujus nimis injuste unus ex adversariis, auctor *Instructionum, cet.*, dubitat, an fuerit œcumenicum) Patres dixerunt: *Beatissimi... Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus...; hoc nos observare necesse est* [4]. — Atque etiam dixerunt: *Sanctissimus... Archiepiscopus... Romæ Leo, per... præsentem sanctam Synodum, unà cum... beato Petro Apostolo, qui est petra et crepido Catholicæ Ecclesiæ, et rectæ fidei fundamentum, nudavit eum* (Dioscorum) *episcopatûs dignitate, cet.* [5] Et, ut legitur in Actis ejusdem Concilii, expresse confessi sunt Patres: *Imperari sibi a Pontifice Romano, legesque dari, et fidei formam præscribi patiuntur, et parent* [6]. Quid clarius? — Demum, post extensa decreta, illorum confirmationem expostulantes, sic Pontificem obsecrarunt: *Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium; et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat* [7]. Ecce quam diverse loquantur Concilia de Pontifice Romano quam Febronius, qui Papam fere omni ejus auctoritate quærit exspoliare.

Scripsit postea Gelasius papa, loquens de Concilio Chalcedonensi: *Cognoscant igitur, illud secundum Scripturas sanctas traditionemque majorum, secundum Canones regulasque Ecclesiæ pro... veritate catholica..., pro quâ hanc fieri formam Sedes Apostolica delegavit, factamque firmavit, a totâ Ecclesiâ indubitanter admitti; alia autem... quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenus delegavit, mox a vicariis Sedis Apostolicæ contradicta* [8].

Conc. Constantin.

9. Præterea, in quodam Concilio Constantinopolitano (536), a Patribus dictum fuit: *Nos... Apostolicam Sedem sequimur,... et ipsius communicatores communicatores habemus, et condemnatos ab ipsâ et nos condemnamus* [9].

Concil. V œcum.

Item quoad Concilium V œcumenicum, quamvis Vigilius papa fuerit prius diversæ sententiæ, tamen, quum postea res clarius fuerint patefactæ, ipse condidit celebre illud decretum, appellatum *Constitutum Vigilii de Tribus Capitulis*, ubi dixit: *Statuimus... nulli... licere quidquam contrarium his quæ præsenti... sta-*

[1] Histor. Eccles., sæc. V, diss. 7, qu. 1, object. 3. — [2] De Scriptorib. ecclesiast., cap. 54 (*a*). — [3] Epist. 47 (alias 93), ad Synod. *Chalcedon.*, cap. 2. — [4] Act. 1, init. — [5] Act. 3. — [6] Act. 1, 3 et 16. Legatur *Relatio sanctæ Synodi Chalcedonensis ad SS. Papam Romanæ Ecclesiæ Leonem, de omnibus gestis generaliter.* — [7] P. 3, cap. 2, Relatio ad *Leonem* Papam. — [8] Opusc. de anathematis vinculo. — [9] Act. 4. Sententia *Mennæ* contra *Anthimum* (Vide in hoc volumine pag. 349, not. *a*).

(*a*) *Cœlestinus*, inquit,... *decretum Synodi adversum supradictum Nestorium habitum volumine describens, ad Orientis et Occidentis Ecclesias dedit, confirmans, duabus in Christo manentibus perfecte naturis, unam Filii Dei credendam esse personam* (Nota edit.).

tuimus Constituto... proferre,... aut aliquam post præsentem definitionem movere ulterius quæstionem [1]. Et inde ipse Vigilius Concilium confirmavit, ut probant Petrus de Marca [2], Evagrius [3], ac ipse Photius [4], quamvis acerrimus hostis Ecclesiæ Romanæ. Atque etiam in Synodo VI [5] de tali confirmatione mentio fit.

Conc. VI. Constantin. III.

10. Præterea Sanctus Agatho papa, loquens de Patribus Synodi Constantinopolitanæ III contra Monothelitas, ad Augustos scripsit: *Nihil profecto præsumant augere, minuere vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut a prædecessoribus Pontificibus instituta est, enarrare.... Hæc Apostolica ejus* (Sancti Petri) *Ecclesia numquam a viâ veritatis... deflexa est; cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium principis, semper... Christi Ecclesia et universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, cet.* [6] Nota verba « *fideliter amplectentes* ». Quum hæc epistola Agathonis perlecta fuerit a Patribus Synodi, ipsi ad Pontificem sic scripserunt: *Itaque tibi, ut primæ Sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter perlectis veræ confessionis litteris a vestrâ paternâ Beatitudine ad piissimum imperatorem missis, quas a summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus* [7]. Pontifex autem, in secundâ epistolâ missâ ad Augustos, expressit id quod ipse definierat, quodque a Patribus Concilii pro certo et immutabili tenendum erat, dicens mittere eis personas, *quæ omnium nostrum...* (*a*) *suggestionem, in quâ et apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibavimus, offerre debeant; non tamen* (perpendantur sequentia verba) *tamquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosâ definitione proferre; suppliciter obsecrantes ut... hæc eadem omnibus prædicari atque apud omnes vim obtinere jubeatis* [8]. Hæc epistola fuit quidem a Patribus accepta; unde ipsi, post celebratam Synodum, sic Pontifici rescripserunt: *Non commoti gratiâ, non odio, quemadmodum ex eis cognoscere potestis, quæ in unoquoque negotio sunt pertractata... et... ad vestram Beatitudinem mittuntur, ac intelligetis a vicariis Sanctitatis vestræ..., tum ab iis... sanctis episcopis, qui recte ac probe ex vestrâ disciplinâ in primo fidei capitulo unà nobiscum decertarunt. Sic nos Sancto-Spiritu illustrati vestraque instituti doctrinâ, infesta dogmata impietatis depulimus, cet.* [9] — Et *in Actione 18* dixerunt: *Per Agathonem Petrus loquebatur* [10].

11. Præterea in Concilio Constantinopolitano IV, Patres dixerunt: *Neque nos sane novam de illo judicio sententiam ferimus, sed jam olim a sanctissimo papa Nicolao pronunciatam, quam* (notetur) *nequaquam possumus immutare* [11]. — Et *in Regula II*, dictum fuit: *Papam Nicolaum tamquam organum Sancti-Spiritus habentes, cet.* [12] En quomodo Pontifices non ipsi a Conciliorum decretis penderent, sed ipsi Conciliis normam rerum decernendarum præscriberent. Sed quod magis urget, est libellus sive formula a legatis præsentata Patribus Concilii, ut ab eis subscriberetur; ibi sic dicebatur: *Quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis: « Tu es Petrus, et super hanc petram, cet., » hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolicâ immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide*

Constantin. IV.

[1] Constitut. de Tribus Capitulis, vers. fin. — [2] Dissert. de *Vigilii* Decreto pro Confirmat. V Synodi. — [3] Hist., lib. IV, cap. 38. — [4] Epistol. lib. I, ep. 8, ad *Michael., Bulgariæ* princip., n. 15. — [5] Act. 18, Prosphon. sive sermo acclamat. ad *Constant. Pogonat.* — [6] Epist. 1, ad Augustos Imperatores (*Constantinum, Heraclium* et *Tiberium* Fratres). — [7] Act. 18, Litteræ Synodi ad *Agathonem.* — [8] Epist. 3 (2ª ad Augustos). — [9] Act. 18. — [10] Ibid., Sermo acclamatorius. — [11] Act. 5. — [12] Act. 10, regula 2.

(*a*) i. e. 125 episcoporum, Romæ die 27ª martii 680 in Concilio congregatorum (Nota edit.).

atque doctrinâ separari minime cupientes, et Patrum et præcipue sanctorum Sedis Apostolicæ præsulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses simul cum iconomachis [1].

Pater Natalis Alexander [2] non renuit fateri, hunc libellum magnificum esse argumentum de supremâ Pontificis potestate; etenim libellus sive formula illa in Concilio lecta fuit, et unâ voce laudata ac subscriptione approbata, exceptis duobus episcopis, qui *in tertia Actione* a Concilio expulsi fuere, quia subscribere noluerunt.

Synod. *Roman.*

Præterea in Synodo Romanâ, celebratâ sub Martino I, anno 649, contra Monothelitas, refertur epistola Concilii Africani ad papam Theodorum, ubi sic dictum fuit: *Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis... ageretur provinciis, non prius tractandum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus auctoritate, juxta quæ fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis* [3]. — Hæc habentur apud ipsum Febronium [4].

Conclusio.

12. Sed cur, instat *Febronius*, res a Pontifice definitæ, iterum in Conciliis discutiebantur, nisi quia sine Conciliorum judicio pontificiæ definitiones satis firmæ non erant, nec vim obligandi habebant? — Nequaquam; discutiebantur, respondeo, quia sic ipsimet Pontifices optabant ac præcipiebant, non quidem ut veritas circa res definitas quænam esset inveniretur, sed ut illa jam inventa magis claresceret, et apud omnes manifestaretur. Etiam scholæ dogmata, jam ab Ecclesia definita, ad examen revocant, non quidem ad veritatem inquirendam, sed ad illam amplius illustrandam et patefaciendam; sicque agebatur per Concilia; sed Pontifices, ut mox suprà vidimus, eodem tempore præcise jubebant, in Concilio circa decreta ab ipsis edita nihil immutari, sed omnia statui juxta instructiones, quas ipsi præmiserant. Et si aliquando Concilia aliquid de novo decreverint, quod a Papa nondum statutum fuerat, confirmationem de omnibus a Pontifice postulabant.

Rom. Pontificis est III Conciliorum Decreta confirmare.

13. *Febronius* [5] probare conatur, decreta Conciliorum generalium numquam indiguisse confirmatione Pontificis.

At oppositum multis evidenter demonstratur. Scripsit S. Damasus papa ad Patres Concilii Africani, nullo episcoporum numero decreta firmari, quibus Romanus Pontifex assensum non præbuit, et hujus ante omnia exspectandam sententiam esse: *neque ulla umquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolicâ auctoritate* [6]. Et in facto, usque a Concilio Nicæno I id observatum fuit, ut refertur in Synodo Romanâ sub Felice III, ubi dictum fuit: *Trecenti decem et octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt* [7]. — Et *Bail* [8] refert verba epistolæ, quam Patres ad papam Silvestrum miserunt, nimirum: *Nunc itaque ad vestræ Sedis argumentum accurrimus roborari...; quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmetur.* — Et S. Silvester alterâ suâ epistolâ respondit: *Gaudeo, promptam vos benignitatem servare; nam et confirmo, cet.* [9].

Nicaen. I.

Chalced.

14. Patres Concilii Chalcedonensis ad S. Leonem scripserunt: *Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium* [10]; utque refert Cabassutius [11], addiderunt:

[1] Act. 1, Libell. *Romanæ* Eccl. ad Augustos. — [2] Hist. Eccles., sæc. IX et X, diss. 4, § 13. — [3] Secretar. 2 (Vide etiam *Migne*, Patr. Lat., tom. 87, col. 83: *Epist. Ecclesiar. African. ad Sanctum Theodorum, Rom. Pontif.*). — [4] L. c., cap. 5, § 4, n. 1. — [5] L. c., cap. 6, § 5. — [6] Epist. 4, ad *Stephanum*, n. 2. *Labbe-Colet*, tom. II, col. 1020. — [7] Epist. Synodi ad Cler. et Monach. Orient. — [8] Summa Concilior., Conc. *Nicæn.* I, pars 2, epist. penultim. — [9] Rescript. ad Conc. *Nicænum*. — [10] P. 3, cap. 2, Relatio Conc. ad *Leonem* Pap. — [11] Notit. eccles. Concilior. sæc. I, de Concil., n. 20.

Ut nutu divino gubernati, omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad nostræ sinceritatis comprobationem atque ad eorum, quæ a nobis gesta sunt, confirmationem (a).

Constantin. IV. Pariter Patres Concilii Constantinopolitani IV scripserunt ad Adrianum papam: *Igitur libenter oppido et gratanter, imitatrice Dei Sanctitate vestra omnium nostrum conventuum et universalis hujus atque catholicæ Synodi consensum et consonantiam recipiente, prædica eam magis ac veluti propriam, et sollicitius* (nota) *confirma coangelicis præceptionibus et admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis personet et suscipiatur veritatis verbum et justitiæ decretum* [1].

Constantiens. Pariter Synodus Constantiensis confirmari debuit a Martino V, ac Tridentina a Pio IV, juxta petitionem, quæ legitur ibi, sessione 25, post quam Pius Concilium confirmavit per Bullam « *Benedictus Deus* », et ejus omnibus fidelibus observantiam præcepit his verbis: *Quum autem ipsa Sancta Synodus, pro suâ erga Sedem Apostolicam reverentiâ, antiquorum etiam Conciliorum* (nota) *vestigiis inhærens, decretorum suorum omnium... confirmationem a nobis petierit,... illa omnia et singula auctoritate apostolicâ hodie confirmavimus, et ab omnibus Christi fidelibus suscipienda ac servanda esse decrevimus* [2]. — Idem quippe peractum fuit ab aliis Conciliis.

Canones. Refert Socrates Canonem ecclesiasticum, quo generaliter statutum fuerat « *Ne decreta aliqua absque sententiâ Episcopi Romani in Ecclesiâ sanciantur* [3]. Idemque declaravit S. Gelasius I per Constitutionem « *Valde* » (quæ legitur *tom. I Bullar.*), ubi loquens de Sede Romanâ, dixit: *Quæ et unamquamque Synodum suâ auctoritate confirmat* [4]. Atque de hoc rationem adducit: *Quoniam, sicut id quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit* [5].

15. Hinc S. Thomas scripsit: *Cujus* (Pontificis) *auctoritate solâ Synodus congregari potest, et a quo sententia Synodi confirmatur* [6]. Hæcque veritas negari non potuit ab uno maximorum impugnatorum pontificiæ potestatis, qualis fuit Petrus de Marca, in suo libro *De Concordia* [7]. Et pater Natalis Alexander [8], loquens de Pontifice, non renuit scribere, quod in Conciliis, eo auctore, omnia decernuntur. Et infra scripsit: *Dei providentia..., Spiritus-Sancti... assistentia... hactenus effecerunt, ut Romani Pontifices bene gesta Concilia approbarent, male gesta rejicerent* [9]. Hæc verba in ore patris Natalis, qui strenue enititur potestatem Conciliorum exaltare et auctoritatem Papæ deprimere, valde magni sunt ponderis. S. Thomas.

16. Præterea *Febronius* [10], pluribus in locis sui libri, contendit adstruere, bene posse appellari a Papâ ad Concilium generale, non autem a Concilio ad Papam. Rom. Pontificis est IV supremum ferre judicium. A Papa nequit appellari. Conc. Sardic.

Sed oppositum etiam multis evidenter probatur. Id declaravit Concilium Sardicense, quod, ut scribit Sulpicius [11], ab omni orbe convocatum fuit; unde a Socrate [12] non immerito œcumenicum appellatur, quum in ipsum convenerint legati Julii I et trecenti episcopi ab omnibus terræ partibus, ab Italiâ, Galliâ, Hispaniis, Britanniâ, Africâ, Ægypto, Syriâ, Thraciâ, Pannoniâ, et ab aliis regnis, ut S. Athanasius enarrat in sua secunda *Apologia* [13]. In Canone IV hujus Concilii dictum fuit: *Quum aliquis episcopus de-*

[1] Act. 10, Epist. Conc. ad *Hadrian.* Pap. — [2] Bulla « *Benedictus Deus* ». — [3] Hist., lib. II, cap. 8 et 17. — [4] Bullar. *Roman.*, vol. I, Const. 5 *S. Gelasii*, § 6. — [5] Ibid., § 15. — [6] Quæst. disp. De Potentia, q. 10, a. 4 ad 13. — [7] *De Concordia Sacerdotii et Imperii*, lib. 5, cap. 7, n. 1. — [8] Sæc. XV et XVI, diss. 4, a. 1, § 5, n. 35. — [9] Ibid., n. 47. — [10] L. c., cap. 6, § 10. — [11] Historia Sacra, lib. II, cap. 36. — [12] Hist. ecclesiast., lib. II, cap. 20. — [13] Apologia contra *Arianos*, n. 1.

(a) Epistola synodica, ex qua hæc verba excerpta sunt, reperitur etiam græce et latine scripta, inter Opera Sancti Leonis Magni; *Edit. Ballerin., ep. 98* (Nota edit.).

positus fuerit eorum episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Româ, alter episcopus in ejus Cathedrâ post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata [1]. Atque in Canone III dictum fuit: *Si aliquis episcoporum judicatus fuerit..., et putet se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur,... scribatur... Romano Episcopo; et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et det judices* [2]. Adverte: « *Si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur* ». Hic Canon, scribit pater Natalis Alexander [3], satis ostendit, Papam non tantum jus habere revidendi causas, ut vult Febronius [4], sed etiam judicandi appellationes. Eodemque loco [5] pater Natalis probat, Petrum et ejus successores recepisse hanc potestatem, non a Concilio (ut etiam contendit Febronius [6]), sed a Christo, in sequelâ sui primatus; unde infertur, Concilium Sardicense non jam instituisse, sed confirmasse hoc privilegium Pontificis. Et deinde idem pater Natalis plurima exempla appellationum ad Pontifices refert [7].

Conc. Chalced. Ephesin.

17. S. Thomas scribit, ex Conciliis Chalcedonensi et Ephesino haberi, quod a Concilio appellari potest ad Papam, sed non a Papâ ad Concilium: *Ex gestis Chalcedonensis Concilii habetur primo, quod sententia Synodi a Papâ confirmatur; secundo, quod a Synodo appellatur ad Papam; tertio, quod a Papâ ad Synodum non appellatur, ut habetur ex gestis concilii Ephesini* [8]. Idem jampridem scripsit etiam Gelasius [9] papa in suâ epistolâ ad Faustum (quæ legitur apud Gratianum), dicens, eosdem Canones statuisse, quod appellationes totius Ecclesiæ ad Sedem Romanam deferantur, a quâ postmodum nulla superest appellatio: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri; ab ipsâ vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt* [10]. Et in epistolâ missâ ab eodem Gelasio ad episcopos Dardaniæ (de cujus authenticitate testantur Facundus Hermianensis [11] ac Ballerini [12], et habetur in Canone *Cuncta*) dixit: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi; neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illâ autem nemo est appellare permissus* [13]. Gelasius.

Et de hoc in eâdem epistolâ tria refert exempla: 1^um^ Athanasii, qui, injuste accusatus, fuit deinde a Julio papâ tamquam innocens absolutus; unde ipse Julius scripsit: *Quum igitur istiusmodi allegarentur, et tot testes pro Athanasio starent, et ipse tam justa pro se afferret, quid, quæso, nos oportuit facere? an non, quod ecclesiastici canonis est, hominemque proinde non condemnaremus, sed potius reciperemus, eumque pro episcopo, quemadmodum est, haberemus?* [14] Et deinde: *An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri posset?* [15] — 2° Chrysostomi, qui, prius damnatus in duobus Conciliis operâ Theophili, episcopi Alexandrini, ut eruitur a Theodoreto [16], postea a papâ Innocentio I

[1] Can. 4, ex interpretat. *Dionysii* Exigui. — [2] Can. 3. — [3] Sæc. IV, diss. 28, propos. 2. — [4] L. c., cap. 5, § 6, n. 2. — [5] Ibid., propos. 1. — [6] L. c., init. — [7] L. c, prop. 3. — [8] Quæst. disp. de Potentia, q. 10, a. 4, ad 13 (*a*). — [9] Epist. ad *Faustum* legatum. — [10] Can. « *Ipsi* » 16, causa 9, q. 3. — [11] *Facundus, Hermianensis* in Africæ provincia *Byzacena* episcopus, Pro Defensione Trium Capitulor., lib. V, cap. 4. — [12] De antiq. Collect. Canon. — [13] Can. « *Cuncta* », 17, causa 9, q. 3. — [14] Epist. ad Oriental. (sive *Antiochenos*), n. 13. — [15] Ibid., n. 22. — [16] Ecclesiastica Hist., lib. V, cap. 34.

(*a*) En ipsa (l. c.) *S. Thomæ* verba: *Cujus* (Romani Pontificis) *auctoritate solâ Synodus congregari potest, et a quo sententia Synodi confirmatur, et ad ipsum a Synodo appellatur; quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi* (Nota edit.).

absolutus fuit. — 3° Flaviani, qui, pariter damnatus in Concilio Ephesino II, *Latrocinio* appellato, ad S. Leonem papam appellavit, ut constat ex ejusdem Leonis epistolâ, ubi legitur: *Quia et nostri fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit, cet.* [1] At, in eo libello, Flavianus non jam ad Concilium appellavit, ut asserit Febronius [2], sed ad Pontificem, ut legitur in libello: *Causa eget solummodo vestro solatio atque defensione, quâ debeatis consensu proprio ad... pacem cuncta perducere; sic enim hæresis... et turbæ, quæ propter eum factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas litteras; removebitur autem et Concilium, quod fieri divulgatur* [3].

Sozomen. Item refert Sozomenus [4], causas quinque aliorum episcoporum judicatas fuisse a Pontificibus, a quibus illi tamquam innocentes ad proprias Ecclesias restituti *Lupus.* fuerunt. Insuper Christianus Lupus, in quadam suâ Dissertatione [5], ostendit jus hoc appellationum in Romana Sede esse divinum, idque pluribus exemplis ostendit.

Petrus de Marca. **18.** Respectu autem ad appellationes a Papâ ad futurum Concilium, observat Petrus de Marca, hujusmodi appellationes fuisse novas: *Novam dixi, quia numquam in Ecclesiâ admissa fuit provocatio a Papâ ad Concilium, licet aliquando, remedio quodam extraordinario, Sedis Apostolicæ judicium in majori Synodo instauratum fuerit.... Aliquando tamen, ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem, imperatorum rescripto Apostolicæ Sedis judicia in majori Synodo instaurari contigit, in quâ per legatos Romanus Episcopus intererat* [6]. Sed hæc revera non erat propria appellatio; quum enim appellatio producitur, intervenire non debent judices, a quibus appellatum est.

19. Affert *Febronius* [7] factum Innocentii III, qui quum a Philippo Augusto, Galliæ rege, requisitus fuisset ad dispensandum in dissolutione matrimonii cum *Ingeburgâ*, Pontifex respondit: *Si super hoc absque generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam... quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis et officii nobis periculum immineret* [8]. Ex hoc Febronius et alii adversarii inferunt, quod Innocentius verbis illis Concilio se subjecit, aut saltem quod confessus sit, posse deponi a Concilio, si in tali matrimonio contra legem divinam dispensasset. Sed hæc illatio valde irrationabilis est; nam respondetur, non esse dubium, quod si Papa esset hæreticus declaratus, sicut ille qui publice aliquam doctrinam legi divinæ oppositam definiret, posset a Concilio non quidem deponi, sed tamquam hæreticus a pontificatu declarari lapsus; et hoc erat periculum indicatum ab Innocentio, ne privaretur *ordine et officio;* quapropter ipse prius in eâdem epistolâ scripserat, non audere se hoc punctum definire contra Evangelium, ubi dicitur: *Quod... Deus conjunxit, homo non separet* [9]. Sed quia periculum erat valde remotum, et contrà, Pontifex quærebat quadam apparenti excusatione se liberare ab instantibus petitionibus regis ad dispensandum, ideo illa obscura et dubiosa verba scripsit: *Forsan ordinis et officii nobis periculum immineret.*

Objectio.

Responsio.

Ceterum verbis illis utique Innocentius non intellexit asserere, Papam subesse Concilio, dum ipsemet Innocentius declaravit, potestatem Pontificis non posse a Concilii potestate limitari, sic dicens: *Quamvis autem Canon* (scilicet tertius) *Lateranensis Concilii ab Alexandro, prædecessore nostro, editus, non legitime genitos adeo persequatur, quod electionem*

Confirmatur responsio.

[1] Epist. 44 ad *Theodosium*, cap. 3. — [2] L. c., cap. 5, § 9, n. 3. — [3] Libell. appell. in Conc. *Chalc.*, p. 1, ep. 4 (alias inter opera *S. Leon.*). — [4] Hist. eccles., lib. III, cap. 8. — [5] *Divinum... S. Petri... circa omnium... ad Rom. ejus Cathedram appellationes Privilegium*, cap. 2 et 13. — [6] De Concord. Sacerdotii et Imperii, lib. IV, cap. 17, n. 1 et 2. — [7] L. c., cap. 6, § 10, n. 5. — [8] Regest., lib. XV, epist. 106, ad *Philippum* Regem. — [9] *Matth.*, XIX, 6.

talium innuit nullam esse, nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas..., quum non habeat imperium (nota) *par in parem*[1]. Et advertatur, hic ab Innocentio Canonem illum Concilii vocari Canonem a papâ Alexandro statutum, et cur? quia sciebat Innocentius, omnes Conciliorum Canones ab auctoritate Pontificis robur accipere.

Confirmatur propositio: **20.** Sed, omissis aliis, quæ respectu ad hujusmodi appellationes a Papâ ad futurum Concilium adduci possent, notandum, quod in conventu Mantuano, anno 1461 congregato adversus Dietherum, archiepiscopum Moguntinum, qui ad futurum Concilium appellaverat, Rodolphus, Papæ internuntius, qui ibi interfuit, sic Dietherum exprobravit: *Quem appellasti judicem? Futurum Concilium, dicis, appellavi. Ubi est futurum concilium? ubi sedet? ubi tribunal ejus requirimus? Is judex appellatur, qui nusquam reperitur*[2]. In eodem autem conventu lex edita fuit, quæ appellantibus ad futurum Concilium eamdem irrogat pœnam, quâ fautores hæreticorum plectuntur. Unde Dietherus postea suam appellationem revocavit.

a convent. Mantuan.

b S. Antonin. S. Antoninus affert rationem, propter quam nequit a Papâ ad Concilium appellari: *Quia Ecclesia habet unitatem ex unitate capitis; unde dicit Christus: « Fiet unum ovile et unus pastor*[3] *». Sed si licitum esset appellare a Papâ,... Papa non esset caput, vel essent duo capita*[4]. Pauca verba, sed rei substantiam mirabiliter explicant. — Ac proinde idem S. Antoninus non dubitavit sic scribere: *Sed nec ad Concilium generale a Papâ appellari potest, quia Papa omni Concilio superior est; nec robur habet, quidquid agitur, nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur et confirmetur; sentire ergo, quod ad Concilium a Papa appellari possit, hæreticum est*[5]. Cardinalis Bellarminus scribit, quod saltem *qui contrarium sentiunt,... a temeritate magnâ excusari non possent*[6].

c Bellarmin.

d Berti. Pater Joannes Laurentius Berti scribit: *Quorumdam sententia de appellatione a sententiâ Pontificum ad Concilia, et de infallibilitate Romanæ et Apostolicæ Sedis dependenter ab aliorum episcoporum approbatione, licet tantâ animositate tantoque argumentorum apparatu a nonnullis propugnetur, falsissima est*[7].

e Pius II. **21.** Additur, quod Pius II, in suâ Constitutione « *Exsecrabilis* », adversus appellantes ad Concilium, excommunicationem indixit his verbis: *Nemo audeat... a sententiis... nostris ac successorum nostrorum... appellationem interponere...; si quis autem contra fecerit,... ipso facto sententiam exsecrationis incurrat, a quâ nisi per Romanum Pontificem... absolvi non possit, cet.*[8]. Hæc autem Constitutio confirmata fuit a Sixto IV, anno 1483, aliâ Constitutione, in quâ Sixtus dixit, quod Pius, suus prædecessor, *appellationes hujusmodi... irritas,... sacrilegas et hæreticas esse declaravit*[9]. Scribitque Odoricus Raynaldus[10], Ludovicum XI, Galliæ regem, hanc Sixti Constitutionem acceptasse, et præcepisse in regno publicari; de quâ publicatione deinde Pontifex peculiari epistolâ ipsi gratias egit.

f Sixtus IV.

g Ludovic XI.

Conclusio. Omitto alia, quæ super hac re addere possem; tantum dico, quod magnum animum habere deberet, qui vellet despicere excommunicationem hanc, quæ adversus appellantes ad futurum Concilium a duobus Pontificibus publicata fuit. Ad licite appellandum opus esset, ut ipse de præeminentiâ Concilii supra Papam tantam certitudinem haberet, quæ certum eum redderet, non posse Papam transgressores excommunicationi subjicere; sed hanc certitudinem nescio, ex dictis in hac opellâ, quomodo haberi possit, dum ipsimet adversarii fatentur, suam de su-

[1] *Cap.* « *Innotuit* » 20, de Electione. — [2] Apud *Georg. Christian. Joan.*, Rerum *Moguntin.*, t. 2. — [3] *Joan.*, X, 16. — [4] Summa theolog., p. 3, tit. 23, cap. 3, § 5. — [5] Ibid. — [6] De Concil. et Eccl., lib. II, cap. 17. — [7] De Theol. discipl., lib. XVII, cap. 5. — [8] Bulla « *Exsecrabilis* », 18 Jan. 1459, § 1 et 2. — [9] Constit. « *Quum superiori* », 15 Jul. 1483, ap. *Raynald.*, Annales Eccles., a° 1483, n. 20. — [10] Annales Eccles., ad ann. 1483, n. 22.

perioritate Concilii sententiam non esse plus quam meram opinionem. Ferunt, patrem Natalem Alexandrum, in suâ decrepitâ ætate, hunc habuisse animum appellandi ad Concilium; sed gratias Deo ipse referat, quod ante mortem suam appellationem retractavit; alioquin suæ æternæ salutis non magnam spem reliquisset.

Recapitulatio totius tractatûs.

22. Plura alia hic possem adjicere, sed nolo esse prolixior; ab initio enim duo mihi proposui: primo, ut hæc opella esset brevis, ut sic facile et libenter ab aliis perlegi posset; secundo, ut tantum illa duo principaliter probarem, nimirum Pontificem Romanum super universam Ecclesiam supremam seu plenam habere potestatem, ejusque judicia in rebus fidei esse infallibilia. Atque hæc sat explorate me probasse existimo, ex ipsarum Synodorum generalium dictis et sanctorum Patrum sententiis. Mihi permittatur ideo, pro conclusione hujus libelli, prædictas Synodorum et Patrum auctoritates concinnatas hic conjunctim repetere.

I Concilia.

Concilia quippe videntur supremam auctoritatem Papæ ejusque infallibilitatem luculentius declarare non valuisse.

In Concilio enim Nicæno I dictum fuit: *Cui* (Pontifici) *data est potestas,... ut qui sit Vicarius Christi... super cunctos populos et universam Ecclesiam Christianam* [1].

In Concilio Chalcedonensi dictum fuit: *Omnia ab eo* (scilicet Leone papâ) *definita teneantur, tamquam a Vicario Apostolici Throni* [2].

In Concilio Lateranensi III dictum fuit: *In Romanâ vero Ecclesiâ... non potest recursus ad superiorem haberi* [3].

In Concilio Constantinopolitano IV, loquendo de sententiâ Pontificis, dictum fuit: *Neque nos sane novam... sententiam ferimus, sed jam olim a sanctissimo papâ Nicolao pronunciatam, quam nequaquam possumus immutare* [4]. *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem,... in quâ est integra et vera Christianæ Religionis soliditas, cet.* [5]

In Concilio Lugdunensi II dictum fuit: *Romana Ecclesia summum et plenum... principatum super universam Ecclesiam... obtinet... cum potestatis plenitudine* [6]. Ac deinde: *Si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri* [7].

In Concilio Viennensi, Clemens V, loquens de quæstionibus fidei, dixit: *Ad quam* (scilicet ad Sedem Apostolicam) *dumtaxat hæc declarare pertinet,... sacro approbante Concilio, declaramus, cet.* [8].

In Concilio Constantiensi damnata fuit propositio Joannis Wiclefi: *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias* [9]. Ergo, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias, *est de necessitate salutis.*

In Concilio Florentino dictum fuit: *Definimus... Romanum Pontificem... totius Ecclesiæ Caput et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in beato Petro... regendi... Ecclesiam a... Jesu Christo plenam potestatem traditam esse* [10].

In Concilio Lateranensi V dictum fuit: *Solum Romanum Pontificem,... tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum jus et potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum,... sed propriâ etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat* [11].

Demum in Concilio Tridentino dictum fuit: *Pontifices Maximi, pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ tradi-*

[1] Can. 39 (inter *Arabicos*). — [2] Apud S. Thom. Contr. error Græcor., cap. 32. — [3] Capitul. 1. — Cap. *Licet.* 6, de Elect. — [4] Act. 5. — [5] Act. 1, Libell. *Adriani* Pap. — [6] Epist. *Mich.* imper. ad *Greg.* Pap. — [7] Ibid. — [8] *Clementinar.*, lib. I, tit. 1, De summa Trinitate. — [9] Sess. 8, propos. 41 *Wiclefi.* — [10] Sess. ult. Def. — [11] Sess. 11. — Bulla « *Pastor ætern.* ».

tâ, cet. [1] Dicere autem, quod Papa habet quidem supremam potestatem, sed Concilio generali subjectam, non est explicare, sed omnino sensum et proprietatem verborum detorquere et corrumpere; suprema enim potestas est illa, quæ nec superiorem nec æqualem habet.

II SS. Patres.

23. Idem quod docent Concilia, confirmant testimonia primorum sanctorum Patrum, quorum dicta jam retulimus (Cap. V). Hic aliqua eorum concinnamus.

Ignatius martyr Romanam Ecclesiam appellat *castissimam, Spiritu-Sancto plenam* [2]. — In alio loco dixit: *Qui... his* (Romanis Pontificibus) *non obedierit, atheus prorsus et impius est* [3].

S. Irenæus scripsit: *Necesse est... omnes ab ipsâ* (Romanâ Ecclesiâ) *tamquam a fonte et capite pendere* [4]. Ac deinde: *Ad hanc enim Ecclesiam... necesse est omnem convenire Ecclesiam,... in quâ semper... conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio* [5].

S. Hieronymus scripsit ad S. Damasum: *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior;... quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est;... quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est* [6]. Præterea S. Hieronymus protulit magnam illam sententiam pluries adductam, quod si non detur Papæ potestas super omnes eminens, salus in Ecclesiâ non erit, propter schismata, quæ aliter evitari nequeunt: *Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam et ab omnibus* EMINENS *detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata quot sacerdotes* [7].

S. Cyprianus in uno loco scribit: *Qui Cathedram Petri... deserit, in Ecclesia se esse confidit?* [8] In alio loco: *Una Ecclesia et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata;... quisquis alibi collegerit, spargit* [9]. In alio scribit: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt..., quam dum... nec unus in Ecclesiâ... sacerdos et... judex vice Christi cogitatur* [10].

S. Athanasius scribit: *Romanam Ecclesiam semper conservare veram de Deo sententiam* [11].

S. Gregorius Nazianzenus scribit: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, sicut decet urbem, quæ toti orbi præsidet* [12].

S. Optatus Milevitanus: *Jam schismaticus... esset, qui contra singularem Cathedram* (Petri) *alteram collocaret* [13].

S. Cyrillus scribit: *Potestatem... Petro et ejus successoribus plenissime commisit... Nulli alii* [14].

S. Augustinus scribit: *In quâ* (Romanâ Ecclesiâ) *semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus* [15]. In alio loco, loquens de Sede Romanâ, scribit: *Numerate sacerdotes vel ab ipsâ Sede Petri... ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum Portæ* [16]. In alio loco scribit: *In... verbis Apostolicæ Sedis, tam... certa... est catholica fides, ut nefas sit de illâ dubitare* [17].

S. Hilarius scribit: *Tanta enim ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum,... Ecclesiæ fundamentum... et in terreno judicio judicem cæli, Satanæ* [18] *convicio nuncuparet* [19].

Venerabilis Beda scripsit: *Specialiter* (Petrus) *Claves regni cælorum et princi-*

[1] Sess. 14, cap. 7, De Pœnit. — [2] Epist. ad *Roman.* in tit. — [3] Ad *Trallian.*, cap. 7 (epist. interpolata. Nota edit.). — [4] His verbis *Bellarminus* (De Sum. Pontif., lib. II, cap. 15) mentem S. Irenæi (Adv. Hæres., lib. III, cap. 3) paucis retulit (Nota edit.). — [5] Adv. Hæres., lib. III, cap. 3. — [6] Epist. 15 (alias 17), ad *Damas.* de trib. Hypost., n. 2. — [7] Dialog. contra *Luciferianos*, n. 9. — [8] De Unit. Eccl., cap. 4 (vide in hoc Volum., pag. 296, not. *a*. — [9] Epist. 40, ad plebem, de quinq. presb. schism., n. 5. *Manutius* et *Pamelius* legunt: *Super Petrum;* alii præferunt: *Super petram* (Nota edit.). — [10] Epist. 55, ad *Cornel.* Pap. n. 5. — [11] Epist. ad *Felic.* Pap. (Epist. dubiæ auctoritat. Nota edit.). — [12] Carminum, lib. II, sect. 1, carm. 11, vers 568-571. — [13] De Schism. Donatist. adv. *Parmenian.*, lib. II, cap. 2. — [14] Apud *S. Thom.*, Contra error. Græcor., cap. 32. — [15] Epist. 43, ad *Glorium* cet., cap. 3, n. 7. — [16] Psalmus contra partem *Donati*. — [17] Epist. 109, ad *Optatum*, cap. 6, n. 23. — [18] *Matth.*, XVI, 23. — [19] Tract. in Ps. 131, n. 4.

patum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes... intelligant, quia quicumque ab unitate... societatis illius... semetipsos segregant,... nec januam possint regni cœlestis ingredi [1].

S. Petrus Chrysologus scribit: *Beatus Petrus, qui in propriâ Sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem* [2].

S. Fulgentius scribit: *Quod... Romana... tenet et docet Ecclesia, totusque cum eâ christianus orbis... nihil hæsitans credit* [3].

S. Gregorius Magnus scribit: *Si quam vero contentionem... de fidei causâ evenire contigerit,... ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congruâ sine dubio sententiâ terminari* [4].

S. Bernardus scribit: *Infallibilitatis pontificiæ prærogativam constantissima perpetuaque sanctorum Patrum traditio commonstrat* (*a*).

S. Thomas Aquinas scribit: In Ecclesia unitas fidei esse non posset, *nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum* (scilicet Papam), *qui toti Ecclesiæ præest* [5]. Et alibi: *Petro dixit...: « Pasce oves meas »... Per hoc autem excluditur quorumdam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur a subjectione Petri, successorem ejus, Romanum Pontificem, universalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes* [6].

Idem scribit S. Bonaventura: *Papa non potest errare, suppositis duobus,... alterum, ut intendat facere dogma fidei* [7].

Duvallius, doctor gallus, loquens de oppositâ sententiâ, scribit: *Nemo nunc est in Ecclesiâ, qui ita pro certo sentiat, præter Vigorium et Richerium, quorum si vera esset sententia, totus fere orbis christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret* [8]. Cardinalis Bellarminus hinc concludit, quod opposita sententia *videtur omnino erronea et hæresi proxima* [9].

Inepta *Febronii* cavillatio.

24. *Febronius* [10], sicut diximus, ut ab his auctoritatibus tam Conciliorum quam sanctorum Patrum se expediat, dicit, Concilia locuta esse in sæculis obscuris ignorantiæ, in quibus abditæ erant veritates, et sanctorum Patrum elocutiones fuisse *figuratas* aut *ampullosas* [11]. Sed in istis non credo quemquam inveniri posse virum sanæ mentis, qui Febronio consentiat, dicendo quod dicta Conciliorum per ignorantiam prolata fuerint, et quod Patrum testimonia fuerint *figurata* aut *ampullosa*; sic enim eludi posset omnis vis traditionis; traditio enim ex his tantum fontibus, nimirum Conciliorum et sanctorum Patrum, eruitur; in hoc enim puncto Concilia et Patres, non sine magno fundamento suas sententias porrexerunt, sed innixi super testimonia Evangeliorum: *Tu es Petrus, et super hanc petram, cet. Et tibi dabo claves, cet.* [12] *Pasce oves meas, cet.* [13] Hinc S. Bernardus, ut mox suprà retulimus, dixit: *Infallibilitatis pontificiæ prærogativam constantissima perpetuaque sanctorum Patrum traditio commonstrat.* Et Melchior Canus scripsit: *Constat autem..., Romanos Episcopos Petro in... fidei magisterio successisse, ab Apostolis esse traditum.* [14] Ibique subdidit: *Nos autem communem Catholicorum sententiam sequamur...*, (quam) *Sacrarum etiam Litterarum testimonia confirmant,...*

[1] Homil. lib. II, homil. 16 in Natal. *SS. Petri et Pauli.* — [2] Epist. ad *Eutychet.* — Concil. *Chalced.*, p. 1. — [3] De Incarn. et Grat. Christi, cap. 11 (alias epist. 17, ad *Petrum Diacon.*, cap. 11, n. 21). — [4] Epist. lib. IV, ep. 52 (al. lib. V, epist. 54) ad Regni *Childeberti* Episcopos. — [5] 2ª 2æ, q. 1, a. 10. — [6] Contra *Gent.*, lib. IV, cap. 76. — [7] *Petr. Trigosus*, Ord. *Capuc.* — *Stⁱ Bonaventuræ* Summa theol., q. 1, a. 3, dub. 3, quintus locus. — Cfr. *S. Bonav.* (Noviss. edit., *Ad Claras Aquas*, 1891, tom. V) Quæst. disputat., IV, art. 3, de Obedientiâ Summo Pontifici debitâ. — [8] De supr. Rom. Pontif. Potest., pars 4, q. 7, n. 3. — [9] De Sum. Pontif., lib. IV, cap. 2. — [10] L. c., cap. 1, § 8, n. 10. — [11] L. c., cap. 3, § 8. — [12] *Matth.*, XVI, 18. — [13] *Joan.*, XXI, 17. — [14] De Locis theol., lib. VI, cap. 7.

(*a*) Vide Notam 1, pag. 348, hujus Voluminis.

Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditio probat [1]. Et concludit: *Pestem eos Ecclesiæ ac perniciem afferre, qui... adstruunt, summum Ecclesiæ Pastorem... errare in fidei judicio posse* [2].

Conclusio. **25.** Denique obsecro omnes, qui pro bono Ecclesiæ zelum fovent, ut fervidas jugesque preces præbeant Domino, — qui Ecclesiæ suæ usque ad sæculorum finem Se adfuturum et numquam permissurum esse, Portas inferi adversus eam prævalere, promisit, — ut in omnibus fidelibus reverentiam et obedientiam confirmet et augeat erga Romanum Pontificem, quem Christus Dominus in terris, ad destruendos cunctos errores contra fidem, nobis benigne reliquit.

[1] Ibid. — [2] Ibid.

V.

OPUS DOGMATICUM

CONTRA

HÆRETICOS PSEUDOREFORMATOS

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI PAPÆ XIV

FELICITER REGNANTI

DICATUM

1769

Hactenus S. Doctorem in divinæ Revelationis et Ecclesiæ Catholicæ causâ tuendâ huc potissimum spectare vidimus, ut planum faceret, unum divinitus Pastorem, unumque omnibus Ovile fuisse constitutum. Hic autem ulterius progrediens, singula divini Pastoris eloquia, ipsam dico Ecclesiæ doctrinam, ab inimicorum criminationibus vindicat, et fidelium gregem ad salubria Veritatis pascua conducit. Quâ in re normam sibi et ducem adhibet Concilium Tridentinum, cujus Decreta hoc Tractatu, anno 1769 publicato, dilucide exponit, pro rei opportunitate latius explicat vel confirmat, et tandem defendit ab adversariorum injuriis, ac potissimum a calumniis et vituperationibus *Pauli Sarpi*, qui sacrosanctam Synodum deprimere et mordaci invidiâ detrectare instituerat.

Paolo Sarpi(o) Veneto (Paulus Sarpi Venetus), servatis iisdem litteris, ficto nomine vocari maluit *Pietro Soave (Petrus Suavis) Polano*. Anno 1552 *Venetiis* natus, obiit a° 1623. — Anno 1619, curâ et operâ *Marci Antonii de Dominis*, Londini prodiit ejus « *Historia del Concilio Tridentino* », quem librum S. Congregatio Indicis eodem anno proscripsit. Sæpius tamen recusus fuit, et in plures linguas translatus.

Præclarum Cardinalis *Pallavicini* opus, quod in procemio *S. Alphonsus* commemorat, inscribitur: *L'Istoria del Concilio di Trento, scritta dal Padre Sforza Pallavicino della Compagnia di Gesù (In Roma per Angelo Bernabò 1656 e 1657. Tomi II)*. Plures aliæ secutæ sunt editiones, itemque prodiit Latina versio, auctore *Joanne Baptista Giattino, Panormitano, ejusdem Societatis Sacerdote*, primitus anno 1670 *Antverpiæ* publicata ac deinde sæpius recusa.

Ad Epistolam, quâ S. Doctor suum Romano Pontifici Opus nuncupaverat, Clemens XIV summâ cum benevolentiâ rescripsit, Sibique acceptissimum illud ac probatissimum esse significavit.

Beatissime Pater,

Sanctitatis Tuæ ad S. Petri solium provectio, quamquam universum Orbem Catholicum mirifico et communi gaudio perfudit, haud scio tamen, an majorem cuiquam consolationem attulerit quam mihi, eximias Sanctitatis Tuæ dotes mecum consideranti, doctrinam, prudentiam, mentem a rebus terrenis alienam, ac præcipue pietatem et ardens sanctæ religionis nostræ studium. Quapropter hunc mihi sumere ausus sum honorem, ut ad pedes Tuos meum deponerem librum, quem his extremis vitæ annis (septuagesimum tertium jam attigi) idcirco in vulgus volui emittere, quo melius innotescat omnibus, quam vera eademque sancta sint Ecclesiæ Catholicæ dogmata, a Sacro numquam satis laudando Concilio Tridentino definita contra errores pseudoreformatorum, qui antiquas hæreses redintegrantes, fallacibus argumentationibus falsisque doctrinis conati sunt Jesu Christi evertere fidem, et cunctas animas, si illud perficere potuissent, ad æternam perniciem secum abripere.

Futurum confido, ut Sanctitas Tua exiguum hoc miseri doni obsequium pro Suâ benignitate excipere velit; suppliciter simul orans, tam operi quam mihi omnibusque sodalibus meis benedicere dignetur, ut operam nostram in sacris missionibus, juxta minimæ Congregationis nostræ institutum, apud ruricolas, spirituali auxilio maxime destitutos, habendis, ad salutem animarum utiliter conferamus. Nos autem, humiles tui filii, non omittemus jugiter Deo preces adhibere, ut in communem omnium fidelium utilitatem et sanctæ fidei incrementum Sanctitatem Tuam per longam annorum seriem servet incolumem. Interim, genibus tuis advolutus, sacrum pedem deosculor

humillimus, obsequentissimus et addictissimus servus et filius:

ALPHONSUS MARIA,

S. Agathæ Gothorum Episcopus.

MONITUM.

Hoc opere exponuntur omnes fidei articuli, quos examinavit et definivit sacra Tridentina Synodus; confutantur Novatorum errores, et respondetur difficultatibus eorum ac *Petri Suavis*, qui Concilium vituperat. Adjiciuntur, velut appendices, duæ disputationes; una de modo, quo gratia in peccatoris justificatione operatur, altera de obedientiâ præstandâ Ecclesiæ definitionibus, quæ veræ fidei regulas constituunt.

OPERIS PROPOSITUM.

Explicantur dogmata a *Conc. Trid.* proposita.

Quum ex unâ parte advertissem animum ad eximias doctrinas, a Concilio Tridentino tam accurate et post adhibitam tantam diligentiam traditas adversus errores hæreticorum, qui septentrionales regiones infestarunt; ex alterâ autem perspexissem, in Opere historico, a Cardinali *Pallavicino* conscripto, multas earum rerum, de quibus eadem numquam satis laudanda Synodus disceptavit, licet diligenter collectas, sæpe tamen dispersas esse atque permixte relatas; idcirco a plurimis jam annis suscepi laborem eas colligendi conjunctimque commemorandi, ut lector, quam rem haud injucundam ei fore confido, distincte omnes juxta uniuscujusque materiæ ordinem ob oculos habens, et hæreticorum sophismata deprehendat facilius, et sanctæ fidei nostræ veritates melius cognoscat.

Plures adjiciuntur quæstiones, quæ ad illa dogmata referuntur.

Quem quidem laborem, sæpius manu Operi admotâ, urgentioribus negotiis distentus, identidem interrumpere debui. Tandem, lecto affixus gravi rheumatismo, qui nullam pene corporis partem intactam reliquit, nec me sinit assurgere et diœcesim, ut prius facere consueveram, perlustrare, inceptum laborem ad exitum perducere conatus sum, atque, singulis quæ occurrerent, pertractatis, redditoque responso plurimis novatorum difficultatibus, de quibus *Pallavicinus* mentionem non fecerat, Deo adjuvante, feliciter absolvi. Ad hæc, visum est mihi de multis aliis agere quæstionibus dogmaticis et scholasticis, quæ ad Capita, a Concilio definita, referuntur. Quæ cuncta spero pergrata esse futura junioribus studiosis, qui penitus cognoscere cupiunt fidei nostræ veritates, eas potissimum, quas hæretici magis impugnant.

DISPUTATIO I.

SESSIO IV.

DE SCRIPTURA ET TRADITIONIBUS.

Animadvertat lector, hic non afferri Concilii Sessiones eo ordine, quo a primâ ad quintam et vigesimam habitæ sunt: in multis siquidem sessionibus nihil peculiare definitur; in aliis autem non attinguntur dogmata, quum tamen mihi sit propositum (ut in proœmio dixi) solum disserere de iis fidei articulis, quos Concilium adversus hæreticos stabilivit. Quapropter a quartâ Sessione, quæ de divinis Scripturis agit, initium facimus, quum ab eâ articuli dogmatici ab hæreticis impugnati, cœpti sint examinari.

§ I.

DE SACRORUM LIBRORUM ET TRADITIONUM APPROBATIONE.

In prævio congressu tria proposita sunt dubia.

1. Ecclesia non definit aliquod fidei dogma, nisi aut sacrâ Scripturâ aut Traditione innitatur. Quocirca Concilium primam adhibuit curam in statuendo, quænam revera essent Canonicæ Scripturæ, quænam genuinæ, ad fidem et mores spectantes, traditiones Apostolicæ. Quam ob causam theologis injunxit, ut accuratam de Scripturâ et de Traditione instituerent disquisitionem, non quidem publicam, actis inserendam, sed privatam, cujus deinde rationem reddere possent Patribus. Itaque, in Congregationibus, ante confectum Decretum habitis, hæc tria circa Scripturam sacram proposita sunt dubia: Primum, essent ne approbanda omnia tam Novi quam Veteris Testamenti sacra Volumina. Alterum, num ad eorum approbationem examini denuo subjiciendi essent omnes libri, qui sacris Litteris jam continentur. Tertium, num sacri Libri in duas classes dividi deberent: unam eorum, qui pro Canonicis jam essent agniti, alteram eorum, qui, licet tamquam boni ab Ecclesiâ jam recepti viderentur, nondum tamen haberentur pro Canonicis, ut libri Proverbiorum et Sapientiæ.

Dubiorum disquisitio.

2. Quod ad primum dubium attinet, omnium consensu statutum est, omnes sacros Libros a Concilio esse approbandos. Quod vero ad tertium, ab omnibus rejecta est memorata divisio, quam in Concilio *Bertanus* et *Seripandus* proposuerant, et jam ante convocatum Concilium *Cajetanus*[1]; sed quam velut ineptam et omni fundamento destitutam strenue reprobaverat *Melchior Canus*[2]. Secunda dubitatio, utrum ad sacrorum Voluminum approbationem denuo examen esset instituendum necne, in majorem incurrit difficultatem. Multi cum Cardinalibus *del Monte* et *Pacheco* examen illud recusabant asserentes, Ecclesiæ esse consuetudi-

[1] Comment. in *Esther*, cap. 10. — [2] De locis theologic., lib. II, cap. 11, Resp. ad 6.

nem, quod semel decretum sit, minime jam in litem revocari. Multi contrà asserebant, examen esse adhibendum, quo veritas magis confirmaretur, atque pastoribus et theologis hæc afferretur utilitas, ut melius deinde pseudodoctorum errores possent refellere; theologorum siquidem partes esse, ut docet S. Thomas [1], non solum probare Fidei veritates, sed etiam eas adversus omnes oppugnationes tueri: quâ præterea disquisitione factâ, hæretici dicere non possent, sua ne ponderata quidem fuisse argumenta.

Solvitur dubium de Decreto *Florentino*.

3. Opposuit autem Episcopus *Clodiensis*, in approbandis Scripturis et Traditionibus, non expedire, uno inniti Decreto, quod licet Florentinæ Synodi nomen præ se ferret, minime tamen, ut ajebat, ab eâ Synodo esset factum; postremâ videlicet Sessione anno 1439 terminatâ, Decretum anno 1441 esse conditum. Sed responsum fuit, Concilium Florentinum finem non habuisse anno 1439: ibi quidem desinere Latinam versionem *Bartholomæi Abraham Cretensis*, quum solum ad id usque tempus, hoc est, ad septimam Sessionem, Græci ibi commorati fuerint, et conscripserint Acta, ab illo interprete Conciliorum volumini inserta. Concilium vero tres insuper annos duravit Florentiæ, ac inde Romam translatum est: quum enim videret Eugenius IV, Græcis abeuntibus, persistere adhuc illegitimum Basileense Concilium, Florentinam Synodum produci voluit, ubi deinde, Patrum consensu, hæreticos Armenios et Jacobitas (Conf. *Baronium*, ad an. 535) (*a*) in Ecclesiam recepit; atque in eâ fidei instructione, quæ ipsis tradita fuit, approbatio continetur Traditionum et sacrorum Voluminum unà cum eorum Catalogo. Concilium autem post annum 1439 productum esse, liquet ex duabus Constitutionibus, ab Augustino *Patricio* in Epitome Basileensis Concilii commemoratis [2]: quarum prior, anno 1440 edita, pseudopontificis Felicis V electionem irritam declarabat, posterior anno 1442 divulgata, Concilium Florentiâ Romam transferendum decernebat. Decretum de sacris Voluminibus revera Concilii Florentini esse, item patere ait *Pallavicinus* [3] ex ipsius Concilii Actis, in tabulario *Arcis S. Angeli* servatis et subscriptis a Romano Pontifice et Cardinalibus; quorum authenticum apographum Româ transmissum est Tridentum. Insuper, operâ *Justiniani*, Sacerdotis ex Oratorii Congregatione, postea Cardinalis et Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, nonnulla Florentinæ Synodi Acta in lucem prodiere [4], quibus apparet, Concilium usque ad annum 1445 perstitisse.

Post privatum examen conditur Decretum.

4. Ceterum Tridenti nova eaque accurata de sacris libris et Traditionibus instituta est disputatio, non illa quidem publica Actisve inserenda, sed privata, eo suscepta consilio, ut de ipsâ Patribus deinde ratio redderetur. Tandem prodiit decretum, in quo Concilium, considerans, ut ibi legitur, omnes veritates, quæ ad dogmata spectent, contineri sacris libris atque traditionibus, *quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu-Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt;... omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, quum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu-Sancto dictatas, et continuâ successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur* [5].

[1] 1ª, qu. 1, art. 6, ad 2ᵐ; ibid., art. 8. — [2] Summa Conciliorum *Basileens.*, *Florent.*, cet., cap. 108 et 129 (*b*). — [3] *Ist. del Conc. di Trento*, lib. VI, cap. 11, n. 12 (*c*). — [4] Acta Concilii *Florentini*, pars 3. — [5] Sess. IV, Decretum de Canonicis Scripturis.

(*a*) *Baronius* (ann. 535, n. 73) describit originem Armeniorum hæreticorum, quos in errorem traxit *Jacobus Syrus* (Nota edit.).

(*b*) Vide *Labbe-Colet*, tom. XVIII (*Venetiis*, 1732), col. 1299-1426.

(*c*) *Edit. Romana*, 1664, *ritoccata dall'Autore.*

Quare æquali affectu suscipiantur Traditiones.

5. Repugnaverant nonnulli, quominus diceretur, Scripturas et Traditiones æquali pietatis ac reverentiæ affectu suscipi; quamvis enim (ita objiciebant) ambæ a Deo procederent, Traditiones tamen non tantam habebant quantam Scripturæ sacræ firmitatem, quum aliquæ esse desierint. Quæ tamen objectio communiter a Patribus repulsa est, qui responderunt, tam Traditiones quam sacras Litteras vere esse Dei verba et Fidei fundamenta; hoc tantum discrimine, quod hæ in codicibus sint scriptæ, non vero illæ; ceterum, utrasque esse veritates immutabiles, quâ in re differant a positivis legibus et ritibus, quæ tum in Traditione tum etiam in Scripturâ sacrâ reperiuntur; quæ quidem leges mutabiles sunt. Unde Concilium in decreto expressit, suscipere se dumtaxat traditiones, quæ ad fidem et ad mores spectent; quia, priusquam decretum ederetur, jam inter Patres convenerat, ut eæ solæ, sine ullâ exceptione, essent accipiendæ; aliæ vero, ad ritus pertinentes, juxta præsentium temporum consuetudinem acciperentur. Asserit Petrus *Suavis* [1], decretum, quantum ad Traditiones spectat, id quod plures observaverant, strictam obligationem non afferre, quum ex unâ parte non decerneretur a Concilio, quænam Traditiones essent recipiendæ, ex alterâ vero ei soli indiceretur anathema, qui *traditiones prædictas sciens et prudens contempserit;* ex quo colligebat, minime refragari eum, qui reverenter eas omnes rejiceret. Verum, in suâ Historiâ Ecclesiasticâ respondet Natalis Alexander [2], ejusmodi propositionem esse temerariam; quandoquidem Concilium declaravit, Scripturas et Traditiones esse *pari pietatis affectu ac reverentiâ* suscipiendas. Quemadmodum igitur sine temeritate rejici non possunt Scripturæ, ita neque Traditiones. Circa eas autem observentur normæ, infrà (§ VIII-X) tradendæ.

Refellitur *Suavis*.

6. Ad declarationem, quam retulimus, in ipso decreto adjunctus est Index omnium librorum, qui a Concilio pro canonicis habentur. Temerarie porro Suavis opponit [3], a Concilio comprobatos esse libros apocryphos aut saltem incertos. At respondetur, eos comprobatos non fuisse nisi post repetitum sedulumque examen. Cuncti præterea, ut suprà diximus, approbati jam fuerant a Concilio Florentino. Opponit præcipue *Suavis* [4], librum Baruch ut Canonicum esse approbatum non aliam ob rationem, nisi quia in Ecclesiâ ex eo Lectiones recitarentur; ceteroquin ab aliis Conciliis in numerum sacrorum Voluminum numquam fuisse repositum. Respondetur, antiqua Concilia, quamvis hunc librum in librorum Canonicorum catalogum non retulerint, minime tamen eum excludere voluisse, sed comprehendere in libro Jeremiæ, cujus amanuensis erat Baruch; idque constare ex ipso Jeremiæ libro (cap. 36) atque ex testimonio S. Basilii [5], S. Ambrosii [6], Clementis Alexandrini [7], S. Joannis Chrysostomi [8], S. Augustini [9], pluriumque Summorum Pontificum, ut Sixti I [10], Felicis III [11] et Pelagii I [12] (Apud Bellarm., lib. I de Verbo Dei, cap. 8). Quibus addi potest, a SS. Cypriano [13] et Cyrillo [14] hunc librum sub nomine ipsius *Baruch* citari, quum alii Patres opus ipsum simpliciter divinam Scripturam nominent.

Adjicitur librorum Index.

Quid de libro *Baruch*.

Opposuerunt quoque nonnulli, Psalmos generatim appellari non debere *Psalmos Davidis;* quum ille, multorum judicio,

Quid de *Psalterio*.

[1] *Pietro Soave Polano (Paolo Sarpi Veneto). Concil. Tridentino, lib. II, a° 1546. « Altri dicevano ».* — [2] Hist. Eccl., sæc. XV et XVI, Diss. 12, art. 2, n. 4. — [3] L. c., « *Ma veduti* ». — [4] L. c., « *Fra Aloisio* ». — [5] Adversus *Eunomium,* lib. IV. — [6] De Pœnitentia, lib. I, cap. 9, n. 43; Hexaemeron, lib. III, cap. 14. — [7] Pedagogus, lib. I, cap. 10. — [8] Contra *Judæos* et *Gentiles,* quod *Christus* est Deus, n. 2. — [9] De Civ. Dei, lib. XVIII, cap. 33. — [10] Ep. 1, ad omnes fideles (Epist. supposit. Nota edit.). — [11] Ep. 3, ad *Petrum Fullonem.* — [12] Ep. 16, ad *Vigilium* (Ep. suppos. Nota edit.). — [13] Testimonia adversus *Judæos,* lib. II, cap. 6; de Orat. Dominica, n. 5. — [14] Contra *Julianum,* lib. X, « Enimvero ».

non fuerit omnium auctor. Quam ob causam Concilium eos inscripsit *Psalterium Davidicum.*

Decreti conclusio.

7. Concluditur Decretum hisce verbis: *Siquis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ Catholicâ legi consueverunt, et in veteri vulgatâ latinâ editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.*

Duæ objectiones.

8. Objicit *Suavis* [1] duo, quæ petulanter nonnulli de iis verbis dixerant, quæ ad Traditiones pertinent: primum, statutum esse a Concilio, *Traditiones esse recipiendas, nullâ additâ ratione, quâ dignoscerentur.* Alterum, Concilium loco citato, *nullo præcepto ad eas recipiendas urgere, sed solum vetare, ne quis eas aspernetur; unde minime refragari eum, qui reverenter eas rejiceret.* Priori autem difficultati respondetur, Concilium hac in re fuisse imitatum sextam Synodum œcumenicam; nam neque illa declaravit, quænam genuinæ essent Traditiones: idque eo magis quod justas ob causas minime expediret, in illo decreto Traditiones fide tenendas indicari, quippe quæ expendendæ atque statuendæ deinceps essent, prout rerum tractationes in habendis Sessionibus exigerent. Ad posteriorem difficultatem, scil. non fuisse impositum præceptum traditiones recipiendi, respondetur, aliter de præcepto, aliter vero de anathemate esse loquendum. Præceptum fuisse impositum, manifeste colligitur ex ipso Decreto in quo Concilium profitetur, sacros Libros ac Traditiones a se suscipi *pari pietatis affectu ac reverentiâ.* Quod porro ad anathema spectat, notandum est, præcepta duplici modo violari aut non recipi posse, vel imbecillitate vel contemptu. Quo posito, Concilium noluit anathema indicere iis omnibus, qui violarent præceptum eodem modo recipiendi Scripturas et Traditiones; sed iis tantum, qui scientes prudentesque Traditiones contemnerent, ut faciunt hæretici.

Ad primam respondetur.

Ad alteram respondetur.

Cur aliæ nonnullæ traditiones receptæ non fuerint.

9. Queritur etiam *Suavis* [2], quod Concilium, Traditionibus recipiendis, item recipere debuisset et Diaconissarum ordinationem, et electionem Ministrorum a populo faciendam, quippe quæ Institutiones essent Apostolicæ, per plura sæcula continuatæ, et, quod majoris est momenti, usum calicis, laicis concedendum, qui usus per quatuordecim sæcula ab omnibus nationibus, Latinâ exceptâ, observatus fuisset. At respondetur, Concilium eas tantum commemorasse et suscepisse traditiones, quæ ad suum usque tempus perstiterunt, ut declaratur in Decreto: *quæ... quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt.* Duæ vero priores traditiones jam ante octingentos annos; tertia, de usu calicis, ante ducentos obsoleverat. Ceterum, quod ad electionem Ecclesiæ ministrorum attinet, primum Concilium Laodicææ, quarto sæculo, celebratum, Canone 13, hæc pronuntiasse compertum est: *Turbis non esse permittendum, eorum qui sunt in Sacerdotio constituendi, electionem facere.* S. Paulus vero ad Titum jam scripserat (Cap. 1): *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi* [3]. Et, quod ad Calicis usum spectat, minime verum est, eum usque ad ducentos ante Concilium annos ab universâ Ecclesiâ fuisse adhibitum. S. Thomas, qui trecentis annis ante Tridentinam Synodum vixit, omnium Ecclesiarum, quæ calicem adhibebant, consuetudinem improbat [4]. Præterea, in tertiâdecimâ sessione Concilium Constantiense [5] asserit, jampridem abolitum fuisse usum calicis. Demonstrat Cardinalis Bellarminus [6], octingentis ante annis jam abolitum fuisse usum calicis, eamque præterea consuetudinem semper fuisse existimatam arbitrariam, minime vero præcepto aliquo impositam. Sed hoc infrà, suo loco, diligentius expendetur.

Ministrorum electio.

Usus Calicis.

[1] L. c., «*Altri dicevano*». — [2] L. c. — [3] *Tit.*, I, 5. — [4] 3ª, qu. 80, art. 12. — [5] Sess. 13, Decretum. — [6] De Sacramento Eucharistiæ, lib. IV, cap. 24.

§ II.

DE EDITIONE ET USU SACRORUM VOLUMINUM.

Vulgata authentica declaratur.

10. Post citatum decretum de Libris Canonicis et Traditionibus suscipiendis, aliud a Concilio conditum est decretum de sacrorum Voluminum editione atque usu. Et primum quidem pro authenticâ declarata et approbata est Vulgata editio: *Statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authenticâ habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat* [1].

Objicitur:

11. Huic autem Vulgatæ authenticitati, quam approbavit Concilium, *Suavis* [2] occurrens: *Cajetani* Cardinalis judicio, inquit, Veteris Testamenti infallibilitas textui Hebraico adnexa fuit; Græco textui porro infallibilitas Novi Testamenti; nulla vero textui in Latinum translato; quum interpres infallibilis non fuerit [3]. At, si valeret hujusmodi ratio *Cajetani* (cujus ceteroquin in sacras Litteras Commentaria in gravem incurrerunt vituperationem), neque Hebraico neque Græco textui, qui nunc jam in manibus versantur, fides posset adjungi, sed iis solis credi autographis Scripturæ exemplaribus, quæ a Prophetis, Evangelistis et Apostolis exarata sunt: cuncta siquidem, ab aliis exscripta, errori sunt obnoxia. Itaque dicendum est, Deum, qui Divinas Litteras infallibilem fidei normam cunctis esse voluerit, supranaturali suâ Providentiâ, hoc efficere debuisse, ut in Ecclesiâ existeret Scripturarum expositio in idiomate multis cognito, quæ interpretatio item perpetua esset atque ab omni essentiali circa fidei dogmata errore immunis. Quam ob causam Deus manifestum in terris Interpretem designavit, Ecclesiam ejusque caput, cujus esset, adhibitâ eâ, quam humana conditio sinit, diligentiâ, decernere, cuinam exemplari, objectâ omni dubitatione, fides esset adjungenda.

Interpres non est infallibilis.

Respondetur.

Cur electa sit *Vulgata*.

12. Quum autem vulgata versio Latina (quam linguam Theologi universe cognitam habent) plurium sæculorum usu jam inde a sancti Gregorii ætate tacite ab Ecclesia comprobata esset, atque a præclarissimis ejusdem luminibus S. Isidoro, Beda, S. Remigio, S. Anselmo, S. Bernardo, Rabano, Hugone a S. Victore, Ruperto abbate aliisque innumeris Doctoribus usurpata: Concilium, innixum promisso sibi Spiritus-Sancti præsidio, authenticam eam omnisque substantialis erroris immunem declaravit; relinquens tamen in eâ fide, quam merentur, et Veteris Testamenti textum Hebraicum (qui valde est incertus, quum in originariis exemplaribus puncta defuisse credantur, ex quibus dependet vis vocabulorum) et Græcum Novi Testamenti. Quodsi Dist. 9, Can. « *Ut veterum* » 6 præscribit, ut Hebraicus Codex ad Vetus, Græcusque ad Novum Testamentum intelligendum adhibeatur, scire oportet, eum Canonem (licet S. Augustinus [4] ei assentiatur) non esse S. Augustini, ut affirmat Gratianus, sed S. Hieronymi (in epistola 71ª ad Lucinium, n. 5). S. Hieronymus autem, quum ita scriberet, nondum perfecerat Latinam suam interpretationem; in quâ elaborandâ duos primævos illos codices profecto adhibere debebat, eamque ob causam ita scripsit; sed in secundo Bibliorum prologo, non ita loquitur, ut, jam animadvertit Glossa ad citatum Canonem *Ut veterum*.

Objectio cum responsione.

[1] Sess. 4, Decret. de edit. et usu SS. Libror. — [2] L. c. « *Addi quindici* ». — [3] *Cajetanus*. Præfatio in quinque *Mosaicos* libros; Procem. in Psalm. et in *Matth.* — [4] De Doctrina Christiana, lib. II, Cap. 14 et 15.

Inepta *Suavis* difficultas.

13. *At*, inquit *Suavis*, [1] *si versio Vulgata bona est et legitima, ergo reliquæ ineptæ sunt, et insipienter iis utimur.* Verum sic ei respondetur: Satis est nobis, exploratum habere, errores, quod ad fidem moresque spectat, in Vulgatâ non contineri; quapropter in errore versaretur, qui ei anteponeret alias versiones, quum non, sicut Vulgata, declaratæ fuerint authenticæ. Ceterum, eruditis facultatem reliquit Concilium, Vulgatæ locos obscuros luce Hebraici Græcique textus explanandi; quod tamen minime impedit, quominus multi loci obscuri dubiique supersint, dubii fortasse permansuri usque ad finem mundi.

De erroribus in *Vulgata*.

14. At, ita *Suavis* altercari pergit [2], in Decreto saltem exprimere debuisset Concilium, Vulgatæ revisionem et correctionem esse secuturam. Quæ quidem difficultas proposita jam fuit Tridenti, atque etiam Romæ; quum enim decretum, priusquam promulgaretur, Romam missum esset examinandum, rescripserunt ii, quibus a summo Pontifice hujus rei cura erat commissa, Vulgatæ approbationi obstare multos errores, qui in eâ reperirentur. Quibus responderunt Legati, errores eos nec fidei nec morum substantiam attingere; unde laudare se initum a summo Pontifice consilium, postea Vulgatam formâ magis correctâ prælo iterum subjiciendi; suo tamen judicio, in præsenti minime expedire, ut disertis verbis a Concilio affirmaretur, nonnulla, quantumvis parvi momenti, illic adesse menda, ne ansa daretur hæreticis deducendi inde cavillationes, quæ vulgi animis perturbationem injicere possent. Addebant præterea, Vulgatam in substantialium errorum suspicionem numquam venisse, quum ipsis Hebraicis Græcisque textibus, magis correctis, confirmaretur; quodsi obscura aut barbara multa occurrerent, nemini esse vetitum, ea explanare meliusve interpretari.

Non attingunt substantiam.

Insuper recolendum esse, auctores divinorum librorum, qui Spiritu-Sancto dictante scripserunt, non semper facta dictaque commemorare cum iis rerum adjunctis vel peculiaribus verbis, quibuscum evenerunt (atque ita fieri, ut nonnumquam inter se discrepare videantur); sed, id quod SS. Patres et interpretes adnotarunt, in rerum substantiâ convenire. — Verum, post factam etiam Vulgatæ correctionem, non damnatur ab Ecclesiâ, qui diceret (contra eos, qui sententiam magis piam sequuntur), in Vulgatâ accidentales nonnullos parvique momenti inesse errores, quibus verbi gratiâ quædam arbor aut aliquod animal unum pro altero poneretur; ut ajunt Melchior Canus [3], Sixtus Senensis [4], et alii. Animadvertit tamen *De Elizalde* [5], eam ob causam minime licere, in quolibet verbo et argumento pro suo cuique arbitratu a Vulgatâ recedere; sed iis solum locis, in quibus Catholici doctores non consentiant, et de quibus nulla adsit Ecclesiæ prohibitio.

Quid de errore accidentali.

15. Concilium deinde in eodem Decreto de sacrorum Voluminum editione atque usu *decernit, ut nemo... in rebus fidei et morum... sacram Scripturam... contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum... interpretari audeat* [6].

De usu et interpretatione Scripturæ.

16. Miratur *Suavis* [7], a Concilio *fuisse coarctatam rationem intelligendi Dei Verbum*, quum tamen, ut asserit, *Cajetanus* Cardinalis doceat [8], novos Scripturæ sensus non esse repudiandos, dummodo ne ab aliis Scripturæ sacræ locis aut Fidei doctrinâ alieni sint, etiamsi SS. Patres contrariam tenerent sententiam. Atvero *Cajetanus*, quamvis a Cano [9] in hoc dicto licentiæ notâ reprehensus, minime docet, fas esse adversus communem SS. Patrum sententiam repugnare; sed licere, Scriptu-

Quid *Cajetanus* docuerit.

[1] L. c. — [2] L. c. — [3] De loc. theol., lib. II, cap. 14, ad 3m. — [4] Bibliotheca sancta, lib. VIII. — [5] Forma veræ Religionis quærendæ, n. 294. — [6] L. c. — [7] L. c. « *Intorno l'articolo del senso* ». — [8] Præfatio in quinque *Mosaicos* libros. — [9] L. c., lib. VII, cap. 3, concl. 5, et cap. 4.

ræ expositionem afferre prorsus diversam ab omnibus eorum expositionibus, quum inter se discrepant, adeoque singulæ illorum explanationes dubitationi subjacent; neutiquam vero, quum una omnium est Patrum sententia. Merito autem Concilium prohibuit, ne quis Dei Verbum contra unanimem Patrum consensum interpretetur, quod quidem vetus semper Ecclesiæ consuetudo fuit. Ita Synodus Ephesina ex Patrum auctoritate Nestorium damnavit, atque in hanc ejus arrogantiam invecta est, *quod sacram Scripturam se... solum intelligere, et omnes eos ignorasse jactaret, quicumque antese... Divina eloquia tractavissent* [1]. Eâdem porro auctoritate innixus, opinionem Helvidii condemnavit S. Hieronymus, Amphilochio respondit S. Basilius, S. Augustinus Pelagianorum atque Donatistarum rejecit sententiam, Eutychetis S. Leo, Monothelitarum in sextâ Synodo Agatho Papa, atque Græcorum Florentinum Concilium.

De unanimi Patrum consensu.

Eorum consensus norma fidei est.

17. Sed neque res aliter se habere potuit: si enim permisisset Deus, ut primi Patres Scripturam perverse explanarent, ipse Deus (ut ita dicam) in errorem nos induxisset, permittendo sacros Doctores aliter intellexisse Dei verborum sententiam ac Ipse loqui intendisset. Quapropter, siquid ut dogma Fidei a communi Ecclesiæ Doctorum sententiâ comprobatur, illud ita credere tenemur; secus dubitabile foret cuilibet, quidquid in divinis oraculis, quantumvis clare enuntiatum legitur. Fidei autem assensu credere debemus, non solum ea, quæ Ecclesia jam definivit, sed etiam quidquid in Scripturâ contineri perspicue apparet; alioquin, priusquam Ecclesia suâ definitione de re pronuntiasset, omnibus licuisset ambigere de omni veritate, in sacris Litteris expressâ. Unde colligendum est, in rebus ad dogmata moresque spectantibus Patres omnes errare non posse, quin pariter erret Ecclesia, quæ eos duces sequitur, quoties uno ore non opinionem, sed certam sententiam enuntiant. Quapropter Concilium: *Nemo*, inquit, ... *sacram Scripturam ... contra eum sensum, quem... tenet... Ecclesia, ... aut etiam contra unanimem consensum Patrum... interpretari audeat.* Quemadmodum igitur nefas est, Scripturam interpretari contra Ecclesiæ sensum, qui naturâ suâ de fide est; ita quoque, interpretari Scripturam contra consensum Patrum. Ceterum, ut jam ante decretum recte admonuerat Episcopus *Clodiensis*, illicitum non est, novum Scripturæ locis dare sensum, dummodo nec Ecclesiæ sensui nec communi Patrum sententiæ adversetur.

18. Denique prohibet Decretum sub excommunicationis pœnâ, ne typographi sacras Scripturas Scripturæve quemcumque librum, vel etiam adnotationes et expositiones super illis aut imprimant aut vendant sine examine vel licentiâ Superiorum ecclesiasticorum, sine nomine auctoris aut *ementito prælo*, id est, unius loci pro alterius nomine apposito. Declaratur porro, eamdem prohibitionem spectare ad eos, qui hujusmodi evulgarent libros, aliis eos suppeditarent aut etiam retinerent apud se.

Quid typographis injungatur.

19. Opportunum censuit *Madruccius* Cardinalis, permitti, ut linguis vulgaribus Scriptura imprimeretur. Quod tamen expedire non est visum, quum satis esset, latine Scripturam imprimi; tum quod iis regionibus, ubi Christiana Religio vigeat, latinum sermonem intelligant viri, ad sacras Litteras interpretandas idonei; tum quod in sacrâ Scripturâ plures tam obscuri ambiguique loci reperiantur, ut in vulgi manum traditi, errores aut certe dubia perniciosa facile inducerent.

Quid de lingua vulgari.

[1] Apud *Vincent. Lirinensem*, Commonitorium 2, n. 31.

§ III.

VARIÆ NOTIONES LECTORIBUS UTILES SUPER CANONICIS SCRIPTURÆ LIBRIS.

Canon. **20.** Vox *canonis* aut regulam significat aut indicem rerum, quæ litteris consignatæ sunt; quo quidem sensu hic accipitur, ut idem sit ac divinorum Voluminum catalogus. Dividuntur autem libri canonici in protocanonicos et deuterocanonicos. *Protocanonici* vocantur libri, quos Ecclesia pro divinis atque a Deo revelatis semper habuit. *Deuterocanonici* vero, qui, tametsi vere divini, in divinorum Voluminum numero non semper a singulis Ecclesiis habiti, sed tandem pro divinis recepti fuerunt. — Veteris Testamenti libri protocanonici sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, Paralipomenon duo, Esdræ I[us] et II[us], Esther [1], Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel [2] et duodecim Prophetæ Minores. — Novi Testamenti protocanonici sunt quatuor Evangelia S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ et S. Joannis, Actus Apostolorum, Epistolæ S. Pauli, numero XIII, una ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, duæ ad Thessalonicenses, ad Timotheum duæ, una ad Titum, ad Philemonem una; aliæ duæ præterea Epistolæ, prima S. Petri et prima S. Joannis.

Protocanonici V. et N. Test.

Deuterocan. V. et N. Test. **21.** Deuterocanonici Veteris Testamenti sunt Esther, Baruch, ea Danielis capita, quæ trium puerorum hymnum, Susannæ historiam et draconis a Daniele occisi narrationem exhibent [3]; porro Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus et Machabæorum Liber primus et secundus. — Deuterocanonici Novi Testamenti sunt Epistola ad Hebræos, Epistola S. Jacobi, secunda S. Petri Epistola, secunda et tertia S. Joannis, Epistola S. Judæ et Apocalypsis. Quibus addi debent ultimum S. Marci caput et apud S. Lucam historia sanguinei sudoris atque interventus consolatoris Angeli. — Qui quidem libri, quamvis a majori Ecclesiæ parte in numero divinorum Voluminum haberentur, ab initio tamen a nonnullis Catholicis pro divinis agniti non sunt; quos tandem omnes divinos esse atque revelatos Concilium Tridentinum, Sessione quartâ declaravit.

Libri, quos hæretici rejiciunt. **22.** A *Calvinistis Lutheranisque* rejiciuntur sex libri Veteris Testamenti, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus et duo libri Machabæorum. Ex libris porro Novi Testamenti respuunt *Lutherani* Epistolam ad Hebræos, S. Jacobi ac S. Judæ epistolas et Apocalypsim. Verum, omnia Concilia omnesque Patres iis pro divinis sæpius utuntur; summi Pontifices autem, qui divinorum Voluminum catalogum redegerunt, eos, quos retulimus, commemoraverant unà cum Origene apud Eusebium [4], S. Athanasio [5], S. Gregorio Nazianzeno [6], S. Cyrillo Hierosolymitano [7], cum Concilio Laodiceno [8], Concilio Cartaginiensi III [9], S. Augustino [10], Innocentio I [11] et Gelasio I in Synodo Romanâ [12], S. Isidoro [13], S. Joanne Damasceno [14], ac tandem, ut vidimus, cum Concilio Tridentino; id est, cum totâ Ecclesiâ, quæ

Rejici non possunt.

[1] i. e. usque ad cap. X, v. 4. — [2] Exceptis cap. III, 24-90, cap. XIII et XIV. — [3] Cap. III, 24-90, cap. XIII et XIV. — [4] Hist. Eccl., lib. VI, cap. 25. — [5] Synopsis totius S. Script. (Ed. *Basil.*). — [6] Carmina, lib. I, Sect. 1, Carm. 12, de veris Scripturæ libris. — [7] Catechesis 4, n. 35 et 36. — [8] Can. ultim. — [9] A° 397, cap. 47. — [10] De Doctrina Christiana, lib. II, cap. 8. — [11] Epist. 6, ad *Exsuperium*, cap. 7. — [12] A° 494. — [13] Etymologiarum, lib. VI, cap. 1. — [14] De Fide Orthodoxa, lib. IV, cap. 17.

sola res satis esse deberet, quum ex ipsis protocanonicis libris constet, in suis definitionibus Ecclesiam falli non posse.

Libri nobis incogniti.

23. Judæi plures quondam libros, hodie in Canonem non relatos, suo Catalogo inseruerant, ut librum *Bellorum Domini* (Num. XXI, 14), librum *Justorum* (*Jos.* X, 13), librum *Verborum* (3. Reg. XI, 41) et alios. Alii præterea existebant, Catalogo non inserti; ut Liber *Eldad* et *Medad*, cet. Hi vero, inquit S. Augustinus [1], nec sacri nec Canonici umquam fuerunt.

§ IV.

ADVERSARIORUM DIFFICULTATES CONTRA LIBROS SACROS, PRÆSERTIM DEUTEROCANONICOS.

Baruch.

24. Objiciunt, librum Baruch in aliquorum Patrum Catalogo non reperiri. At respondetur (ut ait Bellarminus [2]), id ideo accidisse, quia, quum Baruch Jeremiæ esset amanuensis (ut patet ex libro Jeremiæ, cap. 36), ejus librum Jeremiæ esse judicarent. Ceterum, omnes pro divino eum librum habuisse, atque sub nomine Jeremiæ ejus allegasse textus, loco citato videre licet apud Bellarminum.

Judith.

25. In dubium vocant *Lutherus* et *Grotius* [3], an liber Judith rei fictæ narrationem contineat; sed pro verâ historiâ eam habuerunt SS. Patres, quod præterea ex Conciliis Hipponensi (anno 393) [4] et Carthaginiensi III (397) [5], ex Innocentio I [6] atque etiam sub Gelasio I ex Synodo Romanâ [7] liquet.

Esther.

26. Librum Esther apocryphum esse dicunt *Anabaptistæ;* at falso. Novem enim priora capita divinæ esse auctoritatis, etiam Hebræi confessi sunt; quod autem ad reliqua septem capita attinet, nonnulli quidem, num fide digna sint, in dubium vocarunt; communiter tamen SS. Patres historiam Esther pro verâ habuerunt. Reperitur denique idem liber in Vulgatâ, quam Tridentinum approbavit. Contra vero objiciunt, ultima septem capita cum prioribus non congruere. At respondetur, ea septem capita, quæ ultima sunt in Vulgatâ nostrâ, revera non esse ultima, sed eorum quædam ad principium libri (ut capita XI et XII), alia ad medium (ut capita XIII, XIV, XV et XVI), alia denique ad extremum librum (ut cap. X) pertinere. S. Hieronymus autem idcirco septem ea capita ad finem posuit, quod ea non in Hebræo codice, sed in solâ Vulgatâ reperisset.

Tobias.

27. Adversus librum Tobiæ objicitur primum, quod in Hebræorum Canone, ab Esdra confecto, non reperiatur. At respondetur, Esdram suo Canoni non omnes divinos libros inseruisse, Tobiæ vero librum ab Ecclesiâ Catholicâ pro divino semper fuisse receptum, ut ex Conciliis Hipponensi et Carthaginiensi [8] atque ex Canone Gelasii [9] constat. Deinde objicitur quod, licet in eo libro Sara, quam in uxorem habiturus erat Tobias junior, in *Rages* habitasse dicatur (cap. 3), ubi Gabelus quoque fuisse (cap. 4) perhibetur; tamen idem Tobias (cap. 9) quum ad locum, ubi habitaret Sara, pervenisset, inde Angelum misisse narretur ad Gabelum in *Rages.* Respondetur, aut in Medorum regno duas fuisse *Rages*, aut in cap. III vocari Rages, non ipsam civitatem, sed civitatis territorium; quemadmodum, qui in agro Romano habitaret, Romæ habitare diceretur.

Job.

28. Ad librum Job quod attinet, dubitarunt nonnulli, num vera esset historia. Ecclesia tamen et Græca et Latina veram esse historiam censuit, ipsumque Job ut

[1] De Civ. Dei, lib XVIII, cap. 38. — [2] De Verbo Dei, lib. I, cap. 8. — [3] Præfatio in *Judith.* — [4] Cap. 38 (inter abbreviationes factas a Conc. *Carthag.* III). — [5] Cap. 47. — [6] Ep. 6 ad *Exsuperium*, Cap. 7. — [7] A° 494. — [8] *Carthag. III*, a° 397, cap. 47. — [9] Concil. *Rom.*, a° 494.

virum sanctum venerata est. Cujus quidem apud Ezechielem (XIV, 14) unà cum Sanctis Noë atque Daniele fit mentio: *Etsi fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel et Job.* In nostro Martyrologio porro commemoratur ejus festum *sexto idus maji.*

Psalmi. **29.** Ad librum Psalmorum nihil contra dicitur, sed duæ sunt sententiæ, gravis utraque atque probabilis: una, librum integrum esse Davidis, altera, partim esse aliorum auctorum, quorum quidem nomina in Psalmorum titulis citantur.

Sapientia. **30.** Num Salomonis esset liber Sapientiæ, nonnulli in dubium vocarunt. At perperam; in ipso siquidem libro Salomon se esse auctorem satis ostendit.

Ecclesiasticus. **31.** Ecclesiasticum in Esdræ Canone non reperiri opponitur. Sed Esdram non omnes divinos libros suo Canoni inseruisse, suprà jam diximus. Ceterum, Ecclesiæ primores atque præcipui Patres in divinorum Voluminum numero eum habuerunt.

Daniel. **32.** Quod ad Danielem, nonnulli de trium puerorum Cantico et de Susannæ, Bel ac draconis historiâ dubitarunt, quum in Hebræorum Canone non reperiantur. Sed cum Patrum consensu Ecclesia Catholica omnia hæc pro veris recepit. Objicitur tamen, in capite VI referri, unâ tantum nocte Danielem in lacu leonum fuisse, in capite XIV vero, sex diebus. At respondendum, bis Danielem missum fuisse in lacum leonum: semel Babylone, quum draconem, qui ibi coleretur, interfecisset; et tunc quidem, ut cap. XIV dicitur, vere sex diebus ibi fuit. Iterum Dario rege, contra cujus præceptum Deum esset precatus; tunc autem, ut cap. VI narratur, una tantum nocte ibi commoratus est.

I *Mach.* **33.** Adversus primum librum Machabæorum opponitur, quod (cap. I) Alexander Magnus primus in Græciâ regnasse dicatur, quum tamen ante eum plures ibi fuerint reges. At respondetur, Scripturam ibi non de regno quocumque, sed de Monarchiâ Græcorum loqui, quam Alexander omnium primus obtinuit. Difficultas quoque fit, quod cap. 8 dicantur Romani singulis annis uni viro magistratum suum commisisse, omnesque uni huic obedivisse, quum tamen iis temporibus duo consules, qui summæ rerum præessent, crearentur. At Scriptura ita loquitur, aut quia alternis mensibus vel, ut alii volunt, alternis diebus Consules vicissim imperarent, aut quia penes alterutrum præcipua esset potestas.

34. Quod ad secundum librum Machabæorum attinet, hæc fit objectio: In capite primo Antiochus in templo Naneæ mortuus esse dicitur, quum lib I, cap. 6, in lecto suo obiisse narretur. — At (respondetur) in libro II (cap. 1) Scriptura non loquitur de Antiocho Epiphane, sed de Antiocho, qui a Josepho [1] vocatur Soter, ac reverâ in templo Naneæ fuit lapidatus. In libro I (cap. 6) de Antiocho Epiphane, qui Babylone obiit, Scriptura loquitur. II *Mach.*

35. Aliam adhuc afferunt objectionem. In libro II, (cap. 2), narratur Jeremias, arcam fœderis in speluncâ quâdam abscondisse, licet tamen Jeremias usque ad templi eversionem in carcere semper fuerit detentus. Atvero Jeremias, quæ futura essent præsentiens, arcam abscondit, Joachim regnante, quo tempore liber erat neque in carcere inclusus. II *Mach.*

36. De Epistolâ S. Pauli ad Hebræos objicitur: Quod initio non exprimatur nomen Pauli, et quod dicendi genere a ceteris ejus epistolis differat. At respondetur, Apostolum nomen suum Epistolæ apponere noluisse, quum sciret, nomen suum Hebræis, quamvis ad fidem jam conversis, gratum non esse, propterea quod ipse præ ceteris Legem Veterem abrogatam esse prædicaret. Quod autem stylus sit diversus, inde oritur, quia S. Paulus suam linguam Hebraicam (*a*), quâ hanc Ad *Hebr.*

[1] Antiquitates *Judaic.* lib. XIII, cap. 10.

(*a*) Quo sensu hoc intelligendum sit, vide infrà, § VII, n. 50. Eruditi siquidem viri adnotant, *Hebræis* tunc quidem *Vernaculum* fuisse mixtum aliquod idioma ex *Hebraico* et *Syriaco* conflatum (Nota edit.).

epistolam exaravit, ornatius scriberet; quum, ut S. Hieronymus [1] adnotat, non admodum peritus esset Græci idiomatis, quo ceteras epistolas conscripsit.

S. Jud. **37.** Contra epistolam S. Judæ objicitur, in eâ ut propheticum citari apocryphum librum Henoch [2]. — At, minime citatur ibi integer liber, sed una vaticinatio, ab Henoch facta, in eo apocrypho libro fortasse inserta, sed peculiari revelatione Apostolo pro verâ confirmata.

§ V.

SINTNE SCRIPTURÆ SACRÆ A DEO INSPIRATÆ ET QUOD AD RES ET QUOD AD VERBA ATTINET.

Tres sententiæ. **38.** *Ipse scripsit*, inquit S. Gregorius, *qui et in illius opere inspirator exstitit* [3]. Tres sunt hac de re opiniones. Prima asserit, Scripturas omnes a Deo inspiratas esse et quoad sententias et quoad verba.

Secunda est probabilior. Secunda docet, omnes sententias fuisse a Deo inspiratas, non vero singula verba; quæ quidem opinio est ceteris probabilior.

Tertia admitti nequit. Tertia contendit, sed falso atque impie, multas quidem sententias a Deo esse inspiratas, alias vero a nonnullis scriptoribus pro suo cujusque arbitratu insertas. Certum est igitur, tam in Veteri quam in Novo Testamento, saltem omnia substantialia a Deo esse inspirata; secus *titubabit ... fides*, inquit S. Augustinus, *si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas* [4]. Quam ob causam S. Paulus Scripturas vocat *eloquia Dei* [5]; Timotheo autem scribit: *Omnis scriptura divinitus inspirata* [6]. Quod comprobatur traditione Patrum, ut S. Irenæi [7], Tertulliani [8], S. Athanasii [9], S. Basilii [10], S. Joannis Chrysostomi [11]. Quæ quidem traditio constat ex numquam interruptâ persuasione et Christianorum, quod ad Novum Testamentum spectat, et Hebræorum, quod ad Vetus, ut apparet ex Philone [12] et Josepho [13].

Quid de prima sententia dicendum. **39.** Scripturas autem quod ad singula verba spectat, non fuisse a Deo inspiratas, S. Hieronymus in Epistolâ ad *Algasiam* [14] affirmat; et S. Augustinus: *Si ergo quæritur*, inquit, *quæ verba potius Joannes Baptista dixerit, utrum quæ Matthæus, an quæ Lucas... nullo modo hinc laborandum* [15]; quandoquidem satis est, inquit, veras esse ipsas res, quum tamen hagiographorum alii alio ordine eas disposuerint. Ita quoque fit, ut in nonnullis textibus, quos citant Dionysius Alexandrinus, Origenes, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus aliique Patres, reperiantur barbaræ loquendi formulæ, quas utique Deus ita dictare non potuerit. Quod idem de Vulgatâ creditur: singulas nempe sententias esse veras, non tamen a Deo inspirata singula verba.

DILUUNTUR NONNULLÆ EX PRÆCIPUIS DIFFICULTATIBUS.

Obj. 1: Inspiratio excludit laborem. **40.** Objicitur 1^um^: Si cunctæ sententiæ, quod ad res ipsas spectat, a Deo fuissent inspiratæ, nullus auctor diligentiam aut laborem adhibere debuisset; quod tamen verum non esse ex S. Lucâ [16] et Auctore II Machab. [17] liquet.

Respondetur. Respondetur, non omnem inspirationem divinam, sed aliquam solummodo excludere sacrorum scriptorum laborem et diligentiam: alios enim aliter

[1] Comm. in Ep. ad *Galat.*, VI, 1. — [2] Ep. *Judæ*, v. 14. — [3] Moralia in *Job*. Præfatio, cap. 1, n. 2. — [4] De Doctrina Christiana, lib. I, cap. 37. — [5] *Rom.*, III, 2. — [6] 2 *Tim.*, III, 16. — [7] Contra hæreses, lib. II, cap. 28, n. 2. — [8] De Cultu Feminarum, lib. I, cap. 3. — [9] Ep. ad *Marcellinum*. — [10] Homil. in Ps. 1, n. 1. — [11] In Genesim, Homil. 21, n. 1. — [12] De *Cherubim*; De Vita *Moysis*, lib. II. — [13] Contra *Appionem*, lib. I. — [14] Ep. 121, ad *Algasiam*, cap. 10. — [15] De Consensu Evangelistar., lib. II, cap. 12, n. 27. — [16] I, 1-4. — [17] II, 27.

Deus movit; nonnullis divino afflatu et sententiæ et verba ultro afferebantur, ut ad scribendum nullo studio indigerent; alios contrà Deus impulit ad omnem curam adhibendam ne errarent, Ipse interim ea revelans, quæ obliviscebantur aut ignorabant.

Obj. 2: Impia nequeunt esse inspirata.

41. Objicitur 2°: Multa in Scripturis adversantur divinis præceptis; cujusmodi sunt imprecationes, quæ in Psalmis reperiuntur, ut: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt* [1], et aliæ similes. — At respondetur, eas non fuisse imprecationes, ulciscendi studio dictatas, sed divinæ vindictæ vaticinationes, ut his verbis notavit S. Augustinus: *Non malevolentiæ voto ista dicuntur, sed spiritu prævisa prædicuntur* [2].

Respondetur.

Obj. 3: Inspiratio non est ad inutilia.

42. Objicitur 3°: In Scripturis nonnulla sunt inutilia, quæ a Deo inspirata non videntur, ut hæc Apostoli ad Timotheum: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum* [3]. Respondetur, in Scripturis sacris non omnia quidem æque utilia esse, nihil tamen inutile; cuncta scilicet vel ad narrationis integritatem vel ad nostram doctrinam pertinere; sic, quæ ex S. Paulo allata sunt, admonent, cum merito nos consulere posse necessitatibus humanis. Unde S. Hieronymus, quæcumque in Scripturis levia et parva videntur, non minus esse a Deo inspirata, ait, quam creaturæ vilissimæ sint a Conditore cæli et terræ [4].

Respondetur.

Obj. 4: Inspiratio nihil incertum relinquit.

43. Objicitur 4°: Quædam in Scripturis tamquam incerta exhibentur, ut hæc Joannis (II, 6): *Hydriæ... capientes singulæ metretas binas vel ternas.* Respondetur, in nonnullis locis noluisse Spiritum-Sanctum quidquam peculiare definire, sed ad narrantium communem usum se accommodare voluisse.

Respondetur.

Obj. 5: Inspiratio non admittit erratum.

44. Objicitur 5°: In extremo libro II Machab. auctor *petit veniam erratorum.* Respondetur, auctorem non loqui de erroribus, quos liber contineret, sed solum de stylo parum castigato, eamque ob causam eum scribere: *Et si quidem bene et ut historiæ competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi* [5].

§ VI.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ SENSU.

Sensus duplex.

45. Sacri libri diversos habent sensus: est enim sensus vel litteralis vel mysticus. Sensus *litteralis* explicat litteram prout scripta est, et hic tantum sensus argumentum fidei præbet; id quod sensus mysticus præstare nequit, nisi comprobetur vel alio textu, ita hæc verba explicante, vel etiam communi Patrum consensu.

Sensus mysticus triplex.

46. Sensus *mysticus* est ille, quem immediate significat res verbis expressa; quapropter sensum litteralem semper supponit. Sic v. g. quod in Exodo (XII, 46) de agno Paschali præscribitur: *nec os illius confringetis,* Evangelium S. Joannis (cap. 19) in sensu mystico ad Christum refert. Sensus mysticus porro dividitur in *allegoricum*, qui ad fidei mysteria pertinet, in *anagogicum*, qui ad æternam, quam speramus, beatitudinem, et *tropologicum* sive *moralem*, qui ad mores refertur. Habetur præterea sensus *accommo-*

Sensus accommodatitius.

[1] Ps. LXXVIII, v. 6. — [2] In Ps. LXXVIII, n. 9. — [3] 2 *Tim.*, IV, 13. — [4] Prologus in Epist. ad *Philemonem* (*a*). — [5] 2 *Mach.*, XV, 39.

(*a*) *Quod si non putant,* inquit, *eorum esse parva quorum et magna sunt, alterum mihi Conditorem, juxta Valentinum, Marcionem et Apellen, formicæ, vermium, culicum, locustarum: alterum cæli, terræ, maris et angelorum debent introducere* (Nota edit.).

datitius, ut si quis ad Beatissimam Virginem accommodaret, quæ Christus de Mariâ Magdalenâ dixit: *Maria optimam partem elegit*[1]; qui quidem sensus, utpote non intentus a Spiritu-Sancto, vim probandi habet nullam. Animadvertendum est quoque, eumdem locum subinde duos admittere sensus litterales; iisdem siquidem verbis Deus plura significare potest.

Sensus sæpe obscurus.

47. Quæritur, Scripturarum sensus sitne clarus an obscurus? Contendunt novatores, omnes Scripturæ textus esse claros; sed idcirco ita loquuntur, quod multos textus, quantumvis obscuros, ad suum pertrahunt sensum; atque ideo cunctos textus dilucidos esse perhibent. Verum ex ipsis Scripturis contrarium probatur. Dicitur apud S. Lucam (XVIII, 34): *Et ipsi nihil horum intellexerunt.* Et in ultimo capite ejusdem Evangelii: *Tunc* (Christus) *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*[2]. Præterea S. Petrus, de S. Pauli Epistolis loquens: *In quibus*, inquit, *sunt quædam difficilia intellectu*[3]. Idem sentiunt omnes SS. Patres. Hic attulisse sufficiat S. Hieronymum, qui in epistolâ ad Algasiam: *Quæ* (Scriptura), inquit, *tantis obscuritatibus ... obvoluta est*[4]; et S. Augustinum (Ep. 119 ad Januarium): *In aliis innumerabilibus rebus*, inquit, *multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multo nesciam plura quam sciam*[5]. Quod magis etiam patet ex tot diversis Scripturarum interpretationibus, quas fecerunt Patres et interpretes Catholici.

Objectiones cum responsis.

48. Opponitur textus: *Mandatum hoc, quod Ego præcipio tibi hodie, non supra te est*[6]. At, hic non dicitur omne mandatum esse dilucidum; sed omne mandatum, rite intellectum (prout illud explicat Ecclesia), non esse supra vires nostras, sed observari posse et facile esse cum auxilio gratiæ. — Opponuntur quoque textus ex Prov. cap. 6, 23: *Mandatum lucerna est, et lex lux;* et ex Psalm. 18, 9: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* At hæc verba declarant, Dei præcepta, probe intellecta, mentem illustrare et voluntatem ad bene operandum dirigere; minime vero, omnem Scripturam esse dilucidam.

De sensu *privato*.

49. Dicunt novatores, quamvis nonnulli Scripturæ sensus obscuri sint, horum tamen claram intelligentiam Deum singulis præbere fidelibus. — Hic vero est hæreticorum ille sensus *privatus*, qui hoc efficit, ut quot inter eos sunt homines, tot fidei doctrinæ, quas sibi fingant, reperiantur; eamque ob causam, quamquam iterum atque iterum Congressus vel Synodos provinciales et nationales habuerunt, numquam omnibus unam fidei formulam potuerunt statuere. Itaque inter hæreticos, id quod neminem jam latet, tot sunt fidei formulæ quot capita. Quo vel uno argumento colligi posset, in errore eos versari, nec veram habere fidem.

§ VII.

DE DIVERSIS SCRIPTURÆ TRANSLATIONIBUS.

Quâ linguâ scripta sint S. Biblia.

50. Hebraicâ linguâ conscripti sunt omnes libri Veteris Testamenti; Novi autem Græce, præter Evangelium S. Matthæi et Epistolam S. Pauli ad Hebræos, quæ Syriace scripta videtur, adjectis tamen Hebraicis et Chaldaicis vocabulis; excepto quoque S. Marci Evangelio, quod Romæ Latine scriptum esse probabile est. Veteris Testamenti multæ fuerunt versiones, ut Origenis, S. Luciani, Theodo-

Versiones V. Test.

[1] *Luc.*, X, 42. — [2] *Luc.*, XXIV, 45. — [3] 2 *Petr.*, III, 16. — [4] Ep. 121 ad *Algasiam*, Præfatio. — [5] Nunc Ep. 55 ad *Januarium*, cap. 21. — [6] Deut., XXX, 11.

tionis, Aquilæ, Symmachi et aliorum (*a*).

Versio LXX Interpretum.

Omnium autem celeberrima est Versio LXX Interpretum, quam Ptolomæus *Philadelphus*, Ptolomæi *Lagi* filius, rex Ægypti atque tertius post Alexandrum Magnum Græciæ Monarcha, ex Demetrei *Phalerei* Philosophi consilio, circa annum 280 ante Christum, faciendam curavit. Is enim, bibliothecæ augendæ causa, ab Eleazaro, Summo Pontifice petivit, ut sacra Volumina ad se mitteret, unà cum Hebræis quibusdam doctoribus, qui in Græcum ea verterent. Quare Eleazarus septuaginta duos ad eum misit doctores, qui versionem fecerunt, postmodum a Judæis et Græcis Alexandrinis approbatam.

Sitne hæc versio inspirata.

51. De quâ versione S. Irenæus [1], Clemens Alexandrinus [2], S. Augustinus [3], unà cum Bellarmino [4] et Baronio [5], putarunt, illos interpretes in divinis libris vertendis, a Spiritu-Sancto fuisse inspiratos; S Hieronymus [6] vero illud negat; alii porro eruditi existimant, saltem iis adfuisse Spiritum-Sanctum, ne errarent.

De LXX cellulis.

52. Alii, ex historiâ relatâ ab Aristea quodam ethnico, scripserunt, interpretes eos singulos in singulis cellulis inclusos versionem suam seorsim absolvisse; easque versiones tandem, inter se collatas, omnes consimiles fuisse repertas. Quod tamen his verbis S. Hieronymus prorsus rejicit: *Nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit* [7]; et affirmat, septuaginta duos illos Doctores, inter se tantum conferendo, sacros textus transtulisse; cui rei assentiuntur Bellarminus [8] et multi ex recentioribus doctis. Adnotat præterea Bellarminus [9] cum aliis, interpretationem illam LXX Seniorum hodie adeo esse corruptam, ut ab illâ, quæ esset antea, omnino diversa videatur. Ceteroquin dubium non est, quin primis sæculis Apostoli et SS. Patres hac versione usi sint; hodie tamen certo pro authenticâ non habetur, quidquid Jueninus [10] dicit, ut interpretationem LXX olim fuisse atque in præsenti etiam esse authenticam probet.

De Versione Vulgata V. Test.

53. Quod deinde ad Latinas versiones Veteris Testamenti attinet, omnium communissima semper fuit *Vulgata*, a S. Augustino *Itala*, *Vetus* autem a S. Gregorio vocata. S. Hieronymus eam emendavit, et duas fecit Latinas versiones, ex versione Græcâ LXX, et ex textu Hebraico. Excipienda sunt tamen Psalterium (quod solum emendavit), et libri Sapientiæ, Ecclesiastici et Machabæorum, qui a veteri Versione Latinâ diversi non sunt. In Ecclesiâ Occidentali deinde hæc S. Hieronymi translatio communiter recepta fuit, eamque denique Concilium Tridentinum Sess. IV authenticam declaravit, utpote per traditionem apostolicam *longo tot sæculorum usu* pro verâ approbatam.

De Versione Vulgata N. Test. et edit. Græca.

54. Animadvertendum quoque, S. Hieronymum Novum Testamentum non convertisse de Græco in Latinum, sed solum a quibusdam erroribus emendasse. Hæc Jueninus [11]. Ait porro Bellarminus [12], Novi Testamenti editionem Græcam, quam S. Hieronymus S. Damasi jussu confecit, hodie non esse plane tutam, utpote non omnino incorruptam.

Objicitur: 1. Vulgata a fontibus discrepat.

55. Objiciunt hæretici 1um: Vulgatam a textu Hebraico et Græco discrepare, eamque ob causam Clementem VIII emendasse Vulgatam, quam Sixtus V evulgaverat. At respondetur, eam non discrepare in rei substantiâ. Etiamsi ceteroquin alicubi discreparet, id parvi referret, quum eruditi doceant, editorum incuriâ, Hebraica quoque et Græca exemplaria esse mendosa. Verumtamen, ad verborum sensum eliciendum Græci et Hebraici fontes certe utiles sunt; et Concilium Tri-

Respondetur.

[1] Adv. Hæreses, lib. III, cap. 21, n. 2. — [2] Stromata, lib. I, cap. 22. — [3] In Ps. 135, n. 3; De Civ. Dei, lib. XVIII, cap. 43. — [4] De Verbo Dei, lib. II, cap. 6. — [5] Annales, a° 231, n. 21. — [6] Præfatio in Pentateuchum. — [7] L. c. — [8] L. c. — [9] L. c. — [10] Instit. theolog. Prolegomena, Diss. 4, qu. 1, cap. 7, art. 2, § 2, concl. 2. — [11] L. c., art. 3, § 2, concl. 4. — [12] L. c., cap. 7.

(*a*) Confer not. *a*, pag. 287 hujus Voluminis (Nota edit.).

dentinum textibus Hebraicis et Græcis, licet Vulgatam iis anteposuerit, suam intactam reliquit auctoritatem. Notandum præterea, Clementem VIII in corrigendâ Sixti Vulgatâ nequaquam sensum ipsum, sed solas locutiones quasdam immutasse. Ceterum, ut ait Clemens, Vulgata nec hodie quolibet accidentali errore caret; sed in præsenti definitum est, eam im-

Objicitur: 2.

munem esse ab omni errore substantiali, qui fidem aut bonos mores respiceret.

Non erat, cur Vulgata præferretur.

56. Objiciunt 2°: Concilium nullam habuisse rationem, cur Vulgatam ceteris præferret.

Respondetur.

Respondetur, Vulgatam præferendi hanc fuisse sufficientem rationem, quod Ecclesia per mille annos Vulgatam adhibuisset; etenim S. Gregorii Magni temporibus (ut ex ejus libris atque Conciliorum Actis liquet) ad lectiones definitionesque sola adhibebatur Vulgata.

Objicitur: 3. Vulgata errores continet.

57. Objicitur 3°: Vulgatam multos continere errores, qui tempore Tridentinæ Synodi emendari non poterant. — At (respondetur) nullus error hactenus probari potuit; quodsi typographorum culpâ nonnulli errores casu irrepserint, Summi Pontifices eos emendandos curarunt; denique si pauci aliqui remanserint, valde exigui sunt momenti, nec quidquam fidei aut bonis moribus adversantur. Conf. *Juenin* [1].

Respondetur.

§ VIII.

HIC TANDEM PRÆCIPUÆ DE TRADITIONIBUS NOTITIÆ ADJICIUNTUR.

Definitio.

58. Traditionis nomine significatur Verbum Dei non scriptum, quod Ecclesia custodit, atque fidelibus proponit credendum eâdem fidei certitudine quâ sacras Scripturas. Vocatur *traditio*, quia non litteris, sed quasi per manus *ab uno traditur alteri*, et narrationis aut famæ communis ope de aure in aurem transmittitur. Chartis conservatur Verbum Dei scriptum; non scriptum vero in cordibus fidelium.

Divisio: divina,

59. Tres sunt traditionum species: divinæ, apostolicæ et ecclesiasticæ. *Divinæ* dicuntur, quæ ab ipso Deo aut a Christo proveniunt, ut Sacramentorum materiæ et formæ institutio. *Apostolicæ* sunt, quæ

apostolica,

proveniunt ab Apostolis; earum autem duplex est species; aliæ siquidem sunt, quas Apostoli aut ex Christi ore aut a Spiritus-Sancti inspiratione receperunt, atque ita cum divinis confunduntur; aliæ, quas ipsi Apostoli, dirigente tamen Spiritu-Sancto, observandas nobis reliquerunt, cujusmodi sunt aquæ cum vino in calice mixtio, jejunium Quadragesimæ, Paschatis ac Pentecostes celebratio, cet.

ecclesiastica.

Ecclesiasticæ autem dicuntur consuetudines illæ antiquæ, vel a Prælatis vel a populis, Prælatorum consensu, introductæ, quæ cum temporis tractu vim legis obtinuerunt, quales sunt divinum officium, a Clericis in *sacris* constitutis aut etiam a beneficiatis recitandum, carnis abstinentia die Sabbati, cet.

Divinæ traditiones rejici nequeunt.

60. Traditiones a Novatoribus omnino rejiciuntur; Catholici vero docent, divinas Traditiones vere existere, easque unà cum Scripturis constituere fidei fundamentum; unde Tridentina Synodus: *Perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ aut ab ipsis Apostolis, Spiritu-Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, quum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu-Sancto*

[1] L. c., § 4.

dictatas et continuâ successione in ecclesiâ Catholicâ conservatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit et veneratur [1].

A primordiis mundi exstiterunt.

61. Divinæ Traditiones exstiterunt primum in statu *legis naturalis*, id est ab Adam usque ad Moysen. Tunc profecto certa fidei regula esse debebat; quæ, quum ex Scripturis, utpote nondum existentibus, hauriri non posset, sumebatur ex Adami traditione, qui, quæ Deus sibi revelaverat de Redemptione et de aliis salutis nostræ mysteriis, edocuit filios.

Judæi divinas habuerunt traditiones.

62. Temporibus deinde *legis scriptæ*, a Moyse promulgatæ, quamquam plures litteræ divinæ jam existebant, Judæis tamen in multis rebus pro fidei et morum normâ utendum fuit traditionibus. *Narrabisque*, inquit Dominus, *filio tuo in die illo dicens: hoc est quod fecit mihi Dominus* [2]. David autem: *Quanta*, inquit, *mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera* [3]. Non solis igitur Scripturis, sed patrum etiam traditione monebantur Judæi, quid sibi esset eventurum.

Post Christum necessariæ fuerunt.

63. Denique sub *lege Evangelicâ*, initio per plures annos prorsus necessaria fuit traditio; Evangelium siquidem S. Matthæi, omnium Novi Testamenti Voluminum primum, nisi octo post Jesu Christi mortem annis in vulgus non exiit; et ceteræ omnes sacræ Litteræ multos post annos prodierunt.

Nunc etiam necessariæ sunt: *a* de sacris libris.

64. Verum traditiones nostrâ quoque ætate necessariæ sunt. Primum, ut libri canonici ab apocryphis discernantur: hoc enim discrimen neque in ullo sacro libro declaratur, neque, ut suprà diximus, spiritu privato potest dignosci; unde SS. Patres uno ore docent, solâ nos traditione cognoscere, quinam sint vere libri divini. *Ex traditione*, inquit Origenes, *accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universâ Dei Ecclesiâ... extra controversiam admittuntur* [4].

b de Scripturæ sensu.

65. Deinde Traditiones necessariæ sunt Ecclesiæ, ut judicet, quis genuinus sit sensus eorum Scripturæ textuum, quibus plura fidei nostræ dogmata probantur, ut Trinitas Divinarum Personarum, Verbi cum Patre consubstantialitas, processio Spiritus-Sancti a Patre et Filio, Mariam Virginem vere esse Matrem Dei, in quolibet recens nato homine adesse peccatum originis, Jesum Christum realiter esse præsentem in Eucharistiâ; Sociniani videlicet aliique hæretici negant, ex Scripturis demonstrari, id quod Ecclesia Catholica de iis mysteriis docet.

c de nonnullis fidei articulis.

66. Necessariæ denique sunt Traditiones, ut fides adjungatur pluribus fidei articulis, quos Catholici cum Lutheranis et Calvinistis contra alios hæreticos communes habent, ut Deiparam semper fuisse Virginem, contra Helvidium; validum esse Baptismum parvulorum, contra Anabaptistas; contra Donatistas porro, validum quoque esse Baptismum ab hæreticis collatum; de quibus tamen nihil prorsus exstat in Scripturis, ut ex solo Traditionis fonte illæ ad nos pervenerint veritates.

Apostoli traditione plura docuerunt.

67. Præterea, non quidquid prædicarunt, illud quoque litteris consignaverunt Apostoli; et certum est, plura eos ex Jesu Christi ore didicisse; unde quas traditiones exhibuerant fidelibus, eas ipsis commendabant: *Laudo... vos...*, inquit S. Paulus, *quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis* [5]. Et alio loco: *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram* [6]. Quare in illum textum S. Joannes Chrysostomus: *Hinc est perspicuum*, inquit, *quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis; et ea quoque sunt fide digna* [7].

Objicitur Deuteron. IV, 2, et Matth. XV, 3.

68. Afferunt adversarii primum, quæ leguntur in Deuteronomio, IV, 2: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Ea quoque, quæ apud S. Matthæum, XV, 3, Pharisæis dicta refe-

[1] Sess. IV, Decretum de Canonicis Script. — [2] Exod., XIII, 8. — [3] Ps. LXXVII, v. 5 et 6. — [4] Apud *Eusebium*, Hist. Eccl., lib. VI, cap. 25. — [5] 1 *Cor.*, XI, 2. — [6] 2 *Thess.*, II, 14. — [7] In Epist. 2 ad *Thess.*, Homil. 4.

runtur: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

Respondetur. At respondetur ad priorem textum, Moysen non dicere: *Non addetis ad verbum, quod ego* SCRIBO *vobis*, sed, *quod* LOQUOR *vobis;* ac proinde non de traditione, sed de præceptis agitur (*a*). Similiter Christus non dixit *traditionem* MEAM, sed VESTRAM, id est, a Pharisæis excogitatam; quare subjunxit: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram* [1].

Objicitur. II Tim. III. **69.** Objiciuntur deinde hæc Apostoli: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* [2]. Unde dicunt: Quid traditione opus est, si omnia continet Scriptura? Respondetur, Apostolum declarare, utilem esse Scripturam ad docendum, ad arguendum, cet.; minime vero eam ad omnia satis esse. Præterea, S. Paulus non de omnibus sacris Libris collective sumptis sed de singulis seorsum loquitur, et quemlibet librum utilem esse affirmat; neutiquam vero dicit, satis aptum ad discenda cuncta, quæ ad fidem moresque pertineant.

Respondetur.

Concilia traditionem agnoverunt. **70.** Constat etiam, a Conciliis ad sensum Scripturarum dignoscendum, adhibitam fuisse traditionem. Testatur Theodoretus [3], Concilium Nicænum I condemnando Arium ad traditionem recurrisse. Concilium Nicænum II quoque, ut ex Actione VI patet [4], ad sacras imagines contra Iconomachos tuendas traditionem opposuit. Similiter Concilium VIII, [5] actione octavâ profitetur, servandas esse genuinas traditiones.

SS. Patres traditionem agnoverunt. **71.** Item SS. Patres uno ore confirmant, traditiones pro vero Dei Verbo esse habendas; idque tum Græci, ut S. Ignatius [6], S. Irenæus [7], Origenes [8], S. Basilius [9], S. Joannes Chrysostomus, quem suprà citavimus [10], et S. Epiphanius [11]; tum Latini, ut Tertullianus [12], S. Augustinus [13], Vincentius Lirinensis, qui per totum suum librum, quem *Commonitorium* [14] inscripsit, traditionibus standum esse docet.

Objicitur: *S. Cyprian.* **72.** At objicitur primum: S. Cyprianus non credidit, traditionem, a Stephano Papa sibi oppositam, ab Apostolis descendisse; sed *vetustum errorem* eam vocavit [15]. Respondetur. Respondetur, eatenus S. Cyprianum rejecisse traditionem, quam opposuerat Stephanus Papa, quatenus eam ab Apostolis non descendisse crederet; certo tamen eas traditiones, quæ ab Apostolis vere provenirent, admittendas esse censuit.

Objicitur: *S. Hieron.* **73.** Objiciuntur 2° hæc S. Hieronymi in caput 23 S. Matthæi: *Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur* [16]. Respondetur. Respondetur, S. Hieronymum id quod opponebatur, ideo contempsisse, quia non ex Scripturis, sed ex quodam libro apocrypho probaretur, ubi Zacharias, quem Judæi occiderunt inter templum et altare, pater Joannis Baptistæ dicebatur.

Objicitur: traditiones mutationi sunt obnoxiæ. **74.** Objicitur 3°. Traditio, utpote mutationi obnoxia, monumentum tutum esse nequit: sic Communio sub utrâque specie, qui usus per tot sæcula viguerat, a quatuor abhinc sæculis obsolevit. Respondetur.

[1] v. 6. — [2] 2 *Tim.*, III, 16 et 17. — [3] Ecclesiastica Historia, lib. I, cap. 7. — [4] Actio 6, passim. — [5] i. e., *Constantinop. IV*, act. 8. — [6] Apud *Euseb.*, Hist. Eccl., lib. III, cap. 36. — [7] Adv. Hæreses, lib. III, cap. 3. — [8] In Ep. ad *Rom.*, lib. V, n. 9. — [9] De Spiritu-Sancto, cap. 27. — [10] L. c. — [11] Adv. Hæreses, Hær. 61, n. 6. — [12] De Præscriptionibus, cap. 20 et 21. — [13] De Baptismo contra *Donatistas*, lib. V, cap. 23, n. 31. — [14] Commonitor. primum, n. 1, 2, 3, 4, 27, cet. — [15] Ep. 74, ad *Pompejum*, n. 9 (*b*). — [16] In *Matth.*, XXIII, 35.

(*a*) Statim (eodem versiculo) adjicitur: *custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis;* et XII, 32: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas* (Nota edit.).

(*b*) En ejus verba: « Nec consuetudo, quæ apud quosdam obrepserat, impedire debet, quominus veritas prævaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est » (Nota edit.).

detur, sermonem nobis esse de eâ traditione, quæ ad fidem moresque pertineat, quæ quidem infallibilis est nec mutationi obnoxia; non vero de iis, quæ ad disciplinam spectent; eæ siquidem justis de causis mutari possunt.

Quum autem hæretici ideo traditiones respuant, quia genuinas a falsis discerni non posse opinentur, hic tandem statuendum est, quibus regulis divina traditio ab humanâ dignoscatur.

§ IX.

REGULÆ, QUIBUS DIGNOSCITUR, TRADITIONEM ALIQUAM ESSE HUMANAM, NON VERO DIVINAM.

a si a sententia particulari proveniat.

Prima Regula. Divina non est traditio, quæ licet ab Ecclesiâ universâ jam servetur, ab unius Patris vel particularis cujusdam Concilii sententiâ originem habere cognoscitur; secus enim sine certo fundamento novas revelationes circa fidem aut mores admitti oporteret; quod religionis amantissimus quisque in Ecclesiâ semper exhorruit et impugnavit. *Mos iste semper in Ecclesiâ viguit*, inquit Vincentius Lirinensis, *ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet* [1]. Quare et summi Pontifices, et Concilia et Patres hoc semper diligentissime curarunt, ut religionis integritatem conservarent, novis rebus proscribendis, id est, novis circa fidei dogmata doctrinis, et diversis ab iis, quæ receptæ jam essent. Neque aliud significavit Apostolus, quum ad Timotheum scriberet: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* [2]. Quibus verbis Lirinensis subjungit: *Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti* [3]. Ejusmodi revelationum novitatibus Ecclesiam infestavit Montanus.

b si in particulari Ecclesiâ servetur.

Secunda Regula. Doctrina, quæ in unâ tantum Ecclesiâ particulari reperitur, non pro divinâ sed pro mere humanâ debet haberi; aliter, ut contra Donatistas demonstrat S. Augustinus [4], ad istum terræ angulum arctari deberet universa Ecclesia Catholica. Illius igitur particularis Ecclesiæ nulla tunc habenda est ratio.

c si a communi sententia recedat.

Tertia Regula. Nec pro divinâ haberi debet traditio, quæ dogma aliquod tradendo innititur doctrinâ unius vel paucorum recentium aut veterum, quamquam docti sanctique fuerunt, contra communem aliorum sententiam. Errorem millenariorum, Christum videlicet his in terris post hominum resurrectionem unà cum electis suis per mille annos regnaturum esse, plures quidem Patres tenuerunt, ut Tertullianus [5], S. Irenæus [6], Lactantius [7], cet., apud Eusebium [8]; eum vero, ut communi ceterorum sententiæ adversantem, respuit Ecclesia.

§ X.

REGULÆ, QUIBUS DIGNOSCITUR, TRADITIONEM ALIQUAM ESSE DIVINAM, NON VERO HUMANAM.

a si dogma ab *universâ* Ecclesiâ admittatur.

Prima Regula. Dogma illud, quod universa Ecclesia est amplexa, etiamsi in divinis Litteris non reperiatur, pro divinâ Traditione est habendum. Cujus quidem rei ratio hæc est, quod Ecclesia universa, quum sit firma et infallibilis

[1] L. c., n. 6. — [2] 1 *Tim.*, VI, 20 et 21. — [3] L. c., n 22. — [4] Contra *Donatistas* Ep.ª de Unitate Ecclesiæ. — [5] Adversus *Marcionem*, lib. III, cap. 24. — [6] Contra Hæreses, lib. V, cap. 34-36. — [7] Divin. Instit., lib. VII, cap. 24. — [8] Hist. Ecclesiast, lib. III, cap. 39.

columna veritatis, ut ait Apostolus [1], in errore versari non potest. Unde Tertullianus: *Quod apud multos unum invenitur*, inquit, *non erratum, sed traditum* [2]. Quod idem dicunt S. Cyprianus [3] et S. Hieronymus contra Vigilantium [4].

b si Ecclesia aliquid *semper* tenuerit.

Secunda Regula. Ea doctrina quoque, quam universa Ecclesia in omnibus retro sæculis tuita est, pro divinâ traditione recipi debet; sicut enim hoc sæculo Ecclesia, quod humanum est pro divino suscipere nequit, ita nec potuit superioribus sæculis.

c si ubique servetur, quod *Deum solum auctorem* possit habere.

Tertia Regula. Ea praxis, quam solus Deus instituere potuit, dummodo ab universâ Ecclesiâ servetur, ab Apostolicâ traditione derivari credenda est. Ita S. Augustinus parvulorum baptisma ex divinâ Traditione ortum habere demonstrat: *Consuetudo*, inquit,... *Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio* [5]. Idem docet de consuetudine non rebaptizandi ab hæreticis baptizatos [6]. Ejusdem porro generis plura sunt, inquit Melchior Canus [7], quæ Ecclesia servat, nec tamen servare posset, nisi per Apostolorum traditionem ab ipso Deo ita agendi potestatem recepisset, ut votorum dispensatio et relaxatio jurisjurandi. Idem quoque valet, ut ait Jueninus [8], de dissolvendo per votum solemne matrimonio rato, necdum consummato. Numquam enim fas est suspicari, in ejusmodi rebus erravisse Ecclesiam, ac si talem facultatem temere sibi vindicasset.

d si quod ubique servetur, *nullo Concilio institutum* legatur.

Quarta Regula. Id, quod perpetuo omnibusque sæculis in universâ Ecclesiâ servatum est, nec ab aliquo Concilio institutum reperitur, etiamsi tale sit, ut ab Ecclesiâ institui potuerit, Apostolicâ Traditione institutum credi debet. *Quod universa tenet ecclesia*, inquit S. Augustinus, *nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolicâ traditum rectissime creditur* [9]. Hoc argumento theologi innituntur, ut jejunium Quadragesimæ ab Apostolis institutum probent.

e si reperiatur in præcipuis *Ecclesiis Apostolicis.*

Docent præterea Tertullianus [10] et S. Irenæus [11], dogma aliquod, cujus traditio non reperitur in nonnullis Ecclesiis, reperitur tamen in ceteris, præcipuis saltem Apostolicis Ecclesiis, in quibus Episcoporum successio non fuit interrupta, item pro divinâ Traditione esse habendum. Ita Tertullianus et S. Irenæus, qui (cap. 3) adjungit, inter Apostolicas illas Ecclesias, in quibus germana servata est traditio, principem locum tenere Romanam Ecclesiam: *in quâ semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio* [12]. Enumeratis deinde cunctis usque ad suam ætatem Romanis Pontificibus: *Hac ordinatione et successione*, inquit, *ea quæ est ab Apostolis in Ecclesiâ traditio et veritatis præconatio pervenit usque ad nos* [13].

[1] 1 *Tim.*, III, 15. — [2] De Præscriptionibus, cap. 28. — [3] Ep. 67, ad *Stephanum* Pap., n. 2. — [4] n. 8. — [5] De Genesi ad Litteram, lib. X, cap. 23. — [6] De Baptismo contra *Donatistas*, lib. II, cap. 7, n. 12. — [7] De Locis Theol., lib. III, cap. 4, « Tertia via ». — [8] Inst. theol, Prolegomena, Diss. 4, qu. 2, cap. 3, concl. 2, regula 3, confirm. 2°. — [9] De Baptismo contra *Donatistas*, lib. IV, cap. 24. — [10] De Præscript., cap. 20, 21. — [11] Contra Hæreses, lib. III, cap. 2. — [12] L. c., cap. 3. — [13] Ibid.

DISPUTATIO II.

SESSIO V.

DE PECCATO ORIGINALI.

Quid differat a peccato personali.

1. Hoc inter se differunt peccatum originale et personale, quod peccatum personale committitur voluntate physice propriâ, originale vero commissum fuit voluntate physice alienâ, moraliter autem propriâ. Peccatum originale in se est culpa mortalis, proprie dicta, in omnes Adami liberos per propagationem transmissa; unde David: *Ecce enim,* inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* [1]. Apostolus autem: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [2]. Quod in Epistolâ ad Corinthios his verbis confirmat: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus* [3]. Peccatum Adami igitur jam inde a principio inquinavit posteros, mortemque in illo invenerunt omnes.

Probatur ex Scripturis.

Objicitur: *Rom.* IV, 15.

2. Objiciunt primum Pelagiani hæc S. Pauli: *Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* [4]. Parvuli autem legis capaces non sunt; ergo nec prævaricationis. — At, quamquam capaces non sunt legis, quæ voluntate physice propriâ violatur, capaces tamen sunt legis violandæ voluntate moraliter propriâ in Adami voluntate, quæ omnium hominum voluntates continebat.

Respondetur.

3. Objicitur secundo textus: *Omnes... nos manifestari oportet ante tribunal Christi; ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit* [5]. Salvi fiunt igitur parvuli, quum propria peccata non habeant. Respondetur, ea verba non dici de parvulis, qui sine baptismo ante usum rationis moriuntur, sed de adultis, jam baptizatis. *Calvinus* [6] excipit infantes fidelibus parentibus natos, eosque, licet nondum baptizati moriantur, salutem consequi asserit; at falso. Fidelibus utique parentibus natus est David; se tamen in peccato natum esse confessus est. Idem quoque, ut videbimus, declaravit Concilium, quum diceret, tales parvulos salvos non fieri, *etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti* [7]; non autem damnantur propter parentum peccata, sed propter culpam Adami, omnium hominum progenitoris, *in quo omnes peccaverunt* [8].

Objicitur: 2 *Cor.* V, 10.

Respondetur.

Quid de *Calvini* exceptione.

4. Objiciuntur tertio hæc Ezechielis: *Filius non portabit iniquitatem patris* [9]. Respondetur, ea referri ad peccata actualia uniuscujusque parentum, non autem ad peccatum originale Adami protoparentis, qui quoad illud præceptum, a Deo sibi injunctum, non vescendi fructu vetito, voluntates omnium, qui suâ stirpe essent oriundi, suâ voluntate comprehenderet. Nec homines in Adamo peccaverunt, quatenus erat generis humani caput physi-

Objicitur: *Ezech.* XVIII, 20.

Respondetur.

[1] Ps. L, 7. — [2] *Rom.*, V, 12. — [3] 2 *Cor.*, V, 14, 15. — [4] *Rom.*, IV, 15. — [5] 2 *Cor.*, V, 10. — [6] Antidotum Conc. *Tridentini.* Ad Sess. 6, cap. 5. — [7] Sess. 5, can. 4. — [8] *Rom.*, V, 12. — [9] XVIII, 20.

cum (secus noxii essemus omnium peccatorum, quæ postea commisit); sed quatenus ut caput morale, quantum ad illud præceptum observandum, universæ posteritatis gerebat personam. Deus siquidem (pro supremo dominio, quod in omnes creaturas habet) in Adami voluntatem, quod ad illud præceptum attinet, omnium hominum voluntates incluserat. Quod utique declaratum fuit, quum diceretur, in Adami peccato peccasse omnes homines; Christo excepto, qui non naturali generatione, sed Spiritus-Sancti operâ conceptus est.

Quatuor de peccato originali definienda.

5. In Concilio, priusquam de hac materiâ originalis peccati conficeretur Decretum, dictum fuit, ante fidei articulos, qui ad justificationem pertinent, hæc quatuor examinari debere et definiri: 1. quæ sit peccati originalis natura; 2. quomodo in posteros propagetur; 3. quænam attulerit detrimenta; 4. quodnam hujus damni remedium Deus præbuerit: atque ita deinde factum est.

I Natura hujus peccati.

Circa primum caput, *de peccati originalis naturâ*, fuit qui diceret, illud consistere in privatione justitiæ originalis, in quâ constitutus fuerat Adam. Contendebant alii, hujusmodi privationem non quidem ipsum peccatum esse, sed peccati pœnam. Tum vero Angelus *Paschalis*, Ord. S. Dominici, *Motulanus* Episcopus, allatâ S. Thomæ [1] auctoritate, peccatum originale defectum esse dixit oppositum justitiæ originali, quæ quidem justitia duas haberet partes, quarum prior est, humanæ voluntatis subjectio sub divinâ Voluntate, altera autem subjectio omnium hominis facultatum ipsi voluntati humanæ: primam autem perturbationem non peccati pœnam, sed culpam fuisse, atque peccati originalis naturam constituere. Posteriorem perturbationem vero, aliosque defectus, in prioris perturbationis pœnam irrogatos, quasi originariæ culpæ fuisse materiam; peccatum originale igitur situm esse et in concupiscentiâ sive voluntatis rebellione, quæ ejus materiam, et in originalis justitiæ privatione, quæ ejus formam constituit. Quæ quidem sententia communiter fuit comprobata. *Bosanensis* Episcopus, item Dominicanus, aliam S. Thomæ [2] doctrinam hisce adjunxit: Quamquam, inquiebat, peccati originalis essentia in debiti ordinis privatione est posita, hujus tamen peccati subjectum est concupiscentia, sive mala animi propensio ad bona fugitiva.

II Modus propagationis.

6. Ad secundum quæsitum quod attinet, *de modo, quo peccatum originale propagatur* in Adami posteros, materialiter in homines cum ipsâ generatione transmittitur. De formali autem propagatione, tum quoad pœnam tum quoad culpam, ita disseruerunt Patres: Quod ad pœnam spectat (ita Joannes *Fonseca*, Episcopus *Stabianus* [*Castellamare di Stabia*]), auferendo dotes originariæ justitiæ, Deus Adami filios juste castigat, sicut rex propter subditi infidelitatem merito eum universamque ejus progeniem feudo atque concessis honoribus exspoliat. Quoad culpam autem hæc cum S. Thomâ [3] dixit *Paschalis* (quem suprà citavimus): Nos in Adamo peccasse dicimur, quatenus Adam in suâ fœcunditate totam continebat naturam humanam, atque ejus voluntatis electio secum ferebat naturæ statum, aut prosperum aut infelicem. Unde peccando hoc effecit, ut totum suum genus nasceretur cum maculâ et cum ordinis perturbatione, peccato illatâ. In Adamo igitur naturam contaminavit personæ macula, contrà vero in nobis macula naturæ contaminat personas.

III Damnum illatum.

7. Quod ad tertium spectat, *de allato a peccato originali detrimento*, certum esse ajebat *Bertanus*, Adamum originali justitiâ et rectitudine fuisse donatum; quam si conservasset, tam sibi quam nobis obtinuisset immortalitatem ceterasque naturæ dotes; violatâ tamen Deo debitâ obedientiâ, sibi nobisque divinam gratiam amisit; universum autem genus

[1] 1ª 2æ, qu. 82, art. 3. [2] L. c. — [3] 1ª 2æ, qu. 81, art. 1.

humanum ordine destitutum remansit, in cognoscendâ veritate tenebris menti inductis, voluntate ad malum inclinatâ, aliisque tam corporis quam animæ detrimentis illatis, maxime quod ad alteram vitam attinet, ubi parvuli non baptizati a beatitudine æternâ certo excluduntur.

De parvulis sine baptismate mortuis.

8. De ceteris autem infantium sine baptismate defunctorum pœnis plures sunt sententiæ, quarum tres ceteris celebriores. Prima docet, eos pœnam et damni et sensus pati. Altera, pœnâ damni eos quidem affici, non vero pœnâ sensus. Tertia, quæ est S. Thomæ [1] et Cardinalis *Sfondrati* [2], tales parvulos et sensus et damni pœnæ esse immunes. Doctor Angelicus in Opusculo *De Malo* (quæst. 5, a. 2) pro certo habet, eos pœnæ sensus non esse obnoxios, cujus quidem rei hanc affert rationem: *Peccato actuali mortali... debetur... pœna sensus respondens conversioni (ad creaturam). Sed in peccato originali non est conversio.... Et ideo peccato originali non debetur pœna sensus;* siquidem in culpâ originali nullus continetur actus. — Opponunt adversarii doctrinam S. Augustini, qui pluribus locis sentire se declarat, tales parvulos etiam ad pœnam sensus damnari. Verum, alibi eumdem Sanctum profiteri video, eâ in re ancipitem se hærere. Ait enim: *Quum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio* [3].

De pœnâ sensus.

De pœnâ damni.

9. Quod deinde ad pœnam damni spectat, quamvis illi infantes gloriæ expertes sint; docet tamen S. Thomas [4], neminem molestiam percipere ex privatione ejus boni, cujus capax non est; unde, quemadmodum nemo hominum dolet, quod volare nequeat, ita nec dolent parvuli, quod frui non possint gloriâ, cujus numquam nec ex principiis naturæ neque ex suis meritis fuerint capaces. Aliam hujus rei rationem alibi [5] affert S. Doctor. Gloriæ, inquit, cognitio supernaturalis non acquiritur nisi per fidem actualem, quæ omnem naturalem cognitionem superat; parvuli ergo, quum numquam supernaturalem gloriæ cognitionem aliquam habuerint, gloriæ privatione nequeunt dolere. Docet præterea loco prius citato [6], tales parvulos non solum non dolere de carentiâ æternæ beatitudinis, sed frui etiam suæ naturæ bonis et bonitate divinâ, quatenus illud secum fert naturalis Dei cognitio et amor: *Immo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divinâ bonitate et perfectionibus naturalibus.* Quibus postea subjungit: Parvuli isti, quamquam a Deo separati quantum ad gloriæ unionem, nihilominus *illi conjunguntur per participationem naturalium bonorum; et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione* [7].

Quæ sit probabilior sententia.

10. Ceterum, in medio relictâ quæstione de naturali oblectamento, quod parvuli sine baptismate mortui, habere possunt, valde æqua est, et pro divinâ misericordiâ mihi probabilior sententia, in alterâ vitâ eos nec præmio nec pœnâ affici; a quâ sententiâ quodam loco ne ipse quidem S. Augustinus dissidet, quum dicat: *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium* [8]. Idque eo magis, quod S. Gregorius Nazianzenus et S. Gregorius Nyssenus asseveranter idem doceant. *Futurum existimo*, ita Nazianzenus, *ut... (parvuli) nec cœlesti gloriâ nec supplicio a justo judice afficiantur* [9]. Nyssenus autem: *Immatura mors infantium*, inquit, *neque in doloribus ac mœstitiâ esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit* [10]. Sed redeamus ad capita a Synodo examinata.

[1] De Malo, qu. 5, art. 2 et 3; In sent. lib. II, dist. 33, qu. 2, art. 2. — [2] Nodus Prædestinationis, pars 1, § 1, n. 23. — [3] Ep. 166, ad *Hieronymum*, cap. 6. — Cfr. Contra *Julianum Pelagianum*, lib. V, cap. 11. — [4] In Sent. lib. II, dist. 33, qu. 2, art. 2. — [5] De Malo, qu. 5, art. 3. — [6] In Sent. — [7] Ibid., ad 5. — [8] De Libero Arbitrio, lib III, cap. 23. — [9] In Sanctum Baptisma, Oratio 40, n. 23. — [10] De Infantibus, qui præmature abripiuntur.

IV Damni remedium.

11. De quarto Capite, *quodnam remedium huic detrimento allatum sit,* communi consensu affirmarunt, remedium illud esse baptismum, cui sua virtus impertitur ex morte Jesu Christi, qui gratiâ suâ sanctificante peccato nos liberat. Fuit qui diceret, in illius remedii causis recenseri quoque debere internam hominis fidem, exteriori lavacro adjunctam. Verumtamen hæc sententia plerisque Patribus non placuit, quum gratiam Baptismi recipiant parvuli, etiamsi talem fidem non habeant; unde liquet, fidem non universe pro omnibus exigi. Quin etiam in adultis fides tamquam dispositio requiritur, minime vero ut justificationis causa. Denique statutum est, contra *Lutheranorum* errorem, culpam originalem, suscepto baptismo, non solum imputari desinere, sed non amplius existere; atque idcirco in sacris Litteris Baptismum vocari *regenerationem*, quæ secum fert transitum e statu mortis ad vitæ statum, in quo homini donantur vires ad actus vitæ supernaturalis eliciendos.

Rejicitur *Lutheranorum* sententia.

12. *Lutherani* volunt, peccatum originale esse ipsam concupiscentiam; quæ quum in baptizatis remaneat, in iis peccatum quoque remanere asserunt. Plura autem contra eos Scripturæ testimonia sunt adducta, speciatim illud S. Pauli: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati* [1]. Igitur, si per baptismum, remanente concupiscentiâ, peccatum destruitur, dici nequit, concupiscentiam esse peccatum. Item hæc S. Jacobi: *Unusquisque vero tentatur a concupiscentiâ suâ abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, quum conceperit, parit peccatum* [2]. Concupiscentia igitur, quum peccatum pariat, non ipsa est peccatum. Rationem quoque adjecerunt: eum scilicet, qui in peccato sit, haud esse proxime dispositum, ut cælum introeat; certum tamen esse, parvulos, sacro fonte susceptos, quum ante rationis usum moriuntur, cælum adire: eos igitur non esse in peccato. Quodsi Apostolus concupiscentiam appellat peccatum, id per figuram ab eo dicitur, quemadmodum Eucharistia dicitur panis, quâ in re nomen causæ pro effectu sumitur. Asseruit quidam, *Sanfelicius* scil., *Cavensis* Episcopus, post Baptismum, quamquam dici nequit, peccatum in nobis remanere, remanere tamen in concupiscentiâ aliquam peccati rationem. Illud vero communiter fuit reprobatum.

Canones a Concilio conditi.

13. Quibus præmissis, a Concilio conditum est Decretum, in quinque Canones distributum, anathemate statuto contra eum, qui contrarium sentiret.

1. *Sacrosancta... Tridentina Synodus... statuit... ac declarat.... Adam, quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi, iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam... secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse.*

2. *Adæ prævaricationem non sibi soli, sed ejus propagini nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, non sibi soli, sed nobis etiam perdidisse; nec mortem et pœnas corporis tantum in... genus humanum transfudisse, sed peccatum, quod est mors animæ.*

3. *Hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus inest unicuique proprium, non per humanæ naturæ vires vel per aliud remedium tolli, sed per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi;... et ipsum Jesu Christi meritum, per baptismi sacramentum in formâ ecclesiæ rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari.*

4. *Parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos esse, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti; eosque ex Adam trahere originale peccatum, quod regene-*

[1] *Rom.*, VI, 6. — [2] I, 14 et 15.

rationis lavacro necesse est expiari ad vitam æternam consequendam.

5. *Per Jesu Christi... gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti, ac tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, illudque non tantum radi aut non imputari.... In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem S. Synodum fateri et sentire: quæ, quum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus, non valet; quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando apostolus peccatum appellat,... Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat* [1].

In Decreto non comprehenditur B. M. V.

14. Et in fine Decreti hæc adjicitur declaratio: *Declarat tamen hæc ipsa S. Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem; sed observandas esse constitutiones... Sixti Papæ Quarti* [2], *cet.*

Patrum animadversiones.

15. Plures super hujus decreti tenore factæ sunt a Patribus animadversiones. Ibi primo dicebatur, Adamum peccato amisisse sanctitatem, in qua *creatus* fuerat, quæ tamen vox in *constitutus* commutata est, quia controvertitur, num Adam ipso momento, quo creatus fuit, sanctitatem habuerit. In Canone quinto præterea dicitur: *tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet* [3]. *Seripandus* vero dici malebat: *tolli omnem rationem peccati;* ceteris vero non placuit verba jam posita mutari.

a creatus.

b totum id.

16. Major disputatio fuit de verbis: *In renatis enim nihil odit Deus.* Dicebat Seripandus, concupiscentiam non posse a Deo odio non haberi, quum origo sit peccati; dici enim posse, appetitionem concupiscibilem omnes victorias peccato parare, eamque ob causam SS. Patres scriptum nobis reliquisse, efflagitandum esse Dei auxilium ad resistendum concupiscentiæ. Hujusmodi tamen rationes Concilio nequaquam persuaserunt, ut decretum immutaret; quum verbis *nihil odit Deus* significaretur odium *inimicitiæ*, quo in renatos Deus ferri nequit. Dicitur porro *renati*, non vero *baptizati*, quum fieri possit, ut quis, licet baptizatus, tamen gratiæ renatus non sit, eo quod Baptismum non susceperit cum debitâ dispositione. Ceterum, Deus nullo modo potest odisse eum, qui jam adoptivus sibi filius evaserit. Aliqui nihilominus contendunt, recte dici posse, in renatis aliquem remanere defectum, quem Deus eo aversetur odio, quod *displicentiæ* nominatur. Quod tamen aliis parum arridet; aliud enim est asserere, peccata venialia, quæ ex concupiscentiâ originem habent, Deo displicere; aliud, displicere Deo concupiscentiam per se ipsam; postquam declaravit Concilium, concupiscentiam, quæ ad agonem relicta sit, non nocere nisi consentientibus, quin etiam viriliter repugnantibus prodesse.

c nihil odit Deus.

d renati.

17. Præterea periodus erat in Decreto, quâ dicebatur, a Synodo non improbari Scholasticorum propositionem, remanere post Baptismum partem *materialem* originalis peccati, non vero *formalem;* sed eam recusarunt Patres. Volebant enim ab antiquis Doctoribus, non autem a recentibus Theologis vocabula mutuari; quo major veneratio haberetur non solum sententiis, sed etiam vocabulis.

e pars materialis.

[1] Sess. V, Decret. de Peccato originali (*a*). — [2] L. c. — [3] L. c.

(*a*) His quinque numeris S. Alphonsus non errores condemnatos, sed iis contrariam veritatem exponere maluit. Hinc est, cur ejus verba a verbis Concilii paululum differant (Nota edit.).

De peccati naturâ nihil definitur.

18. Conqueritur *Suavis* [1], in Decreto non esse declaratam culpæ originalis quidditatem; quum non possint de re quapiam errores rejici, nisi prius ejusdem rei cognoscatur veritas. At respondetur, solum opus esse, ut sciatur, peccatum originale Deo nos reddere odiosos, ejusque et gratiâ et gloriâ indignos. Cetera cuncta, quæ in quæstione versantur, a Concilio definiri, neque necesse erat neque utile; quemadmodum, quum de peccato actuali agitur, satis est cognitum habere, divinâ amicitiâ illud nos privare; nihil vero interest, certo scire, utrum in malâ operatione an in rectitudinis privatione consistat.

De Immac. Conceptione nihil definitur.

19. Denique, de Beatæ Virginis a culpâ originali immunitate quidquam sancire noluit Concilium, quum a principio jam statuisset, ne in decernendis quæstionibus scholasticis implicaretur. Quin et ipse *Bituntinus* Præsul, quamvis ex Ordine S. Francisci, censuit, decretum eâ formâ, quâ digestum esset, plane retinendum. Petiit *Pacheco* (*a*), ut post verba *declarat.... S. Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere...., ubi de peccato originali agitur, B. Virginem,* hæc alia adjicerentur: *quamvis pie credatur, ipsam fuisse conceptam sine peccato originali;* omnes nempe Regularium Ordines (uno tantum excepto), omnesque Academias huic opinioni, ut magis piæ, adhærere. Idque eo magis, inquiebat *Pacheco*, quod in congregatione generali, habitâ ante Sessionem in quâ Decretum conditum erat, major pars ad suam jam accessisset sententiam. Dominicani vero opponebant: Si huic opinioni assentiri pium est, impium ergo est ab eâ dissentire. Quæ quidem argumentatio non recte concludebat: sed tandem plerique, licet conceptam sine peccato Deiparam existimarent, satius duxerunt, oppositæ sententiæ nihil tunc detrahere; quare ita confectum Decretum est, ut suprà retulimus.

Suavis carpit Concilium.

20. Quibus tamen *Suavis* non contentus, eo progreditur [2], ut hanc de immunitate Beatæ Virginis ab originali culpâ sententiam irrideat velut exortam ex quâdam vulgi ignorantiâ. Concilium, ex cunctis hominibus Mariam excipiendo, incertas reddere ait omnes generales sacrarum Litterarum propositiones. Quodsi Maria, quemadmodum ceteri omnes, hisce comprehendi non debeat, ergo verum non est (inquit), quod scripsit Apostolus: *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* [3].

Respondetur: *a* sic etiam carpit S. Augustinum.

21. Verumtamen, si *Suavis* Concilium vituperat, S. Augustinum quoque vituperare debet; scripsit enim: *Exceptâ itaque sanctâ Virgine Mariâ, de quâ propter honorem Domini nullam prorsus, quum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem; unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum* [4]. Ex contextu certum est, S. Augustinum ibi et loqui de peccato originali, et Beatam Virginem ab eo excipere; sed etiamsi ageret de peccato actuali, item in sacris Litteris hoc universale assertum legitur, non esse hominem, qui non peccet: *Neque enim est homo, qui non peccet* [5]. Et S. Jacobus: *In multis...*, inquit, *offendimus omnes* [6]. His locis igitur Scriptura Mariam non excipit; excipit tamen S. Augustinus eam ob causam, quod concepit peperitque Agnum immaculatum. Quodsi S. Augustinus a peccatis etiam venialibus eam eximit, quidni Concilium eam eximere poterat, quum de culpa originali ageretur; quæ cunctis venialibus peccatis multo gravior est?

b Ineptam affert rationem.

22. Nihil officit universalis propositionis veritati exceptio particularis cujusdam

[1] l. c., « *A questa universal* ». — [2] L. c., « *Ma li decreti* ». — [3] 1 *Cor.*, XV, 22. — [4] De Natura et Gratia, cap. 36. — [5] 2 Paral., VI, 36. — [6] III, 2.

(*a*) Declarationem ita conformari cupiebat: *De B. Virgine S. Synodus nihil definire intendit, quamvis pie credatur, ipsam absque peccato originali conceptam fuisse* (Nota edit.).

rei, quæ, quia specialis adest ratio ne ibi comprehendatur, tunc nominatim exprimi solet, quum ea quoque comprehendi debet. — Propter concupiscentiam, ex Adami lapsu nobis illatam, levioribus culpis nemo immunis est; quod multa quoque Scripturæ testimonia exhibent: *Omnis... homo mendax* [1]. — *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* [2]. Attamen, Dei Mater (ut Sess. VI, Can. 23 declaravit Concilium) ex speciali privilegio, a Deo illi concesso, ab ejusmodi culpis plane vacua fuit. Quod simul validum præbet argumentum, conceptam fuisse Mariam sine originali culpâ; secus enim a venialibus peccatis prorsus libera esse non potuisset.

Suavis stulte citat S. Bernardum.

23. Dicit quoque *Suavis* [3], sed valde inepte, Maternitatis divinæ dignitatem nullum præbere fundamentum, quo nitatur immunitas ab originali maculâ. Quâ in re usurpat, quæ S. Bernardus ad Canonicos Lugdunenses (epist. 174) scripsit: Si hujusmodi argumentum valeret, et Mariæ patrem et omnes ejus majores noxæ originariæ immunes dici debere. — At *Suavis* aut ipse errat aut nos in errorem inducere conatur: quandoquidem S. Bernardum ea dicentem facit, quæ neutiquam dixit. Hoc solum ait S. Bernardus, Canonicis illis fas non esse, propriâ auctoritate Conceptionis festum celebrare, eosque priusquam illud celebrent, Romanæ Ecclesiæ approbatione muniri oportere; eos porro perperam argumentari, festum Conceptionis ideo esse celebrandum, quia celebretur festum Nativitatis; quum nata non fuisset B. Virgo, nisi prius fuisset concepta. Unde illis respondet: Si argumentum illud aliquid probaret, eodem conficeretur, celebrandum esse diem natalem patris omniumque avorum Mariæ; nam sine illorum ortu neque in lucem edita fuisset Maria. Ceterum, numquam S. Bernardus ea privilegiorum dona, quæ ceterorum Sanctorum nemini concessa fuerunt, Mariæ denegavit, idque ob eamdem, quam S. Augustinus attulit, rationem, quod illa sit Mater Dei.

Confirmatur responsio.

24. Scimus præterea, declarasse Alexandrum VII (in Bullâ *Sollicitudo* anni 1661 [4]), B. Virginis Conceptionis festum atque cultum celebrari secundum piam sententiam, quæ docet, eam a primo, quo esse cœpit momento, immaculatam fuisse conceptam; simulque Pontificem prohibuisse sub iisdem pœnis, a Sixto IV [5] injunctis, nequis favorem, piæ illi sententiæ concessum, in dubium vocaret aut aliter interpretaretur. Itaque Mariæ Conceptionis festum hac nostrâ ætate sine dubio ab Ecclesiâ secundum piam illam sententiam celebratur, neque illud interpretari licet modo diverso ab eo, quod pia sententia de Mariæ conceptione opinatur. Quapropter si hisce temporibus viveret S. Bernardus, sine ullâ dubitatione aliter scriberet, et piam sententiam certo propugnaret.

De debito proximo. *Bellarminus* affirmat.

25. Cardinalis Bellarminus [6], Beatam Virginem ait numquam contraxisse culpam originalem, sed vere in Adamo peccasse; et oppositam sententiam periculosam vocat, quum pluribus locis Apostolus affirmet, in Adamo peccavisse omnes: *In quo omnes peccaverunt* [7]. Et alibi: *Omnes... peccaverunt, et egent gloriâ Dei* [8], id est redemptione. Alio deinde loco: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* [9]. In Adami voluntate, inquit Bellarminus, moraliter inclusa fuit omnium hominum voluntas; ergo et voluntas B. Virginis. Quapropter, Adamo delinquente, proximum peccati originalis debitum contraxit Maria. Ait igitur, eam quoque in Adamo peccasse, at speciali privilegio a contrahendâ inde culpæ maculâ fuisse exemptam.

Alii negant.

26. Nihilominus multi iique docti auctores strenue defendunt, Mariam non solum a peccato, sed etiam a peccati de-

[1] *Rom.*, III, 4. — [2] 1 *Joan.*, I, 8. — [3] L. c., « *Ma perchè molte cose* ». — [4] Const. « *Sollicitudo* », 8 Dec. 1661. — [5] Bulla « *Grave nimis* », 4 Sept. 1483. — [6] De Amissione Gratiæ et Statu Peccati, lib. IV, cap. 16. — [7] *Rom.*, V, 12, — [8] *Rom.*, III, 23. — [9] 2 *Cor.*, V, 14.

bito contrahendo fuisse immunem. Ita sentiunt *Galatinus* [1] et *Cusanus* [2] Cardinales, *de Ponte* [3], *de Salazar* [4], *Catharinus* [5], *Novarinus* [6] et *Viva* [7] cum Cardinali *De Lugo* [8], *Ægidio* (*a*), *Richerio* (*b*) aliisque. Hanc autem afferunt rationem (quæ quidem probabilis videtur), quum Deus nobilissimam hanc creaturam gratiæ suæ donis præ hominum vulgo magnopere distinxerit, pie credi posse, Eum voluntatem Mariæ non inclusisse in Adami voluntate; atque ita factum esse, ut etiam a peccati debito contrahendo fuerit immunis.

De ipsâ culpâ.

27. Hactenus de peccati debito; Beatissimam Virginem autem peccati maculam non contraxisse, certam sententiam esse judico, quemadmodum pro certâ eam habent *Everardus* Cardinalis [9], *Du Vallius* [10], *Raynaldus* [11], *Lossada* [12], *Viva* [13], aliique multi. Accedunt quoque plurium SS. Patrum testimonia. *Suscipe me*, inquit S. Ambrosius, *non ex Sarâ, sed ex Mariâ, ut incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati* [14]. — Origenes, quum de Mariâ loquitur: *Neque ejus* (serpentis), inquit, *afflatibus venenosis infecta* [15]. — S. Ephrem: *Immaculata... atque ab omni... labe peccati alienissima* [16]. — Supra his porro Angeli verbis: *Ave Maria, gratia plena*, S. Augustinus: (Quibus) *ostendit*, inquit, *ex integro* (attende: *ex integro*) *iram exclusam primæ sententiæ et plenam benedictionis gratiam restitutam* [17]. — S. Cyprianus sive alius quidam antiquus auctor: *Nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimum a ceteris differens natura communicabat, non culpa* [18]. — *Qui... antiquam illam virginem sine probro condidit*, ita S. Amphilochius, *ipse et secundam sine notâ et crimine fabricatus est* [19]. — S. Sophronius: *Virginem ideo dici immaculatam, quia in nullo corrupta est* [20]. — S. Hildefonsus: *Constat, eam ab omni originali peccato immunem fuisse* [21]. — *Ad hunc paradisum*, inquit S. Joannes Damascenus, *serpens aditum non habuit* [22]. — S. Petrus Damianus: *Caro... Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit* [23]. — S. Bruno: *Hæc est enim incorrupta terra*

Sententia negans probatur I ex SS. Patribus.

[1] De Arcanis Catholicæ Veritatis, lib. VII, cap. 3 et 4. — [2] Exercitationum lib. VIII. Ex Serm.: « Sicut lilium inter spinas ». — [3] *Du Pont.* In Cant., lib. II, Exhort. 19. — [4] Pro Immaculata Deiparae Virg. Conceptione defensio, cap. 7 seq. — [5] Disputatio pro veritate Immac. Concept. B. Virg. — « Hic igitur suboritur », et « Sed existunt ». — [6] Umbra Virginea. Excursus 18, n. 210. — [7] Cursus theologic., pars 8, disp. 1, qu. 2, art. 2. — [8] De Mysterio Incarnationis, disp. 7, sect. 3 et 4. — [9] Examen theologicum... de Immac. concept., pars 2, § 8-10. — [10] *Duval.* In 1. 2. De Peccatis, qu. ult., art. 7. — [11] Pietas *Lugdunensis* erga B. V. immaculate conceptam, n. 29. — [12] Discussio theologica super definibilitate proxima Imm. Conc. Dei Genitricis. — [13] L. c. — [14] In Ps. CXVIII, sermo 22, n. 30. — [15] Homil. 1 de Diversis. — [16] Ad SS. Dei Genitricem Oratio. — [17] Sermo 123, n. 2 (inter dubios. Nota edit.). — [18] De Cardinalibus Operibus *Christi:* de Nativitate Christi (Ed. *Paris.* 1564). — [19] Oratio IV. — [20] Cfr. In Conc. Oecum. VI, act. 11, Epist. ad *Sergium.* — [21] Contra eos, qui disputant de perpetua virginitate *S. Mariæ* (*c*). — [22] Homil. 2, in dormitionem *B. M. V.*, n. 2. — [23] Sermo 40, in Assumptione *B. M. V.*

(*a*) et (*b*) Qui illos pro hac sententiâ citant, falli videntur. Confer *Ægidium de Praesentatione.* De Immac. B. V. Concept., lib. II, qu. 3, art. 2; et qu. 4, art. 6. Notetur n. 8, prop. 7: *In B. Virgine absolute admittenda sunt omnia tria debita in præcedenti propositione explicata; sc. tam debitum proximum quam duplex remotum.* — *Richer.*, Histor. Concilior. General., lib. III, cap. 5, n. 7: *Oportet cunctos mortales, ne quidem B. Virgine demptâ, quantum ad Jus debitum, obligationem, habitum et in actu signato, labem originalem contraxisse in Adamo; verumtamen quoad factum et in actu exercito... ipso articulo temporis, quo Deus animam... infudit, gratiæ prævenientis amuleto sic eam munivit, ut actu et realiter maculâ peccati originalis nullo modo inquinari potuerit.* Atque idem docet n. 17 (Nota edit.).

(*c*). *Migne*, Patr. Lat., tom. 96, col. 212. Ab aliis hic liber inscribitur: *de Partu Virginis.* Viris eruditis *Paschasio Ratberto* potius tribuendus videtur. Confer *Monitum* apud *Migne*, l. c. col. 205 (Nota edit.).

illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione libera [1]. — *Domina nostra*, inquit S. Bonaventura, *fuit plena gratiâ præveniente in suâ sanctificatione, gratiâ scilicet præservativâ contra fœditatem originalis culpæ* [2]. — S. Bernardinus Senensis: *Non enim credendum est, quod ipse Filius Dei voluerit nasci ex Virgine et sumere ejus carnem, quæ esset maculata ex aliquo peccato originali* [3]. — S. Laurentius Justinianus: *Ab ipsâ namque sui conceptione* (Maria fuit) *in benedictionibus præventa* [4]. — In hæc verba: *invenisti gratiam* Idiota: *Gratiam*, inquit, *cælestem; quia fuerunt in Te ab originali labe præservatio, cet.* [5]. — Atque idem dicunt plures alii Doctores.

probatur 2 ex communi Ecclesiæ sensu.

28. Rationes autem, quæ magis nobis persuadent piam illam sententiam, duæ sunt; quarum prior est fidelium universalis hac in re consensus. Testatur P. *Ægidius de Præsentatione* [6], Ordinis Carmelitarum excalceatorum, omnes Regularium Ordines illi sententiæ adhærere; et recens quidam auctor [7] affirmat, ex S. Dominici Ordine (qui unus dissidet), licet nonaginta duo scriptores oppositam tueantur sententiam, centum triginta sex nostram propugnare.

a Ordines Religiosi.

b Academiæ.

29. Præsertim vero, sententiam nostram communi Catholicorum sensui conformem esse, nobis persuadere debent ea, quæ Alexander VII, Summus Pontifex, in celebri Bullâ *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* anni 1661, testatur. Ibi quippe dicitur: *Aucta rursus et propagata fuit pietas hæc et cultus erga Deiparam... ita ut, accedentibus... Academiis ad hanc sententiam* (id est, ad piam sententiam præservationis ab omni maculâ), *jam fere omnes Catholici eam complectantur* [8]. Et re quidem verâ; eam sententiam tuentur Sorbonica, Salmanticensis, Complutensis, Conimbricensis, Coloniensis, Moguntina, Neapolitana aliæque multæ Academiæ, ubi laureatorum quisque cum jurejurando se obstringit ad immaculatam Mariæ Conceptionem propugnandam. Ad eam probandam doctissimus Petavius [9] eo argumento, communi nempe fidelium sensu, potissimum utitur. — Et illustris doctusque Episcopus, *Julius Tornus* [10] scribit, fieri non posse, ut hoc argumentum non convincat. Et sane quidem; si solus fidelium communis consensus certos nos reddit de Mariæ in matris suæ utero sanctificatione ejusque gloriosâ cum corpore et animâ assumptione in cælum (ut pro certo docet S. Thomas Angelicus [11]), cur idem communis fidelium consensus nos certos non efficiat de immaculatâ ejus Conceptione?

c cœtus fidelium.

Probatur 3 ex festo Conceptionis.

30. Altera gravior ratio ad probandum, immunem fuisse Mariam ab originali maculâ, ea est, quod celebratur ejus Conceptionis festum, in universâ Ecclesiâ præscriptum juxta sensum *piæ sententiæ*, quæ tenet, Mariam esse præservatam immunem ab omni maculâ primo suæ Conceptionis momento, quemadmodum hisce verbis declaravit Alexander VII in citatâ Bullâ, *Sollicitudo omnium ecclesiarum: Vetus est Christifidelium erga ejus BB. Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium, ejus animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratiâ et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, ... a maculâ peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium* [12]. Itaque, jam inde ab antiquis temporibus agebatur dies festus Conceptionis non alio sensu nisi immunitatis Mariæ ab originali maculâ in primo instanti, quo speciosa ejus anima a Deo creata est corporique infusa. Et Alexander VII, Summus Pontifex, præci-

[1] In Ps. CI. — [2] De *B. V. M.*, sermo 2. — [3] Tom. III, sermo 48, in feria 3 post Pascha, pars 1. — [4] Sermo in festo Annuntiationis *B. M. V.* — [5] De Virgine *Maria* Contemplatio. — [6] De Immac. *B. V.* Conceptione, lib. III, qu. 6, art. 3, § 3. — [7] *Burgius*. De Pietate in Deiparam. Diss. 1, cap. 14, n. 110; cap. 7, n. 47. — [8] 8 Dec. 1661, § 1. — [9] De Incarnatione, lib. XIV, cap. 2, n. 10. — [10] Nota in *Estium*, sent. lib. III, dist. 3, § 2. — [11] 3ª, qu. 27, art. 1. — [12] L. c., § 1.

pit: *In favorem festi et cultûs Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ, secundum piam istam sententiam... exhibiti...* (festivitatem) *observari mandamus* [1].

Bulla *Alexandri VII.*

31. Præterea, in eâdem Bulla Alexander declarat: *Insuper omnes et singulos, qui præfatas Constitutiones aut Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, et festo seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur; vel qui hanc eamdem sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directe vel indirecte, aut quovis prætextu..., scripto seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo et insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas et censuras in Constitutionibus Sixti IV contentas,... etiam concionandi, publice legendi, seu docendi et interpretandi facultate, ac voce activâ et passivâ in quibuscumque electionibus... privatos esse volumus* [2]. Omnes denique condemnat libros, in quibus aliquid hujusmodi fieret [3].

Conclusio.

32. Hoc igitur stabilito, asserere jam non licet, quemadmodum prius nonnulli faciebant, Conceptionis festum non celebrari in sensu præservationis a culpâ in primo instanti, sed sanctificationis Mariæ in utero matris ante nativitatem.

Certa est sententia.

33. Insuper jam non licitum videtur, cum Ludovico *Muratori* [4] asserere, piam nostram sententiam non esse certam; atque fieri posse, quum sententia contraria probabilis sit, ut Ecclesia aliquando declaret, Mariam primo suæ Conceptionis momento peccati labem contraxisse. Minime vero; positâ Alexandri VII declaratione, — Conceptionis festum celebrari secundum piam sententiam immunitatis Mariæ ab originali culpâ primo Conceptionis momento, — videtur jam fieri non posse, ut Ecclesia declaret, maculâ eam fuisse contaminatam; siquidem, illud declarans, simul declararet, omnia juxta piam sententiam ad illud tempus celebrata solemnia vana fuisse et falsa, falso cultu exhibito Virgini; quandoquidem certum est, Ecclesiam rem non sanctam celebrare non posse, juxta oracula Summorum Pontificum S. Leonis [5] et S. Eusebii, qui dicit: *In sede Apostolicâ extra maculam semper est Catholica servata religio* [6]; idemque docent omnes Theologi cum S. Augustino [7], S. Bernardo [8], et S. Thomâ, qui hoc argumento, quod Ecclesia Mariæ nativitatem celebrat, idcirco utitur, ut demonstret, eam fuisse sanctificatam priusquam nasceretur: *Ecclesia*, inquit, *celebrat nativitatem B. Virginis; non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto: ergo B. Virgo... fuit... in utero sanctificata* [9]. Jamvero, si, ut ait Angelicus, idcirco quod Ecclesia Mariæ nativitatem celebrat, compertum est, eam in utero fuisse sanctificatam; pro certo quoque haberi oportet, eam a primo Conceptionis suæ momento originalis culpæ fuisse immunem, quum eo sensu Conceptionis festum celebret Ecclesia.

Ecclesia contrarium definire non posse videtur.

De voto moriendi pro Immac. Deiparæ Concept.

34. Ut porro hanc de Mariæ Conceptione materiam absolvamus, reliquum est, ut loquamur de controversiâ, hac nostrâ ætate ab auctoribus valde agitatâ, num votum emittere liceat profundendi vitam ad defendendam immaculatam Mariæ Conceptionem. Illud in celebri suo opere *De ingeniorum Moderatione* [10] negavit, unà cum aliis recentioribus, *Lamindus Pritanius* i. e., Ludovicus *Muratori*, quem suprà citavimus. Nemini quippe fas esse ait, ad tuendam sententiam, quæ non est de fide, sed humana et erroris periculo obnoxia, vitam suam exponere; hæc autem nostra sententia ab Ecclesiâ nondum ut certa est definita, quod fieri non poterat nisi ex traditione

Nonnulli illud reprobant.

[1] § 4. — [2] § 5. — [3] § 6. — [4] De Superstitione vitanda, cap. 8 et 9. — [5] Epist. decret. 4, cap. 2. — [6] Can. « *In Sede* » 11, Causa 24, qu. 1 (Cap. *Pseudo-Isidori*. Nota edit.). — [7] Sermo 310 et 314. — [8] Ep. 174, ad Canonicos *Lugdun.*, n. 3. — [9] 3ª, qu. 27, art. 1, sed contra. — [10] Lib. II, cap. 6.

Alii approbant.

vel revelatione divinâ. — Probabilius contrà affirmant plures recentiores, præsertim auctor libri, qui inscribitur *Deipara*, cet.; distinguendas esse videlicet sententias mere humanas ab iis, quæ ad sanctorum, et præsertim ad sanctorum Reginæ cultum pertinentes, aliquomodo ad fidem quoque referantur. Hanc autem sententiam ad Beatæ Virginis cultum spectare, constat ex Alexandri VII, quam suprà citavimus, Bullâ, ubi præcipitur, ut Conceptionis festum celebretur juxta piam sententiam immunitatis Mariæ ab originali culpâ in primo instanti. Præterea, etiamsi sententia illa foret humana, quum tamen pertineat ad cultum in Deiparæ honorem, qui cultus ad Deum quoque refertur, jam non mere humana esset, sed religiosa, ut hisce verbis docet S. Thomas: *Omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat; et secundum hoc possunt esse martyrii causa*[1]. Et subjungit: *Quia bonum humanum potest effici divinum, ut si referatur in Deum; ideo potest esse quodcumque bonum humanum martyrii causa, secundum quod in Deum refertur*[2]. Quum vero certo sit actus religionis quilibet actus venerationis erga Beatissimam Virginem, prout est hæc ipsa celebratio festi Conceptionis ejus, a primo momento immaculatæ, juxta Ecclesiæ præscriptum; certum quoque est, juxta Angelicum, posse talem cultum justam esse martyrii causam. Quemadmodum igitur licitum unicuique atque meritorium est, vitam profundere, ne impediatur quominus ejusmodi cultum B. Virgini exhibeat, ita magis etiam licitum erit atque meritorium, mortem sustinere ad tuendum ejusmodi cultûs objectum, i. e., Mariæ immunitatem, ad quam refertur idem cultus. Quare, in opere *de Canonizat. Sanct.* (lib. III, cap. 19) Summus Pontifex, Benedictus XIV, postquam (n. 12) demonstravit, huic sententiæ de immaculatæ Virginis immunitate favere Ecclesiam, et affirmavit, neminem negare, hanc sententiam magis piam esse et religiosam, numero 13 ita loquitur: *Inter martyres ab Ecclesiâ recenseri, qui occisi fuerunt a tyranno vel quia sententiam magis piam et religiosam sequebantur, vel quia omittere nolebant alicujus actum virtutis, a quo tamen poterant sine peccato cessare* (*a*). Et sic recte occurritur *Lamindi* difficultati, idcirco fas non esse, ad propugnandam Dei Matris immunitatem vitam profundere, quod de fide non sit ejusmodi sententia.

[1] 2ª 2æ, qu. 124, art. 5. — [2] Ibid., ad 3m.

(*a*) Hoc inter alia nonnullos auctores argumentum afferre ait, ut probent, revera esse Martyres, qui pro tali sententiâ mortem obeant; tandem (n. 15) sic ipse concludit: « *Utcumque sit de hac controversia, quam sapientiorum judicio definiendam relinquimus, tutam omnino dicimus in aliis casibus regulam, ut moriens pro quæstione adhuc ab Ecclesiâ non definitâ, non moriatur pro causâ, quæ ad martyrium sufficiat* (Nota edit.).

DISPUTATIO III.

SESSIO VI.

DE JUSTIFICATIONE.

Summi momenti argumentum.

1. Hanc a Concilio jam aggrediendam de justificatione materiam, quam nullum alias Concilium exagitasset; et ex quâ ceteroquin velut ex stirpe quâdam ortum haberent fere omnes recentium hæreticorum errores, Patres diutinâ et accuratissimâ diligentiâ examinandam statuerunt. Itaque decreverunt, 1^um^ adversariorum libros æquabili animo esse perlegendos et æque parato ad reprobanda falsa quam ad vera approbanda. 2° Theologos debere per privatos primo congressus res examinandas inter se conferre, easque ita digestas Patribus proponere. 3° Ipsis theologis nullum esse adumbrandum Decretum, nisi Patrum judicio adhibito. 4° Ad quodlibet Caput non esse inquirendum, quid omnes universi Patres, sed quid singuli eorum sentirent.

Quomodo esset procedendum.

Ad tria omnia revocantur: de gratiâ acquirendâ, conservandâ, recuperandâ.

2. Deinde, eam materiam in tria Capita dividi posse judicatum est. Primum, quomodo Jesu Christi Passio applicetur ei, qui ad fidem se convertat, et quam postea gratiam mereatur. Secundum, quid justificato agendum sit, ut in gratiæ statu permaneat. Tertium, quid possit aut debeat facere, qui gratiam amisit, et num vires ad eam recuperandam habeat: in quo porro hæc posterior justificatio similis sit priori. Præterea dictum est, item agendum esse de libero arbitrio, quum ad justificationem in adultis requiratur hominis consensus, ex arbitrii libertate procedens.

Sex dubia solvenda proponuntur.

3. Inde sex capita examini sunt subjecta. 1. Quid sit justificatio, quod ad nominis significationem et ipsam rei naturam spectat. 2. Quænam sint justificationis causæ; id est, quid eam donando faciat Deus, et quid homo facere debeat eam recipiendo. 3. Quomodo intelligendum Apostoli dictum, *hominem per fidem justificari*. 4. Quomodo ad justificationem pertineant opera nostra, quomodo autem Sacramenta. 5. Quid justificationem antecedat, quid eam comitetur, quid subsequatur. 6. Quânam Scripturarum, Traditionum, Conciliorum et Patrum auctoritate niti deberent sancienda dogmata.

Dubia solvuntur: 1 quid sit justificatio.

4. Quod ad *primum* Caput attinet, consenserunt omnes et de nominis significatione: justificationem videlicet esse transitum a statu inimici ad statum amici filiique Dei adoptivi; et de rei naturâ: justificationis nempe causam formalem esse caritatem seu gratiam animæ infusam. Rejecta vero fuit opinio, quæ Magistro Sententiarum tribuitur, sed a Scholis jam erat reprobata, nos videlicet non justificari gratiâ nobis internâ, sed externâ tantum Spiritus-Sancti assistentiâ. De *secundo* Capite nonnulli censuerunt, ad justificationem non active, sed passive dumtaxat concurrere liberum nostrum arbitrium; quæ quidem repudiata fuit opinio, ut non catholica. Quod ad *tertium* Caput spectat, paucis exceptis, concordabant omnes, hominem justificari per fidem,

2 quænam ejus causæ.

3 quænam sint *fidei* partes.

minime tamen ut per causam proximam, sed ut per primam dispositionem atque remote; quodsi quæratur causa formalis, fidem non justificare, nisi informata sit caritate et gratiâ, quæ homini aut per baptismum aut per pœnitentiam impertiatur. De *quarto* et *quinto* Capite similiter inter Patres convenit, opera, quæ ad justificationem disponant, non aliud habere meritum nisi de congruo; cetera autem, post acceptam justitiam peracta et informata gratiâ, habere rationem meriti de condigno ad conservandam augendamque eamdem gratiam, vitamque æternam consequendam, Deo tamen in omnibus opitulante, secundum illud S. Pauli: *Non ego..., sed gratia Dei mecum* [1].

4 et 5 opera, ante et post justificationem.

5. Deinde, quum ad dogmata stabilienda procederetur, censuerunt Legati, non omnia per Canones et anathemata esse sancienda: sic enim falsum dumtaxat proscriberetur, non traderetur verum. Curarunt itaque, ut tota materia divideretur in Decreta, quæ doctrinam Catholicam exponerent, et in Canones, qui damnarent hæreticorum errores. Rerum scriptarum porro exemplar singulis Patribus traditum est, atque etiam Romam missum: sed tot illud notis auctum est, ut necesse fuerit, tertio illud confici; sed et ita confectum exemplar diversis locis postea fuit immutatum. Jam conficiebantur Decreta; quum tamen obscura essent rationibusque nimis onerata, ea emendandi cura *Seripando*, Augustinianorum Superiori Generali, fuit demandata. Quod et perfecit; deinde vero non sine animi molestiâ adeo ea mutata atque emendata comperit, ut pro suis jam non agnosceret (*a*).

6 stabilienda dogmata per Decreta et Canones.

6. Denique Decreta proposita et confirmata sunt, in sedecim Capita distributa, de quibus singulis hic acturi sumus. Primum ea referemus, quæ ante formata Decreta disputata sunt; deinde decreta ipsa, quæ Concilium condidit ac promulgavit, quoad substantiam dabimus. Postea commemorabimus nonnullas adnotationes, a Cardinali *Pallavicino* factas de quibusdam eorumdem Decretorum verbis. Postremo citabimus Concilii Canones, qui singulis Decretis respondentes, errores condemnant.

Decreta in XVI Capita distributa.

7. In Procœmio Capitum profitetur Concilium, se voluisse, quum nuper varii de justificationis doctrinâ sparsi fuissent errores, veram doctrinam juxta Scripturas et Traditiones exponere, districte prohibendo, ne deinceps aliter quispiam loquatur aut credat. Ex quibus verbis liquet, declarare voluisse Concilium, *de fide* esse non minus ea quæ Decreta quam quæ Canones continent.

Procœmium.

8. Primo Capite agitur quæstio, num vel natura vel lex Judaica sine gratiâ potuerit justificare hominem; dicitur autem: *Primum declarat Sancta Synodus... quod, quum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi et... naturâ filii iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usque adeo servi erant peccati et sub potestate diaboli..., ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi inde liberari aut surgere possent* [2]. Dicebat prius exemplar, *per legem;* postea tamen reformatum est, *per litteram legis.* Sciendum est igitur, antea petivisse nonnullos, *ut legi* adderetur *nudæ* vel *soli*, ne decerneretur, observationes legales non fuisse meritorias. Quæ tamen immutatio facta non est, ut intacta maneret communis sententia contra Magistrum Sententiarum [3], qui Sacramentis Mosaicis vim conferendæ gratiæ justificantis denegavit, etiam quatenus bona opera erant

Caput I. Sine gratiâ non datur justificatio.

[1] 1 *Cor.*, XV, 10.

[2] Sess. VI, cap. 1. — [3] Sent. lib. IV, dist. 1, n. 5.

(*a*) *Seripandus* (inquit *Pallavicinus*, lib. VIII, cap. 11, n. 4) Decreta ad suarum opinionum normam concinnaverat. Quænam essent illæ opiniones, vide infrà n. 38, ubi clare patebit, cur Patres dissenserint (Nota edit.).

cum fide et caritate peracta; quum tamen Apostolus doceat, factores legis justificari [1]. Recte igitur adjecta fuit illa vox *per litteram legis*, ut id solum damnaretur, quod damnaverat S. Paulus in Epistolâ ad Romanos, ubi arguit Judæos, jactantes contra gentiles, nosse se et observare legis litteram.

Liberum arbitrium non exstinctum sed attenuatum.

9. In eodem primo Capite hæc deinde verba sequuntur: *Tametsi in eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum* [2]. Antea dictum erat *vulneratum*, quod deinde mutatum est in *attenuatum et inclinatum*, quæ voces magis intactas relinquunt duas Scholarum sententias, quarum una ad solam amissionem donorum gratuitorum omne damnum restringit, altera etiam aliquod adesse censet detrimentum illius statûs, qui naturâ suâ homini convenisset. Alii porro optabant, ut illæ voces *attenuatum et inclinatum* omnino tollerentur; alii, ut adderetur: *cum subtractione donorum gratuitorum*, quum dicerent, homini naturæ libertatem æque ac antea superesse; quodsi nomine libertatis intelligeretur ea, per quam antea homo liber a peccato fuerat, hanc esse exstinctam. Verum ad priorem partem responsum est a legatis, liberum arbitrium merito dici *attenuatum*, quum S. Augustinus inter originariæ noxæ detrimenta numeraverit difficultatem recte operandi [3]. Alteram autem partem falsam esse, quoniam homo, quum per divinam gratiam a peccati resurgit, libero suo arbitrio aliquid cum Deo agat.

Canones huc pertinentes: I.

10. Ad hoc primum Caput pertinent Canon I: *Siquis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divinâ per Jesum Christum gratiâ posse justificari coram Deo, anathema sit.*

II.

11. Et Canon II: *Siquis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratiâ utrumque, sed ægre tamen et difficulter, possit, anathema sit.*

Caput II. Christus hominem redemit.

12. Secundo Capite de Redemptionis beneficio agitur, ibique hæc dicuntur: *Quo factum est, ut Cœlestis Pater... Christum Jesum filium suum, et ante legem et legis tempore multis sanctis patribus declaratum ac promissum...ad homines miserit, ut et Judæos, qui sub lege erant, redimeret, et gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent.*

Caput III. Christi merita homini applicari debent.

13. Tertio Capite additur: *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti...ita, nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur, quum eâ renascentiâ per meritum passionis ejus, gratia quâ justi fiunt, illis tribuatur.*

Caput IV. Effectus meritorum Christi, hominis justificatio per baptismum.

14. In quarto Capite sermo est de Justificatione, et dicitur: Ex Apostoli verbis *justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum...: Quæ quidem translatio post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.*

Caput V. Homo se disponere et cooperari debet.

15. Quinto Capite agitur de necessitate, quæ adultis incumbit, ut ad justificationem se præparent, et de modo, quo illam assequuntur: declaratur autem, hominem præparare se non posse, nisi præveniat gratia; quæ sine ullo ejus merito ad conversionem vocat et auxilio adjuvat; neque etiam hominem justificari, nisi gratiæ assentiendo et cum eâ cooperando se disponat. Quocirca dicitur: *Ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione,... nullis eorum existentibus meritis... ut ...per ejus excitantem atque ad-*

[1] *Rom.*, II, 13. — [2] L. c. — [3] De Libero Arbitrio, lib. III, cap. 18, n. 52; cap. 19, n. 53, 54.

juvantem gratiam ... ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ ... assentiendo et cooperando, disponantur; ita ut, tangente Deo cor hominis ... neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratiâ Dei movere se ad justitiam ... liberâ suâ voluntate possit. Unde ... quum dicitur: CONVERTIMINI AD ME, ET EGO CONVERTAR AD VOS [1], *libertatis nostræ admonemur; quum respondemus:* CONVERTE NOS, DOMINE, AD TE, ET CONVERTEMUR [2], *Dei nos gratiâ præveniri confitemur.* Volebat Pius, Generalis ordinis Minorum conventualium, ut post verba, quæ suprà retulimus, *illam recipiens*, diceretur: *quum sit in suâ potestate, eam non recipere.* Sed visum est, melius dici, prout scriptum erat, *quippe qui illam abjicere potest;* etenim, recipere gratiam, in nostrâ potestate non est, quum illud Deus in nobis sine nobis operetur; abjicere vero eam, in nostrâ est potestate.

Objectio. Opponit Petrus *Suavis* [3], ea quæ Concilium in quinto Capite dicit: *neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest*, non congruere cum S. Pauli doctrinâ, gratiam esse, quæ vasa iræ separet a

Responsio. vasis misericordiae. Sed respondetur, optime ea congruere, quum certum sit hominem nihil habere, quod non acceperit a Deo; quare ipsa ejus in recipiendâ Dei inspiratione cooperatio, ipsius Dei est beneficium, qui velit, ut post S. Augustinum [4] declarat Concilium, *esse merita* (nostra) *quæ sunt ipsius dona* [5]. At, reponit

Suavis instat. Suavis [6], admisso, hominem a divinâ inspiratione posse dissentire, jam nihil valent illa, quibus Ecclesia in orationibus Deum alloquitur: *Ad Te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates* [7]. Ve-

Respondetur. rum cum Natali Alexandro [8] respondetur, illud *compelle* non significare coactionem, sed efficacem tantummodo motionem sive persuasionem, quemadmodum intelligitur S. Lucæ textus (XIV, 23): *Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea.*

Canones huc pertinentes: III. **16.** Exarati sunt Canon III: *Siquis dixerit, sine præveniente Spiritus-Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

IV. **17.** Et Canon IV: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti et vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere, anathema sit.* Prius in hoc Canone non dice-

Cur dicatur *liberum arbitrium.* batur *liberum arbitrium*, sed simpliciter *hominem;* unde nonnulli postulabant, ut declaratio adjiceretur, illud intelligi *universe loquendo;* posse enim accidere extraordinariam vocationem, cui homo resistere nequeat, cujusmodi juxta S. Augustinum S. Pauli vocationem fuisse ajebant [9]. Patribus vero visum non est, clausulam illam adjicere; sed pro voce *hominem* has alias *liberum arbitrium* apposuerunt. Et prudenter quidem; quum enim accideret extraordinaria illa necessitatemque afferens vocatio (si umquam daretur), non remaneret libertas arbitrii; ac proinde, quum diceretur *liberum arbitrium*, quæstio non attingebatur.

V. **18.** Canon V: *Siquis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satanâ invectum in Ecclesiam, anathema sit.*

VI. **19.** Canon VI: *Siquis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam*

[1] *Zach.*, I, 3. — [2] Thren., V, 21. — [3] L. c., a° 1547, « *Gli intendenti* ». — [4] Ep. 194 (alias 105), cap. 5, n. 19. — Item Cælestinus I, Ep. 21 ad Episcopos *Galliarum*, cap. 12, n. 14. — [5] Sess. VI, cap. 16. — [6] L. c. — [7] Sabb. post Dom. IV Quadrag., secreta. — [8] Hist. Eccl., saec. XV et XVI, Diss. 12, art 4, n. 7. — [9] Cfr. *Pallavic., Conc. Trid., lib. VIII, cap. 13, n. 9.*

proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, anathema sit.

Caput VI. Quomodo homo se disponat.

20. Capite sexto exponitur modus, quo semet infidelis aut peccator præparat ad gratiam recipiendam per diversos gradus sive actus bonos, ut sunt fides, timor divinæ justitiæ, cet.: *Disponuntur ... ad ipsam justitiam, dum, excitati divinâ gratiâ et adjuti, fidem ex auditu concipientes, li-*

Fides. *bere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu;*

Timor. *et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum*

Spes. *propitium fore.* Hoc loco notandum est, circa ea verba *a divinæ justitiæ timore* dixisse quemdam, peccatoris justificationem a spe, non a timore ortum suum ducere; prævaluit tamen contraria sententia; peccator enim justificationem appetere incipit propter peccati remorsum, vexantem eum simulque pœnæ metum inferentem; quocirca, in mente peccatoris timor præcedit alios motus.

Dilectio.

21. Prosequitur Decretum: *Illumque tamquam omnis justitiae fontem, diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus pec-*

Peccati odium. *cata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Quæ postrema verba apposita fuerunt, ut hujusmodi pœnitentia discerneretur a sacramentali confessionis pœnitentiâ. Præterea advertendum est, in Decreto prius nullam actûs dilectionis factam fuisse mentionem; sed Patres voluerunt, hisce verbis *diligere incipiunt*, actum caritatis unà cum aliis actibus recenseri. Dicebant enim, ut refert *Pallavicinus* Cardinalis [1]: « *Visum est, cum Fide et Spe jungere aliquem dilectionis actum; quia si pœnitentia tota esset ex timore, sine amore justitiæ, et dolor esset propter pœnam tantum, et non propter Dei offensam, infructuosa esset* ».

Canones huc pertinentes: VII.

22. Ad hoc sextum Caput referuntur Canon VII: *Siquis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quâcumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.*

VIII.

23. Et Canon VIII: *Siquis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus vel a peccando abstinemus, peccatum esse aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

Caput VII. Quid sit justificatio; quæ sint ejus causæ.

24. Septimo Capite exhibetur, quid sit justificatio, et quæ sint ejus causæ. Suprà jam diximus, a principio fuisse examinatum, num sola fides satis sit ad justificandum impium; fuisse tamen communiter responsum, fidem esse primam dispositionem, solam vero caritatem justificationis causam formalem.

Hæreticorum errores: solam fidem justificare.

25. Innumerabiles sunt errores, quos de justificatione scripserunt hæretici septentrionales. Unus ex præcipuis, de quo alii plures derivantur, hic est, solam fidem justificare. Sed obstant Scripturæ, quæ præter fidem alios actus requirunt; actum timoris: *Qui sine timore est, non poterit justificari* [2]; actum spei: *Qui vero sperat in Domino, sanabitur* [3]; actum dilectionis: *Qui non diligit, manet in morte* [4]. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* [5]; præterea ad recipiendam gratiam requiritur hominis cooperatio, sine quâ, ut scripsit S. Jacobus, mortua remanet fides: *Sicut... corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* [6]. Unde S. Paulus: *Si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum* [7].

Objicitur *Rom.* III, 28. Respondetur.

26. Objiciunt Novatores illud Apostoli: *Arbitramur... justificari hominem per fidem sine operibus legis* [8]. At respondetur,

[1] L. c., lib. VIII, cap. 13, n. 13. — [2] Eccli., I, 28. — [3] Prov., XXVIII, 25. — [4] 1 *Joan.*, III, 14. — [5] *Luc.*, VII, 47. — [6] II, 26. — [7] 1 *Cor.*, XIII, 2. — [8] *Rom.*, III, 28.

fidem esse quidem ad justificationem necessariam, sed non sufficere solam, quum simul requirantur ceteri actus, quos suprà retulimus et quorum mentionem faciunt ipsæ Scripturæ. — Item objiciunt hæc ejusdem Apostoli: *Scientes..., quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi* [1]. Verum hæc ita explicantur, hominem non justificari ex operibus Veteris legis, vel etiam ex operibus factis sine Jesu Christi gratiâ.

Objicitur *Gal.* II, 16.

Respondetur.

27. Opponunt quoque ea, quæ aliis Scripturæ locis (*Act.* XIII [2], *Rom.*, X [3]) dicuntur, omnes credentes justificari et salvos fieri. Sed hoc intelligitur, dummodo ne omittant illos elicere actus, qui ut dispositio ad justificationem requiruntur.

Objicitur *Act.* XIII; *Rom.* X.

Respondetur.

28. Ceterum, in ipso Concilio Archiepiscopus Senensis sententiam defendendam suscepit, per solam fidem justificari hominem; verum, universis displicuit ejus sermo. Eamdem sententiam arroganter tueri voluit Cavensis Antistes, *Sanfelicius*, asserens, positâ fide, justificationem subsequi, cujus socia, non vero causa, esset caritas. Dixi *arroganter;* quum enim in primâ congregatione sententiam suam rejici sensisset, adeo nihil se correxit, ut in proximâ congregatione denuo eam defendere voluerit; sed cum magno suo dedecore. Idem defendit *Contarenus*, *Bellunensis* Episcopus, affirmans, opera, quæ præcedunt et ad justificationem disponunt, non esse nisi signa fidei; at in posterâ congregatione dicta retractavit.

Nonnulli Catholici idem defendere voluerunt.

29. Iis vero strenue obstiterunt plures iique docti Patres, ex quibus *Bituntinus* Praesul, justificationem Fidei adscribi dixit, non ut causæ proximæ, sed ut totius justificationis initio. Disseruit *Bertanus*, justificari hominem non fide, sed per fidem, quum nostra justitia non sit ipsa fides, sed fidei ope a nobis comparetur. Fuse demonstravit *Senogalliensis* [*Sinigaglia*] Episcopus, fidem esse januam ad adeundam justificationem; non tamen per se satis esse ad eam assequendam. Obiter quoque in eodem sermone dixit, in consequendâ justificatione nihil aliud ex nobis esse, nisi quod obicem non inferamus, seu non resistamus prævenienti Dei gratiæ. Quo sensu hæc dixerit nescimus; ceterum constat, quemadmodum initio Patres sanxerunt, hominis liberum arbitrium in recipiendâ justificatione non passive aut negative, sed active concurrere, ut ex Capite quinto retulimus: *Eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponatur;* quum etiam Canone IV damnetur, qui assereret, *liberum hominis arbitrium a Deo motum... nihil cooperari assentiendo Deo excitanti..., quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat.*

Rejecta fuit eorum sententia.

30. Quemadmodum autem citati Præsules *Senensis*, *Cavensis* et *Bellunensis* Patrum aures offenderunt, quum totam justificationem fidei nec quidquam ceteris attribuerent operibus, ita quoque magnam illis exhibuerunt molestiam, quum totam justificationem Christi meritis tribuerent, nihil vero iis hominis actibus, qui eum ut justificetur disponunt. Libenter contrà *Materanus* Archiepiscopus auditus est, quum diceret, opera ad justificationem disponentia pendere quidem a gratiâ, simul tamen esse nostra; illud porro Conciliorum effatum: justificationem esse gratiæ opus, minime excludere, eam opus nostrum quoque dici posse; quæ quidem verba confirmavit auctoritate S. Augustini (in Ps. 145 [4]) et S. Basilii (in Summâ Rerum Moralium [5]).

Opera nostra vere concurrunt.

31. Præterea Bernardus *Diaz*, Calaguritanus (*Calahorra*) Antistes, dixit infidelem nullo opere se disponere ad merendam vocationem, quæ merum Dei donum est. Positâ autem vocatione, liberum esse homini, vocationi aut obsistere aut obtemperare; deinde vero eum, si Baptismum suscipiat, simulque credat, speret, peccata detestetur atque ad Deum se convertat, obtinere divinam gratiam. Duas itaque res a Deo in nobis perfici sine nobis, vo-

Infidelis non *meretur* vocationem.

[1] *Gal.*, II, 16. — [2] v. 39. — [3] v. 6 seq.] [4] n. 11. — [5] Moralia, Regula 4.

cationem ad bonum et justitiæ infusionem: penes nostram libertatem esse, utrumque suscipere, sed cum divino auxilio: vocationem, si ipsi obtemperemus, justitiam, si ipsam velimus a Deo, qui eam nobis offert. In utriusque hujusce doni usu nos unà cum Deo agere, ut quodcumque nostrum bonum opus totum sit nostrum, idemque Dei totum: Dei quidem ut præcipui agentis, nostrum ut causæ secundariæ. — Quæ autem suprà dicta sunt, infidelem per nullum opus suum ad promerendam vocationem se disponere, ita intelligi debent, ut disponere se nequeat nec *de condigno* nec *de congruo*, quum opus aliquod, ut *de congruo* mereatur, non solum naturali sed etiam supernaturali honestate præditum esse debeat; illud autem fieri nequit in infideli, qui quod fide careat, opera supernaturaliter honesta non possit præstare.

Quomodo opera nostra mereri possint.

32. Dixit Stabianus Episcopus, opera nostra, quatenus a nobis tantum proveniunt, ad salutem æternam rationem meriti habere *nullam;* quatenus a gratiâ præveniente procedunt, rationem meriti *de congruo;* quatenus autem a gratiâ justificante unà cum libero arbitrio, rationem meriti *de condigno* ad augendam gratiam et gloriam consequendam, positâ divinâ promissione, quemadmodum declaravit S. Paulus: *Reposita est mihi corona justitiae* [1]. Adjecit, in primâ justificationis susceptione requiri actum Fidei, quia sine actu habitus non infundatur, et sine habitu fidei homo non justificetur. Secundam vero justificationem actu fidei non indigere, quum jam adsit ejus habitus, qui a peccatore non amittitur; explicavit tamen, loqui se de actu explicito atque formali, quum aliquod fidei exercitium semper requiratur.

Quid de actu fidei.

Decretum hujus Capitis. Quid sit justificatio.

33. Tum Capite septimo conditum est Concilii Decretum, ubi dicitur, ad debitam impii dispositionem sequi justificationem, quâ ex Dei inimico amicus fiat et paradisi hæres: *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum, unde homo ex injusto fit justus et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.*

Quæ sint justificationis causæ.

Enumerantur deinde justificationis causæ: *Hujus justificationis causæ sunt: finalis quidem, gloria Dei et Christi ac vita æterna; efficiens vero, misericors Deus...; meritoria autem... Jesus Christus, qui... in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit; instrumentalis item, Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine quâ nulli umquam contigit justificatio; demum unica formalis causa est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit...; et non modo reputamur sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus-Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum-Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret: unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Quâ ratione verissime dicitur, fidem sine operibus mortuam et otiosam esse et in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere neque præputium, sed fidem quæ per caritatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesiâ petunt, quum petunt fidem, vitam æternam*

[1] 2 *Tim.* IV, 8.

præstantem; quam sine spe et caritate fides præstare non potest, cet.

Rejicitur error *Lutheri.*

34. Hoc Decreto damnantur errores *Lutheri*, negantis formam intrinsecam justificantem, quum asserat, hominem numquam justum fieri, sed talem reputari dumtaxat, quod ipsi imputetur extrinseca Jesu Christi justitia. Concilium vero docuit: *Causa formalis est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit... et non modo reputamur, sed vere justi sumus.*

Gratia sanctificans est donum, animæ intrinsecum.

35. Itaque, juxta hanc Concilii doctrinam, gratia formaliter animæ infunditur per quoddam donum internum, ei inhærens, eique intrinsecum, atque ita sordes ejus eluit, eamque sanctificat, juxta illud Apostoli: *Hæc quidam fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis* [1]. Gratia igitur non consistit in imputatione justitiæ Jesu Christi, neque in solâ peccatorum remissione, sed etiam in interiori renovatione hominis, qui per gratiam veteri Adamo exutus novum hominem, Jesum Christum, induit; quare Apostolus: *Renovamini*, inquit, *... spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis* [2]. Hic ergo, ut patet, clara fit mentio interioris renovationis, quam Jesu Christi gratia efficit; quia per illam gratiam homo ex inimico amicus fit et filius Dei adoptivus, atque etiam, ut dicunt Scripturæ, paradisi hæres. Sed eo, quod a suo principe delictorum suorum veniam quis impetrat, non continuo fit principis amicus, adoptivus filius vel de principe bene meritus. Illud autem fit solâ virtute divinæ caritatis, quæ Dei benevolentiam atque adoptionem in filium nobis conciliat: *Caritas Dei*, inquit S. Paulus (*Rom.*, V, 5), *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis.* Ac deinde (VIII, 15) subjungit: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater).* Non ideo igitur Jesu Christi justitia justificat hominem, quod ea, ut adversarii contendunt, homini imputetur, sed quia propter Jesu Christi justitiam infunditur ei gratia, quâ justus evadit.

Est interior hominis renovatio.

[1] 1 *Cor.*, VI, 11. — [2] *Ephes.*, IV, 23 et 24.

Objicitur 1 *Cor.* I, 30.

36. Objiciunt textum: *Qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia et sanctificatio* [3]. Hic igitur declaratur, inquiunt adversarii, nos justificari per Jesu Christi justitiam, nobis imputatam. Sed respondetur, Jesu Christi justitiam nostræ utique justitiæ esse causam meritoriam, atque gratiam justificantem propter ejus merita nobis impertiri; sed, quemadmodum Apostolus hisce verbis *factus est nobis sapientia*, minime intendit declarare, Jesu Christi sapientiam nobis imputari, sed Jesu Christi sapientiam nos sapientes reddere; ita hisce aliis verbis *factus est nobis justitia*, nequaquam asserit, Jesu Christi justitiam, nobis imputatam, nos justificare, sed Jesu Christi justitiam, id est, ejus merita, nos justos reddere per gratiam sanctificantem, quâ facti sumus, ut ait S. Petrus [4], divinæ consortes naturæ.

Respondetur.

Objicitur *Psalm.* XXXI.

37. Item opponunt illud Psalm. XXXI, 1 et 2: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo, inquiunt, non tolluntur sed teguntur peccata, quod non imputentur peccatori. Sed ea verba significant, ita tegi peccata, ut vere tollantur et deleantur. Nam, si quæ res tegi dicitur coram Deo, cui cuncta sunt aperta, eo ipso indicatur, eam prorsus tolli planeque deleri; quod idem S. Augustinus [5] in illum Psalmum exponit, et significavit David Propheta, quum diceret: *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam* [6]. Dominum precatur, ut peccatum suum deleat, minime vero ut tegat. S. Joannes autem, Christum designans: *Ecce Agnus Dei*, inquit (*Joan.*, I, 29), *ecce qui tollit peccatum mundi.* Quod deletur et tollitur, non tegitur, sed penitus exstinguitur; et hoc accidit, quia

Respondetur.

[3] 1 *Cor.*, I, 30. — [4] 2 *Petr.*, I, 4. — [5] In Ps. XXXI, Enarrat. 2, n. 9. — [6] Ps. L, 3.

fieri non potest, ut ibi sit gratia, ubi est peccatum. Unde Ezechiel, peccata per pœnitentiam ablata ita coram Deo deleta esse ait, ut eorum quasi deponat memoriam: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... vitâ vivet et non morietur.... Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor* (XVIII, 21 et 22). Et David ideo dicit: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, quia Dominus, peccatum gratiâ suâ delens non amplius imputat, sed omnino remittit tam quoad culpam quam quoad pœnam.

Rejicitur *Seripandi* opinio de duplici justitiâ.

a Explicatur ejus opinio.

38. Eodem Capitis septimi Decreto reprobata est opinio *Seripandi*, qui duplicem ponebat justitiam, intrinsecam unam, alteram extrinsecam. Ajebat autem, priorem, sive intrinsecam, transferre nos a statu peccatorum ad filiorum Dei statum, et ita virtute ejusdem gratiæ bonos actus in nobis producere; alteram autem, nobis extrinsecam, esse justitiam et merita Christi, nobis imputata tamquam nostra, juxta mensuram Deo placitam. Adjunxit, priorem illam justitiam sine secundâ non esse perfectam, nec nobis sufficere ad obtinendam gloriam, juxta illud Apostoli: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* [1]. Inde deducebat, justificationem per fidem esse, non vero per opera; quum prima justificatio, quæ est transitus ex inimicitiâ ad amicitiam Dei, nequaquam præmium sit operum, quæ facta ante justificationem, meritoria esse non possint; sed mera sit Redemptoris misericordia. Quod vero ad opera attinet post justificationem facta, hominis justitiam non tribui solis ejus operibus, sed simul fidei, quatenus per fidem ei applicetur altera Christi justîtia, quæ supplet ejus defectus.

b Quinam cum eo senserint.

c Quinam dissenserint.

d Quid ei responsum fuerit.

39. Quinque tantum theologi, quorum tres ex eâdem S. Augustini Familiâ, approbarunt hanc Seripandi sententiam, Jesu Christi justitiæ imputationem esse necessariam ad consequendam vitam æternam. Ceteri omnes ab eo dissidebant; ac nominatim *P. Lainez*, *S. J.* amplam scripturam contra *Seripandum* exaravit. Responderunt igitur, et inter alia dixerunt, duo esse causarum genera: aliud earum, quæ gignunt effectum, ipsis postea ad conservationem non indigentem, qualis est filius a patre genitus; aliud, quarum effectus non minus a causâ pendent dum conservantur, quam dum producuntur, ut lux, a sole semper dependens. Hac posteriore ratione nos pendere a Deo, qui et in temporali et in spirituali gratiæ vitâ nos conservat (*a*). Neque ad consequendam gloriam duas in nobis requiri justitias, intrinsecam unam, alteram per Jesu Christi meritorum imputationem extrinsecam; sed ipsam interiorem nobis justitiam, quæ Christi meritorum effectus est, hoc efficere, ut ex peccato assurgamus, et deinde vitæ æternæ præstemus opera, quæ gloriam nobis obtinent ex promissione, nobis a Deo factâ ob eadem Christi merita. Concludebant igitur, gratiam, gratuito nobis infusam, Christi merita perfecte nobis applicare; eamque ob causam minime opus esse, ut extrinseca justitia expleat intrinsecam, *Seripandi* judicio imperfectam; intrinsecam siquidem esse participationem extrinsecæ, i. e. justitiæ Christi (*b*).

[1] *Rom.*, VIII, 18.

(*a*) Ad majorem rei intelligentiam exscribere libet, quæ apud Pallavicinum (lib. VIII, cap. XI, n° 8) sequuntur: « Interiorem nobis justitiam et a Christi meritis effici, et ab ipsis quovis temporis momento pendere, et nisi eorum vi conservaretur, illico defecturam. Atque ita nobis Divinum tribunal adeuntibus, esse confidendum Christi Justitiæ, non quidem ceu justitiæ, quæ vacuitatem nostræ justitiæ interioris suppleat, sed tamquam causæ efficienti, ac neutiquam pendenti a nostrâ interius inhærente justitiâ, quæ causa formalis est, quâ justi sumus » (Nota edit.).

(*b*) *Pallavicinus* (l. c., n° 9) adjungit: « Concedebant omnes,... nostram justitiam Christi Justitiam esse appellandam... Quemadmodum

Idem defenderat *Pighius.*

40. Eam *Seripandi* sententiam Bellarminus [1] ait, antea propugnatam fuisse a *Pighio* [2], qui similiter volebat, justificari hominem partim intrinsecâ justitiâ, partim imputatione justitiæ Christi; sed hæc opinio contraria est verbis Concilii: *Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non quâ Ipse justus est, sed quâ nos justos facit.* Quare ita concludit Bellarminus: *Si justitia inhærens est formalis causa absolutæ justificationis, non igitur requiritur imputatio justitiæ Christi, quæ justificationem alioqui inchoatam et imperfectam absolvat* [3]. Et subjungit [4], *Pighii* sententiam sine dubio condemnatam esse Canone X, ubi damnantur ii, qui asserunt, nos per ipsam Jesu Christi justitiam formaliter esse justos.

Rejicitur alia duplicis justificationis sententia.

41. Ita quoque rejecta est tertia quædam, *Bituntini* Episcopi sententia, qui in justificatione impii duas justificationis species distinguebat, remissionem peccati et justitiæ adeptionem; quarum prior, remissio peccati, haberetur ex imputatione justitiæ Christi; altera vero, justitiæ acquisitio, fieret per gratiam, intrinsece animæ infusam eodem momento, quo injustitiæ statu liberamur, non autem extrinsecus nobis per Christi merita imputatam, ut dicunt Lutherani. Sed eam opinionem, justificationis causam formalem esse duplicem, i. e. remissionem peccatorum et infusionem gratiæ, Bellarminus [5] contrariam vocat Concilio, quod hoc Capite septimo declaravit, unicam esse causam formalem, solam Dei justitiam, nobis infusam et inhærentem. Subjungit deinde, ideo Concilium separatim commemorasse remissionem peccatorum et infusionem gratiæ, ut indicaret duos effectus ejusdem causæ, liberationem impii ex inimicitiæ statu et ejus translationem in statum divinæ amicitiæ per justificationem.

Quare modo *gratia*, modo *caritas* dicatur.

42. Quarto observandum est, quum nonnulli putarent, justificationem fieri per gratiam, a caritate distinctam; alii vero per ipsam caritatem sine aliâ gratiâ justificante, ideo duas illas voces promiscue a Concilio fuisse adhibitas, modo unam modo alteram, ut hæc quæstio intacta relinqueretur.

De caritate vel *inchoatâ* vel *perfectâ.*

43. Quinto nonnulli dixerunt, in hoc Decreto verbis, *fidem quæ per caritatem operatur*, caritatem pro formali justificationis causâ poni, quum tamen superiore capite sexto nominaretur solum ut præparatio ad justificationem. Quibus responsum est, priori loco, hisce verbis *diligere incipiunt*, sermonem esse de caritate aliquâ, quæ nondum justitiâ informata est, et potius de caritatis quodam initio; capite vero septimo commemorari caritatem perfectam, quæ hominem justificat.

Hic agitur de *habitu*, non de *actu.*

44. Sexto adnotat *Pallavicinus* [6], mentem Concilii fuisse, hoc capite statuere habitum infusum justitiæ, non autem actum. Quibusdam siquidem postulantibus, ut magis explicite declararetur, in justificatione impertiri gratiam per habitum infusum, responsum est, id satis explicari iis verbis, *caritas Dei ipsis inhæret;* inhærentia stabilitatem denotat, quæ pertinet ad habitum, non vero ad actum.

Objicitur.

45. Opponit Petrus *Suavis* [7], hæc Concilii verba (cap. 7): *Justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus-Sanctus partitur singulis prout vult,* pugnare cum iis, quæ proxime sequuntur, *et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.* Quodsi requiratur hominis dispositio, inquit, Deus justitiam non distribuit

[1] De Justificatione, lib. II, cap. 2. — [2] Controversiarum Explicatio, controv. 2. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] L. c. — [6] L. c., lib. VIII, cap. 14, n. 3. — [7] L. c.

---

quamvis *esse* nostræ naturæ sit *esse* Dei, sicut loquitur *S. Dionysius...*; non idcirco hoc *esse* nostræ naturæ duplex est, alterum nobis intimum et impotens nos a nihilo formaliter, ut loquuntur Scholæ, secernere; alterum exterius et in Deo situm, quod nobis formaliter communicet id, quo nostrum *esse* interius caret: sed *esse* nostrum interius est quædam communicatio *esse* Divini, per quamdam eminentiam illud continentis ac procreantis » (Nota edit.).

prout vult; sin autem distribuit eam *prout vult,* dici non debet, Eum distribuere *secundum propriam cujusque dispositionem.*

Respondetur. Respondetur cum S. Augustino, qui docet: Gratia *hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam* [1]. Unde Concilium recte dixit: *Secundum mensuram, prout (Spiritus-Sanctus) vult;* et item recte addidit: *et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem* (*a*).

Canones huc pertinentes. IX. **46.** Ad hoc caput septimum referuntur hi Canones: Canon IX: *Si quis dixerit, solâ fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nullâ ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.*

X. Canon X: *Si quis dixerit, homines sine Christi justitiâ, per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.*

XI. Canon XI: « *Si quis dixerit, homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum-Sanctum diffundatur atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.*

Caput VIII. Quid sit justificari *per fidem;* quid *gratis* justificari. **47.** Capite octavo explicatur, quomodo intelligi debeat illud Apostoli, impium per fidem justificari: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem* [2]; eumque justificari *gratis: Justificati gratis per gratiam ipsius* [3]. Dicitur autem hoc in eo sensu intelligi: *Ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis;.... gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Non agitur hic de merito *de congruo,* sed *de condigno;* etenim, petentibus quibusdam, ut hujusmodi verba auferrentur, quum noceant operibus, fidei virtute peractis, responsum est, ne ipsa quidem illa opera ita mereri justitiam, ut ipsis debeatur; ex quo liquet, sermonem ibi haberi de merito *de condigno.* Quin etiam, quum agitaretur quæstio, quomodo explicari debeat Apostoli dictum: *Justificati gratis per gratiam, cet.,* proponebant nonnulli, hoc ita explicandum esse, ut dicatur, fidem esse gratuitum Dei donum; sed illud non placuit, quia etiam positâ peccatoris fide, verum est, a Deo *gratis* eum justificari. Volebant alii, ut exprimeretur, *justificationem fieri sine operibus;* sed illud quoque rejectum est, quum præter fidem alia quædam opera sint necessaria justificationi ad debitam dispositionem. Quare merito approbata sunt verba, quæ suprà citavimus, quibus non negabatur meritum *de congruo,* sed solum *de condigno.*

Caput IX. De vanâ hæreticorum fiduciâ. **48.** Capite nono reprobatur vana hæreticorum fiducia, quâ peccata remitterentur aut remissa essent; itemque hæc propositio, neminem justificari, nisi certo credat, se esse justificatum; Concilium contrà declarat, cuilibet esse metuendum, quum nemo fidei certitudine, cui falsum subesse nequeat, scire possit, se gratiam esse consecutum. Nemo igitur sine speciali Dei revelatione, certitudine fidei credere potest, veniam se a Deo impetrasse. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit* [4]. Quare Apostolus: Nullius equidem præsentis peccati conscientiâ teneor, inquit; idcirco tamen me justificatum non existimo: *Nihil... mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* [5]. Et Jeremias: *Pravum est cor omnium,* inquit, *et inscru-*

[1] Enchiridion, cap. 32. — [2] *Rom.,* III, 28. — [3] Ibid., v. 24. — [4] Eccl., IX, 1. — [5] 1 *Cor.,* IV, 4.

(*a*) Præclare hic animadvertit *Pallav.* (lib. VIII, cap. 19, n. 10): « Etenim ipsa major minorve hominis præparatio Dei gratia est, quæ ex ipsius misericordiâ ac liberali voluntate distribuitur » (Nota edit.).

tabile: quis cognoscet illud? [1] Nemo peccator igitur, qui certo sciat, aliquando peccato se a Deo defecisse, absolutâ certitudine scire potest, ex animo se rediisse ad Eum.

Objicitur *Rom.* VIII, 16.

49. Opponunt novatores primum illud Apostoli: *Ipse... Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei* [2]. At respondetur, Spiritum-Sanctum illud nobis testimonium reddere nec per divinam revelationem, nec signis, quæ falli non possint, sed ex quibusdam conjecturis, quæ non aliam præbere possunt certitudinem nisi præsumptivam et moralem, minime vero evidentem; quemadmodum apud Bellarminum [3] docent Sancti Patres.

Respondetur.

Objicitur *Hebr.* VI, 19.

50. Objiciunt secundo, spem Christianam propter ipsam firmitatem non deficientem, comparari ancoræ [4]; et subjungunt numquam fieri posse, ut firma sit ea spes, nisi certissime credamus, peccata nobis fuisse remissa. Respondemus, spem theologicam ex parte Dei non solum esse certissimam, sed etiam infallibilem fide divinâ; quare a S. Thomâ definitur: *Spes est certa exspectatio... beatitudinis* [5]. Ita vero, certa; quandoquidem, ut scribit S. Doctor, *innititur principaliter... divinæ omnipotentiæ et misericordiæ* [6]; quæ duo attributa in Deo existere, de fide certum est. Verum hujus spei adeptio non a solo Deo, sed etiam a nostrâ cooperatione pendet; quæ quidem cooperatio ex nostrâ parte deficere potest, si minus in præsenti, at certe in futuro, ut docet Tridentinum (hoc capite IX): *Quilibet, dum... propriam infirmitatem... respicit, de suâ gratiâ formidare... potest.* Quamobrem subjungit (cap. XII et XIII), neminem absolutâ certitudine præsumere sibi posse, aut stare se in gratiâ aut in eâ se esse perseveraturum.

Respondetur.

certa ex parte Dei;

incerta ex parte nostrâ.

Unde sit tranquillitas conscientiæ.

51. Sapienter tamen advertit *Tournely*, quamquam gratia, etiam possessa, non excludat omnem timorem, spei Christianæ tamen proprium esse, nimiam removere formidinem, quæ angat justorum animas; eamque fiduciam ejusmodi esse, ut morali certitudine æquam conscientiæ pacem iis afferat: *quo fit*, inquit, *ut legitimâ conscientiæ pace... perfruantur* [7]. Hoc autem minime provenit ex fidei certitudine de statu gratiæ, prout asserunt hæretici; sed ex caritatis erga Deum exercitio; ita docent S. Ambrosius, S. Augustinus et S. Bernardus (*a*).

Discrimen inter fidem et spem.

52. Perperam confundunt hæretici certitudinem fidei cum fiduciæ certitudine (fiducia est illa spes, quæ ex fide nascitur): at falluntur; nam fidei certitudo omne dubium excludit; fiduciæ vero certitudo, quæ partim nititur divinâ promissione, partim cooperatione propriâ, absolute certa esse nequit, quia hæc cooperatio deficere potest. Unde sequitur, ut diximus, sine speciali revelatione neminem de fide credere posse, justificatum se esse, multoque minus se esse prædestinatum; quem duplicem errorem amplexus est et docuit *Calvinus*.

[1] XVII, 9. — [2] *Rom.*, VIII, 16. — [3] De Justificatione, lib. III, cap. 9 et 10. — [4] *Hebr.*, VI, 19. — [5] 2ª 2æ, qu. 18, art. 4 sed contra. — [6] L. c., ad 2m. — [7] *Tournely*, Comp. theol. De Gratia, pars dogmat., qu. 8, art. 1, § 3, concl. 1.

(*a*) Confer. *Bellarm.*, De Justific., lib. III, cap. XI, cujus hæc sunt verba: « Sancti quoque Patres, quorum testimonia perperam adduxerunt adversarii pro certitudine fidei, et præsertim *Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Leo* securitatem animæ non ex fide remissionis peccatorum, sed ex conscientiâ caritatis et operum bonorum colligebant ». — En autem *S. Bernardi* verba (In *Cantica*, serm. 69, n. 7): « Quanta putas ex hac mansione inter animam et Verbum familiaritatis gratia oriatur, quanta de familiaritate sequatur fiducia? Non est, ut opinor, quod jam talis anima dicere vereatur: *Dilectus meus mihi;* quæ ex eo quod se diligere et vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilo minus vehementer non ambigit.... Ergo ex propriis, quæ sunt penes Deum, agnoscit; nec dubitat se amari, quæ amat. Ita est. Amor Dei amorem animæ parit.... Igitur qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus » (Nota edit.).

Refellitur *Suavis*.

53. *Suavis* in suâ historiâ occultat argumenta hujus veræ Concilii sententiæ; profert vero rationes sententiæ contrariæ, quæ tribuit omnibus justis falsam illam de statu gratiæ certitudinem. Inter alia [1], Redemptoris verba affert, quibus paralyticum est allocutus: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* [2]. Ecce, inquiunt, ob veniæ fiduciam veniam obtinuit paralyticus. Sed respondetur, Dominum, qui paralytico spei et fidei donum tribuebat, simul ei tribuisse gratiam caritatis et pœnitentiæ, quibus veniam impetravit.

Postulatum *P. Pii*.

54. Scoto suo innixus, petebat P. *Pius*, Ordinis Minorum conventualium Generalis, ut a Concilio excluderetur casus aliquis particularis, quo quis habere posset fidei certitudinem, se esse in statu gratiæ. Verum Archiepiscopus *Naxiensis* multis verbis demonstravit, sine speciali Dei revelatione ejusmodi certitudinem haberi non posse; quum ipse Apostolus, cui tot suppeditarent indicia, in gratiâ cum Deo se esse, timeret nihilominus atque de se ipso diceret: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* [3]. Et *Pacheco* Cardinalis textum attulit (lib. V, de *Purgat. Canonic.*, cap. ult.), quo Innocentius III ut temerarium damnavit Archiepiscopum, qui jurare volebat, sua sibi dimissa esse peccata.

Decretum hujus Capitis.

55. Ac proinde capite IX dicitur: *Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti neque remissa umquam fuisse peccata, nisi gratis divinâ misericordiâ propter Christum; nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti,... peccata dimitti... dicendum est: quum apud hæreticos... contra Ecclesiam catholicam ... prædicetur vana hæc... fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ullâ omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse justificatos, neminemque... justificari nisi eum, qui certo credat se... justificatum esse; atque hac solâ fide... justificationem perfici; quasi qui hoc non credit, de Dei promissis deque mortis et resurrectionis Christi efficaciâ dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficaciâ dubitare debet; sic quilibet, dum... propriam infirmitatem... respicit, de suâ gratiâ... timere potest; quum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

Sententia *Catharini*.

56. *Catharinus* [4], licet hoc Concilii Decretum jam esset conditum, asserere pergebat, ut ante Decretum jam asseruerat, in aliquo casu particulari fieri posse, ut aliquem in statu gratiæ esse, fide divinâ cognoscatur. Duplicem ille fidem distinguebat: alteram catholicam sive universalem, quæ articulos ab Ecclesiâ approbatos complectitur; et hujus fidei objectis falsum subesse non posse ajebat; unde, ubi Ecclesia quidpiam Fide credendum proponit, numquam illud falsum esse potest: alteram porro ajebat fidei speciem haberi posse circa objectum aliquod particulare, quod simul et a fidei dogmate et a veritate, rationis lumine certo cognitâ, penderet. Exempli gratiâ (sic argumentabatur): Certum est, hominem baptizatum originali culpâ liberum esse: ego autem scio, parvulum hunc a me fuisse baptizatum; ergo, quoties illud reapse verum est, elicere possum actum fidei, quo parvulum hunc peccato esse liberum agnosco, applicando huic particulari casui definitionem generalem Ecclesiæ. Nihilominus, quamvis ob illam evidentiam moralem fide credere possim, infantem a culpâ esse immunem, hoc objectum tamen falsitati obnoxium esse potest, ut si liquor ille, quem aquam esse reputo, succus foret ex herbis decoctus, baptismati nequaquam idoneus. Hæc erat *Catharini* ratiocinatio.

[1] L. c., a° *1546*. « *Nel principio* ». — [2] *Matth.*, IX, 2. — [3] 1 *Cor.*, IV, 4. — [4] Ante Decret. scripserat: *Assertiones de certitudine inhærentis gratiæ*. — Post Decretum: *Expurgatio adv. apologiam Dominici Soto.*

57. Sed eam sententiam unà cum Soto [1] reprobat Bellarminus [2]. *Longe distat*, inquit, *ab haeresi Lutheranorum, tametsi erronea non immerito judicari solet;* Concilium quippe dixerat: *Quilibet... de suâ gratiâ... timere potest; quum nullus scire valeat certitudine fidei,... se gratiam Dei esse consecutum.* Ad Sotum respondebat *Catharinus* [3], Concilium loqui de illâ fide, cui falsum subesse nequit, id est de fide Catholicâ, eamque ob causam post verba *certitudine fidei* hæc alia subjunxisse, *cui non potest subesse falsum*; se autem, *Catharinum*, loqui de fide particulari, falsitati obnoxiâ, quum agatur de objecto, ab Ecclesiâ non proposito. *At*, inquit Bellarminus, *implicat contradictionem, ut aliquid sit revelatum a Deo, et possit ei subesse falsum;* nam fides divina absolute infallibilis est: ergo, siquid falsum esse potest, numquam esse potest fidei objectum.

Canones huc pertinentes. XII. **58.** Ad hoc caput referuntur Canon XII: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.*

XIII. **59.** Canon XIII: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ullâ hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.*

XIV. **60.** Canon XIV: *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac solâ fide absolutionem et justificationem perfici, anathema sit.*

XXVIII. **61.** Canon XXVIII: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul et fidem semper amitti; aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, anathema sit.*

[1] Apologia contra *Cathar.* — [2] De Justificat. lib. III, cap. 3. — [3] Expurgatio.

Caput X. Justitia augeri potest. **62.** Capite decimo agitur de semel receptæ justificationis per bona opera incremento: *Sic ergo justificati... euntes de virtute in virtutem,... per observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt atque magis justificantur.*

Huc refertur Canon XXIV. **63.** Ad hoc caput pertinet Canon XXIV: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.*

Caput XI. Servari debent mandata, nec sunt impossibilia. **64.** Capite undecimo dicitur, ad salutem necessariam esse præceptorum observationem, atque ea præcepta, divinâ gratiâ opitulante, ab homine servari posse: *Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet; nemo temeraria illa... voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* Hæc assertio est S. Augustini [4], exceptis postremis verbis, *et adjuvat ut possis*, quæ ex aliis ejusdem Doctoris locis collecta, recte hic adjecta sunt, ut palam fieret, ideo tantum fieri posse, ut præcepta ad observandum sint impossibilia, quia nos Deum precari omittamus.

Concilium prævertit objectionem. **65.** Et quia Novatores nonnulla sacræ Scripturæ dicta opponerent: justum videlicet quotidie labi, nobisque singulis diebus culparum remissionem esse petendam, respondet Concilium: *Licet enim in hac mortali vitâ, quantumvis sancti... in levia saltem et quotidiana, quæ... venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi; nam... justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in viâ justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato... pie viventes proficere possunt, cet. Deus namque suâ gratiâ semel*

[4] De Natura et Gratia, cap. 43.

justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur [1].

Hic agitur de gratia actuali.

Hic adnotat *Pallavicinus* [2], Synodum his ultimis verbis non intendisse significare, nos deseri a Deo, quod auferat gratiæ habitum et dissolvat amicitiam semel contractam; sed declarare voluisse, a Deo, nisi prius Eum offendamus, nos non deseri subtractione gratiæ actualis. Quod quidem ex eo probat, quia in primo Decreti exemplari alia essent verba, quæ aperte de divini auxilii gratiâ actuali, non vero de justificantis formæ habitu agebant, quum ibi diceretur, *ab hujusmodi gratiâ sæpe effici, ut Deus non deseratur, et quandoque præstari, ut qui Deum deseruerit, ad Eum regrediatur:* quæ verba profecto intelligi non poterant nisi de gratiâ actuali. Asserit autem *Pallavicinus* [3], solius brevitatis causâ ea verba fuisse ablata.

Doctrinæ conclusio.

66. Tum dicitur: *Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum..., etiamsi Christo non compatiatur, cet... Propterea apostolus... monet justificatos, dicens...: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar »* [4]. *Item... Petrus: « Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis »* [5]*... Unde constat eos orthodoxæ... doctrinæ adversari, qui dicunt, justum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri; atque etiam eos, qui statuunt, in omnibus operibus justos peccare, si in illis... mercedem quoque intuentur æternam, cet.*

Canones huc spectantes. XVIII.

67. Inde conditi sunt Canones. — Canon XVIII: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam justificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

XIX. **68.** Canon XIX: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad christianos, anathema sit.*

69. Canon XX: *Si quis hominem justificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit.* XX.

70. Canon XXI: *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit.* XXI.

71. Canon XXV: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit.* XXV.

72. Canon XXXI: *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* XXXI.

Caput XII. De Prædestinatione.

73. Capite duodecimo dicitur, temerarium esse, si quis prædestinatum se præsumat, nisi specialem hac de re habuerit revelationem: *Nemo... præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.*

Canones huc pertinentes. XVII.

74. Ad præfatum caput referuntur quoque Canon XVII: *Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divinâ potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.*

XXX. Et Canon XXX: *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo vel in futuro in*

[1] Cap. XI. — [2] Lib. VIII, cap. 14, n. 6. — [3] L. c. — [4] 1 *Cor.*, IX, 27. — [5] 2 *Petr.*, I, 10.

purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit, anathema sit.

Caput XIII. De Perseverantiâ.

75. Capite tertiodecimo agitur de dono perseverantiæ. Dicunt Novatores, justitiam semel acceptam amitti non posse. Gratia amitti potest. Atvero Scripturæ aperte iis adversantur: *Quum... averterit se justus a justitiâ suâ et fecerit iniquitatem, morietur in eis* [1]. Præterea, in eodem Ezechielis capite XVIII, vers. 24 dicitur: *Si autem averterit se justus a justitiâ suâ, et fecerit iniquitatem..., omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* In ipsis porro Scripturis plura reperiuntur exempla justorum hominum, qui peccato amiserunt justitiam, ut Davidis, S. Petri, cet. Parvuli sane baptismo justificantur (immo Calvinus [2] ait, sed hæretice, omnes fidelium filios nasci justos, eosque, ubi adulti baptismum receperint, nec gratiâ excidere nec damnari posse); quot vero, quum adoleverint, justitiam amittant, experientia luce clarius commonstrat! S. Paulus: *Regnum Dei*, inquit, *non possidebunt* [3]; et ibi de fidelium peccatis loquitur. Sequitur ergo, quemcumque baptizatum et innocentiam perdere et damnari posse. Item sequitur, justitiam neutiquam, id quod Calvinus asseruit, ad solos electos pertinere.

Objicitur 1 *Joan.* III, 9.

76. Objiciunt illud S. Joannis: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare* [4]. Respondetur. Dicitur peccare non posse, qui natus sit ex Deo; scilicet, dummodo ut filius Dei operetur. Tunc enim Dei semen, id est caritas, quæ unà cum peccato esse nequit, a peccato eum removet; minime vero, quum operatur ut filius Adæ; tunc enim potest peccare; ita S. Augustinus [5] hunc S. Joannis locum explicat.

Spes et timor.

77. Inde docet Concilium, omnes a Deo perseverantiam sperare debere, cuilibet tamen timendum esse, ne eam amittat: *Similiter de perseverantiæ munere... nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, et cum timore ac tremore salutem suam operentur* [6].

Canones huc pertinentes. XVI.

78. Ad hoc Caput tertiumdecimum referuntur Canon XVI: *Si quis magnum illud usque ad finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

XXII.

79. Canon XXII: *Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitiâ perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Quo Canone reprobatur quoque opinio, quam tenebat Joannes *Fonseca*, Stabianus Episcopus, homini justo ordinarie opus non esse peculiari Dei auxilio ad observanda præcepta; sed illud generale auxilium sufficere, quod nulli justo denegatur; et tunc solummodo speciale requiri, quum servandum occurrit aliquod extraordinariæ difficultatis præceptum.

XXIII.

80. Canon XXIII: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum; aut contra posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Caput XIV. Amissa gratia recuperari potest.

81. Capite quartodecimo agitur de modo, quo gratiam recuperare possint ii, qui eam amiserint: *Qui vero ab acceptâ justificationis gratiâ per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt... per pœnitentiæ Sacramentum...; etenim... Christus Jesus sacramentum instituit pœ-*

[1] *Ezech.*, XVIII, 26. — [2] Conc. *Trid.* cum Antidoto, sess. VI, cap. 5; sess. VII, De Bapt. can. 7; cfr. Institut., lib. IV, cap. 16, n. 24; et lib. III, cap. 2, n° 11, 12. — [3] 1 *Cor.*, VI, 9. — [4] 1 *Joan.*, III, 9. — [5] In Epistolam *Joannis* ad *Parthos*, tract. 5; Epist. 177 ad *Innocentium*, n. 17. — [6] Cap. 13.

nitentiæ, quum dixit: Accipite Spiritum-Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, cet... Unde docendum est, christiani hominis pœnitentiam... aliam esse a baptismali, eâque contineri non modo cessationem a peccatis et eorum detestationem,... verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem; itemque satisfactionem per jejunia, cet..., non quidem pro pœna æterna, quæ... cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ... non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis cet. Prorsus idem definitum est a Concilio Florentino in Decreto Eugenii.

Canon huc pertinens. XXIX.

82. Deinde conditus est Canon XXIX: *Si quis dixerit, eum qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine Sacramento pœnitentiæ, prout sancta Romana et universalis Ecclesia a Christo Domino et ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit et docuit, anathema sit.*

Caput XV. De effectu peccati mortalis.

83. In Capite quintodecimo dicitur, quolibet peccato mortali amitti gratiam, non tamen fidem: *Non modo infidelitate..., sed etiam quocumque alio mortali peccato... gratiam amitti, cet.* Volebant nonnulli, ut diceretur non *infidelitate* sed *apostasiâ*. At visum est, nihil immutari, ut hoc verbum opponeretur verbis Lutheri, qui dixerat *infidelitate*.

Canones huc spectantes. XXVII.

84. Tum confectus est Canon XXVII: *Si quis dixerit, nullum esse peccatum mortale nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.*

XXVIII.

85. Canon XXVIII: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, anathema sit.*

Caput XVI. De merito.

86. Capite sextodecimo agitur de merito bonorum operum. Ad hujus capitis clariorem intelligentiam distinguere juvat meritum *de condigno* et meritum *de congruo*, atque utriusque conditiones. Meritum *de condigno* illud est, cui, positâ Dei promissione, ex justitiâ præmium debetur. Meritum *de congruo* illud est, cui Deus non ex justitiâ, sed ex quâdam decentiâ gratificationem aliquam concedit.

De *condigno* et de *congruo*.

87. Ad meritum *de condigno* tres requiruntur conditiones: una ex parte operantis, altera ex parte operis, tertia ex parte Dei. Ex parte *operantis* requiritur, ut sit justus et viator. Qui a Deo sejunctus est, nullum umquam meritum acquirere potest. *Sicut palmes*, inquit Dominus, *non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in Me manseritis* [1]. Viator quoque esse debet; post mortem enim homo simul ex viâ decedit, nec jam merito aut demerito locus est. Quocirca hortabatur Apostolus, ut, dum vita suppetit, operemur bonum; quia post mortem nullum meritum acquiri potest: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* [2]. *Dum tempus habemus, operemur bonum* [3].

De *condigno*: conditiones ex parte operantis;

88. Ex parte *operis* requiritur, ut sit honestum, ex supranaturali motivo procedat, et ad Deum referatur intentione, quæ, quum actio fiat, saltem virtualis sit; ita *Sylvius* [4] et *Suarez* [5]. Præterea requiritur, ut non fiat ex aliquâ necessitate aut simplici aut relativâ, sed integrâ libertate; quapropter, ad merendum satis non est, id quod Jansenius asserebat, ea libertas, quæ *a coactione* vocatur; quum illud in tertiâ ejus propositione damnatum sit tamquam hæreticum [6].

ex parte *operis*;

[1] *Joan.*, XV, 4. — [2] 2 *Cor.*, VI, 2. — [3] *Gal.*, VI, 10. — [4] In *D. Thom.* 1am 2æ qu. 114, art. 4, qu. 2, concl. 2. — [5] De divina Gratia, lib. XII, cap. 10, n. 15 seq. — [6] Ab *Innoc. X*, Constit. « *Cum occasione* », 31 Maii, 1653 (*a*).

(*a*) Hæc tertia erat *Jansenii* propositio: *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* (Nota edit.).

ex parte Dei.

89. Ex parte *Dei* requiritur pactum sive ejus promissio; in Deo enim, nisi ex solâ ejus promissione, remunerandi debitum esse nequit. *Debitorem*, inquit S. Augustinus, *Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur: Redde quod accepisti, sed redde quod promisisti* [1].

De *congruo*: conditiones.

90. Ad meritum *de congruo* autem necesse est, ut opus sit honestum, liberum et supranaturale; non vero requiritur, ut operans sit in statu gratiæ, quum ipse pietatis actus ad recipiendam gratiam eum disponat. Nec requiritur promissio ex parte Dei, quia ipsum opus supernaturaliter honestum ex se habet congruentiam impetrandi a Deo eam gratiam, quæ *de congruo* ipsi competit.

Justorum opera sunt meritoria.

91. *Lutherani* et *Calvinistæ* non tantum existimant, solam fidem justificare, sed etiam dicunt, justorum opera nequaquam meritoria esse, immo vere peccata, utpote facta post Adami peccatum, quod omnium posterorum opera vitiavit; adjungunt tamen, ejusmodi peccata iis non imputari. Sed his omnibus obstat Evangelium, ubi Dominus dicit: *Gaudete... quoniam merces vestra copiosa est in cælis* [2]. Merces respondet bonis operibus et vero merito.

Objicitur *Isai.* LXIV, 6.

Respondetur.

92. At, inquiunt, apud Isaiam legitur: *Quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ* [3]. Respondetur, ibi non esse sermonem de operibus justorum, sed de sceleribus, quæ iis temporibus committerent Hebræi, propter quæ universus populus in manus regis Babylonis tradendus esset; ita hunc locum explicat S. Cyrillus [4]. Ceterum, Christus ipse declaravit, justorum opera esse bona, quum diceret: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum* [5]. Unde S. Petrus: *Quapropter, fratres*, inquit, *magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* [6]. Si omnia opera essent peccata, peccatum foret ipsum exercitium fidei, quâ solâ, ut dicunt adversarii, homo justificatur. Peccatum esset veniæ petitio: *dimitte nobis debita nostra;* et sic homo, culparum remissionem impetrans ejusmodi petitione (quæ utpote lapsi hominis opus sine culpâ non esset), ipso peccato ad justificationem perveniret. O intolerandas ineptias!

Probatur ex verbis Christi.

Probatur ex S. Petro.

Objectio cum responsione.

93. At, reponunt, de Christi meritis detrahunt merita hominum. Uno verbo respondetur, justorum merita non valere ex se, sed ex Jesu Christi meritis, a quibus provenit quidquid boni habent.

Objicitur *Luc.* XVII, 10.

Respondetur.

94. Objiciunt quoque verba Christi ad discipulos suos: *Quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus* [7]. Ergo, inquiunt, justorum opera vere meritoria non sunt. Respondetur, inutilia vocari, non quod ad merendum non sint idonea, sed quia sine gratiâ ad nihil valerent, et sine divinâ promissione nihil juvarent ad salutem: eo magis quod in quibuslibet bonis operibus id facimus, quod facere tenemur.

Concilii doctrina.

95. Nunc vero audiamus, quæ docet Concilium: *Justificatis... sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint,.. proponenda est vita æterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda... Quum enim ille ipse Christus Jesus, tamquam caput in membra et... vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene... divinæ legi... satisfecisse, et vitam æternam..., si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur.... Ita neque propria nostra justitia tamquam ex nobis propria statuitur, ne-*

[1] In Ps. LXXXIII, n. 16. — [2] *Matth.*, V, 12. — [3] LXIV, 6. — [4] *S. Cyrill. Alex.* In *Isai.*, lib. V, tom. 6. — [5] *Matth.*, V, 16. — [6] 2 *Petr.*, I, 10. — [7] *Luc.*, XVII, 10.

que... repudiatur justitia Dei. Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum... Licet bonis operibus... (merces) tribuatur, cet.... absit tamen ut christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino: cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona [1], *cet.* Singula hujus capitis verba sunt vel ex S. Scripturâ vel ex sanctis et præsertim ex S. Augustino desumpta.

Canones huc pertinentes. XXVI.

96. Ad hoc ultimum caput referuntur Canon XXVI: *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit.*

XXXI. **97.** Canon XXXI: *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

XXXII. **98.** Canon XXXII: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.*

Justitia non est in omnibus æqualis.

Hinc infertur, prorsus falsum esse id quod dicunt Novatores, justificationem in omnibus justis æqualem esse (blasphemabat *Lutherus* (*a*), suam uxorem non minoris quam Beatissimam Virginem esse sanctimoniæ). Etenim S. Joannes docet, justitiam revera crescere posse: *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* [2]. Si ergo pro uniuscujusque cooperatione justitia in singulis hominibus crescere potest, fieri nequit, ut omnes justi æqualis sint meriti.

Nec meritum est æquale in omnibus.

XXXIII. **99.** Canon XXXIII: *Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de justificatione, a Sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei vel meritis Jesu Christi Domini nostri derogari, et non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari, anathema sit.*

[1] Cap. XVI.

[2] Apoc., XXII, 11.

(*a*) Hæc apud eum inveni (In die Nativit. *Mariæ.—Argentorati, Georg. Ulrich*, 1535): *Per quem* (Christum) *omnes pariter abluti et in cælestia bona translati sumus... Tam nos sancti sumus atque Maria et alii divi, quantumvis magni, si modo in Christum credamus* (Nota edit).

ADJICITUR

DISPUTATIO IV.

DE MODO, QUO GRATIA OPERATUR.

Disputationis propositum.

100. Hucusque ad normam Concilii egimus de justificatione et de merito, quæ sunt effectus gratiæ; hic autem lectori gratum me facturum existimavi, si varia exponerem theologorum systemata de modo, quo gratia operatur. Quod quidem breviter praestabo; et ad extremum dicturus sum, quæ sit sententia, quam ego sequor, et quæ ceteris omnibus multo probabilior et æquior mihi videtur.

Materiæ divisio.

101. Septem sunt, præcipua saltem, circa hanc materiam systemata: 1. *Thomistarum;* 2. *Molinæ;* 3. *Congruistarum;* 4. *Thomassini;* 5. *Augustinianorum;* 6. Patris *Berti;* 7. *Norisii* Cardinalis et *Tournelii*, quod systema ego sequor. Juxta propositum ordinem a Thomistico systemate ordiamur.

§ I.

DE THOMISTARUM SYSTEMATE.

Gratia *sufficiens.*

102. Distinguunt Thomistæ, sicut et ceteræ scholæ omnes, gratiam sufficientem et gratiam efficacem. Gratia *sufficiens* sive excitans ea est, quæ hominis voluntatem movet eique vere submini-strat vires, ut deliberare et operari possit; sed hæc potentia numquam ad actum reducetur, nisi a Deo etiam accipiatur auxilium efficax et physice præmovens, quod vocatur auxilium *quo*, ut distinguatur ab auxilio *sine quo non*, quod attribuitur gratiæ sufficienti. Itaque gratiæ sufficientis auxilio obtinentur tantummodo bona desideria aliique pii voluntatis motus, sed ea indeliberata et sine effectu completo. Gratiæ efficacis auxilio contrà obtinetur actualis exsecutio operis, ita ut gratia efficax physice applicet hominis voluntatem tam ad actûs deliberationem quam ad exsecutionem operis.

Gratia *efficax.*

Necessaria est gratia efficax.

103. Hanc gratiam semper necessariam fuisse dicunt in utroque statu et innocentis et corruptæ naturæ; idque titulo dependentiæ, quâ quælibet voluntas creata, quamvis libera, pendere debet a voluntate Dei, qui est primum Ens liberum. Præterea dicunt in præsenti statu naturæ lapsæ etiam necessarium esse, ut gratia efficax sit item *medicinalis*, utpote a Jesu Christo nobis data *titulo infirmitatis;* nam, licet sufficientis gratiæ auxilio habeatur potentia operandi bonum, nihilominus propter infirmitatem, in quam Adami peccato delapsum est genus humanum, voluntas difficultatem numquam superabit, nisi corroboretur gratiâ efficaci medicinali. Ita *Cajetanus* [1], *Alvarez* [2], *Lemos* [3] et alii.

a titulo *dependentiae;*

b titulo *infirmitatis.*

Systematis fundamentum: Deus, Causa prima.

104. Præcipuum suum physicæ prædeterminationis systema hac ratione fulciunt Thomistæ, quod Deus prima causa

[1] In I^am II^ae, qu. 109. — [2] *Didacus Alvarez*, O. P. De Auxiliis divinæ Grat., lib. IX, seqq. — [3] Panoplia, lib. IV, p. 2, tr. 3 et 4.

sit et primus motor actuum creatarum voluntatum; qui, ut omnium rerum dominio supremo et absoluto pollens, voluntate suâ omnipotentissimâ, quo velit, inclinare possit nostras voluntates; quo fit, ut Deus, tamquam causa prima, determinet causas secundas, id est, voluntates creatas, easque ad operandum applicet.

EXPONITUR DIFFICULTAS, IN QUAM THOMISTARUM SYSTEMA INCURRIT.

Prævium monitum.

105. Monitum volo lectorem, in exponendis objectionibus ad allata systemata, non habere me in animo, singula systemata penitus examinare, sed summatim tantummodo ea attingere, et præcipuas, in quas incidunt, afferre difficultates.

Triplex difficultas: 1. Homo libere agere nequit.

106. Omnium maxima difficultas, in quam Thomistarum systema incurrit, hæc est, quod, hoc systemate admisso, intelligi non posse videtur, quomodo per prædeterminationem physicam gratiæ efficacia cum voluntatis humanæ libertate perfecte possit conciliari. Quod quidem duobus argumentis probat *Honoratus Tournely* [1]. Primum argumentum hoc est: Quidquid procedit ex quacumque alterius voluntatis determinatione, et cum illâ determinatione sive volitione connexionem habet metaphysice certam, destruere videtur nostram libertatem; hujusmodi autem est prædeterminans gratia efficax Thomistarum. Scimus quidem, eos respondere distinguendo potentiam ab actu, et potentiam in sensu composito a potentiâ in sensu diviso; nihilominus cum his etiam distinctionibus libertas hominis satis intelligi non potest. *Si (hæc auxilia) proximam vere dant potestatem,* inquit Thomassinus, *quî fit, ut... præceptum observet... nemo? At quo tandem modo vere sufficientia sunt..., si præterea gratia efficax... est necessaria? Non is potestatem habet... sufficientem..., cui deest.. auxilium necessarium* [2]. Quomodo intelligere possumus (inquit Thomassinus), gratiam sufficientem veram tribuere potestatem servandi præceptum, si ut hæc potestas ad actum reducatur, requiratur gratia efficax? Si autem necessaria sit gratia efficax ad potentiam in actum reducendam, quomodo intelligi potest, gratiam sufficientem esse vere sufficientem? Propter hanc rationem intelligi nequit, quomodo in hoc systemate omnino libera maneat hominis voluntas.

a ab alio determinatur.

b deest sufficiens agendi potestas.

2. Homo non fieret peccati reus.

107. Alterum argumentum hoc est: Reus vocari nequit is, qui ideo præceptum non servat, quia caret eâ re, quæ sibi ad præceptum servandum absolute est necessaria. Sed in systemate præmotionis physicæ, quæ ad actualem præcepti observantiam est necessaria, siquis gratiam efficacem non habet, necessario auxilio caret. Præceptum igitur non observans, reus dici nequit, quum ei desit auxilium, quod ad præceptum implendum necessario requiritur.

3. Homo actum spei elicere non posset.

108. Ad hæc duo argumenta accedit tertium, deductum ex spei Christianæ præcepto, singulis imposito. Spes beatitudinis æternæ et gratiæ, ad illam consequendam necessariæ, firma et certa in nobis esse debet. *Spes,* inquit S. Thomas, *est certa exspectatio... beatitudinis* [3]. Quod idem docet Concilium Tridentinum: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent* [4]. Et jam scripserat S. Paulus: *Scio... cui credidi, et certus sum, quia potens est, depositum meum servare* [5]. Ad spem mundanam, utpote innixam voluntate hominis, promittentis quidem sed indole mutabilis, satis est exspectatio incerta; spes Christiana vero, quum pendeat ex promissione Dei, qui mutari nequit, certa est; timor autem non adipiscendæ vitæ æternæ originem suam trahere nequit nisi ex nobis, si gratiis divinis impedimentum afferamus. Quam ob causam Deus vult, ut de nobis semper metuentes, spe certâ Ipsi confidamus, salutem, dummodo ex parte nostrâ non deficiat, nos esse consecuturos;

[1] Comp. Theol. De Gratia, pars dogm., qu. 5, art. 3, § 3. — [2] Theol. dogm. Consensus Scholæ de Gratia, tract. 3, cap. 8. — [3] 2ª 2æ, qu. 18, art. 4. — [4] Sess. VI, cap. 13. — [5] 2 *Tim.*, I, 12.

credentes, Eum et posse et velle ad salutem nos perducere. Quapropter, præter spei, orationis quoque præceptum Deus nobis imposuit: *Petite et accipietis* [1]. Ad finem hujus tractatûs demonstrabimus, juxta systema nostrum, Deum omnibus concedere gratiam sufficientem actualiter orandi, si velint, et deinde orationis ope obtinendi gratiam efficacem, quâ omnia præcepta ac nominatim hoc spei præceptum observent. At si gratia sufficiens, ut dicunt Thomistæ, ad actualiter orandum non esset satis, sed ad orandi actum requireretur gratia efficax, quæ non conceditur omnibus, in Deo jam non haberemus certum fundamentum sperandi beatitudinem, et etiam incertum esset ex parte Dei: et sic everteretur spes Christiana, quæ juxta Apostolum tuta ac firma esse debet: *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam* [2].

Conclusio.

109. Dicam quod sentio: Si ego cum Thomistis et cum Patre Berti [3] existimarem, gratiæ sufficienti, nisi aliud accesserit auxilium, denegandam esse vim actualiter orandi, ita quidem ut nova eaque efficax orandi gratia requireretur; quomodo verum spei actum elicere possem, haud scio. Etenim non solum Dei omnipotentiâ, misericordiâ et fidelitate, sed hac quoque fiduciâ niti deberem obtinendi efficacem orandi gratiam, quum Deus, ut docet S. Augustinus [4], gratias dare non soleat nisi oranti; sed de illâ efficaci orandi gratiâ nulla existit Dei promissio; certum quoque est, gratias efficaces non dari omnibus; deberem igitur actum spei elicere conditionatum: Si Deus efficacem orandi gratiam mihi dederit, spero orationis ope, si eam adhibere voluero, me accepturum esse gratiam efficacem servandi præceptum spei et reliqua omnia præcepta, atque ita ad salutem me esse perventurum; sin autem Deus, qui efficacem orandi gratiam mihi concedere non tenetur, eam mihi largiri noluerit, nullus mihi supererit modus, ne mediate quidem orationis ope, consequendi vires, quibus spei præceptum ceteraque præcepta impleam; tum vero æternam meam salutem sperare nequeo.

§ II.

DE MOLINÆ SYSTEMATE.

Systema exponitur.

110. P. *Molina* in tractatu de *Concordia* [5] non admittit systema gratiæ *per se* et *ab intrinseco* efficacis, quam hominis libertati censet esse contrariam; docet autem, in quolibet statu naturæ sive innocentis sive corruptæ, omnem gratiam actualem, utpote a Deo provenientem, conferre voluntati nostræ satis virium ad actualiter operandum; ita quidem, ut prorsus penes voluntatem sit, pro arbitrio suo eâ vel uti sine alio auxilio vel non uti; et efficacem eam reddat homo, si eâ utatur, inefficacem vero, si non utatur.

Quid differant gratia *sufficiens* et *efficax*.

111. Ita *Molina* (*Concordia*, qu. 14, art. 13, disp. 40); en ejus verba: *Illud... (auxilium) inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eâdem suâ libertate non convertitur, quum tamen potuerit converti; alioquin tale auxilium sufficiens non esset ad conversionem.* Idem docuerunt *Lessius* [6], *Valentia* [7] et alii qui *Molinam* sequuntur. Proinde, gratia sufficiens et gratia efficax nihil inter se differunt, quum gratia ef-

[1] *Joan.*, XVI, 24. — [2] *Hebr.*, VI, 18 et 19. — [3] De theol. Disciplina, lib. XVIII, cap. 8, prop. 5. — [4] De dono perseverantiæ, cap. 16. — [5] *Molina Ludovic.*, Liberi Arbitrii cum gratiæ donis... concordia. — [6] De Gratia Efficaci, cet. Disputatio Apologetica, cap. 10, n. 9. — [7] In 1ᵃᵐ 2ᵃᵉ, Disp. 8, qu. 3, punct. 4, § 2, prop. 4.

ficax in se nihil includat, quod non habeat gratia sufficiens; sed gratia fit aut efficax aut inefficax prout hominis voluntas consentit aut resistit; atque ita voluntas plane libera est, ut vel consentiat vel dissentiat. Quapropter æque efficax est minor ac major gratia.

Gratia vim habet in semetipsâ.

112. Hæc porro adjicit: Voluntatis consensus gratiæ non tribuit vim aliquam, neque eam reddit efficacem in actu primo; omnem quippe vim suam a Deo habet; sed consensus, qui penes nostræ voluntatis arbitrium est, gratiam determinat, estque conditio, quâ positâ, gratia fit efficax in actu secundo: eo modo quo Sacramenta ex se et in actu primo efficacia quidem sunt, pendent tamen ex susciplentium dispositione, ut nempe sint in actu secundo efficacia et gratiam producant. Docet præterea, hominem per gratiam prævenientem recipere piam in voluntate motionem, quâ ad consensum alliciatur; per gratiam deinde cooperantem et voluntate consentire et actu operari.

Quid differat a Thomistico systemate:

a præmotio;

113. Tota igitur Thomistarum atque Molinæ circa gratiam efficacem discordia in eo versatur, quod Thomistæ præter influxum gratiæ excitantis, requirunt ad efficaciam gratiæ physicam Dei præmotionem, naturâ et causalitate priorem, quæ voluntatem physice ad consensum determinet; Molina vero arbitratur, physicam illam Dei actionem non esse priorem, sed simultaneam cum voluntatis actione. — Item dicit *Molina*, neque in statu innocentiæ gratiam Angelis et homini concessam efficacem fuisse *ab intrinseco*, sed *versatilem* et efficacem *ab eventu*, ut nunc est. Præterea, nec prædestinationem esse nisi prævisis meritis, nec reprobationem, nisi post prævisa peccata. Statuit insuper, non existere Thomistarum decreta absoluta, ex se efficacia et antecedentia liberam creatæ voluntatis determinationem [1].

b gratiæ efficacia;

c prædestinatio;

d decreta Divina;

a Scientia Dei.

114. Tum quod ad modum attinet, quo Deus uniuscujusque hominis salutem decernit, *scientiam mediam* statuit [2]: Deum nempe scientiâ *simplicis intelligentiæ* possibilia videre et infinitos rerum ordines; scientiâ *visionis* videre ea, quæ futura sunt; *scientiâ mediâ* autem videre Eum futura conditionata; et sic Eum cognoscere, quid homo, in his illisve adjunctis positus, facturus sit cum hac illâve gratiâ; ac deinde decreto absoluto decernere, eam homini concedere gratiam, cum quâ operaturus est bonum et perseveraturus, sine quâ autem bonum operari negligeret aut non perseveraret.

Conclusio.

Ad summam, *Molina* omnem gratiæ efficaciam reponit in determinatione humanæ voluntatis, et divinæ voluntatis determinationi eam aufert: quæ quidem, ut infrà videbimus, maxima est difficultas, in quam incurrit eius systema.

EXPONITUR DIFFICULTAS, IN QUAM MOLINÆ SYSTEMA INCURRIT.

Difficultas: non congruit cum Scripturis.

115. Non diffitemur, in *Molinæ* systemate melius quidem conciliari gratiam cum libertate; maxima tamen hæc exsurgit difficultas, quod ejus sententia non congruit cum sacris Scripturis, quæ luce clarius significant, saltem juxta præsentem naturæ lapsæ statum, efficacem esse gratiam ex se et *ab intrinseco*, non vero per voluntatis consensum; gratiam præterea causam esse, quæ voluntatem determinet atque efficiat, ut bonum operemur. Quomodo autem, his admissis, dici possit, per gratiæ efficaciam hominis libertatem minime lædi, videbimus quum sermo erit de ultimo systemate, a nobis propugnato. Hic autem Scripturæ locos indicamus, qui clare docent, efficacem fieri gratiam non *ab extrinseco*, id est, per humanæ voluntatis determinationem, sed *ab intrinseco*, quia voluntas Dei determinat humanam voluntatem, et gratia efficit, ut nos operemur bonum.

Probatur. *a S. Paul. ad Ephesios.*

116. Incipiamus igitur a Scripturæ testimoniis, quæ illud demonstrant. *Ipsius*

[1] L. c.

[2] L. c., disp. 52.

enim sumus factura, inquit S. Paulus, *creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* [1]. Notentur verba: *creati in operibus bonis;* si nos in operibus bonis creati sumus, Deus decreto suo efficit, ut nostra opera illum habeant effectum, quem revera habent. Præterea dicitur: *quæ præparavit Deus;* si Deus præparavit nostra bona opera, ea igitur prædestinavit, quæ nos facere debemus. Denique dicitur: *ut in illis ambulemus;* bona opera nostra præparavit, non quia prævidit, nos in iis esse ambulaturos, sed quia suâ voluntate efficit, ut in iis ambulemus. Idem dicit Dominus per Ezechielem: *Et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis* [2]. *Et faciam,* inquit; adjungit autem S. Augustinus: *præbendo vires efficacissimas voluntati* [3]. Idem repetit Apostolus: *Deus est... qui operatur in vobis et velle et perficere pro bonâ voluntate* [4]. Id est, inquit S. Augustinus, *Ille facit, ut velimus..., ille facit, ut faciamus* [5]; subjungit autem S. Doctor: *nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur et velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur et operari* [6]. Atque illud notate: S. Augustinus non dicit: « Deus hoc operatur, ut velle possimus » (id quod ad gratiam sufficientem spectat), sed: « Deus hoc operatur, ut velimus et operemur » (quod gratiæ efficacis proprium est).

b Ezech. XXXVI.

c S. Paul. ad Philip.

117. Sed jam alios exponamus textus, qui idem indicant: *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud* [7]. *Non est, qui possit tuæ resistere Voluntati, si decreveris, cet.* [8] *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet* [9]. *Dominus... exercituum decrevit, et quis poterit infirmare?* [10]. Quodsi humana voluntas determinaret voluntatem divinam, hi textus quomodo possent esse veri? Deus, inquit Apostolus, *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ* [11]. Deus igitur consensum nostrum non exspectat; operaretur enim juxta consilium non suæ, sed nostræ voluntatis.

d Proverb.

e Esther.

f Isai.

118. Pergamus: *Ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* [12] Si divinum decretum non est efficax per se, sed solum indifferens, ut pendeat ex nostræ voluntatis consensu, ratio quæ consentientem discerneret ab eo, qui gratiæ non consentiat, non foret divina voluntas, sed voluntas consentientis et illud, quod libero suo arbitrio haberet. Quare unus præ alio gloriari posset et dicere: « Tibi ego antecello, quia meo consensu Dei Voluntatem ad bonum determinavi ». Id vero Apostoli doctrinæ adversatur. Præterea S. Joannes: *Non quasi nos dilexerimus Deum,* inquit, *sed quoniam ipse prior dilexit nos* [13]. Si gratia esset indifferens, eamque determinaret consensus noster, prius homo amaret Deum, quam Deus hominem amasset.

g S. Paul. ad Cor.

h 1 Joan. IV.

119. Non ignoramus, *Molinam* [14] et qui eum sequuntur, illos textus diverse, juxta propriam sententiam, interpretari; sed negare non possunt, eos Scripturæ locos sensu obvio et naturali reverâ designare gratiæ efficaciam *ab intrinseco.* Idque eo magis, quod SS. Patres, saltem major eorum pars, eos locos ita intelligunt; atque imprimis eos ita intelligit Doctor gratiæ, S. Augustinus, in sententiis, quas hic affero.

Sensus obvius et Patrum interpretatio.

120. Præter multas ejus sententias suprà allegatas, consideremus hos alios textus, qui propositam materiam clare explicant. Gratiam ait, quum hominis voluntatem movet, id efficere non solum, ut operetur, sed etiam, ut operetur voluntarie, sine ullâ libertatis læsione; en ejus verba: *Trahitur ergo (voluntas) miris*

S. Augustinus.

[1] *Ephes.,* II, 10. — [2] *Ezech.,* XXXVI, 27. — [3] De gratia et libero arbitrio, cap. 16. — [4] *Philip.,* II, 13. — [5] L. c. — [6] De Dono Perseverantiæ, cap. 13. — [7] Prov., XXI, 1. — [8] *Esther,* XIII, 9. — [9] *Isai.,* XLVI, 10. — [10] *Isai.,* XIV, 27. — [11] *Ephes.,* I, 11. — [12] 1 *Cor.,* IV, 6 et 7. — [13] 1 *Joan.,* IV, 10. — [14] L. c., qu. 23, art. 4 et 5, disp. 1, membr. 6.

modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari; non ut homines... nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant [1]. Alio loco docet: *Qui tamen (Deus) hoc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium... inclinandorum omnipotentissimam potestatem* [2]. Alibi: *Agit... omnipotens,* inquit, *in cordibus hominum,... ut per eos agat, quod eos agere Ipse voluerit* [3]. Numquid S. Augustinus clarius explicare posset, Deum operari, quando nos operamur; neque voluntatem nostram esse causam, quæ efficit, ut operemur? Nos quidem operantes prorsus libere operamur; sed hoc efficit omnipotens Dei voluntas, ut nos operari faciat, sed id cum omni nostrâ libertate.

121. Pluribus locis idem docet S. Thomas: *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas* [4]. Et alio loco dicit: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quod voluntas ad illud non moveatur* [5]. Et alibi: *Impossibile est,* inquit, *hæc duo simul esse vera, quod Spiritus-Sanctus velit aliquem movere ad actum caritatis, et quod ipse caritatem amittat peccando* [6]. — Ne legenti fastidium afferamus, alios locos omittimus. *S. Thomas.*

§ III.

EXPONITUR CONGRUISTARUM SYSTEMA.

Exponitur systema.

122. Congruistarum sententia gratiæ efficaciam reponit in congruitate circumstantiarum temporis, loci et conditionis, in quibus homo versatur, quum operari debet; et ex illâ plurium adjunctorum congruitate gratia aut efficax fit aut inefficax: positis siquidem his illisve circumstantiis, Deus homini daturus est intrinsecum auxilium congruum, quod efficiet, ut homo operetur; sed extra illas circumstantias homo non est operaturus.

EXPONUNTUR DIFFICULTATES, IN QUAS CONGRUISTARUM SYSTEMA INCURRIT.

Difficultas a ex parte Dei;

123. Hæc sententia primum in eamdem incidit difficultatem, in quam *Molinæ* sententia incurrit: gratiæ enim efficaciam detrahit Voluntati divinæ, quæ ex Se hominis voluntatem determinat, et efficit, ut id operetur, quod ipsa determinavit. Præterea, si verum esset, gratiæ efficaciam sitam esse in ejusmodi auxilio congruo, dato a Deo in illis circumstantiis, sequeretur, ut, deficiente tali auxilio, homo nullâ suâ culpâ expers foret talis gratiæ, ad salutem necessariæ; nec tamen facultatem haberet illam obtinendi. Quæ quidem difficultas, Thomistarum systemati opposita, hic denuo occurrit. b ex parte hominis.

Si ejusmodi gratia congrua *ab intrinseco* est efficax, prorsus a Deo dependet; et tunc, positis adjunctis non congruis, effectu semper carebit. Sin vero hæc gratia est efficax *ab extrinseco*, id est, ex hominis consensu dependens, ita quidem ut sit efficax, quum voluntas consentit, inefficax, quum non consentit, tunc hæc gratia congrua plane similis est illi gratiæ, quam *Molina* inducit. Conclusio.

[1] Contra duas Epistolas *Pelagianor.*, lib. I, cap. 19. — [2] De Correptione et Gratia, cap. 14, n. 45. — [3] De Gratia et Libero Arbitrio, cap. 21, n. 42. — [4] De Malo, qu. 6, ad 3. — [5] 1ª 2æ, qu. 10, art. 4, ad 3m. — [6] 2ª 2æ, qu. 24, art. 11.

§ IV.

DE THOMASSINI SYSTEMATE.

Explicatur.

124. Ludovicus *Thomassinus (Theol. Dogmat. Consensus Scholæ de Gratia,* tract. 3, cap. 18) gratiæ efficaciam reponit in complexu plurium auxiliorum, quibus tum foris tum intus gratia voluntatem hominis ita obsidet, ut ab eâ consensum certo obtineat; moraliter siquidem (ut ipse ait), non vero physice hominis voluntas ejusmodi auxiliorum ope ad consensum determinatur.

EXPONITUR DIFFICULTAS, IN QUAM THOMASSINI SYSTEMA INCURRIT.

Difficultas: non existeret aliqua gratia *ex se* efficax.

125. Difficultas est, quod juxta hunc explicandi modum, nullum existeret gratiæ, infallibiliter efficacis, auxilium singulare; quia iuxta hoc systema omnis efficacia collocatur in illâ congerie plurium auxiliorum; sed communiter SS. Patres cum S. Augustino, S. Thomâ ceterisque Theologis statuunt aliquod auxilium sive causam singularem, quæ suam efficaciam gratiæ tribuit.

§ V.

DE AUGUSTINIANORUM SYSTEMATE, SEU DE DELECTATIONE ABSOLUTE VICTRICI.

Gratia, olim *versatilis*; nunc *ab intrinseco* efficax.

126. Augustiniani juxta hoc systema distinguentes statum naturæ innocentis et naturæ lapsæ, docent, in statu innocentiæ gratiam fuisse *versatilem*, ut ab hominis consensu determinaretur, juxta *Molinæ* sententiam; sed in statu naturæ lapsæ, ut homo bonum operari possit, necessariam esse gratiam ex se et *ab intrinseco* efficacem, quæ voluntatem ad consensum determinet ad omnem bonum actum supernaturalem; idque ob infirmitatem voluntatis humanæ, peccato originali contractam. Præterea gratiæ efficaciam consistere ajunt in delectatione, non quidem relativâ, seu ex graduum superioritate, sed absolute victrici, quâ Deus humanam voluntatem ad liberum consensum infallibiliter inflectit; eam porro gratiam non physice sed moraliter operari.

Efficacia est in delectatione, absolute victrici.

Gratiæ sufficienti accedere debet efficax.

127. Item dicunt, gratiam sufficientem, sive *auxilium sine quo non*, voluntati satis virium præbere ad bonum exercendum; voluntatem vero illud bonum reapse non esse exercituram, nisi accesserit auxilium Christi medicinale, i. e. gratia efficax, sive *auxilium quo*. — Itaque Augustiniani, quum de naturâ corruptâ loquuntur, Thomistæ sunt; *Molinæ* vero sententiam profitentur, quum de naturâ innocenti agitur.

EXPONITUR DIFFICULTAS, IN QUAM AUGUSTINIANORUM SYSTEMA INCURRIT.

Non solâ delectatione homo movetur.

128. Difficultas est, quod, licet homo delectatione ut plurimum moveatur, sæpe tamen aliis quoque movetur rationibus, ut pudoris, desiderii, odii, amoris justitiæ pœnarumve timoris. *Non vis...*, inquit S. Augustinus, *tua tibi vitia demonstrari: non vis ut feriantur fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras... quasi... nihil agat timor correpti hominis, vel pudor vel*

dolor [1]. Ait quoque S. Doctor [2], quorumdam Martyrum constantiam defecturam fuisse, nisi gehennæ timor caritatem confirmasset. Præterea: Deus, inquit, *miris et ineffabilibus* [3], *diversis innumerabilibus modis* [4] ad se vocat homines; non solâ igitur delectatione eos attrahit. Interdum quoque accidit, ut homo utrâque et peccati et justitiæ delectatione attrahatur; sed accedente porro aliâ planeque diversâ ratione, alterutram partem eligit: quocirca dici nequit, hominem propter unam delectationem operari.

§ VI.

DE SYSTEMATE P. BERTI ALIORUMQUE EJUS FAUTORUM; I. E. DE DELECTATIONE VICTRICI RELATIVA SEU PER GRADUS SUPERIORES.

Quid differat a Jansenii systemate.

129. Primum hic in memoriam est revocandum, etiam *Jansenii* systema in hoc consistere, quod gratiæ efficaciam reponat in delectatione relative victrici per graduum præstantiam: quare docet [5], cælestem delectationem, si terrenam superet, necessario vincere; vincere autem terrenam, si celestem gradu antecedat. Hoc quidem systema quinque ejus propositionibus, postea condemnatis, pro fundamento fuit. Jansenii tamen systema a Patris *Berti* systemate differt, quum *Jansenius* contenderet, superiorem delectationem necessario vincere inferiorem. Dicebat etiam, gratiam, si in se atque separata a relatione ad superiorem gradum contrariæ delectationis terrenæ consideretur, sufficientissimam fore, ut voluntatem ad bonum moveret, positâ vero carnalis delectationis præstantiâ, neutiquam sufficientem fieri cælestem, ut ad consensum pertrahat. At, quomodo in culpâ esse potest, qui præceptum ideo violat, quod violandi necessitas a carnali delectatione imponatur? Cujus gravissimæ difficultatis vim persentiens, *Jansenius* tandem statuit, ad peccandum necessariam non esse libertatem *indifferentiæ*, quâ homo omni peccandi necessitate careat; sed satis esse libertatem *a coactione* (hæc quippe ex damnatis ejus propositionibus tertia est), quum sufficiat, nullâ eum vi externâ ad peccandum compelli: *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione* [6].

Jansenius libertatem indifferentiæ aufert.

Jansenius necessitatem infert.

130. Hoc non asserit quidem *P. Berti* [7]; sed juxta suum systema, delectationem majorem, quamvis infallibiliter semper vincat, nullam tamen ait inferre consensûs necessitatem.

Quid statuat P. Berti.

EXPONITUR DIFFICULTAS, IN QUAM PATRIS BERTI SYSTEMA INCURRIT.

131. Quamvis dicat P. Berti, delectationem gradu superiorem non necessario

Hoc systema necessitatem inferre videtur.

[1] De Correptione et Gratia, cap. 5. — [2] In Psalm. CXXIII, n. 12 (*a*). — [3] Contra duas Epistolas *Pelagianorum*, lib. I, cap. 19. — De Prædestinatione Sanctor., cap. 20, n. 40. — [4] De correptione et Gratia, cap. 5, n. 8. — [5] *Jansenius*, De Gratia *Christi*, lib. IV, cap. 7. — [6] 3ª *Jans.* Propos. — *Innoc.* X, Constit. « *Cum occasione* » 31 Maii 1653. — [7] De Theol. Disciplinis, lib. XIV, cap. 8, prop. 3 et 4.

(*a*) En ejus verba: « Quomodo si videas avem veluti jam cadere in muscipulam, facis majorem strepitum, ut volet de muscipulâ: sic et Martyres, jam forte aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitæ hujus; Dominus, qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, et erutus est passer de muscipula venantium. *Anima nostra sicut passer eruta est de muscipula venantium* » (Nota edit.).

sed tantum infallibiliter vincere, illæsâ scilicet voluntatis libertate; nihilominus, quum in tali conditione voluntati non remaneant nisi vires inferiores, resistendi potentiâ caret: inferiores vires siquidem ultra activitatem suam operari nequeunt; atque ita voluntati necessitas infertur prævalentem sequendi delectationem. Unâ stateræ lance propter ponderis exsuperantiam descendente, altera ascendat necesse est.

Remanet difficultas etiam in delectatione deliberatâ.

132. Nec valet Patris Berti responsio [1], se non loqui de Jansenii delectatione non deliberatâ (de quâ superius dictum est), quæ nempe in nobis sine ullo voluntatis assensu exsurgit, sed de deliberatâ, ad quam hominis liber consensus adjungitur; eamque ob causam prævalentem delectationem, quantumvis certo et infallibiliter vincat, minime tamen, ut Jansenius asserebat, vincere necessario. Non valet, inquam: recte enim Tournely respondet, eam gratiam vel concupiscentiam, quæ propter virium suarum prævalentiam sit infallibiliter victrix, non posse voluntati necessitatem consensûs non inferre. Quod ita probat: *Ea gratia est necessitans, quæ supponit voluntatem destitutam verâ et proprie dictâ potentiâ resistendi: atqui talis est omnis gratia infallibiliter efficax ex virium graduali superioritate. Namque hujusmodi gratia supponit voluntatem non habere ad resistendum nisi vires inferiores.... Repugnat ac physice impossibile est, ut vires superiores, quæ agunt ut superiores, vincantur ab inferioribus; alias necesse foret, ut inferiores efficaciter operarentur ultra suæ activitatis gradus* [2].

Aliud inutile effugium.

133. Inanis quoque responsio est (eo casu, v. g. quo gratia gradu suo concupiscentiam superat), vires gratiæ relative victricis comparari quidem cum viribus concupiscentiæ, in seipsis et seorsum acceptis; minime vero cum viribus concupiscentiæ simul et contrariæ voluntatis; quapropter, si gratia vincit, non vincit necessario, quia concupiscentiæ vires, ad voluntatis contrariæ vires junctæ, resistere profecto possent et vincere gratiæ vires, licet superiores. Sapienter enim ad hæc respondit *Tournely* [3], aut delectationis relative victricis fautores, quum ita loquuntur, systemate suo desistere debere et admittere, delectationem gradu superiorem non semper infallibiliter vincere, sed solum quando delectatio cum voluntatis viribus conjungitur, ita quidem, ut si voluntatis vires cum concupiscentiæ viribus conspirent, non vincat delectatio, quamvis concupiscentiam gradu superaret; quibus admissis ruit systema, nec jam dicere possunt, delectationem gradu superiorem invicte semper prævalere: aut ipsis fatendum esse, delectationem, quotiescumque gradu superat vel concupiscentiam vel gratiam, non solum infallibiliter, sed etiam necessario vincere; quandoquidem, ut suprà dictum est, numquam vires inferiores eâ activitate præditæ esse possunt, quâ superioribus præcellerent; quapropter, superior delectatio, vi suâ intrinsecâ, quæ inferioris delectationis vim superat, semper necessario vincit, sive voluntas adjuncta est indeliberata, ut asseruit Jansenius, sive deliberata, ut hujus systematis fautores contendunt. — Ceterum, quidquid dicunt *P. Berti* ejusque discipuli, ut ex relativâ suâ delectatione victrici removeant qualitatem, quæ necessitatem infert et consequenter destruit humanam libertatem, nequaquam effugere poterunt difficultatem, adversus systema suprà allatam: delectationem videlicet ubi gradu est superior, non solum infallibiliter, sed necessario etiam vincere debere, quum unius delectationis inferiores vires contra superiores alterius valere numquam possint; illud autem hominis voluntati imponere necessitatem ei assentiendi delectationi, quæ gradu superior est. Equidem perspicere non valeo, quænam ad gravem hanc difficultatem idonea esse possit responsio.

Conclusio.

[1] L. c., prop. 4. — [2] Comp. Theolog. De Gratia, pars dogm., qu. 5, art. 1, concl. 5.

[3] L. c.

Non aliud petunt *Jansenistae.*

134. Hinc est, cur nihil aliud a nobis petant Jansenistæ, nisi ut hoc iis concedamus, superiorem delectationem vincere semper inferiorem; quo concesso, causam se obtinuisse gloriantur. Hæc quippe scripsit unus ex illis, Abbas *de Bourzeis: Nobis enim sufficit, quod hæc sola nobis veritas concedatur, nimirum quoties gratiæ Dei consentimus, id oriri semper ex eo quod rectus amor, quem Deus nobis inspirat, viribus superior est perverso amore, et quia viribus superior est, idcirco eum certissime superare* [1]. Atque illud asserentes, jure suo ita loqui videntur; numquam enim inferiores vires prævalere possunt superioribus. Recte igitur juxta suum systema inferunt, delectationem gradu superiorem non invicte solum, sed etiam necessario semper vincere. Unde *Tournely*, utrumque systema commemorans, unum de absolute victrici delectatione, alterum de relative victrici, ita concludit: *Novimus quidem orthodoxos theologos, qui vim gratiæ efficacem colligunt ex ipsius... delectatione absolute ac simpliciter victrice, quique in gratiâ sufficiente pares... vires agnoscunt ad oppositam actualem cupiditatem superandam. Verum qui gratiam velint esse victricem relative seu ex superioritate graduum, quique non aliam sufficientem admittunt gratiam quam viribus inferiorem oppositæ superiori concupiscentiæ, non alios quam Janseniani systematis defensores novimus* [2].

Quid concludat *Tournely.*

Instat *Berti:* Thomistas secum sentire.

135. Atvero gratiæ efficaciam, a se stabilitam, naturâ suâ minime differre ait *P. Berti* [3], ab efficaciâ, quam docent Thomistæ, licet diversis principiis innitatur: eos enim gratiæ efficaciam in physicâ prædeterminatione, se autem in delectatione prævalenti eam reponere. Illud autem, quod prædeterminatio efficiat in actu secundo, hominis voluntatem ad consensum applicando, item effici delectatione. Ceterum, utramque sententiam docere, homini remanere potentiam in actu primo agendi contrarium, atque ita voluntatem libere semper sineque necessitate operari.

Respondetur: a Thomistæ quomodo argumententur.

136. Sed considerandum est, quemadmodum utriusque sententiæ et principia et rationes inter se differant, ita quoque differre consequentias, ex iis deductas. Ratio, cur gratia sit efficax juxta Thomistas hæc est, quod creata voluntas, utpote in potentiâ recipiendi gratiæ motionem, est in potentiâ passivâ; quare, ut ad operis actum perveniat, moveri debet a Deo, qui, ut primus agens, per prædeterminationem applicet et determinet potentiam ad actum. Et hoc quidem sentiunt, quod ad actum pertinet; quod vero ad potentiam, docent Thomistæ, per gratiam sufficientem homini conferri potentiam proximam et expeditam, quâ bonum operari possit. (*Gratia*) *quæ dat posse*, inquit Gonet,... *dat... totum complementum et totam virtutem seu sufficientiam, quæ requiritur ex parte actus primi* [4]. Item Cardinalis Gotti: *Gratia sufficiens*, inquit, *dat posse proximum et expeditum in ratione potentiæ* [5]. Atque ita communiter ceteri omnes Thomistæ; siquis eorum aliter loqui videtur, de actu secundo, non vero de actu primo, loquitur.

b Quomodo argumentetur *Berti.*

137. Ratio vero principii Patris *Berti*, qui sententiam de delectatione gradu superiori tuetur, hæc est, quod (ut ipse ait [6]), olim in statu naturæ innocentis sola gratia sufficiens ad bene agendum homini satis erat (quia recte et in perfecto æquilibrio se habente libero arbitrio, homo cum solâ gratiâ sufficienti operari poterat, nec gratiæ efficacis indigebat); in præsenti vero rerum conditione post Adami lapsum, debilitatæ voluntati humanæ opus est gratiâ efficaci, quæ victricis delectationis ope eam ad bonum exercendum determinet. Atvero, (ita respondemus) juxta eam hujus systematis rationem, posito, hominis voluntatem ita esse debilitatam, ut ad

[1] *Saint Augustin victorieux de Calvin et de Molina. Confér. 4, chap. 30.* — [2] Prælectiones Theol. de Gratia Chr.ti, qu. 9, art. 2, obj. 6. — [3] *Augustinianum* systema... vindicatum, Diss. 5, cap. 3, n. 4. — [4] Manuale *Thomistar.*, tract. 7, cap. 10. — [5] Theol. Scholast. Dogm. De divina Gratia, qu. 2, dub. 4, § 2, n. 14. — [6] De Theol. Disciplin., lib. XIV, cap. 8; lib. XII, cap. 8.

operandum requiratur gratia efficax, dici nequit, hominem vi gratiæ sufficientis habere, ne actu primo quidem, potentiam completam et proxime expeditam ad observanda præcepta, vel eliciendum quemvis actum bonum, ne mediatum quidem, i. e. quo se disponere possit ad obtinendum deinde majus auxilium, ut legem servet.

Confirmatur responsio.

138. Et re quidem verâ; in Apologiâ, quam ad tuendam sententiam suam conscripsit, *P. Berti* [1] minime dubitat concedere, gratiam, quæ viribus concupiscentiâ est inferior, non *sufficientem*, sed *inefficacem* vocari debere. Illud expressis verbis docet in citatâ Apologiâ, quâ respondet Archiepiscopo Viennensi in Galliâ, qui contra ipsum ediderat librum: *Bajanismus et Jansenismus redivivus*, præcipue eum arguens [2], quod *veram gratiam sufficientem e medio tollit;* respondit autem P. Berti, firmissime se ita sentire.

Berti negat, omnibus concedi gratiam ad orandum proxime sufficientem.

139. Scripsit *De Aquila* (In Diction. Theol., tom. 2, art. «*Delectatio*» [3]), falso me (in libro: *De magno orationis medio* [4]) asseruisse, Patrem *Berti* negare, omnibus hominibus conferri gratiam proxime sufficientem ad orationem, cujus ope magis validum auxilium magisque firmum obtinetur, ad opera salutaria necessarium. Verumtamen quum Viennensis Archiepiscopus in tribus præcipuis difficultatibus hanc opposuisset: *Alterum, quod negant in delectatione inferioris gradus potentiam proxime expeditam, ad hanc requirentes ex parte potentiæ et actûs primi robustiorem delectationem, ideoque gratia inefficax, sive adjutorium* SINE QUO *ab ipsis deprædicatum, non est vere gratia sufficiens;* ita respondit P. Berti: *Ego vero... firmissime... et absque ullâ hæsitatione pronuntio,... doctrinæ capita nuperrime commemorata, nequaquam erronea esse* [5]. Et ita sane eum respondere oportebat, nisi desistere vellet suo systemate, quod in Theologiâ erat secutus. In tractatu quippe, quem de gratiâ conscripsit, inter propositiones, quas demonstrandas suscepit, hæc quoque reperitur: Quod *ad actualiter orandum requiritur gratia efficax* [6]. Quocirca, si ad orandum requiritur extraordinarium gratiæ efficacis auxilium, esse nequit in gratiâ sufficienti potentia proxima et expedita ad actualiter orandum: unde non dubitat ille gratiam sufficientem non vocare sufficientem, sed inefficacem, quia, ut actualiter sufficiens fiat, novum idque extraordinarium auxilium requiratur.

Confutatur.

140. Sed hæc ejus opinio contraria videtur doctrinæ S. Augustini, quem se sequi profitetur. Docet S. Augustinus, ut infrà videbimus, cum gratiâ sufficienti nos quidem res difficiles præstare non posse, posse vero res faciles, in quarum numero S. Doctor orationem reponit. — Nescio, quomodo Patris *Berti* opinio, gratiæ sufficienti denegans potentiam proximam et expeditam orandi, rationi possit esse consentanea. Siquidem intelligere nequeo, quâ ratione possit Dominus, in præsenti etiam statu lapsæ quidem naturæ, sed a Jesu Christo per hominum redemptionem superabundanter reparatæ, si denegaret gratiæ sufficienti potentiam completam et proxime expeditam, et consequenter multis non concederet gratiam, quæ satis esset ad injuncta præcepta actualiter servanda aut saltem ad medium adhibendum (orationis nempe), quo firmius auxilium ad actualiter ea servanda mediate saltem possint obtinere, quâ ratione (inquam) possit Dominus juste exigere, ut præcepta servent, et iis non servatis, juste possit ad infernum eos condemnare. Sed jam satis de systemate *P. Berti* et Augustinianorum, qui plerique illud sequi videntur.

[1] *Augustin.* Syst. Vindicatum, diss. 4, cap. 1, § 2, n. 14, 19, cet. — [2] *Jansenismus* Redivivus, pars 2, art. 6, n. 9. — [3] *Dizionario portatile della Teologia. Prosp. dell'Aquila.* — [4] *Del gran Mezzo della Preghiera, part. 2, cap. 3.* — [5] *Aug.* Syst. Vindic., l. c., initio. — [6] De Theol. Disciplin., lib. XVIII, cap. 8, prop. 5 (En ejus verba: *Nullus absque gratia per se efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu.* Nota edit.).

§ VII.

STATUITUR NOSTRA SENTENTIA, AD SERVANDA PRÆCEPTA NECESSARIAM ESSE GRATIAM EFFICACEM *AB INTRINSECO;* EAM AUTEM GRATIAM OBTINERI SUFFICIENTI ORATIONIS GRATIÂ.

Exponitur systema.

141. Non negat P. Joannes Laurentius *Berti*, nec negare potest, orando obtineri gratiam efficacem; sed asserit, ad orandum aliam gratiam efficacem requiri; et sic eadem recurrit difficultas, quam suprà exposuimus, eum nempe, cui deest gratia efficax servandi præceptum, si deesset etiam orandi gratia efficax, non posse condemnari, quum præcepta non servat: desunt enim et vires et quodlibet ea observandi adjumentum.

Nostra igitur sententia hæc est: Ad bonum operandum et servanda præcepta satis non est gratia sufficiens, quæ tantummodo confert auxilium ad facilia præstanda, sed requiritur gratia *ab intrinseco* efficax, quæ humanam voluntatem ad bonum operandum determinet, ut suprà (§ 2, n. 115) in responsione ad *Molinæ* sententiam, demonstravimus. Dicimus quoque, eam gratiam efficacem ut plurimum et operari et ad operandum nos perducere per victricem delectationem; nonnumquam tamen nos ad operandum determinare aliis quoque rationibus, ut spei, timoris, cet., quod quidem docet S. Augustinus [1], quum dicit, innumeris mirisque modis Deum efficaciter ad Se trahere homines. Dicimus nihilominus, gratiam sufficientem cuilibet conferre actum orandi, si velit, (qui quidem actus in numero rerum facilium reponitur); et quemlibet orando obtinere gratiam efficacem. Quæ quoniam in libro *de oratione* copiose tractavimus, paucis tantum hic et summatim referemus.

Probatur, omnibus dari gratiam actu orandi.

142. Certum est, Deum omnes salvos fieri velle: *Qui*, inquit S. Paulus, *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* [2]. Et S. Petrus: *Nolens aliquos perire*, inquit, *sed omnes ad pœnitentiam reverti* [3]. Et Deus queritur de iis, qui damnari volunt: *Quare moriemini, domus Israel?... revertimini et vivite* [4]. Si ergo Deus vult omnes salvos fieri, omnibus confert gratias ad salutem consequendam necessarias. Eamque ob causam dicimus, Deum, si non dat omnibus gratiam efficacem, cuilibet saltem dare gratiam sufficientem, quâ actualiter, etiamsi alia gratia non accedat, orare possit, atque ita orando obtinere gratiam efficacem ad implendam legem et salutem consequendam. Quam sententiam nostram tuentur Cardinalis *Norisius* [5], *Ysambert* [6], *Petavius* [7], *Thomassinus* [8], Cardinalis *Du Perron* [9], Alphonsus *Le Moyne* [10] aliique, quos infrà citabimus; fusius autem et ex professo eam defendit *Honoratus Tournely* [11].

Norisius: a systema exponit.

143. *Norisius* Cardinalis expresse demonstrat, quemlibet hominem in statu præsenti habere auxilium *sine quo non*, id est, gratiam sufficientem sive ordinariam, quæ, etiamsi aliud auxilium non accesserit, producit orationem, cujus ope

[1] De Corrept. et Gratia. cap. 5; contra 2 Ep.as *Pelag.*, lib. I, cap. 19; De Prædest. Stor, cap. 20. — [2] 1 *Tim.*, II, 4. — [3] 2 *Petr.*, III, 9. — [4] *Ezech.*, XVIII, 31 et 32. — [5] *Jansenii* Erroris Calumnia sublata, cap. 3. — [6] In 1am 2æ, qu. CXI, disp. 4 et 5. — [7] De Theologicis Dogmatibus, de Deo Uno, lib. X, cap. 19, n. 10, 11; cap. 20, n. 3, cet. — [8] Dogmata Theologica, Consens. schol. de gratia, tract. 3, cap. 8. — [9] *Réplique à la Réponse du roy de la grand Bretagne, Liv. II, obs. 3, ch. 12.* — [10] De Dono orandi Disputatio, cap. 2. — [11] Præl. theol. de Gratia Christi, qu. 7, art. 4, concl. 5.

obtinetur gratia efficax ad servanda præcepta: *Etiam in statu naturæ lapsæ dari adjutorium* SINE QUO NON, *secus ac Jansenius contendit:... Jamvero adjutorio* SINE QUO NON *movetur voluntas ad eliciendos actus debiles,... orationes minus fervidas pro adimplendis mandatis; in ordine ad quorum exsecutionem adjutorium* SINE QUO NON *est tantum auxilium remotum, impetratorium tamen auxilii* QUO, *sive gratiæ efficacis,... quâ solâ mandata reapse implentur* [1]. Subjungit autem, per orationem tepidam, etiamsi non eo perveniatur, ut impetretur gratia efficax, obtineri saltem orationem magis fervidam, cujus ope efficax obtinetur: *Colligo,... ipsammet tepidam orationem fieri a nobis cum adjutorio* SINE QUO NON, *ac ordinario concursu Dei, quum sint actus... debiles..., cet. Eâ tamen tepidâ oratione impetramus spiritum ferventioris orationis, qui nobis adjutorio* QUO *donatur* [2]. Quod quidem confirmat auctoritate S. Augustini, qui in Psalmum XVI scribit: *Ego liberâ et validâ intentione preces ad Te direxi, quoniam, ut hanc habere possem, exaudisti me infirmius orantem* [3].

b systema probat.

144. Eodem loco dicit quoque citatus auctor, quemlibet habere proximam orandi potentiam, ut orando impetret proximam potentiam bene operandi; quapropter omnes orare possunt cum solâ gratiâ ordinariâ sine alio auxilio. Secus, inquit doctissimus Cardinalis, si ad habendam proximam actu orandi potentiam requireretur alia potentia, quâ obtineretur oratio saltem magis fervida, alia iterum ad hanc potentiam requireretur gratia; sic autem processus evaderet infinitus: *Manifestum est, potentiam ad orandum debere esse proximam in justo sive fideli: nam si fidelis sit in potentiâ remotâ ad simpliciter orandum (non enim hic loquor de fervidâ... oratione), non habebit aliam potentiam pro impetrandâ oratione; alias procederetur in infinitum* [4].

145. Quærit Dionysius Petavius [5], vir eruditissimus, cur Deus nobis imposuerit præcepta, quæ cum gratiâ communi et ordinariâ servare nequeamus? Quia (ita respondet unà cum *Duvallio* [6] aliisque theologis) vult Dominus, nos oratione ad Eum recurrere, ut communiter loquuntur SS. Patres. Inde colligit, pro certo nobis esse habendum, quemlibet habere gratiam expeditam, ut actualiter oret et orando obtineat majus auxilium ad exsequenda ea, quæ cum gratiâ ordinariâ præstare non possumus; aliter Deus legem impossibilem nobis imposuisset: manifesta est ratio. *Petavius.*

146. Hæc alia accedit eaque validissima ratio, quod si Deus omnibus actualem mandatorum observantiam præcipiat, certo supponendum est, Eum communiter omnibus quoque gratiam necessariam largiri ad actualem eorum observationem, mediante saltem orationis ope. Ut ergo æqua sit lex, et justa reprehensio ac pœna, eam violanti irrogata, necesse est, unumquemque habere sufficientem potentiam, mediatam saltem interpositâ oratione, actualiter obtemperandi præceptis actualiterque orandi sine indigentiâ novi auxilii, non omnibus communis. Nam si deest expedita potentia actualiter orandi, dici nequit, cuilibet conferri a Deo sufficientem gratiam, quâ actualiter legem possit observare. Inde Petavius fuse probat, hominem cum solâ gratiâ sufficienti, sineque alio auxilio, reverâ operari; quin et eo progreditur, ut contrarium asserere *monstrum esse* dicat; ipsam autem hanc sententiam non theologorum tantum, sed etiam Ecclesiæ esse doctrinam [7]. Unde concludit, gratiam actualiter præcepta servandi post orationem venire; ipsum autem orationis donum a Deo concedi eodem tempore, quo leges imponit: *Illud apparet, donum istud, quo Deus dat, ut jussa faciamus,... affectum orationis subsequi* [8]; et talis affectus legi comes da- Ratio theologica.

[1] L. c., § 1. — [2] L. c., cap. 4. — [3] In Ps. XVI, n. 6. — [4] L. c., cap. 3, § 1. — [5] De Theol. Dogm.; de Deo Uno, lib. X, cap. 19, n. 10 et 11. — [6] In 1am 2æ de Gratia, qu. 5 et 7. — [7] L. c., cap. 19, n. 1. — [8] L. c., cap. 20, n. 4.

tur (*a*). Ergo sicut omnibus imposita est lex, ita omnibus concessum est donum orandi, si velint.

Thomassinus. **147.** Ita quoque sentit Ludovicus Thomassinus [1]. Primo miratur, quod nonnulli contendunt, solam gratiam sufficientem satis non esse ad ullum opus bonum, quamvis parvum, revera efficiendum; ac deinde concludit (ut hæc duo inter se concilientur, quod gratia sufficiens homini satis sit ad salutem, et tamen efficax gratia necessaria sit ad observandam totam legem), dici debere, gratiam sufficientem valere ad actu orandum similesque actus faciles perficiendos, quorum ope ad difficiles exsequendos efficax obtineatur, id quod huic S. Augustini doctrinæ consonat: *Eo... ipso quo firmissime creditur, Deum... impossibilia non... præcipere, hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus* [2]. In quem textum Cardinalis Norisius scribit: *Igitur opera facilia, seu actus bonos minus perfectos, facere possumus absque eo, quod majus... auxilium a Deo postulemus: quod tamen in... difficilioribus... petendum est* [3]. Thomassinus autem, allatâ hac in re S. Bonaventuræ, Scoti aliorumque auctoritate: *Omnibus*, inquit, *ea placuere sufficientia auxilia, vere sufficientia, quibus assentitur quandoque voluntas, quandoque non* [4].

Habert. **148.** Idem tenet *Habert*, Vabrensis Episcopus et Doctor Sorbonicus, qui primus contra Jansenium scripsit: *Censemus primo...*, inquit, *(quod) immediate cum ipso effectu... consensûs completi sufficiens (gratia) non habet (relationem), sed vel contingenter vel mediate. Arbitramur proinde et dicimus secundo, gratiam sufficientem esse gratiam dispositionis... ad... efficacem, utpote ex cujus bono usu... Deus postea gratiam completi effectûs... effectivam creatæ voluntati concedat* [5]. Et pro hac sententiâ citat *Gamachæum* [6], *Duvallium* [7], *Ysambertum* [8], *Pererium* [9], *Le Moyne* [10] aliosque. Eodem capite XV (n. 3) dicit: *Auxilia igitur gratiæ sufficientis sunt dispositiva ad efficacem, et...* « *efficacia secundum quid* », *effectûs videlicet incompleti... impetrantis primo remote, propius ac tandem proxime, qualis est actus fidei,... spei,... timoris... atque inter hæc omnia, orationis. Unde... celeberrimus... Alphonsus Lemoinus... gratiam illam sufficientem docuit esse gratiam petendi seu... orationis, de quâ toties B. Augustinus.* Ergo juxta doctum hunc auctorem *Habert*, gratiam efficacem consequitur effectus completus; sufficiens gratia vero effectum suum habet *vel contingenter*, modo nempe obtinet, modo non obtinet, *vel mediate*, id est, interpositâ oratione. Docet præterea, gratiam sufficientem, quatenus bene eâ utamur, ad efficacem obtinendam disponere; quare sufficientem vocat efficacem *secundum quid*, propter effectum inchoatum, non vero completum. Demum dicit, gratiam sufficientem esse orandi gratiam, quâ bene uti, juxta S. Augustinum, in nostrâ potestate est. Homo igitur nullam excusationem habet, si non observat illud, ad cujus observantiam adest gratia sufficiens, cujus ope, sine alio auxilio, vel præceptum servat, vel saltem ad illud servandum majus auxilium obtinet. Quæ Haberti argumentatio prorsus recta est; ac ipse ait, eam esse communem Scholæ Sorbonicæ doctrinam.

Alii theologi.

Petrocorensis. **149.** Eamdem doctrinam tuetur auctor Institutionum Theologicarum ad usum

[1] Theol. dogm. Consensus Schol. de Gratia, tract. 3, cap. 8. — [2] De Natura et Gratia, cap. 69. — [3] L. c. — [4] L. c., tract. 4, pars 2. — [5] Theologia Græcor. PP.... vindicata, lib. II, cap. 15, n. 2. — [6] Summa theol. In 1^m 2^æ, q. 111, cap. 5. — [7] L. c. — [8] L. c. — [9] *Pereira*, Comment. in cap. 2 ad *Roman.* — [10] L. c.

(*a*) Quod (ibidem) his verbis indicat: *ac proinde de gratiam ibi non omnem contineri, sed, ut dixi sæpe, perfectiorem et cumulatiorem.* — Et cap. 19, n. 9: *Necesse est*, inquit, *individuam adjungi comitem legi gratiam* (Nota edit.).

Seminarii *Petrocorensis* [*Périgueux*]. Cum solius gratiæ sufficientis auxilio fit, ut *aliquis possit... bene agere, et aliquando bene agat* [1]; atque ita, adjungit, *nihil vetat, ut ex duobus æquali auxilio sufficienti præventis faciliores illos actus, plenam conversionem sæpissime præcedentes,... unus faciat, alius non* [2]. Inde pergit: *Sic quosdam pietatis actus, (v. g. humiliter Deum deprecari) cum solo auxilio sufficienti facere (homo) potest et aliquando facit, quibus se ad ulteriores gratias præparat* [3]. Hic enim, inquit, circa gratiam divinæ Providentiæ est ordo, *ut priorum bono usui posteriores succedant* [4]. Denique concludit: Plenam conversionem atque etiam finalem perseverantiam infallibiliter homines promereri oratione, pro quâ sufficiens gratia, quæ nulli non præsto est, plenissime sufficit [5].

Du-Plessis. **150.** Eidem sententiæ adhæret Carolus *Du Plessis d'Argentré*, item Doctor Sorbonicus. Is refert plus mille theologos, inter quos plus quam centum et quinquaginta, qui ex professo docent, cum gratiâ sufficienti sineque alio auxilio opera facilia revera præstari, et hominem, cum sufficienti operantem, impetrare deinde abundantius auxilium ad perfectam suam conversionem [6]. Atque ita prorsus intelligendum esse ait celebre adagium, a Scholis acceptum: *Facientibus quod in se est (viribus gratiæ* scilicet, id est, gratiæ sufficientis) *Deus non denegat gratiam*, abundantiorem nimirum et efficacem [7].

151. Idem arbitratur *d'Aguirre* Cardinalis [8]; et P. Antonius *Boucat* [9] strenue defendit, orando quemlibet sine alio auxilio conversionis gratiam obtinere posse; et pro hac sententiâ allegat (præter Gamachæum, Duvallium, Habertum et Le Moyne) (*a*), Petrum de *Tarantasia* (*b*), *Tutelensem (Tulle)* Episcopum [10], *Goderdum de Fontibus* [11], *Henricum Gandavensem* [12], Sorbonicos Doctores, et regium professorem *De Ligny* [13], qui in suo tractatu *de gratiâ* demonstrat, gratiam sufficientem conferre facultatem orandi et exsequendi nonnulla opera non ita difficilia. Idem scribit Gaudentius *Bontempus* [14], qui probat, cum gratiâ sufficienti obtineri efficacem, interpositâ oratione concessâ omnibus eam adhibere volentibus. Idem scribit doctus Pater Fortunatus a Brixia (*Brescia*) [15], existimans, cunctos habere mediatam orationis gratiam ad præcepta servanda; neque ullum dubium esse putat, quin S. Augustinus ejusdem fuerit sententiæ. Idem scribit Richardus a S. Victore [16], quum ait, existere gratiam communem sufficientem, cui homo nonnumquam consentit, nonnumquam resistit. Mathias *Felisius*, qui contra Calvinum scripsit, gratiam ordinariam sive sufficientem ita definit: *Est motio divina sive instinctus, quo movetur homo ad bonum, nec alicui denegatur.... Aliqui... illi acquiescunt, sicque ad gratiam habitualem... disponuntur,... alii repugnant* [17]. Similiter Andreas *Vega: Hujus-*

d'Aguirre. *Boucat.* *Alii theologi.*

[1] Theolog. Specul. et Dogm. lib. VI, cap. 3, qu. 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Cfr. ibid. — [6] Dissert. de multiplici genere gratiæ, variaque ejus partitione. — [7] Ibid., art. 1, § 17. — [8] Theol. *S. Anselmi*, tract. 7, disp. 125 seq. — [9] Theol. Patrum, De Gratia Mediatoris, diss. 3, sect. 5. — [10] i. e. *Du Plessis d'Argentré*, Episc. Tutel., l. c., art. 2, § 6. — [11] Sive: Godefridus (*Godefroi de Fontaines*) [obiit a° 1280]. Quodlibet. 7, art. 10, qui quidem tractatus numquam editus est (Apud *Duplessis*, l. c.). — [12] Quodlib. 4, qu. 19; quodlib., 8, qu. 5. — [13] Tractatus numquam typis editus. *Duplessis* et *Boucat* ejus autographum sequuntur. — [14] Palladium theologicum, De Gratia, disput. 1, qu. 4, 12 et 13. — [15] *Cornel. Jansen.* System. confut., p. 2, n. 225 (opus postumum. *Madriti*, 1755. In 1ª editione, *Brixiæ*, 1751, illa nondum reperiuntur). — [16] De Eruditione Hominis Interioris, lib. I, cap. 30. — [17] Inst. Christ., dist. 24, cap. 20.

(*a*) Quos suprà (n. 148) citavimus. — (*b*) *Petrus de Tarantasia*, O. P., anno 1276, *Aretii* Romanus Pont. electus, *Innocentius V* nominari voluit. — Scripsit *comment. in 4 Libros Sentent.*, qui *Tolosæ*, anno 1652, typis excusi sunt. Lege: In lib. II, dist. XXV-XXIX (Nota edit.).

modi auxilia (i. e. quæ communiter omnibus dantur) *a plerisque inefficacia auxilia vocantur, quia non semper habent suum effectum, sed plerumque a peccatoribus... frustrantur* [1].

Gotti. **152.** Neque a nobis dissentire videtur (quodam Theologiæ suæ loco) Cardinalis Gotti. Ad difficultatem enim, ibi propositam, quomodo perseverare possit homo, si velit, quum non sit in ejus potestate speciale auxilium ad perseverandum, ita respondet: Licet ejusmodi speciale auxilium in ejus potestate non sit, *in potestate tamen hominis aliquomodo dicitur esse, quod ipse per Dei gratiam potest habere, et ab Eo petere ac obtinere; et hoc modo in hominis... potestate dici potest esse, ut habeat auxilium ad perseverandum... necessarium,... illud impetrando... orationibus* [2]. Unde, ut verum sit, perseverantiam esse in potestate hominis, dici debet, sicut necesse est, eum oratione, sine indigentiâ novæ gratiæ, obtinere posse auxilium ad actu perseverandum; sic etiam requiri, ut possit cum solâ gratiâ sufficienti, omnibus communi sine novæ gratiæ indigentiâ, actu orare et orando perseverantiam sibi acquirere; aliter dici nequit, unumquemque habere necessariam ad perseverandum gratiam, remotam saltem et orationis ope mediatam. — Ita quoque rem *S. Francisc. Salesius.* intelligit S. Franciscus Salesius, qui in *Theotimo* dicit, gratiam actu orandi datam esse omnibus, qui eâ uti velint; atque inde colligit, perseverantiam in cujuslibet hominis esse potestate. Ibi, quum demonstrasset, preces assidue esse adhibendas, ut finalis perseverantiæ donum a Deo impetretur, hæc subjungit: « Quum ergo orationis donum liberaliter promissum sit omnibus iis, qui cælestibus inspirationibus consentire velint, sequitur, perseverantiam in nostrâ esse potestate [3] ».

Bellarminus. Idem docet Cardinalis Bellarminus: *Auxilium sufficiens ad salutem*, inquit, *pro loco et tempore, mediate vel immediate omnibus datur, cet. Dicimus* MEDIATE VEL IMMEDIATE; *quoniam iis, qui usu rationis utuntur, immitti credimus a Deo sanctas inspirationes, ac per hoc immediate illos habere gratiam excitantem, cui si acquiescere velint, possint ad justificationem disponi, et ad salutem aliquando pertingere* [4]. Et S. Thomas in Apostoli textum: *S. Thomas.* *Fidelis... Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* [5], hæc scribit: *Non autem videretur esse fidelis Deus, si... nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quæ pervenire ad Eum possemus* [6]; id est, eas gratias, quarum ope salutem consequi possimus. — Præterea in *S. Scriptura.* divinis Scripturis Deus sexcentis locis nos admonet, ut convertamur, et precibus ad Se confugiamus, adjectâ promissione, exauditurum Se esse eos, qui ad Se recurrant: *Convertimini ad Me,... et convertar ad vos* [7]. — *Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis Spiritum meum* [8]. — *Revertimini et vivite* [9]. — *Venite ad Me omnes, qui laboratis et onerati estis, et Ego reficiam vos* [10]. *Petite et dabitur vobis* [11]. Quæ exhortationes, *convertimini, revertimini, venite, petite*, vanæ prorsus et irrisoriæ essent, inquit Cardinalis Bellarminus, si Deus singulis non daret hanc saltem gratiam expeditam, actu orandi, si velint [12].

153. Quod nisi ita esset, quomodo Con- *Conc. Trid.* cilium Tridentinum, reprobans hæreticos, qui præceptorum observantiam impossibilem dicunt, docere potuisset: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis* [13]. Quâ positâ doctrinâ, non intelligo, quomodo affirmari

[1] *Tridentini* Decreti de Justificatione Expositio, lib. XIII (in cap. XIV), cap. 13. — [2] Theolog. Scholast. Dogmat. de divina Gratia, qu. 1, dub. 13, § 3, n. 20. — [3] *Traité de l'Amour de Dieu, liv. III, chap. 4.* — [4] De Gratia et Libero Arbitrio, lib. II, cap. 5. — [5] 1 *Cor.*, X, 13. — [6] In 1 Ep. ad *Cor.*, cap. 1, lect. 1. — [7] *Zach.*, I, 3. — [8] Prov., I, 23. — [9] *Ezech.*, XVIII, 32. — [10] *Matth.*, XI, 28. — [11] *Matth.*, VII, 7. — [12] L. c. — [13] Sess. VI, cap. 11.

possit, ad actualiter orandum satis non esse gratiam omnibus communem, sed efficacem requiri, quæ actualem orationem nobis conferat. Sapienter monet P. Fortunatus a Brixia [1], si non esset omnibus concessa actualis orandi gratia, sed requireretur efficax, non omnibus communis, orationem quodammodo dici posse multis impossibilem, quibus deesset gratia illa efficax, ad orandum necessaria. Perperam igitur dixisset Concilium: *Deus monet petere quod non possis;* admonendo quippe ut petamus, admoneret illud facere, ad quod faciendum deesset actuale auxilium, sine quo fieri nequeat: quapropter divina orandi admonitio intelligi debet de ipso orandi actu, non requisitâ aliâ gratiâ, quæ omnibus non est communis. Sicut Deus monet hominem, ut actu faciat id, quod sine novâ gratiâ facere potest, *monet et facere quod possis;* ita pariter monet, ut sine novâ gratiâ, sed cum gratiâ communi, quam omnibus concedit, actualiter oret; quod hisce ultimis verbis indicatur: *et adjuvat ut possis.* Hoc ipsum S. Augustinus significare nobis voluit, quum verba superius relata scriberet: *Eo... ipso, quo firmissime creditur, Deum... impossibilia non... præcipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus* [2]. Quibus ostendit, si non omnes gratiam habeant faciendi difficilia, omnes saltem habere gratiam orandi. — Argumentationem breviter complectamur. Dicit Concilium, Deum non imponere præcepta impossibilia, quia nobis confert aut auxilium ad ea servanda aut gratiam orandi ad illud auxilium obtinendum; et Ipse nos adjuvat, ut alterutrum faciamus. Si verum esset, Deum non omnibus conferre gratiam saltem mediatam actualem orandi ad omnia præcepta reverâ observanda, incideremus in sententiam Jansenii, justo etiam homini deesse gratiam, quâ actualiter aliqua præcepta servet.

Fortunatus a Brixia.

154. Accedit, quod nostra sententia a SS. Patribus confirmatur. *Ubi quis permissus est in tentationem incidere,* inquit S. Basilius, *eventum, ut sufferre possit, et voluntatem Dei per orationem* (debet) *petere* [3]. — Dicit ergo S. Basilius, siquis tentatione sollicitetur, ideo Deum illud permittere, ut resistat, quærendo orationis ope, divinam Voluntatem exsequi. Supponit igitur, hominem, si desit auxilium sufficiens ad tentationem superandam, commune saltem orationis auxilium habere, ut majorem gratiam sibi necessariam obtineat. S. Joannes Chrysostomus scribit: *Nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere noluit, dum orare cessavit* [4]. — Siquis gratiam actualem orandi non haberet, quâ auxilium efficax ad resistendum sibi impetraret, vere excusari posset, quum vinceretur. Similiter S. Bernardus: *Qui sumus nos? Aut quæ fortitudo nostra?... Hoc... quærebat Deus, ut videntes defectum nostrum, et quod non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam totâ humilitate curramus* [5]. — Deus igitur ideo legem viribus nostris impossibilem nobis imposuit, ut ad Eum confugientes, oratione vires ad legem servandam obtineremus; si vero alicui denegata esset gratia actu orandi, ei prorsus impossibilis lex evaderet. At non ita est, inquit S. Bernardus: *Omnes nobis causamur, deesse gratiam, sed justius forsitan queritur gratia, deesse nonnullos* [6]. Rectius de nobis queritur Deus, quod nos desimus gratiæ, quâcum nobis auxilietur, quam querimur nos, quod nobis desit gratia. Sed SS. Patrum nemo clarius hanc doctrinam exposuit quam S. Augustinus, idque plurimis locis. Alicubi dicit: *Ideo jubet (Deus) aliqua quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus* [7]. Alibi: *Ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quærere* [8]. Alio loco: *Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere*

SS. Patres. — *S. Basilius.* — *S. Joan. Chrysost.* — *S. Bernard.* — *S. Augustinus.*

[1] L. c. — [2] De Natura et Gratia, cap. 69. — [3] Moralia, Regula 62, cap. 3. — [4] Homil. de *Moyse* (?). — [5] In Quadrages., Sermo 5, n. 4. — [6] De Diversis, Sermo 17, n. 1. — [7] De Gratia et Libero Arbitrio, cap. 16. — [8] De Libero Arbitrio, lib. III, cap. 19 (Varii codices legunt: *quæri. Lovaniensis* editio habet: *quærere*, prout *S. Alph.* citavit. Nota edit.).

et quærere et pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus jubet? [1] Et alibi: *Semel accipe et intellige: nondum traheris? ora ut traharis* [2]. Alibi: *Homo qui voluerit et non potuerit,... oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad adimplenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur* [3]. Qui omnes loci explicatione non indigent. Alibi: *Præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum. Quod quidem sine suo fructu admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde, quod jubebatur impleret* [4]. Notentur verba *aliquid dilectionis;* en gratia sufficiens, quâ homo orando impetrare potest actualem gratiam servandi præceptum. Alibi: *Jubet ideo, ut facere jussa conati et nostrâ infirmitate... fatigati, adjutorium gratiæ poscere noverimus* [5]. Supponit igitur S. Augustinus, nos cum ordinariâ gratiâ præcepta servare non posse, sed orando impetrare posse auxilium ad ea servanda. Alibi: *Hoc... restat in istâ mortali vitâ..., non ut impleat homo justitiam quum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad Eum, cujus dono eam possit implere* [6]. Quum dicat S. Augustinus, homini hac in vitâ nihil superesse, nisi ut se convertat ad Deum, cujus dono legem observare possit, pro certo supponit, unicuique datam esse gratiam actualiter orandi: aliter, si nec gratiam efficacem haberet nec communem gratiam orandi, nullum ei superesset auxilium, ut legem servaret et salutem consequeretur.

Duo gravissima S. Augustini documenta. 1. *De gratia* cap. 16.

155. Duo autem S. Augustini textus potissimum ad rem nostram faciunt. Prior hic est: *Certum est..., nos mandata servare si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus* [7]. Dicit S. Augustinus, nos servare præcepta, si velimus; sed, ut ea servandi voluntatem habeamus, petendam nobis esse volendi gratiam, ut volendo ea servemus. Ergo, omnibus concessa est gratia petendi sinceram illam voluntatem servandi præcepta; secus, si ad actualiter petendam hanc voluntatem requireretur gratia efficax, quæ omnibus communis non est, is, cui non concederetur, ne voluntatem quidem habere posset servandi præcepta.

2. De Corrept. cap. 5.

156. Alter est textus ille (lib. de corrept. et grat., cap. 5), ubi S. Doctor respondet monachis Adrumetinis, qui ita dicebant: « Si gratia est necessaria, sed mihi deest, cur me corripis, quum operari non possim? *ora potius pro me*, ut Dominus illam gratiam mihi concedat ». Ad quæ respondet S. Augustinus: « Corripiendi estis, non quod non operemini, quum vires vobis desint, sed quod non precamini, ut vires vobis conferantur ». *Qui corripi non vult, et dicit:* ORA POTIUS PRO ME; *ideo corripiendus est, ut faciat etiam ipse pro se,* id est, ut oret etiam ipse pro se. Jamvero, nisi S. Augustinus credidisset, quemlibet habere sufficientem gratiam, quâ si velit preces fundat, nullo etiam alio accedente auxilio, minime potuisset dicere absolute, eum esse corripiendum, qui non oret, quum ille respondere posset: « Ego vero non sum corripiendus, si non precor: siquidem deest mihi etiam gratia actu precandi ». Sed S. Augustinus semper pro certo supponit, eos quibus deest gratia efficax ad bene operandum, habere nihilominus gratiam precandi, ut precando sibi impetrent auxilium quo operentur: *Quando autem non agunt,... orent ut, quod nondum habent, accipiant* [8]. Quare Bellarminus ad hæreticos, qui ex hoc textu: *Nemo potest venire ad Me, nisi Pater.... traxerit eum* [9], colligere volunt, neminem ad Deum accedere posse, qui ab Eo non fuerit proprie tractus, respondet: *Respondemus, eo*

[1] De diversis quæstionibus ad *Simplicianum*, lib. I, qu. 2, n. 21. — [2] In *Joan.* Evang., tract. 26, n. 2. — [3] De Gratia et Lib. Arb., cap. 15. — [4] Ibid., cap. 18. — [5] Ep. 157, ad *Hilarium*, n. 9. — [6] De diversis quæstion. ad *Simplician.*, lib. I, qu. 1, n. 14. — [7] De Gratia et Lib. Arbitrio, cap. 16. — [8] De Corrept. et Gratia, cap. 2. — [9] *Joan.*, VI, 44.

argumento solum concludi, non habere omnes auxilium efficax, quo reipsa credant; non tamen concludi, non habere omnes saltem... auxilium, quo possint credere vel certe quo possint auxilium petere [1].

Conclusio.

157. Finem disputationi faciamus, denuo exponendo nostram sententiam, quam, ut vidimus, tam multi theologi propugnant.

Gratia *efficax.*

Admittitur ergo ex unâ parte gratia intrinsece efficax, quâcum infallibiliter (quamquam libere) operamur bonum; nam negari nequit, id quod in responsione ad Molinæ systema animadvertimus, Deum omnipotentiâ suâ ita movere posse hominum corda, ut ea, quæ Ipse vult, libere velint; — ex alterâ parte nostra sententia admittit gratiam vere sufficientem, omnibus communem, quâ si homo uti voluerit, orando certo obtinebit gratiam efficacem; sin autem eâ uti noluerit, juste hæc gratia efficax ei denegabitur. Nec proderit ei hac uti excusatione, se vires non habuisse ad tentationes superandas; si enim uti voluisset orandi gratiâ, quæ omnibus communis est, orando impetrasset illas vires, et ad salutem pervenisset.

Gratia *sufficiens.*

Ad orandum non requiritur gratia efficax.

158. Si vero non admittitur ejusmodi gratia sufficiens, quâcum, etiamsi non accedat alia gratia non omnibus communis, singuli orare possint et orando obtinere gratiam efficacem legemque servare, intelligere nequeo, quomodo sacri oratores ad conversionem exhortari possint populum; si enim nonnullis etiam orandi gratia denegaretur, populus respondere posset: « Quæ nobis dicitis, dicite Deo, ut Ipse ea faciat; nobis enim nec præsto est immediata gratia efficax, quâ actu convertamur, nec gratia sufficiens mediata, quâ orationis ope, gratiam efficacem impetremus ». Similiter capere non possum, quid sacræ Scripturæ, si omnibus orandi gratia non esset concessa, homines tantopere hortentur, ut Deo vocanti obediant. Qui enim etiam efficaci orandi gratiâ carerent, Deo dicere possent: « Domine, quid nos ita alloqueris? Ipse Tu illud præsta; non enim ignoras, deesse nobis vel ipsam gratiam Te precandi, ut Tibi invitanti respondeamus ». — Denique intelligere non valeo, quî possent hisce verbis juste corripi peccatores: *vos semper Spiritui-Sancto resistitis* [2], si carerent etiam remotâ gratiâ, ad actualiter orandum necessariâ.

Nulla peccatori remanet excusatio.

159. Admissâ vero sententiâ de orationis gratiâ, omnibus communi, ablata est quælibet excusatio, si dicant, defuisse sibi vires ad repellendos sensuum et inferni impetus; si enim actuales resistendi vires non habebant, habebant tamen orationis gratiam, cujus ope efficax auxilium impetrassent et reportavissent victoriam.

[1] De Gratia et Libero Arbitrio, lib. II, cap. 8, ad 5^m.

[2] Act., VII, 51.

DISPUTATIO V.

SESSIO VII.

DECRETUM DE SACRAMENTIS.

De sacram. in genere tredecim confecti sunt Canones, quatuordec. de Bapt., tres de Confirm.

1. Quum de Sacramentis in genere et de Baptismo et Confirmatione singillatim ageretur, Patribus non est visum necessarium, per Decreta veram doctrinam seorsum tradere, quemadmodum de justificatione superiori Sessione fecerant; sed satis esse, errores dumtaxat damnari. Quapropter triginta Fidei Canones confecti sunt: tredecim de Sacramentis generatim, quatuordecim de Baptismo et tres de Confirmatione.

Proœmium.

2. In Proœmio dicitur: *Ad consummationem... de justificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Sessione promulgata fuit, consentaneum visum est, de sanctissimis Ecclesiæ sacramentis agere:* eorum siquidem ope gratia nobis impertitur. Quapropter Concilium plures statuit Canones, quibus errores fidei contrarios condemnat. Quos Canones hic transcribimus, eorumque singulis adjicimus ea, quæ aut contra disputata sunt aut allata fuerunt consideranda.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Can. I. De numero sacramentorum.

3. Canone I dicitur: *Siquis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.*

Unde cognoscatur eorum numerus. *a* ex traditione.

4. Dicit *Suavis* [1], circa numerum Sacramentorum omnes Patres uno ore consensisse, ea esse septem, propter auctoritatem tam Scholasticorum post Magistrum Sententiarum quam Concilii Florentini et Romanæ Ecclesiæ traditionis. Addere tamen debuisset « et Græcæ Ecclesiæ », quæ, licet ab octo jam sæculis ab Ecclesiâ Romanâ disjuncta, hac in re nihil dissidebat. Quod notari necesse erat, ut planum fieret, dogma illud a Jesu Christo et ab Apostolis ad nos usque pervenisse.

b ex eorum definitione.

5. Præterea, more suo Concilii magistrum se constituens, sibi videri declarat *Suavis* [2], satius fuisse, non determinari, septem, *nec plura vel pauciora* esse Sacramenta: varias quippe esse sententias de Sacramentorum definitione et essentiâ; quapropter, quæ et quot essent, accurate et certo statui non posset. At respondetur, nobis satis esse cognitum habere, Sacramenta esse signa quædam sensibilia, Jesu Christi nomine collata quæ, modo debitæ conditiones adsint, ex se et infallibiliter gratiam conferunt. Quare Sacramenta non sunt nec Abbatis benedictio nec creatio Cardinalium neque aliæ functiones, quas *Suavis* commemorat: quia non conferunt gratiam; idem valet de martyrio, quod

[1] *Conc. di Trento, lib. II, a° 1547. « Nelle Congregazioni ».* — [2] L. c.

non confertur Christi nomine, quinimmo ad Christi injuriam. Ceterum, parvi refert scire, quæ sit Sacramentorum quidditas, et in quo consistat eorum essentia.

Cur adjecta sint verba: *nec plura nec pauciora.*

6. Verum nec deerant in ipso Concilio, qui dissuaderent verba: *plura vel pauciora quam septem*, utpote non adhibita ab antiquis Doctoribus nec a Synodis Carthaginiensi aut Florentinâ. Sed responsum est, iis temporibus nondum exstitisse duas illas hæreses, quarum una assereret, duo vel tria solummodo esse vera Sacramenta, et altera, Sacramenta esse omnia signa illa, quibus in sacris Litteris gratiæ promissio adnectitur, cujusmodi sunt eleemosyna et oratio.

Can. II. De sacram. antiquæ et novæ Legis.

7. Canone II dicitur: *Siquis dixerit, ea ipsa Novæ Legis sacramenta a sacramentis Antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ et alii ritus externi, anathema sit.*

Quid inter se differant.

8. De discrimine inter Sacramenta Veteris et Novæ Legis multa verba facit *Suavis* [1], ut in dubium revocet Catholicam veritatem. Quæ quidem Catholica veritas hæc est, quod Novæ Legis sacramenta gratiam producunt, eamque solum significabant Veteris Legis sacramenta. Errat igitur, siquis cum Novatoribus asserit, Sacramenta nostra esse mera gratiæ signa; quia, quamquam vere signa sunt et gratiam significantia, simul tamen eam efficiunt, eo pacto quo nubes et signa et causa sunt pluviæ. Quamobrem omnes Antiquæ Legis cæremoniæ a S. Paulo vocantur *infirma... elementa* [2] *et umbra futurorum* [3]. Evangelium contrà asseverat, in Baptismo hominem ad gratiam renasci, in Pœnitentiæ Sacramento remitti peccata, in Eucharistiâ vitam conferri, Spiritum-Sanctum accipi ad impositionem manuum Episcopi. Unde liquet, Sacramenta non esse sterilia signa, sed causas etiam, efficientes gratiam, quam promittunt.

Can. III. De sacram. dignitate.

9. Canone III dicitur: *Siquis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

Explicatur.

10. Hoc loco adjecta fuerunt voces, *nullâ ratione*, quia *Lutherus* asseruit, omnia Sacramenta omnino esse æqualia; id quod ad Pragensem Senatum jam scripserat: *Nec unum Sacramentum altero dignius esse possit, quum omnia eodem constent verbo Dei* [4]. Quod contrarium est sententiæ S. Dionysii [5], S. Ambrosii [6] et Innocentii III [7] (in capite, *Quum Marthæ*, de celebr. Miss.). In Concilio nonnulli dicebant, in quolibet Sacramento quamdam inesse propriam excellentiam, quâ reliquis inferius non sit; cujus tamen dicti nulla habita est ratio.

Can. IV. De sacram. necessitate.

11. Canone IV dicitur: *Siquis dixerit, sacramenta Novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.*

Hæreticorum sententia rejicitur.

12. Hæretici ideo nullum Sacramentum necessarium esse dicunt, quod affirmant, solam fidem justificare; Sacramenta vero huc solum spectare, ut excitent fidem eamque nutriant; quæ ceteroquin (ut ajunt) prædicatione pariter excitari potest et nutriri. Quod tamen certo falsum est et Canonibus, qui sequuntur (V, VI, VII et VIII) damnatum: quandoquidem ex Scripturis constat, nonnulla quidem Sacramenta ad salutem *per se* esse necessaria necessitate medii, ut Baptismus omnibus, Pœnitentia iis qui post Baptismum peccaverunt, et Eucharistia, quæ, in voto saltem, etiam omnibus est necessaria.

Quid *Suavis* opponat.

13. Ait *Suavis* [8], Baptismi votum sive desiderium, saltem implicitum, (idem valet de Pœnitentiâ, quod ad peccatores attinet) multis in Concilio non esse visum necessarium ad justificationem, quum et

[1] L. c., « *Il quinto articolo* ». — [2] *Gal.*, IV, 9. — [3] *Coloss.*, II, 17. — [4] Ad Senatum *Pragensem*, de instituendis Ministris Ecclesiæ. — [5] De Eccl. Hierarchia, cap. 3, n. 1. — [6] Apud *Pallavicin.*, *lib. IX, cap. 7, n. 4.* — [7] Decretal., lib. III, tit. 41 (Regest., lib. V, Ep. 121, ad *Joannem*, quondam Ep.m *Lugdun.*). — [8] L. c. « *Dell' altra parte* ».

Cornelius et Bonus Latro sine ullâ Baptismi notitiâ fuerint justificati. Respondet vero *Pallavicinus* [1], assertum illud esse merum *Suavis* somnium; Tridentinos enim Theologos ad eam opinionem tuendam, Cornelii et Boni Latronis exemplum adducere non potuisse, quum neminem lateret, obligationem Baptismi suscipiendi non incepisse nisi post mortem Salvatoris et promulgationem Evangelii. Ceterum quis negare potest, in actu perfectæ caritatis erga Deum (qui actus ad justificandum satis est) includi implicitum Baptismi, Pœnitentiæ et Eucharistiæ votum? Qui vult totum, singulas quoque vult illius totius partes et omnia media necessaria ad illud consequendum. Ut infidelis sine Baptismo justificetur, requiritur, ut Deum super omnia diligat et universalem habeat voluntatem observandi cuncta Dei præcepta, quorum primum est, ut suscipiatur Baptismus: quapropter, Baptismi votum, saltem implicitum, ad justificationem illi est necessarium; quum certum sit, ejusmodi desiderio adscribi spirituale nondum baptizati regenerationem, quemadmodum similiter in baptizatis contritis peccatorum remissio attribuitur explicito vel implicito sacramentalis absolutionis voto.

De implicito Baptismi voto.

14. Inserta sunt in illo Canone verba: *licet omnia singulis necessaria non sint;* quæ quidem eo spectabant, ut damnaretur *Lutherus*, asserens nullum sacramentum absolute necessarium esse ad salutem; quod totam salutem, ut suprà diximus, fidei tribueret, nihil vero Sacramentorum efficaciæ.

Quare ultima adjecta sint verba.

15. Canone V dicitur: *Siquis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.*

Can. V. Sacram. non solum nutriunt fidem.

16. Canone VI: *Siquis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.*

Can. VI. Sacram. continent gratiam eamque conferunt.

17. Canone VII: *Siquis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit.*

Can. VII. Ex se semper conferunt gratiam.

18. Canone VIII: *Siquis dixerit, per ipsa Novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Can. VIII. Non sufficit fides.

19. Merito damnati sunt errores, quos hi Canones enuntiant, juxta superius dicta ad Canonem II.

Vide n. 8.

20. Canone IX dicitur: *Siquis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in animâ, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Can. IX. De Charactere.

21. Circa hoc dogma, ab Ecclesiâ Catholicâ traditum de Charactere, quem in animâ imprimunt tria in Canone memorata Sacramenta, Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ iterari nefas est, affert *Suavis* [2] dictum illud Scoti (Sent. lib. IV, dist. 6, qu. 9) asserentis [3], eam doctrinam non deduci necessario *a verbis sacræ Scripturæ vel Patrum, sed solum ab Ecclesiæ auctoritate;* unde immerito colligit, Scotum, licet urbane, hanc veritatem negare. Verumtamen, meram infert calumniam; licet enim Doctor ille hac in re dissentiat ab aliis communiter asserentibus, ex Patribus et Scripturâ satis demonstrari illud dogma, nequaquam tamen fas est dicere vel suspicari, Scotum negasse aut in dubium revocasse trium, quæ suprà retulimus, Sacramentorum Characterem. Ipsa ceteroquin hæc veritas reapse probatur ex pluribus sacræ Scripturæ locis, et potissimum ex secundâ S. Pauli Epistolâ ad Corinthios, ubi (I, 22) dicit Deum nos signare nobisque pignus dare hæreditatis suæ: *Qui et signavit nos, et*

Quid *Suavis* de *Scoto* dicat.

Respondetur.

Probatur ex Scripturis.

[1] Lib. IX, cap. 4, n. 7.

[1] L. c., « *Del tralasciar* ». — [2] n. 13 et 14.

dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Clarius etiam idem affirmant Patres Græci et Latini, apud Bellarm. *de sacramentis in genere* (lib. 2, c. 21), in quibus S. Augustinus, ita loquens in Epistolâ XXIII: *Baptismi Sacramentum... sufficit ad consecrationem..., quæ consecratio reum quidem facit hæreticum, extrà Domini gregem habentem Dominicum Characterem: corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum* [1].

Ex SS. Patribus.

Deus intrinsece in animâ operatur.

22. Errant hæretici quum existimant, ea, quæ Deus imprimat, eodem modo se habere ac jura et potestates, quibus his in terris homines polleant. Hæc enim acquisita aut collata extrinsecus tantum adhærent; gratiæ vero impressiones supernaturales sunt, et intrinsecus a Deo in animâ producuntur. Quædam porro dona ejusmodi sunt, ut peccato deleri possint, qualis est justificationis gratia; alia vero deletioni obnoxia non sunt, ut Christianum esse, militari Christi tesserâ esse confirmatum atque in Ecclesiâ militanti potestatem habere; quæ quidem dona Characteres appellantur, neque, etiam post peccatum commissum, deleri possunt.

Can. X. De ministro.

23. Canone X dicitur: *Siquis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Hæreticorum errores.

24. Hoc Canone damnatur error *Lutheri*, qui asseruit, non solum homines sed etiam angelos ac dæmones, humanâ specie assumptâ, idoneos esse Sacramentorum ministros [2]; atque eo magis censuit, omnes Christianos esse aptos Sacramentorum ministros; quum diceret, unà cum Baptismo cuilibet homini omnium Sacramentorum potestatem conferri [3]. Item damnatur *Calvini* error, qui etiam in casu necessitatis potestatem baptizandi laicis denegabat [4]. Merito igitur in Canone dicitur: *Omnes in omnibus Sacramentis habere potestatem;* in necessitate enim etiam laicus Baptismum administrare potest, et juxta veram Bellarmini [5] sententiam (quidquid alii dicunt) soli laici sunt matrimonii ministri. Certum est porro 1[um]: solos homines, non vero Angelos, posse Sacramentorum esse ministros; nam solis hominibus a Jesu Christo hujusmodi potestas est tradita hisce verbis: *Euntes..., docete omnes gentes, baptizantes eos* [6], *cet.*— *Hoc facite in meam commemorationem* [7].— *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [8]. Certum quoque est 2°: Baptismum suscepisse minime satis esse, ut quis omnia Sacramenta ministrare possit. Apostoli, Baptismo prius suscepto, deinde potestatem acceperunt et consecrandi Eucharistiam (verbis suprà relatis: *Hoc facite in meam commemorationem*) et peccata absolvendi (hisce verbis: *Quorum remiseritis peccata, cet.*).

Vera doctrina.

Solus homo est minister.

Non quilibet baptizatus.

25. Canone XI dicitur: *Siquis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, anathema sit.*

Can. XI. De intentione.

26. Hoc Canone damnatur error *Lutheri*, qui in libro *de Captivitate Babylonica* [9] dixerat, quodlibet Sacramentum valide semper recipi, quoties administretur, etiamsi *simulet vel jocetur minister*, nec conferendi intentionem habeat; quod omnem sacramentorum vim *Lutherus* in recipientis fide, non vero in ipso Sacramento, ac multo minus in ministri intentione reponeret.

Error *Lutheri*.

27. Porro celebris est opinio, in Concilio propugnata ab Ambrosio *Catharino* [10], et antea a Petro *Paludano* [11] et Sylvestro *Prierate* [12], ad validam nimirum Sacramenti collationem satis esse, ministrum serio illud conferre, etiamsi illud conferendi animum non habeat. Quapropter, inquit Catharinus, si minister, Baptismum

De collatione sine animo conferendi.

[1] Nunc Epist. 98, ad *Bonifacium*, n. 5. — [2] De Missa privata et Unctione sacerdotum (anno 1534). — [3] De Captivit. Babylon. Cap. de Ordine.— Item in Articulis, a *Leone X* damnatis, art. 13. — [4] Instit., lib. IV, cap. 15, n. 20. — [5] De Sacram. Matrimonii, lib. I, cap. 6. — [6] *Matth.*, XXVIII, 19.— [7] *Luc.*, XXII, 19. — [8] *Joan.*, XX, 23. — [9] De Sacram. Baptismi, initio. — [10] De Intentione Ministri sacramentor. — [11] *de Palude.* In Sent. lib. IV, dist. 6, quæst. 2. — [12] *Sylvester Prieras.* Summa *Sylvestrina*, art. Baptismus, 3, n. 2.

conferens, nihil aliud intendat nisi parvulum materialiter lavare, dummodo serio hoc faciat, valide baptizat. Præcipua ejus ratio est, quod nisi ejusmodi Sacramenta valida essent, dubia forent et omnia baptismata et omnes sacramentales absolutiones, et, quod majoris est momenti, omnes ordinationes sacerdotum ac præcipue Episcoporum, ex quibus deinde pendet, utrum valeant necne tot ordinationes deinceps collatæ.

Quid respondeat *Bellarminus.*

Quid *Pallavicinus.*

28. Bellarminus, hanc referens opinionem, non dubitat ita scribere: *Quæ opinio non video quid differat a sententiâ... hæreticorum*[1]. *Pallavicinus*[2] contrà scribit, sententiam illam, quum adversetur communi sententiæ Theologorum; qui in ministro implicitam saltem voluntatem conferendi Sacramenti exigunt, falsam se reputare, non vero damnatam; quia Concilium allato Canone non aliud declaret, nisi in ministro requiri intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia. Quapropter, quum minister externe ac serio sacramentum confert, quemadmodum conferri solet in Ecclesiâ, vi illius Canonis hæc opinio damnata dici nequit. Et re quidem verâ, etiam post Concilium in eâ defendendâ perstitit Catharinus, et hisce temporibus multi eam defendunt. Ceterum asserere, Sacramentum confici, quum minister positive intendat, illud non conferre, pessime quidem sonat. Quod nominatim ad Pœnitentiæ Sacramentum attinet, scimus dixisse Dominum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*[3]. Quæ verba designant, Sacerdoti, ut valeat absolutio, reverâ necessarium esse absolvendi animum. Præterea docet S. Thomas: Actiones in Sacramentis ad plura referri possunt, *sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam* (vel) *corporalem* (vel spiritualem), *et ad sanitatem corporalem, et ad ludum et ad multa alia hujusmodi; et ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis*[4].

Rationes contrariæ.

a verba Christi.

b doctrina *S. Thomæ.*

Objicitur.

29. Opponunt adversarii ea, quæ Angelicus deinde *ad 2* respondet: *In verbis autem quæ profert (minister), exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti*[5]. At respondet P. *Gonet*[6], hisce verbis S. Thomam, juxta difficultatem oppositam, hoc solum dicere voluisse, non requiri, ut minister externe patefaciat intentionem suam, quâ velit effectum suum habere Sacramentum; idque hanc ob causam, quia *in verbis quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ.* Quod etiam clarius confirmatur ex iis, quæ Art. X scribit S. Thomas, ubi ad propositam quæstionem, num in ministro recta intentio requiratur, ut valeat Sacramentum, ita respondet: *Intentio ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius Sacramenti, puta quum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; et talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat*[7]. Aliter autem res se habet (inquit S. Doctor), si minister intendat quidem conficere Sacramentum, sed in malum finem, v. g. ad maleficiorum abusum[8]. Notentur verba: *quum aliquis non intendit sacramentum conferre;* S. Thomas igitur omnino requirit ministri intentionem conferendi Sacramentum, ut valide conferatur. Aliud porro est, inquit, si conficiendi intentio adest, quamvis perversa sit intentio. Ergo totam distinctionem in hoc reponit, habeatne minister an non habeat intentionem conficiendi Sacramentum. Et alibi (op. 5) expresse dicit Angelicus: *Si minister... non intendit sacramentum conferre, non perficitur sacramentum*[9].

Respondetur.

Confirmatur.

c Propositio ab Alex. VIII condemnata.

30. Accedit Propositio XXVIII, ab Alexandro VIII damnata: *Valet bapti-*

[1] De Sacram. in genere, lib. I, cap. 27. — [2] Lib. IX, cap. 6, n. 2. — [3] *Joan.*, XX, 23. — [4] III[a], qu. 64, art. 8. — [5] L. c., ad 2[m]. — [6] Clypeus *Thomisticus*, De Sacram. in communi, disp. 6, art. 2, § 2, n. 25. — [7] L. c., art. 10. — [8] L. c. — [9] Opusc. 5 (al 4), De Articulis Fidei et Eccl.æ Sacramentis.

smus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit ecclesia [1]. Dicunt adversarii, condemnationem hanc nihil obstare, quum propositio etiam intelligi posset de ritu externo jocoso. At respondetur 1um ritum jocosum a Tridentino jam fuisse damnatum; quare inutilis erat hæc altera damnatio. Respondetur 2° relatam propositionem non fuisse hæreticorum, sed auctorum Catholicorum, præcipue Joannis Marii *Scribonii* [2], qui seriam, non jocosam intelligebat administrationem: et hæc est opinio damnata. Hac condemnatione saltem valde debilitatam fuisse Catharini opinionem, sapienter advertit Benedictus XIV [3], et concludit, etiamsi opinio illa esset probabilis, sacerdotem tamen certo peccare, si secundum *Catharini* sententiam Sacramentum conferret; ipsum enim Sacramentum dubium remaneret, et certe sub conditione foret repetendum.

Objicitur.

Respondetur.

Quid dicat *Benedictus XIV.*

31. Ad incommoda autem, a Catharino opposita, *Pallavicinus* [4] respondet, etiamsi non esset necessaria intentio ministri, ex aliis tamen capitibus eadem occurrere incommoda. Sic in administrandâ Pœnitentiâ sacerdos, voce submissâ absolvens, facile vocem essentialem omittere potest, adeoque ad hoc Sacramentum accedentes in suis peccatis omnes relinquere. Idem facile fieri potest a Parochis, Baptismi formâ malitiose corrumpendâ; ex quo vitio, quum Baptismus reliquorum omnium Sacramentorum sit ostium, sequeretur, invalidas esse multas absolutiones sacramentales et sacerdotum ordinationes. Ideo ad divinam Providentiam confugere oportet, quæ arcet ejusmodi casus, tot animabus tantopere perniciosos. Idque eo magis, quod ejusmodi sacrilegia nullum temporale emolumentum afferant ei, qui talia perpetrare vellet. Præterea quum de Baptismo agitur, omnium Sacramentorum maxime necessario, non desunt theologi antiqui et recentes, ut *Alexander Halensis* [5], *Gabriel* [6], *Durandus* [7], qui cum S. Thomâ [8] docent, in ejusmodi eventibus, ipsum Deum supplere in infantibus, in adultis vero supplere eorum fidem et Baptismi desiderium. Tunc autem, inquit *Pallavicinus* [9], gratia non ex vi Sacramenti neque ex divinâ promissione infunderetur, sed ex solâ Dei misericordiâ, qui tunc non permitteret, ut fiducia nostra propter ministrorum nequitiam deluderetur.

Solvitur *Catharini* difficultas.

32. Canone XII dicitur: *Siquis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Can. XII. De statu gratiæ in ministro.

33. Hunc errorem, olim Donatistarum [10], strenue deinde propugnavit Joannes *Wiclef* [11]. At certo falsum est: primum, quia Sacramentorum præcipuus auctor est Jesus Christus, ut ait S. Joannes (I, 33): *Hic est, qui baptizat in Spiritu-Sancto;* unde, dummodo minister peragat omne

Error hæreticorum.

[1] 7 Dec. 1690. — [2] *Pantalithia* seu Summa totius Veritatis Theologicæ *Joannis Marii Scribonii*, Ord. FF. Min. (*Parisiis*, 1620); *Theosimia* seu de Sacramentis, Disput. I, quæst. VI et VII (*a*). — [3] De Synodo Diœces., lib. VII, cap. 4, n. 8 et 9. — [4] Lib. IX, cap. 6, n. 4. — [5] Summa Theol., pars 4, qu. 8, membr. 3, art. 1, § 1. — [6] In Sent. lib. IV, dist. 6, qu. 1, art. 3, dub. 2. — [7] In Sent. lib. IV, dist. 6, qu. 2, n. 12. — [8] 3a, qu. 64, art. 8, ad 2m. — [9] L. c., n. 6. — [10] Cfr. *S. Augustin.*, De Baptismo contra *Donatistas*. — [11] Sermones, secunda pars, Sermo 6; — De Sermone Domini in monte, secunda pars, cap. 44 (Apud *Thom. Waldensem*, de Sacramentis, cap. 3 seqq.). — Item cfr. Concil. *Constantiense*, Sess. 8.

(*a*) Quæstionem VI (*Utrum requiratur intentio*) ita quidem concludit: *In ministro Sacramentum conferente necessario requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia;* at in quæstione VII (*Quænam sit intentio faciendi quod facit Ecclesia*), inter internam atque externam intentionem distinguit, multisque argumentis hanc probandam suscipit sententiam: *Minister per intentionem internam, ipsi Ecclesiæ non conformem, si habeat externam illi conformem, et faciat, quod ipsa facit, Sacramentum irritare non potest* (Nota edit.).

id, quod essentialiter ad sacramenti valorem requiritur, valet Sacramentum. Deinde, quia potestas administrandi Sacramenta potestas est jurisdictionis, quæ, quum concedatur in utilitatem non illius, qui potestatem accipit, sed ejus, qui suscipit Sacramentum, per ministri peccatum non amittitur.

Can. XIII. De ritibus.

34. Canone XIII dicitur: *Siquis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*

Ecclesia cæremonias statuere potest.

35. Non est dubium, quin Ecclesia potestatem habeat statuendi et mutandi ritus sive cæremonias, in Sacramentorum administratione adhibendas, ut ipsa Tridentina Synodus (Sess. XXI, cap. II) hisce verbis declaravit: *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesiâ fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Quæ tamen potestas solius est Ecclesiæ: unde merito vetuit, ne ritus mutarentur; secus, ut ait S. Augustinus, (Epist. 54; alias 118 [1]) novæ res, a ministris constitutæ, Ecclesiæ ordinem communemque pacem perturbarent.

DE BAPTISMO.

Can. I. De baptismo *Joannis.*

36. Canone I dicitur: *Siquis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit.*

Quid differat a baptismo Christi.

37. Nonnulli ex Tridentinis Patribus censebant, hunc Canonem iis verbis concipi non debere, quum ipsa Scriptura declaret, Joannis baptismum etiam datum fuisse in remissionem peccatorum; quod ideo fortasse dixerunt, quia S. Lucas de S. Joanne Baptistâ scripsit: *Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* [2]. Quibus alii responderunt cum auctoritate SS. Patrum, qui docent, Joannis baptismum fuisse in remissionem peccatorum non suâ virtute, sed secundum spem in Christi baptismum, cujus erat præparatio et figura. Quod sane ipse Baptista his verbis significavit: *Ego quidem aquâ baptizo vos: veniet autem fortior me... ipse vos baptizabit in Spiritu-Sancto et igni* [3].

Can. II.

38. Canone II dicitur: *Siquis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi — « nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu-Sancto » — ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Hoc statuitur contra errorem plurium hæreticorum atque etiam *Lutheri*, qui interrogatus, num deficiente aquâ baptismum lacte aut cerevisiâ conferri liceret: *Quidquid balnei nomine nuncupari potest*, respondit, *illud est aptum ad baptizandum* [4]. Sed lacte vel cerevisiâ balnea utique parari possunt; ejusmodi tamen materia ad baptismum certo non est apta.

Aqua sola, Baptismi materia.

Can. III.

39. Canone III dicitur: *Siquis dixerit, in Ecclesiâ Romanâ, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.*

Can. IV.

40. Canone IV: *Siquis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

Male argumentatur *Suavis.*

41. Dicit *Suavis* [5], antiquitus in Ecclesiâ non fuisse iterum baptizatos, qui ab hæreticis Baptismum suscepissent; atque id recte quidem; at falso deinde tamquam rationem adducit, usos non fuisse hæreticos materiâ et formâ, quæ nunc ab Ecclesiâ essentiales reputantur, quia primis illis temporibus nulla esset de ma-

[1] Ad *Januarium*, cap. 5. — [2] *Luc.*, III, 3. — [3] Ibid., v. 16. — [4] Colloquia Symposiaca (*Tischreden*), cap. 17. — [5] L. c., « *Dell'ultimo articolo* ».

teriâ et formâ notitia. Ratio prorsus falsa. Quodsi *Suavis* hisce verbis significare velit, veteres ipsa materiæ ac formæ vocabula non cognovisse, id nihil ad rem pertinet; nam satis est, cognovisse eos substantiam rei, quæ iis vocabulis significatur. Sin autem dicere velit, primis illis temporibus nota non fuisse ea Baptismo essentialia, quæ nunc materiam et formam nominamus, valde temerarium se præbet, tantam in antiquis fingendo ignorantiam, ut ne Evangelii quidem notitiam haberent, quo aperte docemur, aquam esse Baptismi materiam, formam autem hæc verba: *Ego te baptizo in nomine, cet.*

Unde cognoscatur Baptismi forma.

42. Quoad formam vero notat Bellarminus [1], ex solo Evangelio non posse evidenter colligi, veram Baptismi formam constitui his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti;* sed præterea recurrendum esse ad traditionem et ad auctoritatem Ecclesiæ, quæ illud declaravit.

Can. V.

43. Canone V dicitur: *Siquis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Quodnam in Antiqua Lege parvulis esset remedium.

44. Duo fuerunt in Concilio in disputationem adducta: primum, quodnam esset in antiquâ lege remedium saluti parvulorum in infantiâ morientium. Pronuntiaverat *Lutherus* in Libro disputationum [2], statim post Adae peccatum instituta fuisse Sacramenta, gratiam conferentia. Quam propositionem plures Theologi minime damnandam putarunt, quoad salutem parvulorum; quum S. Augustinus [3] scribat, credi oportere, quovis tempore adhibitum a Deo fuisse remedium aliquod infantibus, ne omnes, qui in eâ ætate morerentur, damnatione perirent: hoc autem remedium, quum non tribueretur eorumdem infantium merito, requireret tamen (multorum judicio) oblationem aliquam sensibilem, rationem Sacramenti habere videbatur, ut plures Scholastici censebant. Itaque consultius visum est, eam quæstionem non dirimi; ita *Pallavicinus* [4].

Sitne in Nova Lege remedium parvulis, in utero matris morientibus.

45. Alterum quod disputarunt, fuit, num damnanda esset opinio *Cajetani*, existimantis aliquod inter Christianos esse debere remedium infantibus, qui in utero matris moriantur; quapropter asserebat, reprehendendum non esse eum, qui periclitantibus in utero materno infantibus benedictionem in nomine SS. Trinitatis daret. *Quis novit*, adjungebat, *an divina Misericordia hujusmodi Baptismum in voto parentum acceptet? — Seripandus*, ut hanc opinionem a censuris vindicaret, secus fidem apud antiquos efficaciorem fuisse ajebat quam apud nos; quum S. Gregorius [5] dicat, tunc fidem effecisse, quod nunc efficit Baptismi aqua. Si ergo tunc parentum fides justificabat parvulos, credendum non esse, eam idem operari non posse, postquam viam salutis dilatavit Jesu Christi redemptio. Sed nec necessarium judicavit Concilium, de hoc articulo aliquid statuere, quum ad doctrinam de Baptismo non pertineret. Ceterum Dominicus Soto [6] ut hæreticalem errorem eum reprehendit; et S. Pius V eum articulum ex opere Cajetani expungi jussit. Asserere enim cæli aditum ei patere, qui et Baptismo et Baptismi voto careat, manifeste opponi videtur verbo Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu-Sancto, non potest introire in*

[1] De Sacram. Baptismi, lib. I, cap. 3. — [2] Disputationes a° 1520; quæstio circularis de signis gratiæ, n. 2. — [3] Contra *Julianum Pelagian.*, lib. V, cap. 11, n. 45. — [4] Lib. IX, cap. 8, n. 1. — [5] Moralia in *Job*, lib. IV, cap. 3. — [6] In Sent. lib. IV, dist. 5, quæst. unica, art. 2 et 11 (*a*).

(*a*) Ita *Pallavicinus, Storia d. Conc.* lib. IX, cap. 8, n. 4. En ipsa Dominici verba: *Hæc autem Dei supplementa*, inquit (art. 2),... *non solum temere et absque ulla prorsus ratione asserta, immo præter sententiam Evangelicam, et nonnumquam contra.* Et art. 11: *Ut singularis ejus (Cajetani) est (opinio), ita vix potest a temeritate defendi* (Nota edit.).

regnum Dei [1]. — *Seripando* respondetur, facilius nunc esse aquam haberi et voluntatem baptizandi, quam olim veram fidem, quæ juxta communem sententiam, satis non erat ad infantium salutem priusquam nascerentur. Neque Gerson [2] dubitavit asserere, aliquando præsumi posse, Deum ob parentum preces a baptismo dispensare; sed respondetur, non eo progrediendum esse, ut credamus, Deum eiusmodi uti misericordiâ ultra terminos, ab ipso in Scripturâ revelatos, sed Eum solummodo sequi cursum naturalium causarum.

Can. VI. **46.** Canone VI dicitur: *Siquis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.* Hic Canon respondet Canoni 23° Sessionis VI de Justificatione.

Can. VII. **47.** Canon VII: *Siquis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.* Respondet hic Canon Canoni 19° Sessionis VI.

Can. VIII. **48.** Canone VIII: *Siquis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.* Hic Canon respondet Canoni 20° Sessionis VI.

Can. IX. **49.** Canone IX: *Siquis dixerit, ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi baptismo, anathema sit.*

Ratio ita loquendi. **50.** Ideo adjecta fuerunt verba: *Vota omnia, quæ post baptismum fiunt,* quia considerarunt Patres, quum probabilis sit et ratione innixa opinio, religiosâ professione omnia vota, eam præcedentia, deleri; îdem sentiri posse de votis ante Baptismum susceptum emissis.

Can. X. **51.** Canone X dicitur: *Siquis dixerit, peccata omnia quæ post baptismum fiunt, solâ recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti vel venialia fieri, anathema sit.*

Can. XI. **52.** Canone XI: *Siquis dixerit, verum et rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, quum ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.*

Can. XII. **53.** Canone XII: *Siquis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi eâ ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.*

Can. XIII. **54.** Canone XIII: *Siquis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea quum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in solâ fide Ecclesiæ, anathema sit.*

Can. XIV. **55.** Canone XIV: *Siquis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, quum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos nec aliâ interim pœnâ ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.*

De modo baptizandi: Immersio vel infusio. **56.** Scire expedit, usum conferendi Baptismum per trinam immersionem a temporibus Apostolorum ad XIV^{um} sæculum viguisse, ut refert P. *Chardon* [3]. Unde S. Thomas (qui vixit sæculo XIII°) culpâ

[1] *Joan.*, III, 5. — [2] Sermo de Nativit. *B. M. V.*, consideratio 2. — [3] *Storia dei Sacramenti; Del Battes, lib. I, cap. 11. (Gallice: Hist. des Sacrem., liv. I, p. 2, ch. 3)* (*a*).

(*a*) *Carolus Chardon*, O. S. B., Sacramentorum Historiam Gallice conscripsit. Postmodum *Veronæ* itemque *Brixiæ* Italice prodiit, Capitum numeris valde mutatis. Nos cum S. Alphonso Italicam versionem sequimur. Gallice reperitur in *Theologiæ Curs. Complet., J. P. Migne,*

gravi arguebat eum, qui non baptizaret per immersionem [1]. Quod quidem fiebat toto corpore in aquam immergendo. Mulieres autem alio ac viri tempore et loco baptizabantur; introeuntes porro baptisterium indeque emergentes mulieres a matrinis, a patrinis viri linteo vestimento tegebantur, a baptizatis deinde in beneficii memoriam religiose asservato; quod quidem vestimentum *Sabanum* (*a*) vocabatur. Suâ vero ætate S. Gregorius [2] Hispanis permisit, ut per infusionem baptizarent; unde ex eo tempore immersioni infusio substitui cœpit, idque pluribus de causis, præcipue ob damnum, parvulis per immersionem illatum. Recte tamen putat P. *Chardon* [3], antiquitus identidem infusionem fuisse adhibitam, ut quum baptizandi essent moribundi vel martyres in carcere retenti. Et S. Cyprianus [4] (apud eumdem auctorem, loco citato), a quodam Episcopo interrogatus, num Christiani essent vocandi, qui solum adspersi fuissent aquâ, respondit, eos esse vere Christianos.

Baptismum rejecerunt *Gnostici* et *Manichæi.*

57. Juvat plura hic de Baptismo adjicere, quorum alia utilia, alia scitu sunt necessaria. Inter hæreticos, qui Baptismi veritatem oppugnarunt, fuerunt Gnostici, qui quamlibet rem sensibilem rejiciebant; et sæculo tertio Manichæi, quum asserent, a malo principio provenisse aquam. Paulianistæ et nonnulli Ariani mutilandâ trium divinarum Personarum invocatione, Baptismi formam corruperunt. Genuinam formam fuisse cum distinctâ trium divinarum Personarum invocatione, ex traditione liquet, ut testantur (apud Chardon [5]) S. Justinus [6], Tertullianus [7], S. Basilius [8], cet.; quapropter Nicæna Synodus [9] declaravit, irritum esse Baptismum, aliâ formâ collatum. *Tournely* in Tractatu *de Baptismo* [10] cuncta diluit, quæ contra dicunt increduli ob nonnulla quorumdam Patrum effata, quibus aliud asserere videntur; nominatim solvit dubium ortum ex S. Ambrosii [11] verbis, et demonstrat, ibi S. Doctorem non de Baptismi formâ, sed de professione loqui, quam emittebant Catechumeni. Aliam porro Græci, aliam Latini formam adhibent. Græci dicunt: *Servus Dei baptizatur* (sive *baptizetur) in nomine Patris amen, et Filii amen, et Spiritus-Sancti amen*, quæ quidem forma Græcis certo valida est, ut Eugenius IV [12] in Decreto ad Armeniorum

De forma Baptismi.

Forma apud *Græcos.*

[1] 3ª, qu. 66, art. 7 et 8. — [2] *S. Greg. Magn.*, Epistolar. lib. I, Ep. 43 (al 41), ad *Leandrum* Epᵐ. — [3] L. c. — [4] Ep. 76, ad *Magnum*, n. 12. — [5] L. c., cap. 13. — [6] Apologia 1 (al 2), n. 61. — [7] De Baptismo, cap. 13. — [8] De Spiritu-Sancto, cap. 24. — [9] Nicæn. I, Can. 19 (*b*). — [10] Præl. theol. De Bapt., qu. 1, art 4, concl. 5, obj. 3. — [11] De Spiritu-Sancto, lib. I, cap. 3. — [12] Decret. pro unione *Armeniorum.*

---

tom. 20. Italus Interpres lectorem monet: *Le tante suddivisioni... ho procurato di ridurre a quel metodo, che più alla naturalezza del parlar Italiano si accomodi.* Quocirca uncinis inclusum adjicimus locum ex Gallicâ editione desumptum. Adnotationes autem, quæ nonnumquam a *S. Alphonso* citantur, in textu Gallico non reperiuntur, sed ab Italo interprete confectæ sunt (Nota edit.).

(*a*) *Sabanum*, quod solitâ litterarum *b* et *v* permutatione etiam *savanum* scribitur (Cfr. Totius Latinitatis Lexicon *Ægidii Forcellini*), peregrina vox est vel Græca vel Hispanica. « Quum late diffusa sit (vide l. c.) ac pluribus » linguis frequentata, difficile est admodum, » unde primum manaverit, indagare... Saba- » num proprie est linteum seu pannus ad ter- » gendum aut fricandum aut tegendum invol- » vendumve... Ita nunc... utuntur sabano Tur- » cæ, qui Venetiis degunt, quodque nos vulgo » *Scial* et Galli *Châle* vocant ». — Vide etiam *Migne*, Patr. Lat. tom. 89, col. 1183: *S. Pauli Pap. I* epist. 6, ad *Pippinum* regem, quâ gratias agit de misso ad se *sabano*, in quo Pippini filia « sacratissimo lavacro abluta » suscepta fuerat (Nota edit.).

(*b*) Decrevit enim, rebaptizari omnino debere, qui a Paulianistis baptizati essent. Porro baptisma, ab iis collatum, qui Paulum Samosatenum sequebantur (ita *Severinus Binius* in hunc canonem), non erat *formâ eâdem, quâ utitur Ecclesia, per expressam scilicet S. Trinitatis invocationem... administratum* (Nota edit.).

Apud Latinos.

instructionem approbavit. Latinorum forma ea est, quæ in Rituali habetur: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti, amen.* Verba: *In nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti*, certo essentialia sunt et necessaria, utpote ab ipso Christo præscripta: *Euntes... docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti* [1]. Quocirca S. Augustinus: *Quis nesciat*, inquit, *non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* [2] Hæc alia verba: *ego te baptizo*, dixerunt veteres nonnulli auctores sæculi XII[i], ut Magister Sententiarum [3], Præpositivus [4], Petrus Cantor [5], cet. non semper a baptizantibus in Ecclesiâ fuisse adhibita, quum juxta eos Baptismus valeat, his tantum verbis prolatis: *In nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti, amen.* Alii dicunt, verba: *ego te baptizo*, semper fuisse ad essentiam requisita. Sed Jueninus [6] probat, ea semper et essentialia et adhibita fuisse, ut colligitur ex Alexandri III Cap. *Siquis; de Baptismo*, ubi dicitur: *Siquis... puerum ter in aquâ immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti, amen; et non dixerit*: EGO BAPTIZO TE,... *non est puer baptizatus* [7]. Præterea, anno 1690 ab Alexandro VIII damnata est propositio: *Valuit aliquando baptismus sub hac formâ collatus:* IN NOMINE PATRIS, *cet. prætermissis illis:* EGO TE BAPTIZO [8]. Necessaria quoque est particula *te*, ut recte scribit Jueninus [9]; non item vero *ego* et *amen*, quamquam sine culpâ omitti nequeunt (*a*). Validum quidem conferret Baptismum, qui pro: *baptizo*, diceret, *abluo, lavo* vel aliquid simile; sed neque illud peccati excusationem haberet.

Objicitur Act. II et VIII.

58. Objicitur, olim Baptisma collatum fuisse in nomine Christi, juxta hæc Act. (II, 38): *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi;* et hæc alia (VIII, 12): *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.* Respondetur, illa verba: *in nomine Jesu Christi* designare, eos fuisse baptizatos non baptismo Joannis, sed baptismate, a Jesu Christo instituto, ut S. Augustinus respondet: *In nomine Jesu Christi*, inquit, *jussi sunt baptizari, et tamen intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti. Cur non sic audis de Filio Dei:* OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT, *ut et non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum-Sanctum?* [10] Neque obstat, Nicolaum I, Summum Pontificem, Bulgaris respondisse, baptizatos a quodam Judæo vere esse baptizatos: *si in nomine S. Trinitatis vel tantum in Christi nomine (sicut in Actibus Apostolorum legimus) baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos* [11]. Respondetur enim, Nicolaum Papam non de Baptismi formâ sed de solo ministro fuisse interrogatum; quapropter de Baptismi formâ non ex professo, sed obiter tantum egit: *A quodam Judæo*, inquit, *nescitis utrum Christiano an pagano, multos in patriâ vestrâ baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis* [12]. At reponunt, docuisse S. Ambrosium, ad Baptismum satis esse unius Trinitatis personæ invocationem: *Qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Deum Pa-*

Respondetur.

Instant.

Respondetur.

Instant.

[1] *Matth.*, XXVIII, 19. — [2] De Baptismo, contra *Donatistas*, lib. VI, cap. 25. — [3] Sent., lib. IV, dist. 3, n. 2. — [4] Summa theol., 4 pars (numquam typis expressa). Apud *Juenin.*, de Sacram., diss. 2, de Bapt., qu. 4, cap. 3, art. 2. — [5] Summa de Sacramentis (numquam typis edita). Apud. *Juen.*, l. c. — [6] Inst. theol. De Baptismo, qu. 3, cap. 2, concl. 1 et 2, — [7] Decretal. lib. III, tit. 42, cap. « *Si quis* ». — [8] Prop. 27 damn. 7 Dec. 1690. — [9] L. c., quæstio 3, cap. 2, quær. 1. — [10] Contra *Maximinum*, lib. II, cap. 17, n. 1. — [11] Can. « *A quodam Judæo* », 24. De Consecratione, dist. 4. — Ep. 97, ad *Bulgaros*, n. 104. — [12] L. c.

(*a*) Olim plura quidem Ritualia illam particulam *amen* habebant; item in Cap. *Siquis*, de Baptismo (*Alexandri III*) legitur [lib. III, tit. 42], licet non in omnibus codicibus; atvero in *Rituali Romano* deest (Nota edit.).

trem, a quo unctus est Filius; et ipsum, qui unctus est, Filium; et Spiritum, quo unctus est, designasti[1]. Respondetur, S. Ambrosium ibi non agere de formâ Baptismi, sed de solo ejus effectu, quem singulis Trinitatis personis tribuendum dicit; quibus probare vult, in operibus *ad extra* quidquid uni Personæ attribuitur, ceteris quoque attributum censeri.

Respondetur.

De Baptismi effectu.

59. Præterea notandum est, baptizatum (juxta constantem SS. Patrum et Ecclesiæ persuasionem) omni et culpâ et pœnâ solutum manere, ad statum puræ innocentiæ revocatum, ita ut tum decedens illico cælum ingrederetur. Quam ob causam, inquit *P. Chardon*[2], multi Baptismum usque ad mortem differebant, persuasum habentes, quocumque reatu immunes se futuros, si, Baptismo post peccatum suscepto, mortem obirent. Petrus Lombardus[3] asseruit, parvulos baptizatos non per justitiam intrinsecam esse justos, sed per amorem, quem Deus erga eos habet; quæ tamen Lombardi imputativa justitia communiter a Theologis est rejecta ad exemplum Concilii Tridentini, quod (Sess. VI, can. XI) condemnat eum, qui diceret, hominem justificari non per gratiam intrinsecam, a Deo illi impertitam, sed per extrinsecam Jesu Christi justitiæ imputationem.

Falsa *Lombardi* sententia.

Siquis autem in peccato, quod nondum detestatur, Baptismum susciperet, ubi postea illud detestatus fuerit, remittentur ei omnes culpæ admissæ; tunc enim reviviscet Sacramentum et effectum habebit, tamquam si a principio cum debitâ dispositione fuisset susceptum.

Hoc Sacram. reviviscit.

60. Præterea sciendum est, etiam antiquitus, quum aliquod notabile dubium esset de valore baptismi cujusdam parvuli, iteratum fuisse baptismum, ut contra nonnullos, illud negantes, probat P. *Martene*[4], monstrando, ita jam inde plus quam octingentis annis fuisse factum. Notum quoque est, baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos, ut contra S. Cypriani sententiam declaravit Stephanus Papa[5] et postea quoque definivit Concilium Nicænum I[6]. S. Augustinus[7] porro scribens contra Donatistas, qui ab hæreticis baptizatos denuo baptizabant, singulas a S. Cypriano oppositas difficultates resolvit.

De Baptismi iteratione.

Ab hæreticis baptizati non rebaptizantur.

61. Usque ad sæculum V vel VI soli Episcopi conferre Baptismum solebant; ita *P. Chardon*, cap. XVII [*Gall., l. c., ch. 9*]; unde refert idem auctor, Cardinales usque ad sæculum XII a Summo Pontifice petivisse licentiam baptizandi, etiam in ecclesiis, quarum gerebant titulum. Quum deinde ruricolæ quoque fidem sequerentur, necesse fuit etiam sacerdotibus permitti, ut in suis titulis baptizarent; quod quidem circa nonum sæculum factum est. Probabiliter tamen, ut ait quidam auctor[8], Episcopi fuerunt Baptismatis ministri ordinarii, donec solos adultos baptizandi usus viguit; non vero postea, quum etiam parvuli baptizari consueverunt. Apud Latinos minime dubitari ait *Tillemont* (tom. IX, Hist.[9]), quin si qua necessitas adsit, etiam laici pos-

De Ministro Baptismi.

Etiam laici baptizare possunt.

De Spiritu-Sancto, lib. I, cap. 3, n. 44. — [2] *Storia, lib. I, cap. 15 (Gallice: liv. I, sect. 1, p. 1, ch. 3)*. — [3] Sent. lib. I, dist. 17, n. 10 seq. — [4] De Antiquis Eccl.æ Ritibus (tom. 1), lib. I, art. 16, n. 9 et 10. — [5] Apud *S. Cyprian.*, Epist. ad *Pompejum*, n. 2. — [6] Can. 19 (*a*). — [7] De Baptismo contra *Donatistas*, passim. — [8] *P. Angel. di Vic.*, Erud. Eccl. sop. i Sacr., cap. 6, art. 1 (Apud *Chardon* [vers. Italica], lib. I, cap 17, annot. 59). — [9] Mémoires pour servir à l'hist. Eccl., tom. 9, S. Greg. de Nazianze, art. 9.

(*a*) Quandoquidem non de omnibus hæreticis, sed de iis tantum, qui *Pauli Samosateni* hæresim secuti essent, si ad Ecclesiam Catholicam accederent, *ut ii omnino rebaptizentur*, constituit. « In fide enim S. Trinitatis » (inquit *Severinus Binius* in hunc canonem), « quod » necessario fieri debet, haud dubie non baptizarunt, qui Christum purum hominem esse docentes, gloriosissimæ Trinitatis mysteria abnegarunt ». Vide etiam (*b*) pag. 545 (Nota edit.).

sint baptizare, juxta communem Ecclesiæ doctrinam unà cum Tertulliano [1], S. Hieronymo [2] et S. Augustino [3]; in Ecclesiâ Græcâ vero videri S. Basilium [4] cum S. Cypriano [5] dubium illud habuisse: subjungit tamen ideo fortasse in extremis baptizandi facultatem laicis non fuisse significatam, ne facultate abuterentur. Scribit autem P. *Chardon* [6], ipsos etiam Græcos decursu temporis ejusmodi dubium deposuisse, et admisisse, pro rei necessitate omnes posse baptizare.

De Cæremoniis.

62. Consuetudo ungendi verticem cum chrismate antiquissima est, ita ut Innocentius I in Decretali ad Eugubinum Antistitem [7], licet non fuerit consuetudo universalis, ejus mentionem jam fecerit: antiquissima quoque fuit cæremonia porrigendi neophytis candelam accensam, ut commemorant S. Ambrosius [8] et S. Gregorius Nazianzenus [9].

Aliæ nonnullæ consuetudines.

63. Adulti olim, ubi de sacro fonte exierant, sancto chrismate in fronte confirmabantur; tum vero Missarum solemniis assistebant, inter quæ reficiebantur Communione; cujus quidem rei mentionem facit S. Augustinus (Serm. 227 [10]), et secundum Rituale Romanum ad sæculum XII vel XIII hic usus perstitit. Testatur P. Chardon, cap. XVIII [Gall., l. c., ch. 11], orientalibus his quoque temporibus eam esse consuetudinem. Parvulis post susceptum Baptismum non conferebatur Eucharistia, ne eam respuerent; sed, ut refert S. Cyprianus [11], parum vini consecrati ipsis porrigebatur. Sæculo XII° autem, ex Hugonis a S. Victore [12] consilio, ut cuilibet incommodo occurreretur, solebat Sacerdos digitum, sacro Sanguine tinctum, in parvuli os sugendum immittere, interim dicens: *Corpus et Sanguis Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Quâ ex re infert auctor Adnotationum in Historiam Patris Chardon (nota 66), ab eo tempore jam viguisse fidem, unam solam speciem utrumque continere.

DE CONFIRMATIONE SIVE UNCTIONE CHRISMATIS.

Can. I.

64. Canone I dicitur: *Siquis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

Can. II.

65. Canone II: *Siquis dixerit, injurios esse Spiritui-Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.*

Can. III.

66. Canone III: *Siquis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Cur dictum sit *ordinarium.*

67. Quoad vocem illam *ordinarium*, huic Canoni insertam, notetur voluisse aliquos, hunc articulum omitti, quum ex Synodo Florentinâ constet, Summos Pontifices meris identidem Sacerdotibus indulsisse, ut cum Chrismate, ab Episcopo consecrato, Confirmationem conferrent. Item constat, S. Gregorium [13] Calaritano Episcopo scripsisse, Sacerdotibus illud se permittere in iis regionibus, ubi non adessent Episcopi. Contrà vero, quod ad concilii Florentini auctoritatem attinet, respondit *dei Nobili*, Acciensis Episcopus, factum ibi narrari, non definiri articulum; se autem sentire, Sacramentorum ministros, a Christo delegatos, non posse mutari. Idem putarunt Durandus [14], Major [15]

[1] De Baptismo, cap. 17. — [2] Dialogus contra *Luciferianos*, n. 9. — [3] De Baptismo contra *Donatistas*, lib. VII, cap. 53. — [4] Ep. 188, ad *Amphilochium* de Canonibus, Can. 1. — [5] Saltem *S. Basilius* (l. c.) commemorat *S. Cyprianum* (Nota edit.). — [6] Storia, lib. I, cap. 17 (*Gall., sect. 1, p. 2, ch. 9*). — [7] Ep. 25, ad *Decentium*, Ep.m *Eugubinum*, cap. 3. — [8] De Lapsu Virginis, cap. 5. — [9] Orat. 40, In S. Baptisma, n. 46. — [10] Alias, de Diversis, 83. — [11] De lapsis, n. 25. — [12] De Cærimoniis, lib. I, cap 20. — [13] *S. Greg. Magn.*, Epistolar. lib. IV (al III), Ep. 26, ad *Januarium*, Ep. *Calarit.* — [14] In Sent. lib. IV, dist. 7, qu. 4. — [15] *Joann. Major.* In Sent. lib. IV, dist. 7, «Secundo arguitur».

et etiam Adrianus VI [1]. Cui tamen sententiæ adhæsit Adrianus VI, priusquam esset Summus Pontifex; in Pontificatu enim dispensationem hac in re concessit Franciscanis in Indiis; cujus privilegii legitimum exemplar in S. Francisci Cœnobio Hispali asservatur. Idem quoque privilegium Ordini Minorum concessum fuit a Joanne XXII [2], Nicolao V [3], Eugenio IV [4] et Leone X [5], ac nuper a Benedicto XIV (in Bulla « *Eo quamvis tempore* », 4 Maji 1745).

Delirat *Suavis.*

68. Quâ in re *Suavis* [6], Concilio detracturus, mirum videri ait, quod in unâ S. Gregorii Epistolâ niteretur: quæ si casu periisset, oppositum judicasset Ecclesia. At respondetur, huic Gregorii facto conformari et usum subsecutum et consuetudinem jam pridem receptam in Orientis Ecclesiâ, ubi Sacerdotes post collatum Baptismum infantes confirmare pergunt; cujus rei mentionem facit Petrus *Arcudius* (in libro II *De Concordiâ* [7]). Neque officit *Suavis* [8] responsio, sexcentorum annorum spatio, usque ad S. Gregorii ætatem, nullam hac de re in libris habitam fuisse mentionem. Primum enim constat, hujus rei mentionem fecisse et veterem illum auctorem libri, qui S. Augustino adscribitur, *Quæstion. Veteris et Novi Testamenti, quæst. 101*, et alium antiquum scriptorem Commentariorum, qui S. Ambrosio tribuuntur, super Epistolâ S. Pauli ad Ephesios, in cap. 4, v. 11 et 12. Præterea respondetur, primævis sæculis plura non fuisse litteris mandata, sed per traditionem posteris exhibita; eamque ob causam hæreticos, negandâ traditione, plura fidei dogmata negasse. Nec fas est suspicari S. Gregorium, tantæ doctrinæ virum; hac in re dispensasse sine sufficienti aut Scripturæ aut Traditionis documento. Quibus positis, sapienter Concilium illi Canoni adjecit vocem *ordinarium*, jam antea a Florentino pariter usurpatam.

Instant.

Respondetur.

Traditionis necessitas.

69. Itaque in Ecclesiâ Occidentali constanter hoc servatum est, ut a solis Episcopis administraretur Confirmationis sacramentum. Olim Chorepiscopi quoque confirmabant; ii videlicet qui vere consecrati erant Episcopi: ceteri quippe non erant nisi simplices Sacerdotes. Confirmandi privilegium nonnullis etiam Abbatibus concessum reperitur, ut abbati Montis Cassini et aliis. Ceterum, Innocentius I in epistolâ ad Decentium expresse vetuit, ne sacerdotes vel ipsos parvulos confirmarent: *De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere* [9]. Quod idem præscripsit Gelasius Papa [10]. Ita quoque sanxerunt Concilium Constantiense [11], quum vicesimum octavum articulum *Wiclefi* damnaret, et Synodus Florentina [12], et Tridentina denique, canone III, suprà relato. Si vero legitur, Sacerdotes unxisse, hoc intelligendum est vel de Extremâ Unctione, vel de unctione in vertice, vel de eâ, quæ olim hæreticis ad fidem conversis conferebatur. Hoc unum conceditur, presbyteris sæpius concessum fuisse, ut essent extraordinarii Confirmationis ministri, quemadmodum superius diximus de sacerdotibus Sardiniæ, et Adrianum VI Missionariis Franciscanis permisisse novimus; quod idem privilegium Benedictus XIV [13] Custodi Terræ Sanctæ indulsit. Hoc tamen fieri nequit nisi ex peculiari Summi Pontificis dispensatione; aliter Confirmatio non solum illicita, sed etiam invalida esset, ut scribit Benedictus XIV [14]. In Oriente vero, etiam ante Nestorianam hæresim, invaluit mos, ut confirmarent Sacerdotes. Quæ consuetudo Alexandriæ in Ægypto orta, in ceteras

De Ministro in Occidente. Episcopus.

Abbas ex privilegio.

Sacerdos ex privilegio.

Quæ consuetudo in Oriente.

[1] In Sent. lib. IV; De Sacram. Confirm., art. 3. — [2] « *Cum hora* », 30 Sept. 1433 (ap. *Wadding*, a° 1447, n. 15). — [3] « *Ineffabilis* », 10 Febr. 1447 (*Wadd.*, l. c.). — [4] « *Sacræ Religionis* », 29 Jan. 1444 (*Wadd.*, 1444, n. 43). — [5] « *Alias felicis* », 25 Apr. 1521 (*Wadd.*, 1521, n. 2). — [6] Lib. II, a° 1547, « *Sopra l'ultimo articolo* ». — [7] Cap. 10 seq. — [8] L. c. — [9] Ep. 25, ad *Decentium*, Ep. *Eugubin.*, cap. 3. — [10] *Gelas. I*, Epist. 9 ad Ep.os *Lucaniæ*, cap. 6. — [11] Sess. 8, art. 28. — [12] Decr. pro unione *Armenior.* — [13] « *Cum ad infrascriptum* », 9 Jan. 1740. — [14] De Syn. Diœces., lib. VII, cap. 7, n. 2; cap. 9, n. 2, 4, seq.

deinde Orientis Ecclesias manavit, in quibus ad hæc usque tempora perstitit, et denique approbata fuit a tribus Pontificibus, Leone X, Clemente VII et Urbano VIII, qui declararunt, nihil molestari debere Græcos ob illum ritum adhibitum. Quâ in re Summi Pontifices videntur dispensatione uti voluisse, ne Ecclesia Græca a Romanâ scinderetur, quum nemo ignoret, suorum rituum quam tenaces sint Græci.

Unde cognoscatur hoc Sacram.

70. Alia quædam circa Confirmationis Sacramentum hic adjicere libet. Ex libris non apparet, ante *Lutheranos* et *Calvinistas* exstitisse, qui negarent hoc Sacramentum.

Ex Scriptura.

Sed quam apertissime nobis elucet ex Actibus Apostolorum (VIII, 14), ubi legitur, missos esse Petrum et Joannem, ut Spiritum-Sanctum (id est, hoc Sacramentum) conferrent Samaritanis, a Philippo Diacono jam baptizatis. Deinde

Ex traditione.

ex Apostolicis temporibus Confirmatio ab Episcopis administrari numquam fuit intermissa. *Apud nos geritur*, ita S. Cyprianus in Epistolâ 73ª, *ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum-Sanctum consequantur et signaculo Dominico consummentur* [1]. Ita quoque Tertullianus (*De Baptismo, cap. 7 et 8*): *Egressi de lavacro*, inquit, *perungimur benedicta* (olei) *unctione.... Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum-Sanctum.* Idem scripserunt S. Hieronymus [2], S. Hilarius [3], S. Augustinus [4] et alii. Idem liquet ex Sacramentario S. Gregorii [5], quod edidit *Menardus*, et ex autographis amanuensis Gelasii [6] Pontificis, qui abhinc plus nongentis annis vixit.

De materia Confirmationis.

71. Quod ad materiam Confirmationis attinet, certum est balsamum requiri *de necessitate præcepti*; num etiam *de necessitate Sacramenti*, probabiliter negant Sotus [7], Navarrus [8], Jueninus [9], Continuator Tournelii [10] aliique; idque colligunt ex *Cap. Pastoralis, de Sacram. non iter.*, ubi Innocentius III, interrogatus, num valeret Confirmatio, in solo oleo collata, respondit: *Non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum* [11]. Communius tamen affirmant Bellarminus [12], Gonet [13], auctor Theologiæ Petrocorensis (*Périgueux*) [14], Concina [15] et alii unà cum S. Thomâ [16] et Catechismo Romano [17]. Et probatur ex Concilio Florentino, ubi dicitur, Confirmationis materiam esse Chrisma *confectum ex oleo... et balsamo* [18]. Et ad oppositum textum respondetur cum Glossâ, ideo ibi dici *nihil iterandum*, quia *non dicitur iterari quod prius factum non fuit* [19]. Quæ responsio quum non plene persuadeat, prior opinio, ut ait Ferraris [20], (qui item aliquod sacræ Congregationis Concilii Decretum affert [21]), satis probabilis esse non desinit. Quum autem unctio sine balsamo saltem dubia sit, sub conditione certe est repetenda. Græci porro præter balsamum quadraginta etiam adjungunt species aromatum atque odoramentorum. Non legitur, primis quatuor

Quando conficiatur Chrisma.

sæculis ullum diem ad Chrisma conficiendum fuisse assignatum; quinto autem sæculo, Feriâ V in Cœnâ Domini confici cœptum est, atque hic usus ita deinde constitutus remansit, ut in Gelasii Sacra-

[1] Ep. 73, ad *Jubaianum*, n. 9. — [2] Dialog. contra *Luciferianos*, n. 8 et 9. — [3] Homil. in die Pentecostes (Bibl. M. V. Patr. inter Op. *Eusebii Gallicani*). — [4] De Trinitate, lib. XV, cap. 26, n. 46; de Bapt. contra *Donat.*, lib. III, cap. 16. — [5] *S. Greg. Magn.*, Liber Sacramentorum; Sabbato Sancto. — [6] Sacramentarium *Gelasianum*, lib. I, n. 44, 75. — [7] In Sent. lib. IV, dist. 7, qu. 1, art. 2. — [8] Manuale Confessarior., cap. 22, n. 8. — [9] Instit. theol. de Confirm., quæst. 2, concl. 2, quær. 2. — [10] Prælectionum theol. *H. Tournely* continuatio; de Confirm., cap. 3, art. 2, concl. 2. — [11] Decr. lib. I, tit. 16, cap. « *Pastoralis* » 1 (Regest. lib. VII, Ep. 169, ad Ep.^m *Eliensem*). — [12] De Sacr. Confirm., lib. II, cap. 8. — [13] Clyp. *Thom.*, De Confirm., disp. 6, art. 2, § 3. — [14] Theol. Mor., De Confirm., cap. 2, quær. 4. — [15] Theol. Christ., De Confirm., cap. 2, qu. 2. — [16] 3ª, qu. 72, art. 2; in Sent. lib. IV, dist. 7, qu. 1, art. 2, ad 2^m quæst.; Contra *Gentes*, lib. IV, cap. 60. — [17] De Confirm. Sacram., n. 6 et 7. — [18] Decr. pro unione *Armenior.* — [19] Ad cap. « *Pastoralis* » de Sacram. non iterandis, Glossa. — [20] Prompta Bibliotheca Canonica. Confirmatio, art. 1, n. 10. — [21] Decr. 4 Apr. 1693 apud *Ferrar.*, l. c.

mentario [1] legitur; ipsa quoque Græcorum Ritualia hodierna eumdem diem statuunt.

Cæremoniæ ad Chrismatis benedictionem.

— Antiquitus, inquit Cardinalis Lambertinus [*Bened.* XIV] [2], feria V in Cœnâ Domini tres Missæ celebrabantur: in primâ pœnitentes reconciliabantur, chrisma conficiebatur in secundâ, tertia autem fiebat solemnitatis causâ. In Græciâ a solis Patriarchis Chrisma conficiebatur, in Occidente vero conficitur a singulis in suâ Dioecesi Episcopis, adstantibus duodecim Presbyteris, septem Diaconis et septem subdiaconis, ut declaravit Innocentius III et hodie quoque fieri solet: eo siquidem ministrorum numero olim constabat collegium, quod in totius Dioecesis utilitatem Episcopo in Cathedrali aderat. Chrismatis benedictione antiquior est benedictio olei Catechumenorum et infirmorum; sed majoris commoditatis causâ tres illæ benedictiones ad idem tempus conjunctæ sunt. In Ordine Romano legimus, Confirmationem vel in Ecclesiâ vel in sacristiâ fuisse administratam.

De formâ Confirmationis. Apud Latinos.

72. Forma Confirmationis in Ecclesiâ Latinâ, saltem a sæculo XII, hæc est: *N., signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti, amen.* Antea vero forma erat diversa: in Ordine Romano, circa VIII sæculum, brevior erat: *Confirmo te in nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti. Amalarius* [3] formam commemorat etiam breviorem, quâ solum dicebatur: *In nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti.* In Angliâ contrà omittebatur SS. Trinitatis invocatio: in Pontificali Egberti, Eboracensis Episcopi, qui circa medium VIII sæculum vixit, hæc erat forma: *Accipe signum sanctæ crucis Chrismate salutis in Christo Jesu in vitam æternam. Amen* [4]. In Gelasii Sacramentario ad frontis unctionem dicebatur: *Signum Christi* [crucis] *in vitam æternam. Amen* [5]. Atque ita res abhinc plus nongentis annis se habebat. Orientalium Ecclesiarum forma, quemadmodum Concilium Constantinopolitanum I præscripsit, in unctione frontis hæc est: *Signaculum doni Spiritus-Sancti* [6]. Et Episcopus non solam frontem, sed oculos quoque, os cet. Chrismate ungit, plures recitans orationes. Aliæ vero Ecclesiæ Orientales aliis formis utebantur.

Apud Orientales.

Quando conferatur hoc Sacram.

73. Olim usque ad sæculum XIII baptismum protinus sequebatur Confirmatio, quoties Episcopus sive adultos sive parvulos baptizabat. Quod nunc quoque fit in Ecclesiâ Orientali, ut (cap. III) refert P. Chardon [7], quamquam non constat, eam consuetudinem esse universalem. Catechismus Romanus [8] dicit, non esse dandam Confirmationem parvulis nisi duodecim aut saltem septem annorum; scribit tamen Benedictus XIV [9], vel in mortis periculo vel quum Episcopus diu abesse deberet, parvulis ante eam ætatem Confirmationem conferri posse.

Quid de manuum impositione apud Græcos.

74. Refert P. *Chardon* [10], nullibi scriptum reperiri in Ecclesiâ Græcâ, Episcopum in conferendâ Confirmatione manus imponere seorsum a Chrismatis unctione; quod consonat eorum theologorum sententiæ, qui docent, in ipsâ Chrismatis unctione adesse manuum impositionem. In Ecclesiâ Latinâ porro dicit, in Confirmationis Sacramento omnes auctores Latinos et omnia Sacramentaria et Ritualia præscribere frontis unctionem unà cum verbis; quæ quidem verba, ut ait Innocentius I [11], secreta tenebantur.

Quid de unctione apud Latinos.

[1] Lib. I, n. 40. — [2] De Festis, lib. I, cap. 6, n. 67. — [3] De Ecclesiasticis Officiis, lib. I, cap. 27. — [4] Ordo Confirmationis. — [5] Lib. I, n. 44 et 75. — [6] Can. VII. — [7] *Storia lib. II, cap. 3* (*Gall., liv. I, sect. 2, ch. 3*). — [8] De Confirm. Sacram., n. 15. — [9] De Synodo Diœces., lib. VII, cap. 10, n. 5. — [10] L. c., lib. II, cap. 1 (*Gall., l. c., ch. 1*). — [11] Ep. 25, ad *Decentium*, Ep. *Eugubin.*, cap. 3 (*a*).

(*a*) *Verba vero dicere non possum*, inquit, *ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere* (Nota edit.).

De impositione manuum et unctione quæstio disputata.

75. Hoc loco omittere nolo magnam de Confirmationis materiâ et formâ quæstionem, quam in Theologiâ Morali fuse tractatam, hic, quantum potero, ad pauca revocabo. — Plures sunt sententiæ; duæ tamen communius agitatæ. Prior docet, hoc in Sacramento duas esse materias duasque formas partiales; ita ut prior materia sit illa impositio, quam a principio facit Episcopus, quum manus extendit versus confirmandos, forma autem oratio, quam tunc profert; secunda materia partialis, unctio Chrismatis, quam in confirmandi fronte peragit Episcopus, unà cum secundâ formâ: *Signo te signo crucis, cet.* Quam sententiam tuentur *Merbesius* [1], *Jueninus* [2], *Habert* [3], *Genettus* [4], *Du Hamel* [5], cet.; et *Tournely* [6] probabilem eam censet.

Prima sententia.

Secunda sententia, moraliter certa.

76. Alteram sententiam, quæ fere communis videtur, sequuntur S. Thomas, (3ª, qu. 72, art. 2 et in Ep. ad Hebr., cap. 6, lectio 1, ubi dicit, materiam esse eam manuum impositionem, quæ fit unà cum unctione) (*a*) et innumeri alii, ut *S. Bonaventura* [7], *Estius* [8], *Waldensis* [9], *Cabassutius* [10], *S. Antoninus* [11], *Bellarminus* [12] *Sylvius* (qui eo progreditur, ut dicat, esse de fide, solam Chrismatis unctionem esse materiam) [13]; præterea P. Joannes Laurentius *Berti* [14], qui strenue et fuse ut certam eam defendit; item *Scotus* [15], *Gonet* [16], *Collet*, *Tournelii* Continuator [17], *Petrocorensis* [18], *Soto* [19], *Frassen* [20], *Antoine* [21] aliique multi cum Petro *de Marca* [22] apud *Witasse* [23], qui ait, omnes et Thomistas et Scotistas eam sententiam sequi; et cum Catechismo Romano, qui Chrisma ex oleo et balsamo confectum, solam Confirmationis materiam esse dicit, ac ita pergit: *Quod autem ea sit hujus Sacramenti materia, quum sancta Ecclesia et Concilia perpetuo docuerunt, tum a... compluribus... Patribus traditum est* [24]. Hanc sententiam defendimus tamquam moraliter certam, ut loquitur Bellarminus [25], et ut apparet ex argumentis hic afferendis.

Quomodo intelligenda sit manuum impositio.

77. Dubium non est, quin ad Confirmationem requiratur et Chrismatis unctio et impositio manuum, sed ea intelligenda est impositio, quæ unctionem comitatur, ut Innocentius III declaravit (Cap. Unic. de Sacr. Unct., § « Per frontis »): *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio; quia per eam Spiritus-Sanctus ad augmentum datur et robur.* Vox *designatur* non ita intelligi debet ac si diceretur *significatur* aut *figuratur*, sed ut *signatur*, *assignatur* aut *habetur confirmatio;* quod clare probatur ex verbis, quæ ibi statim sequuntur: *Unde, quum ceteras unctiones simplex sacerdos... valeat exhibere, hanc nonnisi summus Sacerdos, id est Episcopus, debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarii sunt Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum-Sanctum dabant.* Atque ibi Pontifex refert verba Actuum Apostolorum, ubi Petrus et Joannes Samaritanos, jam

[1] Summa Christiana, pars 3, diss. 2, de Confirm., quæst. 5 et 6. — [2] Instit. theol., de Confirm., qu. 2, concl. 1 et 2; qu. 3, concl. 2 et 4. — [3] Theol. dogm. et mor., de Confirm., cap. 3, § 1 et 2. — [4] Theol. Moralis, tom. III, tract. III, de Sacr. Confirm., cap. 2. — [5] Theol. specul. et practica., de Confirm., diss. 2, cap. 1-3. — [6] Comp. Theol., de Confirm., qu. 1, art. 3, concl., dices 3°; art. 4, concl. — [7] In Sent. lib. IV, dist. 7, art. 1, quæst. 2. — [8] In Sent. lib. IV, dist. 7, § 7. — [9] Doctrinale Fidei, de Sacr. Confirm., cap. 113. — [10] Notitia Ecclesiastica, Conc. *Arausicanum* I, Can. II. — [11] Summa Theol., pars 3, tit. 14, cap. 3 de Confirm. — [12] De Sacr. Confirm., lib. II, cap. 9. — [13] In *D. Thom.* 3am, qu. 72, art. 2. — [14] De Theologic. Disciplinis, lib. XXXII, cap. 4. — [15] In Sent. lib. IV, dist. 7, qu. 1. — [16] Clypeus. De Confirm., diss. 6, art. 2, § 1-6, præsertim § 6, n. 48. — [17] *Collet* (Continuator *Tourn.*) De Confirm., cap. 3, art. 1, obj. 1 contra 1m partem, Resp. 2. — [18] Theol. Mor., de Confirm., cap. 2, qu. 2. — [19] In Sent. lib. IV, dist. 7, qu. unica, art. 2. — [20] *Scotus* Academicus, de Confirm., art. 1, qu. 2, concl. 3; qu. 3, concl. 1 et 2. — [21] Theol. universa, de Confirm., qu. 3. — [22] Notæ ad Conc. *Claromontanum*, ad Can. 28. — [23] Tractat. theologici, tom. VII. De Confirmat., quæst. 2, art. 2 et 3. — [24] De Confirm. Sacram., n. 6. — [25] L. c.

(*a*) Hoc enim ex duobus illis textibus simul junctis colligi potest (Nota edit.).

baptizatos, confirmasse narrantur imponendis manibus: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum-Sanctum* [1]. Quibus verbis Pontifex illico hæc alia adjicit: *Cujus adventus per unctionis ministerium designatur* [2]. Quum igitur Innocentius dicat, idcirco solos Episcopos unctionem conferre posse, quia soli Apostoli manus imponerent, consequenter dicit, eam impositionem eamdem fuisse per unctionem, quæ nunc est unctio per impositionem. Itaque Episcopi ungentes nunc idem faciunt, quod manus imponentes faciebant Apostoli: nisi dicere velimus, Apostolos Confirmationis materiam mutasse; quod, ut recte adnotat Bellarminus [3], dici nequit, quia Sacramentorum materia et forma a Christo solo institui poterant, neque ab aliis possunt mutari.

Confirmatur.

78. Idem confirmatur clariori Canone ejusdem Innocentii III (cap. 4. Quanto, de consuetud.): *Ut est Sacramentum Confirmationis, quod, chrismando renatos, soli debent Episcopi per manus impositionem conferre* [4]. Notentur verba: *Chrismando... per manus impositionem;* ergo, manus imponere cum Chrismate idem est ac confirmare. Idem confirmat fidei professio Imperatoris *Palæologi*, quæ habetur in ejus Epistolâ ad Gregorium X, quamque retulit et approbavit Concilium Lugdunense II. Ibi dicitur: *Aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos* [5].

Denuo confirmatur.

79. Quibus omnibus adjungitur declaratio Eugenii IV in Concilio Florentino, ab eodem Concilio approbata: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo et balsamo... per Episcopum benedicto. Forma autem est:* SIGNO TE SIGNO CRUCIS, ET CONFIRMO TE CHRISMATE SALUTIS, IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS-SANCTI [6]. Quare plures Auctores docent, ex hac definitione esse de fide, unicam Confirmationis materiam esse unctionem, factam ab Episcopo, et unicam formam, verba unctioni adnexa. Accedit Declaratio Benedicti XIV (in Litteris Encyclicis ad Archiepiscopos et Episcopos ritus Græci, quæ litteræ ejus Bullario, Tom. 4, num. LIV, insertæ sunt). Summus Pontifex, (§ 51) de duabus suprà relatis sententiis agens, primo dicit: *Unicuique licet eam sequi partem, quæ magis ipsi placuerit;* id est vel priorem, eamque tutiorem sententiam de duabus materiis et formis imperfectis, vel alteram nostram sententiam, unctionem per Episcopi manum esse solam materiam, et verba ei adnexa solam formam. Tum vero (§ 52) expresse declarat: *Extra controversiam est... in Ecclesiâ Latinâ* (et idem jam declaraverat de Ecclesia Græca) *Confirmationis sacramentum conferri, adhibito sacro Chrismate, seu oleo olivarum balsamo commixto,... ductoque signo crucis per... ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formæ verba pronuntiat* [7].

Nemo hoc Sacram. suscipere negligat.

80. Notetur hic, Benedictum XIV in Bulla: *Etsi pastoralis* (Bullar., tom. 1, n. LVII) de Græcis hæc declarasse: *Monendi... sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, quum possunt, ad Confirmationem accedere renuunt ac negligunt* [8]. Quod idem profecto dicendum de iis, qui ad Latinam Ecclesiam pertinent.

[1] Act., VIII, 17. — [2] L. c., lib. I, tit. 15, cap. « *Quum venisset* ». — [3] L. c. — [4] Lib. I, tit. 4, de Consuetud., cap. « Quanto » 4. — [5] Litteræ *Michaelis* Imp. ad *Gregor.* X. — [6] Decr. pro Unione *Armenior.* — [7] Ep. « *Ex quo primum* », 1 Mart. 1756; § 51, 52. — [8] 26 Maji, 1742; § 3, n. 4.

DISPUTATIO VI.

SESSIO XIII.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Concilium veram doctrinam exponere voluit.

1. In hac Sessione voluit Concilium, quemadmodum in Sessione de justificatione fecerat, veram tradere doctrinam, ut scirent fideles omne id, quod sibi de Eucharistiæ Sacramento esset credendum. Quare in Procœmio dicitur, Concilium, quum stirpitus convellere cuperet errores circa hoc Sacramentum, eamque exponere doctrinam, quam Ecclesia, utpote a Jesu Christo primo erudita, ac deinde illuminata a Spiritu-Sancto, semper retinuit et ad finem usque retinebit, cuilibet interdicere, ne aliter credere, docere vel prædicare audeat.

Scholarum sententias intactas reliquit.

2. *Suavis* [1], tam Thomistas quam Scotistas voluisse ait, ut Ecclesia peculiares ipsorum sententias tamquam fidei articulos stabiliret. Sed illud a Patrum mente alienum erat, ut liquet ex Actis et ex ipsis definitionibus, eâ verborum formulâ confectis, quæ nulli scholæ adversetur. Eamque ob causam, ut videbimus, nihil decernere voluerunt nec de modo, quo Christus in Sacramento præsens est, nec de æquali aut majori gratiâ, quæ in Communione vel unius tantum vel utriusque speciei Eucharisticæ infunditur.

Suavis Italos et Hispanos stolide deprimit.

3. Præterea *Suavis* [2] asserit, Italos ægerrime tulisse, quod præsides mandassent, ut doctrinæ probarentur Scripturarum et Patrum auctoritate; ac si periculo essent expositi, ne ipsi coram Germanis Belgisque theologis erubescerent. Atvero prorsus falsum hoc esse dicit *Pallavicinus* [3], quum superioribus Sessionibus Itali haud obscura suæ eruditionis argumenta præbuissent, productis tot Scripturæ, Conciliorum ac Patrum testimoniis, et quum præter septentrionales adessent *Melchior Canus*, *Sotus*, *Seripandus*, *Catharinus*, *Salmeron* et *Lainez*, qui polliceri non dubitaverat, se nullum scriptorem allegaturum, cujus verba referenda non in ipsis ejus voluminibus legisset.

Cap. I. De Christi in sacramento præsentiâ.

4. Capite Primo definitur, Corpus et Sanguinem Jesu Christi contineri vere, realiter ac substantialiter sub specie panis et vini consecrati: *Docet sancta Synodus... in... Eucharistiæ Sacramento, post panis et vini consecrationem,... Jesum Christum, verum Deum atque hominem,* VERE, REALITER ac SUBSTANTIALITER *sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator... semper ad dexteram Patris in cœlis assideat juxta modum existendi naturalem, et ut multis... aliis in locis sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit, eâ existendi ratione quam... verbis exprimere vix possumus.* Quibus verbis Concilium intactam relinquere voluit quæstionem agitatam inter Thomistas et Scotistas, num idem corpus virtute divinâ possit pluribus in locis eodem illo

[1] *Conc. di Trento, lib. IV, a° 1551, « Fra tanto ».* — [2] L. c., « *Dopo questi articoli* ».

[3] *Lib. XII, cap. 1, n. 6.*

modo adesse, quo per naturam adest in uno. — *Ita enim majores omnes nostri... apertissime professi sunt, hoc... Sacramentum in ultimâ cœnâ Redemptorem nostrum instituisse, quum post panis vinique benedictionem, Se suum ipsius Corpus illis præbere ac suum Sanguinem disertis... verbis testatus est: quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata et a divo Paulo postea repetita, quum propriam illam... significationem præ se ferant secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum... flagitium est ea... ad fictitios... tropos... contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ, tamquam columna et firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta... detestata est.*

De hæreticorum erroribus.

5. Usque ad sæculum IX nemo Eucharistiæ Sacramentum impugnaverat; tum vero Joannes quidam, natione Scotus (*a*), disseminare cœpit, totam Eucharistiam in figurâ consistere. Eamdem hæresim sæculo XI sustinuit *Berengarius*, qui, quum sæpius dicta sua rectractasset, sæpius etiam in varios de hoc Sacramento errores esset relapsus, denique ad bonam frugem revocatus, anno 1088 in sinu Ecclesiæ Catholicæ supremum diem obiit. Non prius quam sæculo XVI orta est secta, quæ Eucharistiæ dogmati constanter sese opposuit. Primus fuit *Carlostadius*, Wittenbergæ in Saxoniâ archidiaconus; eumdem secuti sunt errorem *Œcolampadius*, Ordinis S. Birgittæ monachus, et *Zwinglius* parochus. Quibus deinde consociati sunt *Bucerus* et *Calvinus* cum *Socinianis*, qui asseruerunt (ut refert *P. Chardon* [1]) Eucharistiam ne Sacramentum quidem esse, sed meram commemorationem externam. *Lutherus* autem negavit panis et vini transsubstantiationem in Jesu Christi Corpus et Sanguinem, et Missam privatam abolevit; confessus est tamen, se secundum Evangelium negare non posse realem Corporis et Sanguinis Jesu Christi in Eucharistiâ præsentiam.

Singula synodi verba explicantur vere.

6. Proderit singula primi hujus Capitis verba distinctius perpendere. Dicitur: *vere, realiter et substantialiter. Vere*, ut excludatur Christi præsentia figurata, quam adstruunt Sacramentarii; figura opponitur veritati, idcirco positum est vocabulum *vere*. *Realiter*, ut excludatur præsentia imaginaria; asserunt quippe hæretici, in Eucharistiâ non esse Jesu Christi carnem corporaliter, ut est in cælo, sed eo modo, quo fides eam percipit; idest, tamquam si præsens adesset. *Calvinus* dicere non recusat, in cœnâ adesse Jesu Christi corpus reale, renuit tamen dicere, illud realiter ibi adesse. Dicitur quoque *substantialiter*, ut excludatur solius efficacitatis sive virtutis præsentia, ad quam *Calvinus* corporis realis Jesu Christi præsentiam revocat, quum ait, in Eucharistiâ non esse corporis Jesu Christi substantiam, sed ejus virtutem, quâ Dominus Seipsum suaque bona nobiscum communicat. Nos vero asserimus, ibi adesse totam corporis substantiam, in quam substantia panis est conversa. Quapropter dicimus, ut paulo infrà melius explicabimus, corpus Christi sub specie panis non occupare locum, nec modo naturali esse extensum, sed sacramentaliter ibi adesse per modum substantiæ, ut docet S. Thomas [2], sicut prius ibi aderat substantia panis.

realiter.

substantialiter.

Præsentia sacramentalis.

7. Præterea dicitur: *Neque enim hæc inter se pugnant, ut... Salvator... in cœlis assideat juxta modum... naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis*

[1] *Storia, lib. III, cap. 1, annot. 3.*

[2] 3ª, qu. 76, art. 1 ad 3ᵐ.

(*a*) *Scoti*, ut eruditi notarunt, originem ducunt ab *Hibernià*, quæ usque ad sæculum XI etiam *Scotia major* dicebatur. Quocirca duplex *Joannis* cognomen, *Scotus* et *Erigena* sive *Eriugena* (*Eriu* = *Erin*), satis indicare videtur, eum esse *Scotum Hibernum*, seu in *Hibernià* natum (Nota edit.).

sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit eâ existendi ratione, quam... verbis exprimere vix possumus. Docet igitur Concilium, corpus Jesu Christi in cælis esse juxta modum naturalem, sed modo sacramentali ejus substantiam multis aliis locis adesse. Itaque in hostiâ consecratâ et in quâlibet ejus parte idem adest Jesu Christi Corpus, quod in cælis assidet. Hoc autem credere debemus, quia Deus est omnipotens et ipse illud revelavit: *Hoc est corpus meum* [1]. Quid porro refert, nos intelligere non posse, quomodo illud fiat? Si fidei mysteria ad exiguam nostram intelligentiam componere voluerimus, mox vel eo adducemur, ut plura mysteria, ac nominatim SS. Trinitatem et Incarnationem renuamus: neque enim intelligere possumus, quomodo tres personæ sint una eademque substantia, et quomodo duæ naturæ, divina et humana, in unâ eademque adsint personâ.

Humana ratio non est mysterii norma.

Objicitur.

8. Dicunt hæretici, Deum quantumvis omnipotentem, non posse simul efficere plura, quæ inter se repugnant suntque contradictoria, cujusmodi esse dicunt, ut corpus humanum in Eucharistiâ adesset sine extensione suâ et quantitate; non potest enim Deus suam rebus auferre essentiam: essentia autem corporis est, extensum esse et quantum. Respondetur, non posse quidem Deum essentiam rebus auferre; posse tamen essentiæ auferre proprietatem: igni adimere nequit ignis essentiam, sed in igne impedire potest comburendi proprietatem, ut trium puerorum Hebræorum causâ illud præstitit. Ita quoque, licet efficere nequeat, ut corpus existat sine extensione aut quantitate; hoc tamen potest efficere, ut locum non occupet; ut sit indivisibile, sed integrum sit sub singulis minimis partibus specierum visibilium, quæ illud continent; ut habeat extensionem, non eam quidem naturalem, sed miraculosam, et per modum substantiæ se habentem. Atque ita prorsus adest Corpus Christi in Eucharistiâ; hoc enim significatur, quum dicitur ibi adesse corpus per modum substantiæ, quod, sicut panis substantia prius aderat sub suis speciebus, nec locum occupabat, sed tota erat sub quâlibet speciei parte, ita Corpus Christi, in quod convertitur substantia panis, non occupat locum majorem quam prius occupabat juxta suam dimensionem substantia panis; atque ita adest totum in quâlibet speciei parte, sicut antea in singulis partibus aderat tota substantia panis. Quam doctrinam his verbis tradit Doctor Angelicus: *Tota substantia Corporis... Christi continetur in hoc Sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota substantia panis* [2]. Et subjungit: *Propria autem totalitas substantiæ continetur indifferenter in parva vel magna quantitate.... Unde et tota substantia Corporis et Sanguinis Christi continetur in hoc Sacramento* [3].

Respondetur.

Sitne in loco.

9. Corpus Christi in hoc Sacramento non est *definitive* in loco, ut, quum hic adsit, alibi esse nequeat; nec *circumscriptive*, id est, juxta suæ quantitatis mensuram, quæ loci quantitati respondeat: quapropter locus, in quo adest Corpus Christi, vacuus quidem non est, sed nec dici potest Corporis Christi substantiâ repletus, quum repletus sit speciebus Sacramentalibus, quæ illum locum occupant saltem miraculose, quemadmodum miraculose subsistunt per modum substantiæ.

Possitne se movere.

10. Nec dici potest Corpus Christi in Sacramento adesse mobiliter: nam quum ibi non adsit sicut in loco, Dominus in Sacramento non movetur sicut in loco, sed solum per accidens moveri potest ratione specierum, sub quibus continetur: quapropter pro motu specierum dici potest moveri Christus, quem continent; prout movente se corpore, movetur per accidens anima, quæ nec ipsa loco contineri potest.

Quomodo desinat ibi esse.

11. Hic notandum est, Christi Corpus, quum species corrumpuntur, desinere sub

[1] *Matth.*, XXVI, 26.

[2] L. c. — [3] L. c.

iis contineri; non quod ex iis pendeat, sed quia ita institutum est hoc Sacramentum, ut Christus sub speciebus, donec existunt, maneat; manere autem desinat, quum illæ esse desistunt; sicut Deus earum rerum, quæ existere desinunt, desinit esse Dominus. Ita S. Thomas, quum scribit: *Quibus (speciebus) cessantibus, desinit esse Corpus Christi sub eis; non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo Corporis Christi ad illas species, per quem modum Deus desinit esse Dominus creaturæ desinentis* [1].

Reliqua synodi doctrina.

12. In hoc primo Concilii Capite item dicitur: *Post panis vinique benedictionem Se suum... Corpus illis præbere... perspicuis verbis testatus est: quæ verba, a sanctis Evangelistis commemorata et a divo Paulo postea repetita, quum propriam illam... significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt,... flagitium est, ea a quibusdam pravis hominibus ad fictitios... tropos... contra... Ecclesiæ sensum detorqueri.*

Refelluntur *Ubiquistæ.*

Dicitur: *post panis vinique benedictionem;* quod dirigitur contra *Lutheranos Ubiquistas*, qui existimant, Domini Corpus etiam ante consecrationem adesse sub speciebus; præterea contra *Calvinistas*, asserentes, Eucharistiam non esse fidelium cum Christo unionem per ipsum ejus Corpus et Sanguinem, sed nihil nisi signum unionis, antea per fidem jam initæ. Quapropter affirmant, Eucharistiam fieri Sacramentum non per sacerdotis consecrationem, sed per Evangelii promissionem, prædicatione explicatam.

Rejicitur *Calvinistarum* assertum.

Probatur Christi præsentia 1 ex S. Scriptura.

a Evangeliatæ.

b S. Paulus 1 ad Cor. XI.

13. Dicitur: *perspicuis verbis testatus est, cet.* Illa Jesu Christi verba expressa legimus in Evangeliis S. Matthæi (cap. 26), S. Marci (cap. 14) et S. Lucæ (cap. 22); sunt autem: *Accipite et comedite: Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus, cet.;* quæ deinde in Epist. I ad Corinth. (cap. 11) a S. Paulo repetuntur. — *Quum igitur ipse de pane pronuntiaverit...:* HOC EST CORPUS MEUM; ita exclamat S. Cyrillus; *quis audebit deinceps ambigere? Et quum ipse... dixerit:* HIC EST SANGUIS MEUS, *quis umquam dubitaverit ajens non esse ejus Sanguinem?* [2] Est certa regula eaque communiter a cunctis Patribus Theologisque recepta, verba Scripturæ proprio sensu esse accipienda, dummodo ne manifesto sequatur absurdum, quod repugnat; si enim cunctos Scripturarum locos ad sensus tropicos ac figuratos detorqueri liceret, jam nullum superesset dogma, quod ex sacris libris certo probari posset.

c 1 ad Cor. X.

14. Eucharistiæ veritatem idem deinde Apostolus confirmavit, quum, de illius Sacramenti usu loquens, diceret: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* [3] Quæ verba luce clarius ostendunt, in Eucharistiâ adesse Jesu Christi verum Corpus et Sanguinem. Quod idem confirmavit Apostolus his verbis: *Probet autem seipsum homo.... Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini* [4]. Notentur verba: *non dijudicans Corpus Domini;* si in Eucharistiâ nihil aliud esset colendum nisi Christi corporis figura, S. Paulus non tantâ severitate condemnasset eum, qui peccato contaminatus ad Communionem accedit; idcirco eum declarat mortis æternæ reum, quia homo indigne Communionem recipiens, non discernit Christi corpus ab aliis cibis terrestribus.

d 1 ad Cor. XI.

Quomodo intelligatur particula *hoc.*

15. Eheu, quousque progreditur hominum malitia et ingratus eorum animus! Deus largiri nobis voluit infinitum illud sui amoris donum, in quo se integrum nobis tradit: *Divitias divini sui erga homines amoris velut effudit*, inquit Concilium [5]; homines vero erga Eum ne gratos quidem se præbere volunt, quum alii aliter Domini verba, *hoc est Corpus meum*, in diversos sensus distorquere studeant! Alii contendunt, pronomen *hoc* ita intel-

[1] L. c., art. 6 ad 3m. — [2] *S. Cyr. Hierosol.*, Cateches. mystag. 4, n. 1. — [3] 1 *Cor.*, X, 16. — [4] 1 *Cor.*, XI, 28 et 29. — [5] Sess. 13, cap. 2.

ligi debere, ac si haberetur *hic*. At, quomodo illud fieri posset? Aut sumitur vocabulum *hoc* pro adjectivo, nec convenire potest cum verbo *panis*, quod masculini est generis, sed concordare debet cum verbo *corpus*, quod neutrius generis est. Nec refert, pronomen *hoc* et verbum *est* nullum præbere sensum, priusquam prolata sint hæc alia: *Corpus meum;* siquidem haud raro accidit, ut propositionum priores voces nihil significent, donec absoluta sit tota propositio. Aut sumitur *hoc* pro substantivo, ut sumendum esse existimat S. Thomas [1]; neque tunc significat *hoc corpus* neque *hic panis*, sed: hæc res, sive hæc substantia, quæ sub his speciebus continetur, est corpus meum.

Quomodo intelligatur *est*.

16. Alii, ut *Zwinglius* [2], distorquent verbum *est*, quod hic sumi asserunt pro *significat;* ad cujus exemplum *Zwinglius* affert Exod. XII, 11: *Est enim phase (id est transitus) Domini.* Ibi enim, inquit *Zwinglius*, manducatio Agni Paschalis cum cæremoniis ibidem præscriptis non *erat* transitus Domini, sed eum *significabat.* Sed ineptissima hæc *Zwinglii* interpretatio paucis arrisit; quia ejusmodi significatio hoc casu prorsus impropria est, et tunc solum valet, quum verbum *est* propriam significationem habere nequit.

Quomodo intelligatur *Corpus*.

17. Alii Sacramentarii dicunt, *corpus* hic sumi pro corporis figurâ. Sed obstat regula communis, superius commemorata, Scripturæ verba sensu proprio esse accipienda, nisi manifesto absurdum sequatur. Insuper directe pugnat illa explicatio cum verbis deinceps positis a S. Paulo, qui post hæc: *hoc est Corpus meum*, subjungit, *quod pro vobis tradetur* [3]. Non corporis sui figuram, sed ipsum Corpus ad patiendum tradidit Dominus. Et de Sanguine dicitur apud S. Matthæum: *Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti;* ac deinde: *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* [4]. Erat igitur effundendus Jesu Christi sanguis: sanguis effunditur, non item sanguinis figura.

18. Præterea, in Altaris Sacramento revera existere verum Domini Corpus et Sanguinem, nobis confirmatur atque evidenter declaratum habemus in cap. VI Evangelii S. Joannis. Errant Novatores quum asserunt, in illo capite de solâ Salvatoris Incarnatione esse sermonem. Fateor equidem, non toto Capite de Eucharistiâ tractari; sed certum est, a versu 52, quod ipse *Calvinus* [5] concedit, de eâ solâ agi. Quod probatur primum ex his verbis: *Panis, quem Ego dabo, caro mea est pro mundi vita* [6]. Si locutus esset Dominus de eâ manducatione, quæ fit per solam fidem, ut volunt Novatores, non adhibuisset futurum, *dabo;* ejusmodi enim manducatio erat cujuslibet temporis; etiam in antiquâ Lege fideles per fidem Christo in figurâ vescebantur. Dixit *dabo*, quia tunc promisit, Se carnem suam nobis daturum in Sacramento, quod postea in ultimâ Cœnâ instituit. Dixit: *quem Ego dabo*, inquit Angelicus, *quia nondum institutum erat hoc Sacramentum.... Non dicit autem: carnem meam significat, sed caro mea est, quia... hoc, quod sumitur, vere est Corpus Christi* [7]. Præterea, si voluisset ibi loqui de eâ solâ spirituali manducatione, quæ fide ab iis perficitur, qui in ejus Incarnationem credunt, non dixisset *panis quem dabo*, sed *panis quem dedi*, quia Ipse jam erat incarnatus et multi in Eum crediderant. Confirmatur quoque ex verbis, quæ sequuntur: *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* [8]. Distinctio illa cibi et potus fieri nequit nisi in sacramentali manducatione Jesu Christi Corporis et Sanguinis; in spirituali enim manducatione, per fidem quæ prorsus interna est, una eademque res sunt cibus ac potus.

S. Joan. VI.

v. 52.

Explicat *S. Thomas.*

v. 56.

19. Probatur deinde ex verbis Capharnaitarum, hæc audientium, et ex respon-

v. 53.

[1] 3ª, qu. 78, art. 5. — [2] Subsidium de Eucharistia. — [3] 1 *Cor.*, XI, 24. — [4] *Matth.*, XXVI, 28. — [5] Instit., lib. IV, cap. 17, n. 5 seq. — [6] *Joan.*, VI, 52. — [7] In *Joan.*, cap. 6, lectio 6. — [8] v. 56.

sione Domini. *Quomodo*, inquiebant illi, *potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* [1] Et revera Eum sequi
V. 67. desierunt. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant* [2]. Jamvero, si in Eucharistiâ non adesset ipsa Jesu Christi caro, eorum commotionem illico sedare potuisset uno hoc verbo, homines per solam fidem carnem suam esse manducaturos. Quod nequaquam fecit, sed diserte respondit:
V. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [3]. Duodecim autem Apostolis, qui Secum remanserant, dixit:
V. 68-70. *Numquid et vos vultis abire?* Tum vero S. Petrus: *Domine*, respondit, *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus et cognovimus, quia Tu es Christus, Filius Dei* [4]. Præterea ad confirmandam eam veritatem Salvator sub-
V. 56. junxit: *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* [5]. Nisi ipsam suam Carnem ipsumque suum Sanguinem in Eucharistiâ nobis donaret, prorsus im-
Confirmatur ex Tridentinâ Synodo; propria fuissent ea verba. — Licet porro Concilium non declaraverit distincto aliquo Canone, in hoc Capite VI S. Joannis tractari de verâ Jesu Christi Carnis manducatione, pluribus tamen locis, ut in hujus Sessionis Capite II et in primo Capite Sessionis XXI, complures affert illius Capitis textus ad probandam et confirman-
ex Conc. Nic. II. dam Eucharistiæ veritatem. Præterea, in Concilio Nicæno II (*act. 6*) ex ipsis S. Joannis verbis, *nisi manducaveritis, cet.* demonstratur, in Altaris Sacrificio offerri verum propriumque Jesu Christi Corpus et Sanguinem.

Objicitur. **20.** *Piceninus* [6], verbi Dei administer, objicit verba S. Augustini in textum S. Joannis: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, cet.* Dicit enim S. Doctor, Carnem Domini esse figuram, quâ nobis præcipitur ejus passionis memoria: *Figura est..., præcipiens Passioni Dominicæ communicandum* [7]. Respondetur, non esse dubium, quin Eucharistia instituta sit in memoriam Passionis, ut SS. Evangelistæ nobis indicant: *Hoc facite in meam commemorationem* [8]. Et S. Paulus: *Quotiescumque... manducabitis panem hunc,... mortem Domini annuntiabitis* [9]. Sed probe distinguendæ sunt figuræ in SS. Litteris propositæ: aliæ non sunt nisi meræ figuræ, quum verba sensu proprio intelligi nequeant, ut quando Christus vocatur *ostium* [10], *leo* [11], *vitis* [12], cet. Aliæ vero simul exhibent rem ipsam, quam verba enuntiant, et figuræ sunt propter alia mysteria significata; ut quum dicit Apostolus: *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera...; quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo Testamenta* [13]. Duo igitur filii fuerunt Abrahamo, Isaac et Ismaël, iique vere ejus filii; qui tamen simul figuræ fuerunt Veteris ac Novi Testamenti. Idem contingit in sacrificio Isaac et in Ægyptiorum spoliatione. Itaque in Scripturis figura nonnumquam est in solis verbis, nonnumquam in facto, quod simul et vere factum et vere figura est. Et sic in Eucharistiâ caro, quæ nominatur, est vere Jesu Christi caro, at simul figura, passionem ejus nobis commemorans. Atque illud dicere voluit S. Augustinus, quum Domini carnem figuram vocavit. Et quomodo sentire potuisset S. Doctor, Jesu Christi carnem nihil nisi meram esse figuram, quum tot operum suorum locis diserte affirmet, in Eucharistiâ esse verum Christi Corpus et Sanguinem? Nominatim alicubi dicit: *Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus* (notetur verbum: *ore*) [14]. Et alibi: *Panis ille*, inquit, *quem videtis in Altari, sanctificatus per Verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet calix, san-*

Respondetur.

De figuris in Scripturâ.

[1] v. 53. — [2] v. 67. — [3] v. 54. — [4] v. 68-70. — [5] v. 56. — [6] *Apologia, cap. 16, art. 10, n. 9.* — [7] De doctrina Christiana, lib. III, cap. 16. — [8] *Luc.*, XXII, 19. — [9] 1 *Cor.*, XI, 26. — [10] *Joan.*, X, 7 et 9. — [11] Apoc., V, 5. — [12] *Joan.*, XV, 1 et 5. — [13] *Gal.*, IV, 22 et 24. — [14] Contra Adversarium Legis et Prophetarum, lib. II, cap. 9, n. 34.

ctificatum per Verbum Dei, sanguis est Christi [1].

Objicitur. **21.** Ipsius etiam Salvatoris dictum opponunt. Quum Capharnaïtis prædixisset Eucharistiæ Sacramentum a Se instituendum, ii autem reponerent: *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* [2] respondit: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam* [3]. Ergo (inquiunt Novatores) nihil prodest realis Jesu Christi Carnis manducatio, sed sola spiritualis, quæ fide perficitur, fructuosa est. Responsum dat S. Augustinus hisce verbis: *Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, et in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.... Caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem... et prodest plurimum* [4]. Itaque nihil proficit manducatio solius carnis mortuæ, qualis est, quæ ad lanienam venundatur, et qualem Capharnaïtæ intellexerunt, sejunctam nempe a spiritu, i. e. a Jesu Christi animâ et divinitate; sed multum prodest manducatio in sensu Sacramentali. Quapropter errabant Judæi, non quod intelligerent, Dominum carnem suam in cibum nobis dare voluisse, sed quia vescendi modum ita interpretabantur, ac si caro ejus dentibus mandi debuisset sicut ea, quæ ad lanienam venit.

Respondetur.

Hæretici veritatem cognoscere nequeunt. **22.** Sed quid prodest, manifesta Scripturarum testimonia, SS. Patrum documenta et rationes evidentes afferre hæreticis, qui ab Ecclesiâ Catholicâ discedendo, viam veritatis inveniendæ perdiderunt? Eorum omnes errores ex eo proveniunt, quod se submittere renuunt judicio Ecclesiæ, quam Deus columnam et firmamentum veritatis declaravit. Spiritus-Sanctus (inquiunt illi) cuilibet Christiano lumen præfert, quo credendas veritates cognoscat. Sed de hoc ipso Eucharistiæ Sacramento, de quo in præsenti agimus, quæro: *Lutherus* et *Zwinglius* Christiani erant; *Lutherus* autem docet, in Eucharistiâ verum adesse Corpus Christi, *Zwinglius* vero, non adesse corpus, sed solum Christi Corporis signum; quæro, inquam: uter verum dixit? Utrius doctrinam sequi debemus? — Nos vero, Catholici, innitimur sanctâ Ecclesiâ, quæ in tot Conciliis nos docet, sub consecrati panis speciebus Jesu Christi corpus vere adesse; cur credere non debeamus? Ita primum docet Concilium Alexandrinum [5], postea a Concilio II Œcumenico approbatum. Ita Concilium Nicænum II, quod est Œcumenicum VII, a quo expresse ut error rejicitur assertum, in Eucharistiâ non esse nisi Christi Corporis figuram: *Dixit: accipite, edite, hoc est Corpus meum.... Non autem dixit: sumite, edite imaginem Corporis mei* [6]. Ita Concilium Romanum anno 1079, Gregorio VII Summo Pontifice, in quo Berengarius deposito errore hanc emisit fidei professionem, per consecrationem panem et vinum substantialiter converti in Christi Corpus et Sanguinem [7]. Ita Concilium IV Lateranense, anno 1215, Innocentio III Summo Pontifice, ubi (cap. I) dicitur: *Cujus (Jesu Christi) Corpus et Sanguis... sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in Corpus et vino in Sanguinem* [8]. Ita Concilium Florentinum (*in doctrina de sacram.*), substantiam panis, ait, in Corpus Christi converti [9]. Ita demum Concilium Tridentinum, hujus Sessionis XIII Canone I: *Siquis negaverit, in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem unà cum animâ et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo vel figurâ aut virtute, anathema sit. — In signo*, ut loquitur Zwinglius; *in figurâ*, ut Œcolampadius; *in virtute*, ut *Calvinus*, qui asserebat, eatenus in Eucharistiâ adesse Jesu

Probatur Christi præsentia 2 ex Conciliis.

Alexandrinum.

Nic. II.

Roman.

Lateran. IV.

Florent.

Tridentin.

[1] Sermo 227. — [2] *Joan.*, VI, 53. — [3] v. 64. — [4] In Evang. *Joan.*, tract. 27, n. 5. — [5] a° 430, Ep. ad *Nestorium* (Invenitur in Conc. *Ephes.*, pars 1, cap. 26, n. 7). — [6] Actio 6, tom. 3. — [7] Conc. *Rom.* VI. Jusjurandum *Berengarii*. — [8] Cap. 1, de Fide Catholica. — [9] Collatio XXII (Labbe Colet, tom. 18, col. 1157-1159); — Decret. Unionis (ibid., col. 541-552).

Christi Corpus, quatenus in eâ adest virtus (ut ajebat), quâ cum Jesu Christi Corpore communicemus.

Cap. II. De Christi amore et de sacramenti fructu.

23. Capite II agitur de amore, quem Jesus Christus Eucharistiâ instituendâ nobis exhibuit, et de fructibus, quos animæ ex magno illo Sacramento percipiunt: *Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.... Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam... animarum cibum, quo alantur et confortentur, viventes vitâ illius, qui dixit:* QUI MANDUCAT ME, ET IPSE VIVET PROPTER ME [1]; *et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et... symbolum unius illius corporis, cujus ipse Caput existit,* (et) *... nos... membra, cet.*

Huc pertinet Can. V.

24. Huic Capiti respondet Canon V: *Siquis dixerit, vel præcipuum fructum SS. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex eâ non alios effectus provenire, anathema sit.*

Cap. III. Adest ipse gratiæ auctor.

25. Capite III dicitur: *Commune... est SS. Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem; verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc... sanctificandi vim habent, quum quis illis utitur; at in Eucharistiâ ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, quum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat. Et semper hæc fides in Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini... corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie unà cum ipsius animâ et divinitate existere; sed corpus... sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis, animamque sub utrâque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui... resurrexit... inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et animâ hypostaticam unionem. Quapropter... totus... Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub ejus partibus existit.*

Quid adsit *vi verborum*; quid *vi connexionis.*

26. Huic Capiti III respondet Canon III: *Siquis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri, anathema sit.*

Can. III huc pertinens.

27. Monuit Joannes *Æmilianus, Tudensis (Tuy)* Episcopus, quum existeret sententia, non adesse Christum sub singulis *integræ* hostiæ partibus, ut huic Canoni III adjiceretur, *separatione facta.* Licet porro *Calaritanus* Archiepiscopus unà cum aliis obsisteret, ac si, adjiciendis illis vocibus, tacite reprobaretur sententia contraria, Concilium nihilominus eam adjectionem fieri opportunum judicavit: secus enim reprobata esset prior sententia; hoc autem additamento facto, utraque opinio intacta relinqueretur. Quapropter constat, non esse de fide, ante separationem Jesum Christum totum sub qualibet hostiæ parte contineri. Errat porro *Suavis*, quum asserit, positâ adjectione, *necessario inde colligi videri, Christum, ante divisionem, non esse etiam totum sub qualibet parte* [2]. Nihil aliud enim inferri potest, nisi hæreticum non esse, qui asserit, ante divisionem Christum non esse totum sub qualibet hostiæ parte; sed inepte diceretur aliquid ut verum esse definitum, quia non est condemnatum ut hæreticum.

Cur adjecta sint verba: *separatione factâ.*

28. Ad idem Caput III pertinet quoque Canon IV: *Siquis dixerit, peractâ Consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis conse-*

Can. IV huc pertinens.

[1] *Joan.*, VI, 58.

[2] L. c., « *poichè di là par necessario* ».

cratis, quæ post Communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.

Refellitur *Lutherus.*

29. Huic errori patrocinatus est *Lutherus*, quum diceret, ante vel post usum Sacramenti non esse Christum in Eucharistiâ. Ad Simonem *Wolferinum* scribens, Christi Corpus in Eucharistiâ adesse ajebat ab inceptâ *Oratione Dominicâ*, quæ in Missâ recitatur, per totum illud tempus, quo fideles opportunitatem haberent ad Communionem accedendi [1]. Sed quæritur ex *Luthero:* si in illâ Missâ nemo esset communicandus, vel qui ad Communionem accedere volebat, casu quodam deficeret, Corpus Domini, sub illâ hostiâ jam præsens, nonne ibi remaneret etiam sine usu? Recte igitur Concilium nos docet, Corpus Christi etiam extra usum sub speciebus consecratis remanere; quâ in re nititur et antiquissimâ Ecclesiæ traditione et ipsis quoque Jesu Christi verbis, qui, quum affirmaret, illud esse Corpus suum, priusquam ab Apostolis sumeretur, hoc ipso certos nos reddidit, etiam ante usum se adesse in Eucharistiâ. Asserit Petrus *Suavis* [2], eam rationem, a Concilio in Capite III allatam, non valere ad probandam Jesu Christi in Altaris Sacramento præsentiam ante usum, quum ipsâ *porrectio* sit actio ad usum pertinens. At respondetur, verum non esse, omnes actiones, ad usum spectantes, esse ipsum Sacramenti usum; potest enim accidere, ut qui Communionem suscipere vellet, casu eam non suscipiat; tunc autem dici non potest, Eucharistiæ usum contigisse, et tamen Christus sub speciebus Eucharisticis jam aderat.

Refellitur *Suavis.*

Cap. IV. De *Transsubstantiatione.*

30. Capite IV agitur de transsubstantiatione: *Quoniam autem Christus... Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi... et totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus: quæ conversio convenienter et proprie a sanctâ Catholicâ Ecclesiâ* TRANSSUBSTANTIATIO *est appellata.*

31. Huic Capiti IV respondet Canon II: *Siquis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini unà cum Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque... conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et... vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, anathema sit.*

Can. II huc pertinens.

32. Quum certum sit, per verba *hoc est Corpus meum*, in Eucharistiâ Corpus Christi contineri, particula *hoc* demonstrat totam substantiam rei præsentis, quæ est ipsum Domini Corpus; non autem substantiam panis, quæ antea sub illâ specie aderat. Si panis substantia remaneret, dici non posset *hoc*, sed dicendum esset *hic* vel *in hoc*. Quod confirmatur hisce verbis, apud S. Joannem (VI, 52): *Panis, quem ego dabo, Caro mea est.* Si sub speciebus remansisset substantia panis, Jesus Christus dicere non potuisset, panem esse suam Carnem, sed dicendum ei fuisset, suam Carnem adesse in pane.

Explicatur consecrationis forma.

33. Hic vero *Suavis* [3] in aciem procedens refert, visam fuisse Synodum sibi contradicere, quum ex unâ parte dixisset (Cap I), conversionem panis in Christi Corpus vix posse verbis exprimi, ex alterâ (Cap. IV), proprie appellari posse transsubstantiationem; si nempe ea conversio proprium suum nomen obtinet, perperam dici eam exprimi non posse. Ad quæ sapienter *Pallavicinus* [4]: Vinculum, quo Christi humanitas copulatur cum Verbo divino, licet etiam ineffabile vocetur, nihilominus appellatur *unio hypostatica.* Multa epitheta alicui rei vere convenire possunt, quamquam subinde nullum ex iis ita rem explanat, ut hominis mens

Cur dictum sit: *vix exprimi potest illa conversio.*

[1] Ep. ad *Sim. Wolferinum*, 20 Jul. 1543. — [2] L. c., « *Furono* ». — [3] L. c. — [4] Lib. XII, cap. 7, n. 1.

perfecte eam intelligere possit: sic etiam a Concilio dicitur, conversionem substantiæ panis in Christi substantiam *verbis vix exprimi posse*, quia non possumus intelligere eoque minus verbis explicare, quomodo illæ substantiæ unico temporis momento prorsus inter se convertantur, aut quâ ratione panis vinique species videri et tangi possint, licet sola adsit Domini Corporis et Sanguinis substantia, quæ in Sacramento nec videri potest nec tangi. Quod tamen minime impedit, quominus illa conversio proprie appelletur transsubstantiatio. Nam ut dicitur *transfiguratio*, quando corpus ab unâ in alteram figuram migrat; *transformatio*, quando eadem materia ab unâ formâ transit in alteram; ita recte dicitur *transsubstantiatio*, quando una substantia in alteram transit, remanentibus tamen iisdem speciebus prioris substantiæ. Quodsi licitum est, Ciceronis[1] judicio, novas excogitare voces ad rem novam et singularem explicandam, tanto magis illud licebit, immo necesse erit Theologiæ, quæ adeo singularia humanoque intellectui tam nova tradit.

Explicatur hujus conversionis modus.

34. Quod porro ad modum attinet, quo perficitur *transsubstantiatio*, utrum annihiletur panis substantia, an Christi Corpus adducatur ad species vel cum iis conjungatur, dicimus cum S. Thoma[2], probabilius eam nec panis substantiam annihilare, nec Corpus Domini ad species adducere vel cum iis conjungere, sed reproducere; quia per consecrationis verba *in instanti* reproducitur in Eucharistiâ Jesu Christi Corpus, ac si eo temporis momento existere inciperet; unde dicunt SS. Patres, in Eucharistiâ Christi Corpus quasi creari. Dicitur *quasi*, quia, ut dicit S. Thomas[3], in creatione *non ens* non convertitur in *ens*, in Eucharistiâ vero panis substantia in Christi Corpus convertitur.

Cap. V. De cultu *latriae.*

35. Capite V dicitur: *Omnes Christi fideles, pro more in Ecclesiâ Catholicâ semper recepto, latriæ cultum... huic SS. Sacramento... exhibeant, cet. Declarat præterea S. Synodus, pie... inductum fuisse...; ut singulis annis peculiari quodam... die... hoc... Ven. Sacramentum singulari... solemnitate celebraretur, utque in processionibus... illud per vias... circumferretur. Æquissimum est enim sacros aliquos esse dies, quum Christiani... singulari... quadam significatione gratos... testentur animos erga... Dominum... pro tam... divino beneficio, quo mortis ejus... triumphus repræsentatur, cet.*

36. Huic Capiti respondet Canon VI: *Siquis dixerit, in S. Eucharistiæ Sacramento Christum.. Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festivâ.. celebritate venerandum neque in processionibus secundum laudabilem... Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.* Can. VI huc pertinens.

37. In Concilio, inquit *Suavis*[4], notata sunt tamquam valde impropria, verba illa (cap. V), *huic SS. Sacramento* latriæ cultum deberi; quia nomine *Sacramenti* non intelligitur res contenta, sed continens; quapropter (ita pergit) in Canone sexto, superius allato, id fuit correctum, quum dicitur, adorandum esse Dei Filium in hoc Sacramento. Sed ad vanam hanc *Suavis* suppositionem respondetur, Theologos in Sacramentis Novæ Legis tria distinguere: 1^um^ *Sacramentum tantum*, id est, illud quod significat rem sacram occultam, sive signum illud visibile, invisibilem gratiam in Sacramento conferendam significans; et illud proprie significat vox Sacramenti. 2° *Rem Sacramenti:* et est illud quod significatur, sive Sacramenti effectus, qui in Eucharistiâ est animæ refectio. 3° *Sacramentum et rem;* id vero in Eucharistiâ est Corpus Christi, quod simul speciebus Sacramentalibus significatur, et significat gratiam

Vana sibi fingit *Suavis.*

Tria distinguenda:

Sacramentum tantum.

Res sacramenti.

Sacramentum et res.

[1] De finibus bonorum et malorum, lib. III, cap. 2. — [2] 3ª, qu. 75, art. 3, 4 et 7. — [3] L. c., art 8.

[4] L. c.

animæ conferendam. Quapropter, in Eucharistiâ Corpus Christi non est res ab ipso Sacramento distincta, quum Eucharistia sit quoddam compositum ex Christi Corpore et speciebus sacramentalibus. Ut igitur totum compositum cultu latriæ adorari debeat, satis est cognitum habere, Domini Corpus illius esse partem. Sic Christi humanitas, quum sit creatura, ex se ipsâ latriæ cultum non meretur; verumtamen eo cultu Jesum Christum adoramus, quia est compositum, quod etiam divinitatem continet. In Eucharistiâ porro adoratio non exhibetur speciebus, sed Jesu Christo, qui sub illis continetur.

Cap. VI. De usu asservandi Sacram.

38. Capite VI commendatur usus Sacramentum asservandi in Sacrario et ad infirmos deferendi: *Consuetudo asservandi in Sacrario... Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam... ad infirmos... multis in Conciliis præceptum invenitur, et vetustissimo... Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit.*

Can. VII huc pertinens.

39. Huic Capiti respondet Canon VII: *Siquis dixerit, non licere... Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post Consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema sit.*

Objectio cum responsione.

40. Hic vero hæretici assurgentes: Quî fieri potest, exclamant, ut Jesu Christi Corpus multiplicetur tot locis, in quibus asservatur Sacramentum? Sed ea recordemur, quæ Concilium Capite primo docuit, Jesum Christum in cælis assidere juxta modum existendi naturalem, aliis autem terrarum locis substantiam ejus in Eucharistiâ nobis quidem adesse, sed juxta modum sacramentalem, quem modum nos nec verbis exprimere nec mente intelligere possumus, fide tamen credere debemus et possibilem et verum, quia Ipse illud revelavit. Corpus Christi, ut suprà jam diximus, in Eucharistiâ præsens est per panis conversionem in Christi substantiam; unde fit, ut sicut panis conversiones in aliam substantiam millies possint multiplicari, ita quoque in Jesu Christi Corporis substantiam multiplicari possint, non multiplicato Jesu Christo. Una sola vox non multiplicata adest in omnium audientium auribus. Sol non multiplicatus, in omnium adspicientium oculis adest. Ita quoque Domini Corpus in omnibus panis speciebus consecratis adesse potest sine sui multiplicatione. Modus utique miraculosus est, et a nobis parum intelligitur: hoc vero operatur fides, ut ea credamus, quæ mente non possumus assequi.

Cap. VII De præmittenda confessione.

41. Capite VII agitur de præmittendâ Confessione, siquis conscius peccati mortalis, Communionem suscipere velit; idque ex S. Pauli præcepto: *Probet autem seipsum homo* [1]. Quâ quidem lege etiam Sacerdotes adstringi declarat Concilium, nisi urgeat celebrandi necessitas et desit confessarius. Tunc vero celebrare possunt, sed quamprimum ad Pœnitentiæ sacramentum accedere debent: *Communicare volenti revocandum est in memoriam... præceptum:* PROBET AUTEM SEIPSUM HOMO. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali Confessione ad... Eucharistiam accedere debeat. Quod... etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare,... servandum..., modo non desit illis copia confessoris: quodsi necessitate urgente, Sacerdos absque praeviâ Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

Can. XI huc pertinens.

42. Huic Capiti respondet Canon XI: *Siquis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum SS. Eucharistiæ sacramentum, anathema sit.*

Error Lutheri

43. Hisce verbis occurritur *Luthero* [2], falso asserenti, solâ spirituali manducatione vitam præberi, neque eam dari ex collato Sacramento, sed ex fide suscipien-

[1] 1 *Cor.*, XI, 28. — [2] Concio III (a° 1519) de Confess. et Sacram. Euchar. Altera Pars. — De Captiv. Babylon. Cap. de Sacram. Altaris. — Et alibi passim.

tis. Quod minime verum est, quum Sacramenta, ut de Baptismo agens ait Apostolus [1], ex seipsis per externam applicationem gratiam conferant. Verum est, fidem quoque requiri, ut quis Eucharistiam suscipiendo vitam consequatur; sed requiritur ut dispositio, non autem ut causa gratiæ; quia Sacramentum ex seipso semper efficax est. Idem deinde Canon ita pergit: *Et ne tantum Sacramentum indigne... sumatur, statuit atque declarat ipsa S. Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem sacramentalem. Siquis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat* [2].

Altera pars ejusdem Canonis.

Explicatur hæc altera pars.

44. De hoc Canone plures in Concilio allatæ sunt dubitationes. Pro verbis *habitâ copiâ confessoris*, dicebatur antea *sacerdotis*, deinde vero dictum est *confessoris*, ne declarari videretur, Confessionem apud quemlibet sacerdotem esse peragendam, etiamsi non haberet absolvendi facultatem. Alii etiam in dubium vocarunt ipsam a Concilio impositam confitendi obligationem, asserentes satis esse contritionem cum voto confitendi suo tempore. Alii, in quibus etiam *Melchior Canus*, se quidem non probare ajebant sententiam *Cajetani* [3], *Paludani* [4], *Richardi* [5] aliorumque, Confessionis necessitatem negantium; quum sententia contraria colligatur ex Ecclesiæ traditione, ut patet ex Hugone (*a*), Eusebio [6] et Nicephoro [7] cum S. Cypriano [8]; sed putabant, articulum illum ita ut falsum damnari debere, ut tamen nota hæresis non apponeretur. Et ita factum est: statuerunt Communioni præmitti debere Confessionem; sed contraria opinio non est damnata ut hæretica.

45. Capite VIII dicitur: *Quoad usum... recte... patres nostri tres rationes hoc... Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt* SACRAMENTALITER *dumtaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum* SPIRITUALITER,.... *qui, voto... illum cœlestem panem edentes, fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus... sentiunt: tertios...* SACRAMENTALITER *simul et* SPIRITUALITER; *hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant... Semper in Ecclesiâ Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus Communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos, tamquam ex traditione Apostolicâ descendens, jure ac merito retineri debet, cet.*

Cap. VIII. De usu Sacramentali et spirituali.

Sacerdotes Communionem laicis porrigunt.

Huic Capiti respondet Canon X: *Siquis dixerit, non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit.*

Can. X.

46. Superiori Canone (IX) anathema indictum fuit ei, qui negaret, omnibus fidelibus singulis annis, saltem in Paschate, Communionem esse suscipiendam juxta caput *Omnis utriusque sexus*, 12, *de pœnit. et rem.* [9] Quare Concilium edixit: *Siquis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, quum ad annos*

Can. IX. De Communione semel in anno suscipiendâ.

[1] *Ephes.*, V, 26. — [2] Sess. 13, Can. 11. — [3] In III^{am}, qu. 80, art. IV (i. e. in antiquis editionibus, ante Pium V publicatis; ex aliis enim, jussu Pontificis, Cajetani in hunc articulum commentarius ablatus fuit. Nota edit.). — [4] In IV Sent., dist. 17, qu. 2 ad 5^{m}. — [5] *Richardus de Mediavilla* (*Middleton*), Ord. Min. In 4 Sent., dist. 17, art. 3, qu. 6.— [6] Hist. Eccl., lib. VI, cap. 34. — [7] Hist. Eccl., lib. XI, cap. 34. — [8] De Lapsis, n. 16; Ep. 9 ad Clerum, n. 2. — [9] Decretal. lib. V, tit. 38, cap. « *Omnis utriusque* », 12.

(*a*) *Melchior Canus* citat *Hugonem* ex *Biel*; verba tamen, quæ allegantur, non sunt *Hugonis* sed *Richardi* a S. Victore, qui (De Potestate ligandi et solvendi, cap. 21): *Audacter dico*, inquit, *si ante sacerdotis absolutionem ad communionem Corporis et Sanguinis Christi accesserit, judicium sibi pro certo manducat et bibit, etsi eum peccasse jam multum pœniteat, et vehementer doleat et ingemiscat.* — Pallavicinus quoque (Lib. XII, cap. 2, n. 7), *Cani* sententiam referens, eum citare ait *Hugonem, de Sacramentis, lib. 2;* ibi vero illud invenire non potui (Nota edit.).

discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxa præceptum S. Matris Ecclesiæ, anathema sit.

Quare appositum sit Anathema.

47. Refert *Suavis* [1], uni ex Concilii Theologis non placuisse, ut tamquam de fide statueretur Communionis paschalis obligatio; quum mira res foret, Ecclesiæ præceptum ut dogma fidei declarari. Sed res ita contigit: Dixit quidam, condemnationem articuli, Canoni oppositi, fieri non debere sine adjectâ aliquâ explicatione; quum præceptum illud non divinum sit, sed ecclesiasticum. Alius porro censuit, articulum schismaticum potius esse quam hæreticum. Postea vero inter omnes convenit, articulum anathemate esse damnandum; et id recte quidem. Quemadmodum enim (inquit *Pallavicinus* [2]) ejus fides suspecta habetur, qui vel solet Missæ præscriptæ non interesse, vel die Veneris et Sabbato carnibus vesci, ita quoque in dubium venit ejus fides, qui negat obediendum esse Ecclesiæ præcepto singulis annis Communionem suscipiendi: illud quippe conjecturam affert, eum non credere, Ecclesiæ traditam fuisse potestatem has leges ferendi, quum tamen certum sit, ut ex Scripturâ et Apostolicis traditionibus constat, ipsum Deum Ecclesiæ potestatem tribuisse præcipiendi ea, quæ ad consequendam æternam salutem aliquâ ratione necessaria judicaverit.

DISPUTATIO VII.

SESSIO XIV.

DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTO.

CAPUT I.

DE EJUS NECESSITATE ET INSTITUTIONE.

Pœnitentia semper necessaria fuit.

1. Capite primo agitur de Pœnitentiæ Sacramenti necessitate et institutione; et dicitur pœnitentiam in culpam gravem prolapsis semper fuisse necessariam; eam tamen non fuisse Sacramentum, nisi quum Jesus Christus post Resurrectionem discipulis Spiritum-Sanctum his verbis dedisset: *Accipite Spiritum-Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* [3]. Quibus verbis potestatem remittendi et retinendi peccata Ecclesiæ fuisse communicatam, omnes ss. Patres communi consensu semper intellexerunt; quapropter eos condemnat Concilium, qui haec verba detorquent ad potestatem prædicandi Evangelium.

Non semper Sacramentum fuit.

2. Errant, qui asserunt Novatianos et Montanistas prorsus negasse Pœnitentiæ Sacramentum; ajebant solum, Ecclesiæ deesse potestatem ab immanibus quibusdam sceleribus absolvendi. *Lutherus* vero,

Quid dixerint hæretici. *Novatiani. Montanistae.*

Lutherus.

[1] L. c. « *Furono in diverse* ». — [2] Lib. XII, cap. 1, n. 5. — [3] *Joan.*, XX, 22 et 23.

Zwinglius. Calvinus.

Zwinglius et *Calvinus* hoc Sacramentum e medio tollunt; quamquam enim lapsorum post Baptismum reconciliationem quamdam agnoscunt, negant tamen sacerdotes peccata remittendi potestatem habere. *Lutherus* prius in libro *de Captivitate Babylonicâ* tria sola agnovit Sacramenta: *Tantum tria pro tempore ponenda: Baptismus, Pœnitentia, Panis* [1]. Deinde vero in eodem libro, Pœnitentiâ ad Baptismum revocatâ, duo fecit ex tribus Sacramentis: *Tantum duo sunt in Ecclesia Dei sacramenta, Baptismus et Panis, quum in his solis* (ut ipse quidem loquitur) *et institutum divinitus signum et promissionem remissionis peccatorum videamus. Nam Pœnitentiæ Sacramentum... signo visibili et divinitus instituto caret* [2]; quamquam in aliis libris, quo mobili erat judicio, Pœnitentiam sacramentum esse concedit [3]. *Zwinglius* [4] illud prorsus rejicit; atque item *Calvinus* [5] cum *Bezâ* [6] et qui eos sequuntur. Sed ex citatis verbis: *Accipite Spiritum-Sanctum; quorum remiseritis*, cet. [7] quæ apud S. Joannem leguntur, recte probatur, Pœnitentiam esse Sacramentum, quum adsint divina institutio, promissio gratiæ et signum externum sensibile, quod absolutionis verbis continetur. Confer Bellarminum [8].

Errant.

Calvinus non recte interpretatur verba: *Quorum remiseritis.*

3. Asserit *Calvinus* [9], verba, *Quorum remiseritis*, cet. spectare ad eam remissionem peccatorum quæ fit, quum peccatores convertuntur per Baptismum vel prædicationem. Sed respondemus, Christum Apostolis eorumque successoribus dedisse potestatem remittendi infidelium peccata per Baptismum, per Pœnitentiam vero peccata fidelium; et citata verba proprie intelligi de potestate Clavium, quæ exercetur cum fidelibus, ut explicant S. Joannes Chrysostomus [10], Theophylactus ad eum locum [11], et S. Ambrosius [12]. Duas ad veniam obtinendam esse januas, ait Tertullianus [13], Baptismum et Pœnitentiam. Idem dicit S. Cyprianus [14] (vel alius Auctor antiquus in Sermone *de Ablutione Pedum*). Idem S. Hieronymus [15], S. Augustinus [16], S. Joannes Chrysostomus [17], S. Cyrillus [18], S. Leo [19], Theodoretus [20]. Clarius etiam patet ex Decreto Lucii III, *Ad abolendum de Hæreticis* [21], et ex Florentino [22] et Tridentino [23] Concilio. Itaque, si illa doctrina non esset vera, universa Ecclesia per tot sæcula fuisset in errore; quod fieri non potest juxta promissionem, a Jesu Christo Ecclesiæ factam: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [24].

Perperam interpretatur verba: *remittuntur eis.*

4. Objicit quoque *Calvinus* [25], ea verba *remittuntur eis* non continere promissionem, sed solum incitamentum sperandæ remissionis; quod idem dicit de Baptismo et de ceteris Sacramentis. Sed inepte loquitur: ipsa enim verba *ego te baptizo, ego te absolvo*, justificationem tam clare significant, ut nihil supra possit; et sane, hominem rite dispositum justificant, etiamsi ab eo non audiantur neque intelligantur.

Quid *Lutherani* de hoc Sacramento retinuerint.

5. *Calvinistæ* igitur Pœnitentiæ sacramentum plane removerunt. Lutherani etsi illud non prorsus e medio sustulerunt, ita tamen mutilarunt et explicaverunt, ut vix nomen reliquerint; tum quia legitimos sacerdotes jam non habent, tum quia docent, peccata per solam fidem remitti, et Jesum Christum Apostolis eorumque successoribus non aliam dedisse potestatem, nisi ut prædicando annuntient divinam promissionem veniæ concessæ peccatoribus, qui-

[1] v. princ. « Principio neganda». — [2] v. finem « Proprie tamen ». — [3] Contra *Lovanienses*, art. 34. — [4] De vera et falsa religione. Cap. De sacramentis. — [5] Instit., lib. IV, cap. 19, n. 15. — [6] Confessio fidei, cap. 7, sect. 11, § De Pœnitentia. — [7] L. c. — [8] De Pœnitentia, lib. I, cap. 10. — [9] Antidotum Conc. *Trid.*, sess. 14. — [10] In *Joan.*, Homil. 8, n. 3. — [11] In *Joan.*, XX, 19-23. — [12] De Pœnitentia, lib. I, cap. 2. — [13] De Pœnitentia, cap. 7. — [14] De cardinalibus Operibus Christi, cap. de Ablut. Pedum (op. Apocr.-Nota edit.). — [15] Dialogus adversus *Pelagianos*, lib. I, n. 33; lib. II, n. 7. — [16] Ep. 228 ad *Honoratum*, n. 8. — [17] De Sacerdotio, lib. III, n. 5. — [18] *S. Cyrill. Alex.* In *Joan.*, lib. XII, in cap. 22, v. 22 et 23. — [19] Ep. 108, ad *Theodorum Forojuliensem*, cap. 2. — [20] Haeret. Fabular. Compend., lib. V, cap. 28. — [21] Decret. lib. V, tit. 7, cap. « *Ad abolendum* » 9. — [22] Decr. pro Unione *Armen.* — [23] Sess. 14, de Pœnit. Can. I. — [24] *Matth.*, XVI, 18. — [25] Instit. lib. III, cap. 4, n. 14; cfr. lib. IV, cap. 19, n. 16.

bus deinde in Pœnitentiæ sacramento declarent, eam remissionem per Redemptoris merita jam esse factam. Quam rem ceteroquin non solum sacerdotes, sed etiam laici, mulieres quin et ipsi infideles facere possent.

Quænam vera sit Ecclesiæ doctrina.

6. Ecclesia Catholica vero in Tridentino Concilio (hac Sessione XIV, Cap. VI) docet, Jesum Christum sacerdotibus vere judiciariam dedisse potestatem aut absolvendi aut retinendi peccata: *quorum remiseritis peccata, cet., quorum retinueritis* [1], *cet.* Non dixit: *quibus denuntiaveritis, peccata esse remissa,* cet. Deficiente Confessario, peccatori contrito ad veniam impetrandam satis quidem est desiderium absolutionis Sacramentalis, quod desiderium in contritione includitur; sed ut remittantur peccata post Baptismum commissa, semper necessaria est absolutio *vel in re vel in voto;* et Sacerdos absolvens vere remittit peccata ut vicarius Christi et ex potestate, ab ipso Christo (qui principaliter absolvit) sibi delegatâ, ut his verbis ait S. Ambrosius: *Impossibile videbatur, per Pœnitentiam peccata dimitti: concessit hoc Christus Apostolis suis; quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est* [2].

Objicitur, deesse Sacramenti materiam.

7. Opponit *Kemnitius* [3], in Pœnitentiâ deesse materiam, i. e. elementum. Quâ de re fusius agetur, quando sermo erit de Capite III, ubi de sacramenti Pœnitentiæ partibus erit dicendum. Breviter nunc *Kemnitio* respondemus, non in omnibus Sacramentis eam requiri materiæ qualitatem, quæ in Baptismatis aquâ habetur: in ceteris Sacramentis satis est adesse signa externa, quæ spiritualem eorum effectum referant juxta uniuscujusque Sacramenti naturam; nec refert, num oculorum auriumve sensu illa signa percipiantur ab eo, qui Sacramentum recipit.

Respondetur.

Quapropter, quum in Pœnitentiâ signum externum sit pœnitentis confessio et absolutio a Sacerdote pronuntiata, non deest propria Sacramenti ratio, ut docet S. Augustinus [4]. Neque obstant ejusdem S. Doctoris verba, Tract. 80 in Joannem: *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum* [5]; quandoquidem ea dicit, quum de solo Baptismo loquitur.

Objicitur, hoc Sacram. publicâ pœnitentiâ inuiti.

8. Præterea opponit *Kemnitius* [6], Pœnitentiæ sacramentum nullum habere fundamentum in antiquis Patribus, sed in solo usu publicæ pœnitentiæ olim peractæ, ubi requirebatur Confessio et injungebantur pœnæ. Sed quid hoc refert? Esto; primæ lapsorum reconciliationes factæ fuerint per publicam pœnitentiam: cur eæ Sacramenta esse non poterant, quum simul adessent et Contritio et Confessio et verba absolutionis a Sacerdote collatæ?

Responde tur.

Cap. I. De necessit. et institut. Pœnitent.

9. Quare Capite I dicit Concilium: *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo ipsius... gratiâ susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem... tradidissent; Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam... assequendam necessaria, illis etiam qui baptismi Sacramento ablui petivissent, ut, perversitate... emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur... Porro nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante*

[1] L. c. — [2] De Pœnitentia, lib. II, cap. 2, n. 12. — [3] Examen Conc. *Trid.*, pars 2, de Pœnit., cap. 3. — [4] De Doctrina Christiana, lib. II, cap. 3 (*a*). — [5] In *Joan.* Evang., tract. 80, n. 3. — [6] L. c., cap. 5, et cap. 8.

(*a*) « Omnia signa », inquit, « verbis comparata paucissima sunt. Verba enim prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi » (Nota edit.).

Baptismum. Dominus autem sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, quum, a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: ACCIPITE SPIRITUM-SANCTUM: QUORUM REMISERITIS PECCATA, REMITTUNTUR EIS, ET QUORUM RETINUERITIS, RETENTA SUNT. *Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes,* (id est, quum de quibusdam solum gravioribus criminibus agitur) *magnâ ratione Ecclesia catholica tamquam hæreticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei et Christi evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.*

Can. I. **10.** Ad hoc Caput accedunt Canon I, ubi dicitur: *Si quis dixerit, in Catholicâ Ecclesiâ Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

Can. III. **11.** Et Canon III: *Siquis dixerit, verba illa Domini Salvatoris:* ACCIPITE SPIRITUM-SANCTUM: QUORUM REMISERITIS PECCATA, REMITTUNTUR EIS; ET QUORUM RETINUERITIS, RETENTA SUNT, *non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.*

Suavis objicit 1. **12.** Tria opponit Petrus *Suavis* [1]. Primum est, quum reliqua Sacramenta in antiquâ Lege sint adumbrata, mirum videri, fuisse institutum a Christo sacramentum Confessionis, cujus tamen nulla figura præcesserit. — Sed expressam ejus figuram indicat S. Joannes Chrysostomus, quum dicit: *Corporis lepram purgare, immo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Judæorum* (solis) *sacerdotibus licebat. Hi vero (nostri sacerdotes) non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt* [2]. Quam figuram etiam in Concilio commemoravit Joannes Fonseca, Stabianus [*Castellamare di Stabia*] Episcopus, quum de hoc articulo dissereret. *Respondetur.*

13. Deinde objicit *Suavis*, in Evangelio non singulatim exprimi obligationes et actiones hujus Sacramenti. At, respondet *Pallavicinus* [3], si in Evangelio exprimerentur omnes fidei articuli, pauci exstitissent inter Christianos hæretici. Quod ad SS. Trinitatis mysterium attinet, plura convocanda fuerunt Concilia, ut post tot controversias declararetur, quæ vera essent dogmata credenda. Hinc patet necessitas ad traditionem confugiendi et magis etiam ad Christi Vicarium, traditionis et Scripturæ infallibilem interpretem. *Objicit 2.* *Respondetur.*

14. Tertium opponit *Suavis*, institutam fuisse Pœnitentiam his verbis, *Quorum remiseritis, cet.;* quapropter verbum *remitto* potius quam *absolvo* in ejus formâ esset adhibendum. Respondetur, alterutram vocem sufficere (ut explicat Cardinalis De Lugo [4]); sed alteram Ecclesiæ lege esse præscriptam, cui si aliam substitueret sacerdos, peccaret. Ecclesia enim et Synodus hujus Sacramenti institutionem non solum agnoscunt in allatis S. Joannis verbis, sed etiam in his S. Matthæi: *Quæcumque alligaveritis, cet.; et quæcumque solveritis* [5], *cet.* quibus melius aptatur vox absolvendi, quum significantius exprimat judiciariam confessarii actionem. *Objicit 3.* *Respondetur.*

[1] L. c., « *Gran materia* ». — [2] De Sacerdotio, lib. III, n. 6. — [3] Lib. XII, cap. 14, n. 3. — [4] De Sacr. Pœnit., disp. 13, sect. 1, n. 26. — [5] *Matth.*, XVIII, 18.

CAPUT II.

DE PŒNITENTIÆ ATQUE BAPTISMI DIFFERENTIA.

Cap. II. Quid inter se differant Baptismus et Pœnitentia.

15. Capite II agitur de differentiâ inter sacramentum Pœnitentiæ et Baptismum; et dicitur, Pœnitentiam a Baptismo differre, et post Baptismum lapsis esse necessariam. Item, in Baptismo et culpam et pœnam remitti: in Pœnitentiâ vero remitti culpam, pœnam vero non sine magnis fletibus et laboribus.

En verba Concilii: *Ceterum hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur. Nam præterquam quod materia et forma... longissime dissidet, constat certe Baptismi ministrum judicem esse non oportere, quum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus:* QUID ENIM MIHI, *inquit Apostolus,* DE IIS QUI FORIS SUNT, JUDICARE?[1] *Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi, sui corporis membra semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, quum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius præterea est Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus; per Baptismum enim, Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus et laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus; ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.*

Can. II hùc pertinens.

16. Huic Capiti II respondet Canon II, ubi dicitur: *Siquis, Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

CAPUT III.

DE PŒNITENTIÆ PARTIBUS.

Cap. III. De ejus partibus.

17. Capite III agitur de partibus et fructibus hujus Sacramenti. Hæc sunt verba Concilii: *Docet præterea sancta Synodus, sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, cet., quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenamque... peccatorum re-*

[1] 1 *Cor.*, V, 12.

missionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.

De ejus effectu.

Sane vero res et effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo: quam interdum in viris piis et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus et effectu hujus Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui Pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores et fidem esse contendunt.

Can. IV. **18.** Huic Capiti III respondet Canon IV, ubi dicitur: *Siquis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.*

Lutheri calumniæ: de fide. **19.** *Lutherus* arguit Catholicos, quasi doceant, ad hoc Sacramentum satis esse peccati dolorem, etiamsi fides non adsit [1]; sed fallitur: siquidem Ecclesia Catholica revera docet, credi debere, Deum in hoc Sacramento per Jesu Christi merita remittere culpas, dummodo nos dispositi simus per contritionem, quæ sine fide haberi nequit; non ea tamen requiritur fides, quam statuit *Lutherus;* et hæreticum est asserere, peccatori ad impetrandam veniam satis esse, ut firmiter credat, peccata sibi esse remissa. Sed hac de re sermo brevi redibit. Neque illud *Lutheri* verum est, Ecclesiam nostram docere, semper esse ambigendum de veniâ et dubitandum, num Christus pro peccatis nostris mortuus sit [2]. Minime vero; non dubitamus, num mortuus sit Christus, ut veniam nobis obtineret, neque in dubio ponimus, num in Pœnitentiæ sacramento culpæ per ejus merita remittantur; de nostrâ tantum dispositione incerti sumus, sitne ea, quæ esse debeat: eamque ob causam hæreticum dicimus, qui asserit, firmiter credi debere, nos veniam impetrasse, quum eam impetratam credimus.

De impetratâ veniâ.

Tres hæreticorum sententiæ. Prima.

20. De Pœnitentiæ sacramenti partibus tres sunt hæreticorum sententiæ. Prima est *Lutheri* [3], qui duas statuit Pœnitentiæ partes, contritionem et fidem; *contritionem* intelligit terrores conscientiæ, ex legis comminationibus incussos; *fidem* autem, certam fiduciam remissionis peccatorum ex promissione, ut ait, in Evangelio datâ; et hæreticam declarat [4] Lovaniensium doctrinam, quæ contritionem, confessionem et satisfactionem Sacramenti partes esse constituerat. Idem cum *Luthero* opinati sunt *Melanchthon* [5], *Magdeburgenses* [6], *Kemnitius* [7] et alii eorum discipuli.

Secunda. **21.** Altera sententia eorum est, qui contritioni et fidei tertiam adjungunt partem, omnia nempe bona opera, quæ post justificationem fiunt cum proposito abstinendi a peccatis, quod quidem propositum vocant *novam obedientiam.*

Tertia. **22.** Tertia sententia *Calvini* [8] est, qui cum Theodoro *Bezâ* [9] duas assignat constitutivas Pœnitentiæ partes, *mortificationem* seu abstinentiam a vitiis et *vivificationem* seu bene vivendi studium.

[1] Advers. exsecrabilem Bullam *Antichristi*, n. 6. — [2] Disp. 4 contra *Antinomos*, prop. 3. — [3] Articuli *Smalkaldici*, art. de Pœnitentia. — [4] Contra *Lovanienses*, art. 36. — [5] Apologia Confessionis, cap. de Pœnitentia. — [6] Cent. I, lib. I, cap. IV (*a*). — [7] Examen Conc. Trid., pars 2, de Pœnitent., cap. 3. — [8] Instit. lib. III, cap. 3, n. 8. — [9] Abstersio Calumniar. *Tilemanni Heshusii*, ad 4^m Calumniam.

(*a*) Hanc statuunt Pœnitentiæ definitionem: *Est salutaris conversio hominis ad Deum, complectens contritionem et fidem,* QUAM SEQUITUR *novu obedientia;* et Cent. I, lib. II, cap. IV, QUAM SEQUUNTUR *bona opera, digna iis, qui resipuerint* (Nota edit.).

Refellitur prima sententia. a de terrore.

23. Ad primam *Lutheri* sententiam dicimus primum, Sacramenti partem esse non posse terrorem a lege incussum: est quidem ille terror numerandus inter ea, quæ peccatorem ad justificationem præparant, ut docet Concilium, Sess. VI, Cap. VI; pœnitentiæ vero pars esse nequit. Consideratio enim pœnæ, quamquam ad pœnitudinem impellit, non est peccati commissi pœnitudo; quare Apostolus: *Gaudeo,* inquit, *non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam* [1]. Si ejusmodi tristitia vere pœnitentia esset, eâ gavisus esset Apostolus; quapropter S. Joannes Chrysostomus, illum textum exponens: *Non gaudeo,* inquit, *de tristitiâ; gaudeo de fructu,* id est, de pœnitentiâ, quæ eam consequitur [2]. Præterea, sæpe non oritur pœnarum timor ex pœnitentiâ, sed ex sui ipsius amore, quo quis a pœnis luendis abhorret. *Dæmones credunt, et contremiscunt* [3]. Quam multi peccatores, flagitiose viventes, pœnas quidem perhorrescunt, male vivere tamen minime desinunt! Multos etiam peccati pœnitet, non propter pœnas sed ob amorem Dei, ut Jesus Christus de Magdalenâ dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* [4]. Si ergo peccatorum remissio sine terrore haberi potest, terror non est pars Pœnitentiæ.

b de fide.

24. Deinde veniæ *fides,* a *Luthero* ut pars Sacramenti requisita, pariter disponit, et etiam necessaria est ad pœnitentiam; sed nec ipsa Pœnitentiæ partem constituit. Afferunt adversarii textum: *Pœnitemini, et credite Evangelio* [5]. At locus ille contra eos probat, quum ibi fides a Pœnitentiâ distinguatur; non enim dicitur *pœnitemini credentes,* sed *pœnitemini et credite.* Partes Pœnitentiæ eæ sunt, quæ ex Pœnitentiâ nascuntur: fides autem ex Pœnitentiâ non nascitur, sed eam præcedit: *Crediderunt viri Ninivitæ in Deum, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem* [6]. Quis vero umquam credere possit, peccata sibi esse remissa, quin prius ea detestatus fuerit? Pœnitentiam ita definiunt SS. Patres: *Perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare* [7]. Et S. Ambrosius: *Commissa flagitia condemnare* [8]. Si vero dicimus, fidem ad peccatorum remissionem esse necessariam, intelligimus fidem Catholicam, quæ docet, ut in Tridentino, Sess. VI, Cap. VI, dicitur, Deum per Jesu Christi merita peccata remittere; non autem fidem hæreticam, quæ asserit, veniæ fidem (sive fiduciam) et persuasionem justificare, eamque ob causam Pœnitentiæ esse partem.

Refellitur secunda sententia.

25. Ad secundam sententiam, omnia nempe opera bona, quæ post justificationem fiunt, esse partes pœnitentiæ ob propositum deinceps recte vivendi, respondetur, ejusmodi propositum esse quidem ad justificationem necessarium, et pertinere ad Pœnitentiam, quia sine eo non esset bona contritio; sed neque ejusmodi propositum neque aliud bonum opus post justificationem esse Pœnitentiæ partem. Multa bona opera a pœnitentibus fiunt, nullâ habitâ ratione peccatorum, quæ olim commiserunt, sed vel ex merâ erga Deum caritate vel ex amore justitiæ vel ex religionis obsequio; quapropter ea Pœnitentiæ partes esse nequeunt.

Refellitur tertia sententia.

26. Ad tertiam *Calvini* sententiam, *mortificationem* et *vivificationem* (ut ipse ait) i. e. abstinentiam a vitiis et virtutis studium ambas constituere pœnitentiæ partes, similiter respondetur, rem non ita se habere. Calvinus Pœnitentiam cum justificatione confundit; quin etiam hanc

[1] 2 *Cor.*, VII, 9. — [2] In Ep. 2 ad *Cor.*, Homil. 15, n. 1. — [3] *Jac.*, II, 19. — [4] *Luc.*, VII, 47. — [5] *Marc.*, I, 15. — [6] *Jonas,* III, 5. — [7] *S. Greg. Magn.* In Evang. Homil. 34, n. 15. — [8] In Psalm. 37 enarratio, n. 2 (*a*).

(*a*) « Plena enim est pœnitentiæ definitio », inquit, « commemoratio delictorum; ut unusquisque peccata sua velut quodam quotidiani sermonis castiget flagello, et *commissa* sibi *flagitia condemnet* ». (Nota edit.).

illâ priorem esse contendit, quum pœnitentiam fructum esse dicat justificantis fidei [1] (ut ipse videlicet fidem intelligit). At Scripturæ pœnitentiam justificatione priorem esse docent: *Si autem impius egerit pœnitentiam,... omnium iniquitatum ejus... non recordabor* [2]. *Sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* [3]. *Pœnitemini..., ut deleantur peccata vestra* [4]. Si pœnitentia præcedit justificationem, tanto magis præcedere debet illam *Calvini mortificationem* et *vivificationem*, quas fructus vocat justificantis fidei.

Objicitur: Contritio non est sensibilis. Respondetur.

27. Opponunt, fieri non posse, ut contritio sit pars Sacramenti, utpote interna neque sensibilis. Respondetur, eam ex seipsâ sub sensus non cadere, sed sensibilem fieri vel confessione vel petitione absolutionis vel alio quolibet signo externo. — Nec refert, identidem suscipi Sacramentum sine peccatorum confessione, ut accidit siquis sensibus est destitutus; tunc enim satis est confessio vel eo ipso tempore vel antea nutibus signisve peracta, quæ in tali casu est vera confessio. Respondent adversarii, nec posse Confessionem partem Sacramenti esse, quum sit quidem peccati commissi, non vero gratiæ sive remissi peccati signum.

Objicitur: Confessio est signum peccati commissi.

Respondetur.

Respondetur, Confessionem ab absolutione disjunctam non esse gratiæ signum, esse vero, quum conjuncta sit cum absolutione sive Sacramenti formâ, *ego te absolvo, cet.;* sicut neque in Baptismo aqua gratiam significat nisi cum formâ sit conjuncta: *ego te baptizo, cet.* Satis est igitur, materiam Sacramentorum tum esse gratiæ signum, quum est cum formâ conjuncta.

Objicitur: *Judas* veniam non obtinuit.

28. Opponunt quoque, Judam contritione suâ, confessione et satisfactione tres Pœnitentiæ partes implevisse, nec tamen peccatum ei fuisse remissum.

Respondetur.

Respondetur, Judam ex tribus partibus ne unam quidem habuisse: nec contritionem nec confessionem, quia ut illæ vere constituerent Pœnitentiæ partes, conjungi debebant cum veniæ fiduciâ, Jesu Christi meritis innixâ, quam ille non habuit; nec satisfactionem, quia seipsum necare non satisfacientis, sed desperantis fuit.

Objicitur: illæ partes simulari possunt.

29. Præterea objicit *Kemnitius* [5], hypocritam quoque simulare posse tres illas partes, a nobis admissas, atque ita veniam impetrare. Quod falsum est; siquidem culparum veniam non impetrat nisi is, qui sincere, non ficte hoc Sacramentum suscipit; aliter deesset potissima pars, quæ est vera contritio.

Respondetur.

Scoti sententia de essentia hujus Sacramenti.

30. Sed de Pœnitentiæ partibus non solum cum hæreticis, sed cum nostris etiam, Catholicis, contentio nobis est. Docet Scotus [6], solam absolutionem Pœnitentiæ Sacramenti essentiam constituere; eumque sequuntur *Occam* [7], *Almainus* [8], *Joannes Major* [9] et alii; qui tamen, etsi negant, Contritionem et Confessionem esse Pœnitentiæ partes essentiales, admittunt, eas esse partes necessarias, non essentiales quidem, sed conditionales, sine quibus Sacramentum esset nullum. Et ad difficultatem, tunc videlicet deesse signum sensibile, respondent, signum illud sensibile reperiri in sono verborum Absolutionis. Verum sententiam, Scoti opinioni contrariam, communiter sequuntur auctores cum S. Thoma [10]; eaque indubia videtur juxta verba Florentini et deinde Tridentini Concilii. Concilium Florentinum de Pœnitentiæ Sacramento ita statuit: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis...* (qui sunt, ut postea ibi adjungitur:) *cordis contritio cum proposito non peccandi de cetero, oris confessio et satisfactio pro peccatis.* Deinde forma indicatur: *ego te absolvo, cet.* [11] Accedunt ea, quæ statuit Lucius III (Cap. Ad abolen-

Rejicitur.

[1] Instit., lib. III, cap. 3, n. 1. — [2] *Ezech.*, XVIII, 21 et 22. — [3] *Luc.*, XIII, 5. — [4] Act., III, 19. — [5] Examen Conc. Trid., pars 2, de Pœnit., cap. 3. — [6] In Sent. lib. IV, dist. 14, qu. 4, n. 3; dist. 16, qu. 1, n. 7. — [7] In Sent. lib. IV, qu. 9, art. 1, membr. 2. — [8] De Pœnitentia Magistri *Jacobi Almain Senonensis.* In Quæstiones *Scoti*, dist. 14, qu. 4. — [9] In Sent. lib. IV, dist. 16, quæst. unica. — [10] 3ª, qu. 90, art. 2 et 3. — [11] Decr. pro Unione *Armen.*

dum, de hær. [1]): Sacramenta vocat Baptismum, Confessionem peccatorum et Matrimonium; si autem confessio ad Pœnitentiæ Sacramenti essentiam non pertineret, Pontifex confessionem Sacramentum vocare non potuisset.

Scoti sententia a Conc. Trid. dissidere videtur.

31. In Tridentino autem (cap. III) dicitur, eos actus esse partes Pœnitentiæ, quos Concilium asserit illius esse *quasi materiam;* en ejus verba: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio; qui, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur,... pœnitentiæ partes dicuntur.* Itaque, quos actus Concilium *quasi materiam* vocat, eos statim inde nominat pœnitentiæ partes, eosque ex Dei institutione ad integritatem Sacramenti et ad plenam peccatorum remissionem pertinere declarat. *Sacramenti vero partes sunt illi intrinsecæ* (ita argumentatur *Jueninus*); *atqui materia intrinseca et materia « ex quâ » idem omnino sunt; ergo illi actus sunt materia « ex quâ » Sacramenti Pœnitentiæ, quos Concilium Tridentinum asseruit esse quasi illius materiam, esse illius partes* [2]. Unde merito dicit Bellarminus, Scotum ceterosque ita esse locutos, quia loquerentur ante Florentinum Concilium et Tridentinum, quæ accuratius hæc omnia explicarunt; et subjungit: *Quodsi hoc tempore superessent, sine dubio Ecclesiæ definitioni ac sententiæ acquiescerent* [3]. Quare Bellarminus [4] verissimam vocat sententiam, quæ tenet, actus pœnitentis hujus Sacramenti tamquam materiam, Sacerdotis autem absolutionem esse formam; testatur quoque, eam secutos esse S. Thomam [5], Richardum [6], Durandum [7] aliosque fere communiter. — Antiquitus in usu fuit ritus pœnitenti manus imponendi; sed illud ad essentiam hujus Sacramenti non pertinere, certum est, ut ait S. Thomas [8].

Objicitur: Concil. dixit: QUASI materia.

32. Occultus quidam Scoti fautor (*P. Morelli* [9], Camaldulensis, qui operis *Pallavicini* epitomen fecit): Concilium, inquit, tres pœnitentis actus non Sacramenti *materiam*, sed *quasi materiam* vocat; et ita confirmavit Scoti sententiam, eos revera non esse materiam, sed necessaria Sacramenti adjuncta. Verum auctor ille prorsus fallitur: nam ceteri communiter sentiunt, Concilium nequaquam hac in re, ut ille contendit, de confirmandâ Scoti sententiâ vel leviter cogitasse; sed iis verbis confirmavit communem sententiam, Scoti sententiæ contrariam, Sacramento essentiales esse singulas tres partes, non solam absolutionem. Præterquam quod Scotus loco citato admodum confuse loquitur, quum inter alia dicat: *Pœnitentia est absolutio pœnitentis facta certis verbis* [10], *cet.* Absolutio, inquit Bellarminus [11], utique sacerdotis actio est, Pœnitentia vero non sacerdotis, sed pœnitentis; et ambæ constituunt Sacramentum juxta S. Thomæ doctrinam, ut infrà videbimus.

Respondetur.

Cur Concil. dixerit: QUASI materia.

33. Sed quare Concilium tres pœnitentis actus non materiam, sed *quasi materiam* vocat? Respondet Bellarminus, Tridentinum eos *quasi materiam* vocasse, *non quod non sint vere et proprie talis materia, qualem Sacramenta requirunt, sed quod non sint res aliqua solida, permanens ac tractabilis, qualis in multis aliis Sacramentis cernitur* [12]. Et eodem modo Cathechismus Romanus: *Sed,* inquit, *quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur: ut aqua in Baptismo et Chrisma in Confirmatione* [13]. Nam, inquit Bellarminus, ad Sacramenti materiam nihil aliud requiritur nisi signum sensibile, quod deinde formæ verbis declaretur; cujusmodi plane sunt tres pœnitentis actus.

[1] Decret. lib. V, tit. 7, cap. « *Ad abolendum* » 9. — [2] De Pœnitent., qu. 2, concl. 2. — [3] De Pœnit., lib. I, cap. 15. — [4] L. c. — [5] 3ª, qu. 90, art. 2 et 3. — [6] In Sent. lib. IV, dist. 16, art. 1, qu. 1. — [7] In Sent. lib. IV, dist. 14, qu. 3; dist. 16, qu. 1. — [8] Opusc. 22, de Forma Absolutionis, cap. 4. — [9] *La Storia del Conc. di Trento, lib. III, § 220.* — [10] In Sent. lib. IV, dist. 14, qu. 4, n. 2. — [11] L. c. — [12] L. c., cap. 16, Resp. ad 5m. — [13] De Pœnitent. Sacram., n. XVII.

Ceterum nullius Sacramenti materia proprie materia vocari potest, si ad modum Physicorum loqui volumus [1].

Rejicitur adversariorum explicatio.

34. Adversarii nihilominus reponunt, Concilium pœnitentis actus eatenus *quasi materiam* et Pœnitentiæ *partes* vocare, *quatenus ad integritatem Sacramenti et ad plenam peccatorum remissionem requiruntur;* non autem idcirco, quia intrinsece Sacramentum componunt, sicut aqua Baptismum. Respondet *Jueninus*, [2] si valeret illud argumentum, etiam actus fidei, spei et caritatis vocari posse *quasi materiam* Baptismi, quum ad recipiendam in Baptismo gratiam illi quoque necessarii sint. Concilium vero, inquit, agens de dispositionibus requisitis, ut in Baptismo vel in aliis Sacramentis gratia recipiatur, numquam dixit, eas dispositiones esse quasi materiam et partes Sacramenti. Quum igitur de Pœnitentiâ declaret, pœnitentis actus ejus *quasi materiam* et partes esse, certo non intellexit, eos meras constituere dispositiones, sed revera Sacramenti partes.

Objiciunt: Sacramentum est sui effectûs signum.

35. Objiciunt præterea Scotistæ, Sacramentum esse debere signum ejus rei, quæ per Sacramentum efficitur: effectus autem Pœnitentiæ est peccatorum remissio, quæ nec per contritionem nec per confessionem, sed per solam Absolutionem significatur; ergo in solâ Absolutione propria Sacramenti essentia consistit. At respondetur, quemadmodum absolutio a Sacerdote pronuntiata significet remissionem peccati, ita humilem confessionem pœnitentis, qui de offensis Deo illatis dolet, significare recessum a peccato; unde docet S. Thomas, vim sacramentalem, quamvis

Respondetur.

præcipue resideat in potestate Clavium, cujus vi sacerdos absolvit, nihilominus residere quoque in actibus pœnitentis, quatenus Deus iis utitur ad significandam efficiendamque justificationem. En S. Doctoris verba: *Omne autem Sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ; ex utroque enim est unum Sacramentum. Unde sicut remissio culpæ fit in Baptismo, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ (scil. aquæ), principalius tamen virtute formæ, ex quâ et ipsa aqua virtutem recipit; ita etiam et remissio culpæ est effectus Pœnitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc Sacramento, secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ: et sic patet, quod remissio culpæ est effectus pœnitentiæ secundum quod est virtus, principalius tamen secundum quod est Sacramentum* [3].

Objiciunt: valida est confessio sine satisfactione.

36. Objiciunt quoque, ideo pœnitentis actus non posse Pœnitentiæ Sacramenti esse materiam, quia in iis numeretur Satisfactio, sine quâ valere potest Confessio, ut accidit, quum pœnitens eam implere nequit. Respondetur, Satisfactionem esse quidem Pœnitentiæ partem, non tamen materiam prorsus essentialem; est materia integralis, ex quâ Pœnitentia componitur; quin etiam Sacramenti materia essentialis inadæquata, ita ut si pœnitens non haberet intentionem eam implendi, Sacramentum prorsus nullum esset.

Respondetur.

[1] L. c. — [2] Inst. theol., De Pœnit., qu. 2, concl. 2. Sed contra.

[3] 3ª, qu. 86, art. 6.

CAPUT IV.

DE CONTRITIONE.

Quid dixerint hæretici.

37. Capite IV agitur de Contritione. *Lutherus* et *Calvinus*, quum dicerent, contritionem esse fidei justificantis fructum, eam Pœnitentiæ partem esse negabant. Præterea docuit *Lutherus*, veram contritionem non esse anteactæ vitæ odium et horrorem, sed amorem justitiæ et novam vitam; de tristitiâ autem, quam quis ex peccatis commissis percipit, adjungebat: *Contritio facit hominem hypocritam, immo magis peccatorem, cet. Optima pœnitentia, nova vita* [1]. Sed ab hoc errore discesserunt *Kemnitius* [2] et *Calvinus* [3], dixeruntque, necesse esse, peccatorem, ut veniam impetret, malum commissum odio habere, quum hac in re nimis manifesta sint Scripturæ testimonia: *Convertimini ad Me in toto corde vestro, in jejunio et in fletu et in planctu. Et scindite corda vestra et non vestimenta vestra; et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, cet.* [4] *Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: quid feci?* [5] *Recogitabo Tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* [6]. Quod idem docent omnes SS. Patres. *Dolentes*, inquit S. Cyprianus, *peccata vestra perspicite* [7]. Et ita loquuntur S. Ambrosius [8], S. Joannes Chrysostomus [9], S. Hieronymus [10], S. Augustinus [11], S. Gregorius [12] et alii.

De propositi necessitate.

38. Non est dubium, quin in contritione necessario includatur propositum novam instituendi vitam; illud tamen propositum non est Sacramenti pars, sed contritioni inhæret. Si quæratur, debeatne propositum esse explicitum, plures Auctores implicitum satis esse docent; Bellarminus [13] vero existimat cum Petro Lombardo [14], Alexandro Halensi [15], S. Thomâ [16], Scoto [17] et cum sententiâ communi, debere illud explicitum esse et formale (*a*); quam quidem sententiam, quum agatur de Sacramenti validitate, sequi debemus ex propositione I, ab Innocentio XI damnatâ [18]. Idque eo magis, quia Concilium, ut videbimus, in ipsâ contritionis definitione propositum exprimit: *Contritio... detestatio est, cet.... cum proposito non peccandi de cetero* [19].

Quid sit contritio.

39. Quidquid ceteroquin dicunt Novatores, Concilium Cap. IV declarat, *contritionem esse dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.*

Cap. IV. De Contritione et Attritione.

40. En verba Concilii (Cap. 4°): *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detes-*

[1] Sermo *de Pœnitentia.* — *Leo X*, Bulla « *Exsurge Domine* », 15 Jun. 1520; proposit. 6 et 7. — [2] Examen Conc. Trid., pars 2, de Pœnit, cap. 4. — [3] Instit., lib. III, cap. 4, n. 2. — [4] *Joel*, II, 12 et 13. — [5] *Jerem.*, VIII, 6. — [6] *Isai.*, XXXVIII, 15. — [7] De Lapsis, n. 25. — [8] De Pœnitentia, lib. II, cap. 10, n. 92. — [9] De Compunctione, lib. I, n. 10. — [10] In *Jerem.*, XXXI, 19. — [11] Enchiridion, cap. 65. — [12] *S. Greg. Magn.* In Evang. Homil. 34, n. 15. — [13] De Pœnitentia, lib. 2, cap. 6. — [14] Sent. lib. IV, dist. 14 et 15. — [15] Summa theolog., pars IV, qu. 17, membrum 3, art. 9. — [16] 3ª, qu. 86, art. 2; in Sent. lib. IV, dist. 14, qu. 1, art. 4. — [17] In Sent. lib. IV, dist. 17, quæst. unica, n. 22. — [18] Decret. 4 Mart, 1679, prop. 1 (*b*). — [19] Sessio 14, cap. 4.

(*a*) De iis apposite Bellarminus (l. c.): *Veteres theologi*, inquit,... *simpliciter docent, de ratione contritionis esse quum detestationem peccati, tum propositum bene vivendi: et quamvis non distinguant inter formale et virtuale propositum, tamen satis aperte indicant de formali se esse locutos* (Nota edit.).

(*b*) « Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut episcopalis » (Nota edit.).

statio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius: et in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: PROJICITE A VOBIS OMNES INIQUITATES VESTRAS, IN QUIBUS PRÆVARICATI ESTIS, ET FACITE VOBIS COR NOVUM ET SPIRITUM NOVUM. *Et certe qui illos Sanctorum clamores consideraverit:* TIBI SOLI PECCAVI ET MALUM CORAM TE FECI: LABORAVI IN GEMITU MEO, LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM: RECOGITABO TIBI OMNES ANNOS MEOS IN AMARITUDINE ANIMÆ MEÆ; *et alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio et ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus-Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis, sine sacramento Pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus, pœnitentiam egerunt et misericordiam a Deo impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: quod numquam Ecclesia Dei docuit neque sensit: sed et falso docent, contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam.*

Can. V huc pertinens.

41. Huic Capiti IV respondet Canon V: *Siquis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem, demum illam esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium, anathema sit.*

Quæstio de attritione et amore inchoato.

42. Hoc loco ponenda est magna illa quæstio, num ad suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum sătis sit attritio, et in eâ contineri debeat *amor inchoatus*. De amore inchoato scire oportet, anno 1667 Alexandrum VII sub excommunicationis pœnâ Decreto suo statuisse: *Non audeant alicujus theologicæ censuræ alteriusve injuriæ... notâ taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in... attritione ex metu gehennæ conceptâ, quæ hodie inter scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem* [1]. Ceterum hodie consentiunt theologi, satis esse attritionem, sed in eâ requiri amorem inchoatum; quum non sit dubium, quin una ex necessariis dispositionibus, ad justificandum peccatorem (ut docet Tridentinum Concilium, Sess. VI, Cap. VI) sit ea, ut (*Deum*) *tamquam... justitiæ*

[1] Decr. 5 Maji 1667. Apud *Concina*, de Pœnit., diss. 2, cap. 3, § 4.

fontem diligere incipiat, ac propterea moveatur adversus peccata per odium aliquod et detestationem. Sed cardo quæstionis est, num amor ille inchoatus esse debeat caritas prædominans, quâ Deus super omnia diligitur, ut volunt *Jueninus* [1], *Merbesius* [2], *Habert* [3], *Morinus* [4], *Concina* [5] et *Antoine* [6]. Sententia valde communis est, caritatem illam prædominantem non requiri; ita sentiunt *Gonet* [7], *Melchior Canus* [8], *Petrocorensis* [9], *Tournely* [10], *Collet* [11], *Cabassutius* [12], *Wigandt* [13] aliique innumeri. Et Benedictus XIV ait, post Tridentinum omnes scholas cum plausu hanc sententiam excepisse [14]. Cujus rei ratio hæc est, quia si in attritione amor Dei *super omnia* requiratur, Pœnitentiæ sacramentum jam non mortuorum sed vivorum esset, quum omnes pœnitentes, jam recuperatâ gratiâ, illud susciperent: quælibet enim contritio, ex prædominanti caritate nascens, peccata delet et vera contritio est, ut docet S. Thomas [15]. Atque illud evenit, quoties homini magis displicet amissio gratiæ quam alterius cujuslibet boni. Et quum vera sit contritio, *quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet* [16]. S. Thomas autem loquitur de contritione habitâ extra Sacramentum, ut alibi repetit: *Per solam contritionem dimittitur peccatum;... sed si antequam absolvatur, habeat hoc Sacramentum in voto* [17]. Idipsum constat ex hisce verbis Concilii: *Etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur* [18] *cet.* Neque dixeris, Concilium, quum contritionem *caritate perfectam* commemoret, non loqui de caritate remissâ, sed de intensâ, fervidâ et ardenti; fervor enim ad essentiam vel perfectionem contritionis non pertinet, sed ad statum, ut loquitur S. Thomas [19], seu ad ejus modum, quum ejusmodi fervor velut adjunctum quoddam per accidens ad contritionis substantiam accedat; siquidem *plus et minus non variant speciem.*

Num requiratur caritas.

Sententia affirmans.

Sententia negans.

Cur negandum sit.

43. Concilium porro eâ contritione, quam *caritate perfectam* vocat, non intelligere caritatem intensam, sed solam contritionem, ex prædominanti caritate progenitam, ex ipso verborum contextu liquet: distinguit enim contritionem *perfectam*, quæ nascitur ex caritate (*caritate perfectam*), a contritione *imperfectâ*, quæ oritur vel ex peccati turpitudine vel ex timore pœnarum inferni: *illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennæ et pœnarum metu concipitur* [20]. Hanc autem declarat, quamvis donum Dei sit et ad recipiendam justitiam præparet, extra Sacramentum non producere gratiam. Certum est autem, quamcumque etsi remissam contritionem, justificare; est enim formalis actus caritatis; et caritas, ut ex Scripturarum tam multis testimoniis constat, cum

Explicantur Concilii verba.

Contritio semper justificat. Probatur.

a ex Scripturis.

[1] Instit. theol., de Pœnit., qu. 3, cap. 3, art. 2, § 2, concl. 1. — [2] Summa Christiana, de Pœnit., qu. 10, consectar. 2 et 3. — [3] Theologia, De Pœnit. cap. 8, § 4. — [4] Comment. historic. de disciplina in Administr. S. Pœnit., lib. VIII, cap. 4. — [5] Theol. Christiana, de Sacr. Pœnit., lib. I, diss. 2. — [6] Theol. Mor. Universa, de Pœnit., cap. 1, art. 1, qu. 6. Resp. 2. — [7] Manuale *Thomistar.* De Sacr. Pœnit., cap, 4, § 4. — [8] Relect. de pœnit., pars 6, quæst. « Quando ex attrito fiat homo contritus ». — [9] Theol. mor., De Pœnit., cap. 5, qu. 3. — [10] Compend. theolog., de Pœnit., qu. 5, art. 2, concl. 2. — [11] Instit. theol., Tr. de Pœnit., cap. 5, § 3, qu. 2, concl. 5 (*a*). — [12] Juris Canonici theoria et praxis, lib. III, cap. 9, n. 11. — [13] Tribunal confessarior., tract. 13, examen 3, quær. 3. — [14] De Synodo Dioec., lib. VII, cap. 13, n. 7. — [15] Suppl., qu. 5, art. 3. — [16] L. c. — [17] Quodl. 4, art. 10. — [18] Sessio 14, cap. 4. — [19] 2ª 2æ, qu. 19, art. 8; Suppl., qu. 5, art. 3. — [20] Sess. 14, cap. 4.

(*a*) *Ad attritionem*, inquit (l. c.), *ut justificet in Sacramento, requiritur aliqua Dei propter Se dilectio, vel saltem aliquis caritatis influxus.* Ad quod probandum (*prob. 2*): *Magnum Dei super omnia propter se diligendi mandatum aliquando urget.... Atqui nullum est tempus, quo urgeat magis, quam quum homo in gratiam cum Deo regredi satagit* (Nota edit.).

peccato et cum odio Dei stare nequit: *Ego diligentes Me diligo* [1]. *Qui... diligit Me, diligetur a Patre meo* [2]. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est* [3]. Quod communiter quoque docent SS. Patres et theologi cum S. Thomâ, qui dicit: *Caritas... non potest esse cum peccato mortali* [4]. Nec S. Doctor intelligere potest caritatem intensam, quum alibi sententiam suam ita exponat: *Actus peccati mortalis contrariatur caritati... quæ consistit in hoc, quod Deus diligatur super omnia* [5]. Et alio loco docet, caritatem perfectam, id est intensam, essentiâ suâ ab imperfectâ nihil differre: *Caritas... perfecta et imperfecta non differunt secundum essentiam, sed solum secundum statum* [6].

b ex traditione.

c ex damnata Baii propositione.

44. Illud etiam magis patet ex Baii propositione XXXII, a Gregorio XIII damnatâ: *Caritas illa, quæ est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccatorum* [7]. Amor, qui est *plenitudo legis*, id est, qui satis est ad caritatis præceptum implendum, certo ille est, quo Deus super omnia diligitur, ut omnes dicunt cum S. Thomâ, qui explicans præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* [8], ita loquitur: *Quum mandatur, quod Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi, quod Deum super omnia debemus diligere* [9]. Posito igitur, prædominantem illam caritatem, quamvis remissam, simul cum peccato existere non posse, item certum est, omnem contritionem, quum formaliter sit etiam actus caritatis, peccatum delere. Si ergo amor inchoatus, in attritione requisitus, amor prædominans esse debeat, quilibet peccator jam justificatus ad confessionem accedit; confessarius autem absolvens, ad summam nihil aliud facit, nisi declarat (id quod *Lutherus* asseruit), eum esse absolutum. — Minime vero, reponunt adversarii: peccator enim remanet absolutus virtute sacramentalis absolutionis, cujus desiderium habet. Sed respondemus: si hoc ita esset, Pœnitentiæ sacramentum suum peccata remittendi effectum numquam produceret in ipso administrandi actu, quum tamen cuilibet Sacramento proprium sit, in actuali collatione effectum suum producere: quam a ceteris Sacramentis differentiam sine manifestâ ratione statui vel admitti nefas est. Quod autem in attritione requiratur amor inchoatus, qui non sit amor perfectus sive prædominans, sed solum (juxta Concilii Tridentini verba, *Deum diligere incipiunt*) amoris initium, ut dispositio ad justificationem, illud minime negamus; et asserimus, hoc principium intrinsece et actu jam adesse in omni attritione tum propter Dei pœnarum metum, *timor Dei initium dilectionis ejus* [10], tum propter spem veniæ et beatitudinis; quum S. Thomas dicat: *Ex hoc... quod per aliquem speramus... bona,... incipimus ipsum amare* [11]. — Refert Cardinalis *Pallavicinus* [12], in Concilio nonnullos ad verba *diligere incipiunt*, hæc alia adjungenda censuisse: *per actum caritatis;* attamen Concilium obstitit, nec apposita fuerunt ea verba.

Instant adversarii.

Respondetur.

45. Sed, etiam missis rationibus superius allatis, ex ipsis Concilii Tridentini textibus sententia nostra probatur. In capite IV vidimus, *Lutherum* dixisse, attritionem ex gehennæ metu conceptam reddere hominem magis peccatorem. Sed hoc verum non est: si quis gehennæ timore ita peccatum detestetur, ut si gehenna non existeret, pergeret peccare, ejusmodi timore culpam suam auget; qui vero, ut ait Concilium, peccandi voluntatem excludit, et propter inferni pœnas, quas sibi promeruit, a peccato commisso abhorret, is non solum non peccat, sed juxta Concilii doctrinam, etiam bonum præstat actum, qui donum Dei est et Spiritus-Sancti impulsus, et hominem ad gratiam in Sacramento impetrandam disponit: *Et quam-*

Sententia nostra probatur ex Concilio Trid.

[1] Prov., VIII, 17. — [2] *Joan.*, XIV, 21. — [3] 1 *Joan.*, IV, 7. — [4] 2ª 2æ, qu. 45, art. 4. — [5] 2ª 2æ, qu. 24, art. 12. — [6] 2ª 2æ, qu. 19, art. 8. — [7] Bulla « *Provisionis nostræ* », 29 Jan. 1579; prop. 32. — [8] Deut., VI, 5. — [9] 2ª 2æ, qu. 44, art. 8, ad 2m. — [10] Eccli., XXV, 16. — [11] 1ª 2æ, qu. 40, art. 7. — [12] Lib. VIII, cap. 13, n. 13.

vis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam dis-

Attritio est dispositio proxima.

ponit[1]. Fatendum est quidem, prius scriptum fuisse *sufficit;* sed non dubitarunt Patres, in ejus locum substituere vocem *disponit,* quia ad summam idem valeret. Illud « *disponit* » siquidem (ut cum aliis theologis scribit *Gonet*[2]) videtur non posse intelligi de remotâ dispositione, quum jam declarasset Concilium, attritionem *ex metu gehennæ, cet.* esse donum Dei et Spiritus-Sancti impulsum, ac propterea esse dispositionem ad justificationem; quapropter eæ voces, *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit,* videntur de proximâ dispositione intelligi debere. Quod manifestius etiam apparet ex ipso sententiarum nexu: Concilium enim, si hæc intellexisset de solâ dispositione remotâ, incongrue dixisset; *et quamvis sine Sacramento... ad justificationem perducere nequeat, tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit;* sed potius debuisset dicere: *et quamvis sine Sacramento non disponat ad gratiam, tamen in Sacramento disponit ad illam impetrandam.* Ergo, quum dixerit: *et quamvis attritio sine Sacramento ad justificationem perducere peccatorem nequeat,* ex connectendis verborum terminis conjici potest, Concilium dicere voluisse, attritionem in Sacramento justificare peccatorem: quapropter de dispositione proximâ, non de remotâ loqui voluit.

Indirecte probatur ex hæreticorum doctrinâ.

46. Quod clarius confirmatur ex iis, quæ fere statim subjunxit: *Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre; quod numquam Ecclesia Dei docuit neque sensit*[3]. Numquam hæretici cum Luthero calumniati sunt Catholicos, quod dicerent *contritis* peccatoribus gratiam conferri, sed solum quia eam conferri dicerent *attritis,* utpote jam præditis bono illo motu, qui ad Sacramenti gratiam recipiendam eos disponit; idque contra hæc *Lutheri:* Contritio ob *peccatorum... fœditatem... amissionem æternæ beatitudinis, cet. facit... magis peccatorem.... Et tales omnes indigne absolvuntur;* quare improbabat eos, qui *vocant attritionem proxime disponentem ad contritionem*[4]. — Quos igitur Concilium ab hæreticis calumniâ falso argui statuit, ii nempe sunt, *qui vocant attritionem hanc proxime* (non *remote*) *disponentem ad contritionem;* et sine ullâ dubitatione eodem hoc sensu loquitur Concilium (nisi forte credimus, illud in eodem decreto alibi alio sensu esse locutum), quum dicit: *ad gratiam impetrandam disponit.* Ita sapienter disputat Petrocorensis[5]; nec video, quomodo adversarii ex tali argumentatione sese expediant. Accedit Sancti Thomæ de Baptismo doctrina: dispositiones ad recipiendam in Baptismo gratiam eædem sunt, quæ requiruntur, ut quis gratiam recipiat in Pœnitentiæ sacramento; S. Thomas autem docet cum *Gonet*[6], *Soto*[7], *Cano*[8], aliisque valde communiter: *Ad hoc, quod homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non caritas; quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio*[9].

Confirmatur ex doctrinâ S. Thomæ.

Practica conclusio.

47. Quæ omnia, quamquam in meâ Theologiâ morali satis abundanter tractata, hîc ut suo loco repeti oportuit. Ceterum hæc controversia ad praxim parum attinet: quum non sit dubium, quin et pœnitens, ad illud Sacramentum accessurus, magis perfectam illam contritionem sibi comparare pro viribus niti debeat, quo tutius remissionem peccatorum con-

[1] Sessio 14, cap. 4. — [2] Clypeus. De Pœnit., disp. 7, art. 3, § 3, n. 38. — [3] L. c. — [4] Sermo de Pœnitentia, a° 1518 (Edit. *Jenæ,* 1612, tom. I, fol. 11 *b*). — [5] Theol. Mor., de Pœnit., cap. 5, qu. 2. — [6] Manuale *Thom.,* de Sacr. Pœnit., cap. 4, § 4. — [7] In Sent. lib. IV, dist. 6, qu. 1, art. 7, dub. de attritione, concl. 6. — [8] Relect. de Pœnit., pars 3, « Secunda Conclusio ». — [9] In Sent. lib. IV, dist. 6, qu. art. 3, ad 5[m].

sequatur; et ex suâ parte Confessarius illi debeat injicere perfectiores contritionis et caritatis actus. Atvero, huic rei saltem utilis est sententia nostra, ne desperata habeatur salus eorum, de quibus propter immanitatem multitudinemque peccatorum, facile dubitari possit, num in suscipiendo Pœnitentiæ sacramento ad caritatem prædominantem perveniant. De hac materiâ multæ aliæ supersunt quæstiones, de quibus quum ad moralem potius quam ad dogmaticam Theologiam pertineant, in *Theologiâ Morali* [1] disserui.

CAPUT V.

DE CONFESSIONE.

Cap. V. De Confessione.

48. Capite V agitur de Confessione. En verba Concilii: *Ex institutione sacramenti Pœnitentiæ jam explicatâ, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cælos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, qui pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint et tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnumquam animum gravius sauciant et periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus a gratiâ Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum quum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios et Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta et verecunda confessione a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt; qui vero secus faciunt et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutent; quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed et impium est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim, nihil aliud in Eccle-*

Necessaria est.

Venialia dici possunt; non debent.

Confitendæ circumstantiæ speciem mutantes.

Confessio non est nimis difficilis.

[1] Lib. VI, n. 440 seq.

sia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum propheta dicimus: AB OCCULTIS MEIS MUNDA ME DOMINE. *Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. Ceterum, quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, quum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum; nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda. Unde, quum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu, secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam et inventum humanum esse atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verentur; neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, quum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore quadragesimæ; quem morem hæc sancta Synodus maxime probat et amplectitur, tamquam pium et merito retinendum.*

De Confess. publicâ et secretâ.

Non est instituta in Concil. Lateran.

49. Huic Cap. V adjicitur Canon VI: *Siquis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum, anathema sit.*

Can. VI huc pertinens.

50. Huc item referri debet Canon VII: *Siquis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.*

Item Can. VII.

Errores circa confess.

51 Dicunt nonnulli, Novatianos, Montanistas et Wiclefistas Pœnitentiæ sacramentum negasse; sed falluntur; negaverunt quidem Ecclesiæ potestatem in atrociora quædam flagitia, non vero in peccata ordinaria. Hujus hæresis caput Montanus fuit, vir impius, qui spe episcopalis dignitatis frustratus, circa annum 171 delirare cœpit et prophetam agere. Quâ in re duas mulierculas, Priscillam et Maximillam, item vaticinantes sibi adjunxit comites. Multi eum secuti sunt; ipse vero damnatus fuit a duobus Conciliis. Asseruit, Ecclesiam leviora peccata remittere posse, graviora non posse; ita scribit Tertullianus [1], postquam se adjunxit Montano, qui Paracleti nomen assumpserat.

Montanus.

[1] De Pudicitia, cap. 2.

Novatianus. Postea idem asserui Novatianus, qui Novati operâ a tribus Episcopis ad summum Pontificatum evectus, primus Antipapa fuit (*a*).

Wiclefus. **52.** Joannes *Wiclefus* [1], eam potestatem non inniti Scripturis, sed a Summo Pontifice in Concilio Lateranensi sacerdotibus traditam fuisse ait; idemque asserui *Erasmus Rotterodamensis* [2]. *Calvinistæ* Confessionem ex Sacramentorum numero prorsus sustulerunt. *Lutherani* quoque eam removerunt, sed non ex integro. Ceterum *Lutherus* circa Confessionem millies sententiam mutavit; ac tandem in Articulis *Smalkaldicis* statuit [3], peccatorum Confessionem utilem esse, sed non necessariam, quum satis sit, Deo eam fieri; eoque minus necessarium esse ait, gravium peccatorum numerum indicari; quod et Melanchthon docuit in Confessione Augustanâ [4]. *Calvinus* [5] non dubitat asseverare, Confessionem non esse juris divini; ejus quidem usum vetustissimum fatetur; sed olim liberum, non præceptum fuisse, facile evinci posse contendit. *Kemnitius* [6] satis esse ait, omnia generatim peccata confiteri, neque ea singillatim esse designanda. *Kemnitius.*

Erasmus. Calvinistae. Lutherani.

53. Sed mortalium peccatorum Confessionem necessariam et præscriptam esse, revera his S. Joannis verbis declaratur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur* [7], *cet.* Adversarii non negant quidem, hoc loco potestatem tradi remittendi aut retinendi peccata, sed illud intelligi dicunt de ministerio prædicandi peccatoribus aut veniam aut damnationem. Atvero, ligare et solvere non significant denuntiare et declarare, sed imponere et tollere liga- Vera doctrina. Ex Scriptura.

[1] Dialogorum Libri Quatuor., lib. IV, cap. XXIII, de Pœnitentia. — [2] In *S. Hieronymi* Epitaphium *Fabiolæ* ad *Oceanum*, Scholia (S. Hieronymi Lucubrationes omnes; Lugduni 1530, tom. I, fol. 204) (*b*). — [3] Articuli *Smalkaldici*. Art. de Confessione. Item: De Confessione et Sacramento Eucharistiæ, Concio III, a° 1519 (*c*). — [4] Confess. *Augustana*, cap. de Confessione. — [5] Inst., lib. III, cap. 4, n. 7. — [6] Examen Conc. *Trid.*, pars 2, de Pœnit., cap. 5. — [7] *Joan.*, XX, 23.

(*a*) Ex Philosophumenis (*Migne*, Patrol. Græca, 16[3]), a° 1842 ex Græcia in Galliam allatis, nonnulli concludere posse sibi videntur schismaticorum Summorum Pontificum non omnino primum fuisse Novatianum (Nota edit.).

(*b*) *Ex hoc loco*, inquit, *potes animadvertere, olim confessionem fuisse publicam: et de notis commissis, publicam item satisfactionem. Et apparet Hieronymi tempore nondum institutam fuisse secretam admissorum confessionem, quam postea ecclesia salubriter instituit, si modo recte utantur eâ et sacerdotes et laici. Verum in hoc labuntur theologi quidam parum attenti, quod quæ veteres illi de hujusmodi publica et generali confessione, quæ nihil aliud erat quam signis quibusdam et piaminibus ab Episcopo indictis, se peccatorem et bonorum communione indignum agnoscere, trahunt ad hanc occultam et longe diversi generis.* — Item: Adnotat. ad Act. Apostol., *cap. XIX, v. 18: Vel hinc colligi potest, fuisse et antiquitus nonnullam confessionem male actæ vitæ, sed apertam, ut opinor, et in genere; quam nec ipsam legimus exactam abs quoquam. Ceterum quæ nunc recepta est clancularia et in aurem fit, videtur ex consultationibus privatis esse nata, quæ solent apud Episcopos fieri, si qui scrupulus urgeret animum* (Nota edit.).

(*c*) Ad majorem ejus doctrinæ intelligentiam ex illa concione nonnulla exscribere libet: « Sic ergo de auriculari confessione, quam dicunt, sentimus, quamquam ad eam nemo sit cogendus, non tamen ideo contemnenda est.... Quum confiteri voles, non tam curabis tuam confessionem, quam verbum, quod audis a sacerdote.... Neque multum refert, sive is sit sacerdos, aut publicus Ecclesiæ minister, sive alius quidam Christianus. Nam verbum, quod loquitur, non suum, sed Dei est.... Quamquam igitur mandato ad confessionem cogi homines nolim, ne, si qui non ante confessi accedant ad Sacramentum, se peccasse sentiant, maximum tamen thesaurum confessionem esse judico... nemo enim potest Verbum Dei neque satis diligenter audire, neque in animum ita, ut merebatur, insculpere... Debet... brevis esse confessio, in qua, siquid te fugit, quod post in mentem veniat, nihil te ea res conturbet. Neque enim confessus es vel tamquam bonum opus vel tamquam coactum opus facturus, et poteris hoc ipsum peccatum Deo confiteri ». — Et a° 1520, de Captiv. Babylon., cap. de Sacram. Pœnit.: « Occulta autem confessio... miro modo... placet, et utilis, immo necessaria est,... quum sit ipsa afflictis conscientiis unicum remedium. Siquidem detectâ fratri nostro conscientiâ... verbum solatii recipimus ex ore fratris, a Deo prolatum » (Nota edit.).

mina. Et quomodo tolli possunt, nisi prius innotescant judicibus? Judices porro sacerdotes esse agnoscunt SS. Patres, ut S. Joannes Chrysostomus [1], S. Gregorius Nazianzenus [2], S. Ambrosius [3], S. Hieronymus [4], S. Augustinus [5], S. Innocentius I [6] et S. Gregorius [7]. Quodsi sacerdos remitteret peccata non absolvendo sed solum annuntiando divinam remittendi promissionem, nec surdi nec sensibus destituti absolvi possent; quos tamen absolutionem recipere certum est ex Concilio Arausicano I [8] et Carthaginiensi IV [9], ex S. Augustino [10] et S. Leone [11]. Præterea si absolutio non esset actus judicialis, sed sola divinæ promissionis denuntiatio, ad talem denuntiationem non requireretur Sacerdos, sed fieri posset a quolibet laico aut a muliere vel etiam ab infideli; quod quidem concedere non detrectant hæretici; sed illud contrarium est et sententiæ omnium antiquorum et omnium Ecclesiarum consuetudini.

Ex Patribus.

54. Confessionis necessitas ex pluribus Scripturæ testimoniis comprobatur. Et primum quidem ex textu S. Joannis: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est (Deus), ...ut remittat* [12], *cet.* Quæ verba necessario intelligi debent de confessione Sacramentali, quum ad eam solam spectet peccatorum remissionis promissio: *quorum remiseritis, cet.* Si enim ad quamlibet confessionem, Deo factam, remitterentur peccata, quomodo dici posset: *quorum remiseritis, cet.* Et quomodo Sacerdotes retinere sive ligare possent, si pœnitens, culparum confessione Deo factâ, ab ipso Deo absolveretur?

Necessitas confessionis probatur 1 ex S. Scriptura. *a* 1 *Joan.* I, 9.

55. Probatur deinde ex Act. XIX, 18: *Multique credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.* Lutherus quidem verba *actus suos* ita interpretatur: id est, miracula, quæ fideles faciebant [13]; sed hanc explicationem ipsi hæretici rejiciunt, quum a verbis hujus textus omnino dissonet. *Kemnitius* [14] hæc verba ita exponit, nonnulla, non cuncta eos peccata esse confessos; atque idem dicit *Calvinus* [15]; sed impropria quoque est hæc interpretatio, quâ verba *actus suos* ita reduntur: nonnullos ex suis actibus. Reponit *Calvinus: Hos semel legimus confessos esse; Papæ lex quotannis, ut minimum, repeti jubet* [16]. At, quod semel illud legimus, non idcirco fas est credere, fideles alias non esse confessos. *b* Act. XIX 18.

56. Probatur denique ex textu S. Jacobi: *Confitemini... alterutrum peccata vestra* [17]. Dicit *Calvinus*, ea intelligi de confessione, quam quilibet fratri a se offenso facere debet, ut veniam impetret; licet alio loco fateatur, ea spectare ad potestatem Clavium [18]. *Melanchthon* illud intelligi ait de confessione culparum, quæ fit homini spirituali, ut nos instruat et Deum pro nobis oret. Ita textum intelligunt novi illi magistri: sed non ita Sancti Patres, qui eum explicant de sacramentali Confessione, apud sacerdotes peragendâ. Et merito quidem: S. Jacobus enim, postquam jussit sacerdotes, oleo ungere infirmos, ut peccata iis remittan- *c* *Jac. V* 16.

[1] De Sacerdotio, lib. III, n. 5. — [2] Orat. 17 ad cives *Nazianzenos*, n. 8. — [3] De Pœnitentia, lib. I, cap. 2. — [4] Ep. 14, ad *Heliodorum*, n. 8. — [5] De Civ. Dei, lib. XX, cap. 9, n. 2. — [6] Epist. 25, ad *Decentium*, Ep.m *Eugubinum*, cap. 7. — [7] *S. Greg. Magn.* In Evang. Hom. 26, n. 4. — [8] A° 441, Can. 12. — [9] A° 398, cap. 76. — [10] De conjugiis adulterinis, lib. I, cap. 28. — [11] Ep. 108 ad *Theodorum Forojuliensem*, cap. 5. — [12] 1 *Joan.*, I, 9. — [13] Nov. Testam. (*Coloniæ* 1867) (*a*). — [14] Examen Conc. Trid. Pars 2, de Pœnit., cap. 5. — [15] Comment. in Act. Apost., XIX, 18. — [16] Ibid. — [17] *Jac.*, V, 16. — [18] Instit., lib. IV, cap. 1, n. 22 (*b*).

(*a*) « Es kamen auch viele derer die glaubig waren geworden, und bekannten und verkundigten was sie ausgerichtet hatten. *Ausgerichtet* (ut ipse explicat) mit predigen, lehren und andern Früchten des Evangelii » (Nota edit.).

(*b*) *Calvinus* (Instit., l. c.) potestatem clavium agnoscit in textu *S. Pauli* (2 *Cor.*, V, 18): « Dedit nobis ministerium reconciliationis ». Verba autem *S. Jacobi* (V, 16) explicat (Instit., lib. III, cap. 4, n. 6 et 12) de confessione, viro spirituali factâ; quæ eadem verba *Melanchthon* (Apologia Confessionis) ad eam confessionem transfert, quâ quis apud fratrem a se offensum confitetur (Nota edit.).

tur, statim hæc adjicit: *Confitemini alterutrum, cet.* Unde liquet, Confessionem esse peragendam apud sacerdotes, paulo ante nominatos; secus illud *confitemini* fuisset verbum aut inutile aut saltem sine nexu.

Probatur 2 ex SS. Patribus.

S. Irenæus.

57. En quid dicant SS. Patres de sacramentali Confessione, quæ a primis sæculis in usu fuit. Refert S. Irenæus, qui sæculo II° vixit, nonnullas feminas ea etiam esse confessas, quæ nefarie, quamquam occulte, de Marco quodam, Gnostico hæretico, cogitassent: *Confessæ sunt,... inflammatas valde illum se dilexisse* [1]. Ex quo constat, ex iis jam temporibus in usu fuisse occultorum criminum confessionem.

Tertullianus.

Tertullianus, qui eodem vixit sæculo II°, dicit *Exomologesim* eum esse actum, quo delictum nostrum Domino confitemur, ut per confessionem obtineatur pœnitentia ad placandum Deum; et subjungit: *Presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari* [2]. Suadet igitur, ut ad sacerdotum pedes advolvamur; ac deinde hortatur, ne illud præstare pudeat. *Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui... suffugere... præsumo; pudoris magis memores quam salutis* [3]. Origenes, qui eodem quoque sæculo vixit, propositis variis modis quibus in Ecclesiâ remittuntur peccata: *Est adhuc et septima* (ratio), inquit,... *quum* (peccator) *non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam* [4]. Et S. Basilius: *Ut vitia corporis,* inquit, *aperiunt iis, qui rationem, quâ ea curanda sunt, teneant; eodem modo peccatorum confessio fieri debeat apud eos, qui ea possint curare* [5].

Origenes.

S. Basilius.

S. Gregor. Nyssen.

58. Præterea S. Gregorius Nyssenus: *Audacter,* inquit, *ostende illi, quæ sunt recondita. Animi arcana, tamquam occulta vulnera medico retege* [6]. S. Ambrosius: *Si vis justificari, fatere delictum tuum; solvit enim criminum nexus verecunda Confessio peccatorum* [7]. Et Paulinus, qui S. Ambrosii vitam conscripsit, testatur: *Quotiescumque illi* (Ambrosio) *aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret* [8]. S. Hieronymus: *Si quem serpens diabolus occulte momorderit,... nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister et frater... ei prodesse non poterunt.... Quod ignorat medicina non curat* [9]. S. Leo anno 459 ad Episcopos Campaniæ Felicis, qui pœnitentes cogere volebant, peccata sua publice recitare, hæc scripsit: *Removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur;... sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit* [10]. Quibus Patribus addendi sunt S. Cyprianus [11], S. Athanasius [12], S. Hilarius [13], S. Joannes Chrysostomus [14] et alii. S. Augustinus in textum S. Jacobi: *Confitemini alterutrum, cet.* (*V, 16*) ita scribit: *Eges sacerdotis, qui mediator sit apud Deum tuum salubri judicio; alioquin... responsum divinum quomodo consummaretur:* CONFITEMINI ALTERUTRUM PECCATA VESTRA [15]. Et alibi contra eum, qui diceret: Ut Deus mihi ignoscat satis est, me corde dolere: *Nemo,* inquit, *sibi dicat...: novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago.... Ergo sine causâ sunt claves datæ Ecclesiæ Dei* [16]? Præterea, S. Bernardus exponens illud *confitemini alterutrum:* Nempe *homines,* inquit, *hominibus,... qui potestatem habent absolvendi* [17]. Et subjungit: *Dedit nobis ministerium reconciliationis;... Pro Chri-*

S. Ambros.

S. Hieronym.

S. Leo.

Alii.

S. Augustinus.

S. Bernard.

[1] Contra hæreses, lib. I, cap. 13, n. 5. — [2] De Pœnitentia, cap. 9. — [3] Ibid., cap. 10. — [4] In Leviticum. Homil. 2, n. 4. — [5] Regulæ brevius tractatæ, Interrogat. 229. — [6] Adhortatio ad Pœnitentiam (Falso ei adscribitur; est enim Homil. 13 *S. Asterii Amaseni.* Nota edit.). — [7] De Pœnitentia, lib. II, cap. 6, n. 40. — [8] Vita *S. Ambrosii,* n. 39. — [9] Comment. in Ecclesiasten, X, 11. — [10] Ep. 168 (al. 136), cap. 2. — [11] Ep. 11 (al. lib. III, ep. 16), ad plebem, n. 2. — [12] Sermo in verba: « Profecti in pagum ». — [13] Comm. in *Matth.,* Cap. 18, n. 8. — [14] In Genes. Homil. 30, n. 1. — [15] De visitatione infirmorum, lib. II, cap. 4 (inter opera dubia. Nota edit.). — [16] Sermo 392, cap. 3. — [17] Meditat., cap. 9 (Paucis iis verbis *Bellarminus* (De Pœnit., lib. III, cap. 4) *S. Bernardi* mentem accurate reddidit; ibi quoque *Bellarminus* Apostoli verba refert. Nota edit.).

sto ergo legatione fungimur[1]. Si qui legati a principe mittuntur cum potestate rebelles reconciliandi, facultate suâ uti nequeunt, nisi ex ipsis reis scelus commissum audiverint; et sic ipsa potestas peccatores cum Deo reconciliandi secum fert potestatem cognoscendi eorum conscientias.

Probatur I ex Conciliis.

59. Probatur quoque necessitas confessionis ex Conciliis œcumenicis, quæ eam præcepto divino necessariam agnoverunt.

Syn. VI. In sextâ Synodo, Can. 102, dicitur: *Oportet autem eos, qui solvendi et ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare... et sic morbo convenientem afferre medicinam*[2]. Ita quoque in Concilio Laodiceno, Can. II: *Pro qualitate peccati pœnitentiæ tempus tribuendum est*[3]. In Ecclesiâ Latinâ autem plura Concilia Confessionem sacramentalem præscripserunt: Concilium III Carthaginiense, can. 31[4]; Cabilonense[5], Wormatiense[6] et alia; denique ea, quorum major est auctoritas, Lateranense IV, sub Innocentio III, cap. 21[7]; Constantiense, sess. 8[8]; Florentinum[9] et Tridentinum[10]: quapropter, si Confessio non foret de jure divino, Ecclesia per quatuor saltem sæcula in errore esset versata. Qui quidem universalis Ecclesiæ usus, juxta S. Augustinum[11], aliud præbet argumentum; hanc enim S. Doctor ut certam statuit normam, quidquid in Ecclesiâ longo spatio in usu videmus, nec tamen aliquo Ecclesiæ decreto lege positivâ institutum reperitur, illud divinæ institutionis esse credendum. Idque eo magis, quod circa confessionem Summum Pontificem numquam dispensasse legimus.

Laodic. Alia. Probatur II ex universali Ecclesiæ usu.

Error *Kemnitii.*

60. Perstat *Kemnitius*[12] in suâ sententiâ, Patres antiquos, de Confessione loquentes, non egisse de sacramentali Confessione, sed de eâ, quæ aut soli Deo fit, aut etiam proximo, ut illatam sibi injuriam ignoscat. Sed vel leviter inspicienti relatas Sanctorum Patrum doctrinas patebit, quantum erret Kemnitius. Ceteroquin fatetur, reverâ SS. Patres Confessionem, quæ sacerdotibus fiat, commendasse; et subjungit, nonnullas eorum sententias ad significandam Confessionis necessitatem esse propensas[13]. Neque illud negat *Calvinus*[14]; ait tamen, ante Constitutionem (Cap. *Omnis utriusque sexus*) Concilii Lateranensis sub Innocentio III, fideles nullâ lege ad sacramentalem Confessionem fuisse adstrictos. At falso (ut suprà jam diximus); non enim Confessionis præceptum indixit Innocentius, sed solum tempus statuit, quo a fidelibus esset facienda, nempe semel saltem in anno, ut ante illum jam statuerant Innocentius I[15], Leo I[16] et Zephyrinus[17] Summi Pontifices.

Error *Calvini.*

61. Notandum superest, priscis illis temporibus confessarios, quamquam a primis sæculis confessio secreta et auricularis in usu fuit, Pœnitentes haud raro exhortari fuisse solitos, ut quo melius superbiam frangerent, aliquod peccatum quantumvis occultum in publico confiterentur, dummodo ne ejusmodi confessio scandalum præberet neve odiosum redderet Sacramentum. En quid Origenes hac de re dicat: *Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere..., ut ita demum... si intellexit,... talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, ex quo... et ceteri ædificari poterunt, et tu... facile sanari,... illius consilio procurandum est*[18]. Sed ea consuetudo in Oriente desiit sæculo V, quum Constantinopoli nobilis quædam

De Confessione publicâ.

[1] 2 *Cor.*, V, 18 et 20. — [2] Conc. Gen. VI, Quinisextum, a° 692, can. 102. — [3] Ex interpretatione *Isidori Mercatoris*. — [4] A° 397. — [5] *Cabilon.* (*Châlon*) I, circa a° 650, Can. 8; *Cabilon.*, II, a° 813, Can. 32. — [6] a° 868, Can. 25. — [7] a° 1215. — [8] a° 1415, art. 7. — [9] Decr. pro Unione *Armen.* — [10] L. c. — [11] De Baptismo contra *Donatistas*, lib. IV, cap. 24. — [12] L. c. — [13] Ibid. — [14] Instit., lib. III, cap. 4, n. 7. — [15] Ep. 25, ad *Decentium*, Episc. *Eugubin.*, cap. 7. — [16] Ep. 108, ad *Theodor. Forojuliensem.* — [17] Apud *Platinam.* De Vitis Pontificum; XVI, *Zephyrinus* (Hi summi Pontifices nonnulla circa confessionem rite administrandam statuunt: unde patet, eam a Conc. *Lateran.* non fuisse introductam. Nota edit.). — [18] In Psalm. 37, Homil. 2, n. 6.

matrona, peractâ confessione apud Presbyterum pœnitentiarium illius ecclesiæ, in publico confiteretur (inconsulto tamen Confessario) turpiter se fecisse cum quodam diacono, cujus etiam nomen palam indicavit; quæ res in populo tantum suscitavit scandalum et tumultum, ut diaconus ecclesiâ expulsus fuerit, et universus populus clero turpitudinis notam inusserit. Unde Nectarius Archiepiscopus, S. Joannis Chrysostomi prædecessor, tanto dolore affectus est, ut officio Presbyteri pœnitentiarii sublato, omnes fideles prohibuerit, occulta peccata in publico confiteri, quin etiam publicam occultorum peccatorum pœnitentiam peragere [1]. Atque ita prohibitum permansit, ne quis secreta peccata palam confiteretur: eaque Orientalis Ecclesiæ prohibitio mox ad Occidentalem transiit.

Quid abrogaverit *Nectarius.*

62. Errant igitur *Calvinus* et *Thomas Waldensis. Calvinus* quidem [2], quum asseverat, auricularis Confessionis legem non a Christo sed ab Episcopis fuisse institutam, idque solum in certis quibusdam locis; a Sozomeno porro narrari, Archiepiscopum Constantinopolitanum propter scandalum illius matronæ, quæ peccatum suum cum diacono commissum in publico detexerat, auricularem Confessionem abrogasse. Sed et *Waldensis* [3] errat, quum asserit, ex illo tempore orientales Ecclesias confessionem omisisse. Unde concludit *Calvinus:* Si auricularis confessio fuisset lex divina, Nectarius numquam ausus fuisset eam abolere. Sed fallitur, ut dixi: ex ipso enim Sozomeno [4], ex Socrate [5] et Nicephoro [6] constat, occasione hæresis Novatianorum ab Episcopis constitutum fuisse presbyterum quemdam pœnitentiarium, cujus esset præsidere pœnitentiæ publicæ, iis nempe pœnitentibus, qui delicta sua in publico confiteri deberent. Quapropter non prohibuerunt Episcopi, quominus confessio fieret, sed quominus fieret in publico, ut constat ex verbis S. Joannis Chrysostomi [7]. Nec Pœnitentiarius præcipiebat, ut singula peccata evulgarentur, sed sola publica, quæ indigebant publicâ pœnitentiâ. Testatur Sozomenus [8], Nectarii prohibitionem peccata occulta publice confitendi, in omnibus Occidentis Ecclesiis integre perseverasse: S. Leo [9] autem affirmat, numquam Romæ fuisse ejusmodi ritum, ut peccata occulta publicarentur; quapropter sanctus Pontifex reprehendit nonnullos Episcopos, qui eam consuetudinem introducere volebant.

Quomodo intelligenda sint *Nectarii* verba.

63. Quod vero scribunt Socrates [10] et Sozomenus [11], permisisse Nectarium, ut unusquisque *secundum suam conscientiam ad sacra mysteria participanda accederet,* non significat, quemlibet sine Confessione suscipere potuisse Eucharistiam, etiamsi conscientiam haberet gravis culpæ, Confessario nondum declaratæ; sed, ne cogeretur adire publicum Ecclesiæ tribunal, unumquemque potuisse accedere ad Communionem juxta suam conscientiam; id est (ut explicat Bellarminus [12]): siquis peccatum haberet, privatim illud confiteretur; si peccati esset immunis, ad Communionem accederet.

Objicitur 1 textus *S. Joan. Chrysost.*

64. Superest, ut ad alia quædam respondeamus, quæ hæretici contra auricularem Confessionem afferunt. Opponit *Calvinus* [13] hæc S. Joannis Chrysostomi: *Si confunderis dicere alicui, quæ peccasti, dicito quotidie ea in animâ tuâ; non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobret; dicito Deo, qui curat ea* [14]. — *Cave homini dixeris, ne tibi exprobret* [15]. At respondetur, S. Doctorem hisce verbis nihil

Respondetur.

[1] *Socrates,* Hist., lib. V, cap. 19. — *Sozomen.,* Hist, lib. VII, cap. 16. — [2] *Calvin.,* Institut., lib. III, cap. 4, n. 7. — [3] *Waldensis,* Doctrinale fidei. De Sacramentis, cap. 141. — [4] L. c. — [5] L. c. — [6] Hist. Eccl., lib. XII, cap. 28. — [7] De Pœnitentiâ, Homil. 6, n. 5. — [8] Conf. *Sozomeni* Hist., lib. VII, cap. 16, et notam *Valesii,* quam reperies apud *Migne,* Patr. *Græce* et *Lat.,* tom. 67, col. 1459-60 (Nota edit.). — [9] Ep. 168 (al. 136), ad Episcopos *Campaniæ, Samnii* et *Piceni,* cap. 2. — [10] L. c. — [11] L. c. — [12] De Pœnit., lib. III, cap. 14. — [13] Instit., lib. III, cap. 4, n. 8. — [14] In Psalm. 50, Homil. 2, n. 5 (Inter spuria. Nota edit.). — [15] De *Lazaro,* Concio 4, n. 4. (Apud *Migne* legitur: « Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? » Nota edit.).

aliud voluisse nisi confirmare Nectarii prædecessoris sui sententiam, quâ publicam occultorum criminum confessionem abrogaverat, minime vero privatam auricularem. Quod infertur ex aliis ejus verbis: *Non cogo te in medium prodire theatrum; mihi soli dic peccatum privatim* [1].— Itaque primo ibi dicit: *Cave homini dixeris, ne tibi exprobret:* quæ exprobratio fiebat in publicâ confessione: *Exprobrant*, inquit Origenes, *eum confitentem* [2]. *Cave*, inquit; si autem his verbis S. Joannes Chrysostomus secretam quoque confessionem interdicere vellet, plus diceret quam ipsi novatores, qui Confessionem quorumdam saltem graviorum delictorum utilissimam esse concedunt. — Hæc alia subjungens: *dicito Deo, qui ea curat*, non loquitur S. Doctor de confessione sacramentali, sed de publicâ, quam olim ad suam erubescentiam peragebant Pœnitentes: eam autem hoc loco reprobat. Ceterum S. Joannes Chrysostomus sexcentis locis ad privatam confessionem exhortatur: *Ultro sibi persuadeant, curationi sacerdotum sese submittere oportere* [3]. Et alibi, objurgans eos, qui pudore retenti, peccata secreto confiteri omittunt: *Commisisti aliquod scelus...*, inquit, *homines celas, non Deum, et nihil curas?* [4].

Objicitur 2 *Ezech.* XVIII.

65. Item opponit *Calvinus* [5] Ezechielis verba: *Quotiescumque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Qui locus ita quidem citari solet; revera tamen in Scripturis non iis verbis enuntiatur, sed genuinus locus reperitur apud Ezechielem, Cap. 18 (v. 21 et 22), cujus hæc sunt verba: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... vitâ vivet, et non morietur; omnium iniquitatum, cet. Calvinus* ad textum a se citatum addit: *Huic verbo, qui aliquid audet adjicere, non peccata ligat, sed Domini misericordiam* [6]; et concludit, satis esse solam contritionem sine confessione. At respondetur, illud *egerit pœnitentiam* intelligi de pœnitentiâ ita peractâ, quemadmodum peragi debet, id est, quæ includit actum fidei, spei, caritatis, contritionis et etiam votum aut Baptismi aut Confessionis. Respondetur.

Objicitur 3 Initio non erat necessaria confessio.

66. Præterea objicit *Calvinus* [7], non aliam nunc esse remissionem peccatorum, quam quæ semper fuit: auricularem confessionem autem non semper exstitisse; ergo ad reconciliationem cum Deo non esse necessariam. Respondetur, neque Baptismum semper exstitisse, utpote antiquæ legis tempore necdum institutum: numquid ergo ne Baptismus quidem ad salutem est necessarius? Quodsi in novâ lege Baptismus necessarius est propter Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu-Sancto, non potest introire in regnum Dei* [8], est quoque necessaria Confessio propter hæc alia ejusdem Christi verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* [9]. Respondetur.

Objicitur 4 Hæc necessitas non deducitur ex Scripturâ.

Ad illa S. Joannis verba Petrus *Suavis* [10], nomine Germanorum loquens (pro more suo, aliis ea imputandi, quibus ipse carpere vult Concilium) quatuor adnectit difficultates. Primum opponit, obligationem distincte confitendi omnia peccata mortalia unà cum iis adjunctis, quæ speciem mutant, non recte colligi ex judiciariâ potestate, quam Christus tradidit, peccata remittendi ac retinendi; Christum enim non distinxisse duo genera delictorum, alterum, quod remittendum, alterum, quod retinendum esset; sed solum duas hominum classes (*quorum et quorum*), alteram pœnitentium, quibus

[1] De *Lazaro*, Concio 4, n. 4. — [2] In Psalm. 37, Homil. 2, n. 1. — [3] De Sacerdotio, lib. II, n. 3. — [4] In *Joan.*, Homil. 34, n. 3 (*a*). — [5] Instit., lib. III, cap. 4, n. 18. — [6] L. c. — [7] L. c. — [8] *Joan.*, III, 5. — [9] *Joan.*, XX, 23. — [10] Lib. IV, a° 1551. « *Similmente* ».

(*a*) Clarius apud *Migne: Commisisti aliquod peccatum... et hominibus occultas? At Deo non occultas. Et tamen nihil curas* (Nota edit.).

peccata remittantur, alteram eorum, quibus retineantur ut indispositis. — Sed respondetur, iis verbis — *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* — præcipue idque manifesto designari duo genera non tam pœnitentium quam delictorum, quorum alia remitti, alia retineri debent. Verumtamen, etiamsi nulla esset in ipso textu distinctio nisi pœnitentium, non autem delictorum, haud minus necesse foret, peccata gravia unà cum adjunctis speciem mutantibus singillatim indicari; secus enim satis dignoscere non posset confessarius, num pœnitens peccato adhæreat, velitne auferre proximas occasiones, animumque paratum gerat ad accipiendam medicinalem pœnitentiam, quam imponi expedit. — Hanc alteram affert difficultatem: Apostoli eorumque discipuli ignorarunt circumstantias, quæ mutant speciem, easque etiam in præsenti ignoraret fortasse genus humanum, nisi Aristoteles eam distinctionem intulisset: et tamen ex eâ distinctione fidei articulus est confectus. Respondetur, non Aristotelem solum, sed etiam rudes notionem habere circumstantiæ, quæ speciem mutat, cujusmodi esset fratricidium, quod non solam justitiam, sed etiam pietatem lædit. Ceterum nihil aliud præcepit Concilium, nisi ut pœnitens, examinatâ conscientiâ, *ea peccata confiteatur, quibus se... Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur.* Quapropter siquis malitiam conditionis speciem mutantis aut non cognoscat aut non advertat, *per se* non tenetur eam explicare.

Tertio inconstantis esse ait vel ignorantis, primum quidem damnare eum, qui assereret, absolutionem esse nudum ministerium declarandi peccata esse remissa, deinde vero judicis personam in sacerdotibus agnoscere; aliud nempe non esse munus judicis, nisi eum nocentem pronuntiare, qui vere nocens est; nec dici posse, delinquentem hominem a sacerdote justum reddi, sed potius esse dicendum, pœnam ei remitti, eumque ad pristinum statum redire. Respondetur, ejusmodi judicis, cui a principe tamquam delegato committitur, ut cum causæ cognitione veniam vel pœnæ relaxationem reis aut concedat aut deneget, non solum esse officium, homines aut reos aut innocentes declarandi, sed etiam sententiam ferendi, impartiendo aut negando veniam: illud autem officium est sacerdotis, confessionem audientis. Sacerdotem porro habere auctoritatem non mere declarandi peccata esse remissa, sed etiam pœnitentes culparum vinculis exsolvendi, colligitur ex verbis Christi apud S. Matthæum (c. 18) et S. Joannem (c. 20); siquidem verba *solvendi* et *remittendi* non designant nudum declarandi ministerium, sed etiam judicis actum, quo, causâ examinatâ, absolutionis sententia pronuntiatur.

Quarto objicit, falsam esse Concilii rationem, cur necesse sit, peccata secundum speciem explicari — ut nempe confessarius congruentem illis pœnam injungere possit —: primum enim leves reipsâ pœnas pro gravissimis culpis imponi; deinde ipsam Synodum declarasse, Deo posse satisfieri per molestias, vel ultro susceptas vel missas a Deo et patienter toleratas; denique non posse sacerdotem satis commetiri debitum pœnarum, in purgatorio luendarum. Respondetur, prohibere Concilium, ne leves pœnæ pro gravissimis culpis imponantur, et præcipere, ut ad delictorum gravitatem accommodetur pœnitentia: *Debent... pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere* [1].

Respondetur.

Objicitur 5 Apostoli ignorarunt circumstantias speciem mutantes.

Respondetur.

Objicitur 6 Judicis est, declarare.

Respondetur.

Objicitur 7 Ratio ex satisfactione adducta, non valet.

Respondetur.

[1] Sessio 14, cap. 8 (*a*).

(*a*) Ex *Pallavicino* (lib XII, cap. 14, n. 11-12) hæc pauca exscribere juvat: « Nemo ignorat, liberum non esse reo certam pœnam sibi a præside inflictam... recusare... — Præterea labo-

Objicitur 8 Christus non exigebat confessionem. Respondetur.

67. Præterea *Kemnitius* [1] opponit verba: *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos* [2]. Christus autem, inquit, peccatorum confessione minime auditâ, veniam tribuit. Respondetur, iis verbis Apostolos etiam ad reconciliandos peccatores fuisse missos, non eodem tamen modo, quo Christus eos absolvebat. Absolvebat Christus potestate absolutâ, et in intima pectora inspiciens, optime noverat, essentne contrita necne: Apostoli vero ad cognoscendam pœnitentium dispositionem, prius cognoscere debebant eorum conscientias: eamque ob causam Apostolis dedit solvendi et ligandi potestatem. Christus Magdalenæ sine Baptismo peccata remisit; voluit autem, ut Apostoli baptizarent eos, qui ad fidem se converterent: *Baptizantes eos in nomine Patris* [3], *cet.*

Objicitur 9

68. Item opponit *Kemnitius* [4]: Ergone nova lex durior est antiquâ, quæ tam arduum confessionis præceptum non imponeret? Respondetur, novam legem non idcirco duriorem esse antiquâ, quod unum vel pauca quædam præcepta antiquis sint duriora: antiqua enim lex multo durior erat propter alia tam multa præcepta et cæremonialia et judicialia, quæ tunc vigentia non amplius existunt. Præterquam quod antiquæ legis præcepta neutiquam conjunctam sibi habebant promissionem gratiæ, quam Christus Dominus in Evangelio toties pollicitus est iis, qui Se sequuntur, ut haud difficulter Ipsius præcepta servare possint. Quapropter, quum antiqua lex dicatur lex timoris, lex Evangelica contrà lex caritatis dicitur; Christi fideli autem, caritate incitato et adjuto, numquid ullum præceptum difficile videri potest?

Nova Lex durior esse nequit lege antiquâ.

Respondetur.

CAPUT VI.

DE MINISTRO ET DE ABSOLUTIONE.

Cap. VI. Soli Episcopi et sacerdotes sunt ministri.

69. Capite VI hæc docet Concilium: *Circa ministrum autem hujus Sacramenti, declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini: « Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cælo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo », et: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt », ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem cuicumque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus-Sancti in ordinatione collatam, tamquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice,*

Pravus sacerdos non amittit potestatem.

Absolutio est actus judicialis.

[1] L. c. — [2] *Joan.*, XX, 21. — [3] *Matth.* XXVIII, 19. — [4] L. c.

riosa opera, quæ a Sacramento pendent, peculiarem vim ob merita Redemptoris obtinent et *ex opere operato*.... Et hac in re exercendum a sacerdote judicium ex quâdam prudentiæ normâ, inflictâ pœnâ graviori, quum graviora sunt crimina » (Nota edit.).

sententia pronuntiatur. Atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse absolutum; nec enim fides sine pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret; nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem jocose absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret.

Can. VI huc pertinens.

70. Ad hoc Caput referendum quoque illud, quod dicitur in Canone VI, ad Cap. III jam relato: *Siquis... dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores... et fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.*

Error *Lutheri.*

71. Juxta hunc ipsum errorem a ministro absolutionem esse conferendam docuit *Lutherus.* In ejus Catechismo [1], quum sermo est de Pœnitentiæ sacramenti formâ, minister, auditâ pœnitentis confessione, ab eo quærit: *Credisne, peccatorum remissionem, a me collatam, esse remissionem Dei?* Et ubi respondit pœnitens, se ita credere, pergit minister: *Et ego Christi jussu tua tibi peccata remitto.*

De formâ deprecativâ.

72. Animadvertendum, in hujus Sacramenti formâ sive absolutione Græcos uti formulâ deprecativâ, quam Latinos quoque ante sæculum XII adhibuisse refert Jueninus [2], ut ex pluribus Ritualibus et Sacramentariis constat; sed a Concilio Tridentino declaratum fuit, non valere formam nisi modo indicativo pronuntiatam: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* Sed quî fit, ut olim in formulâ deprecativâ absolutio valeret, et apud Græcos nunc etiam valeat, non valeat autem hodie apud Latinos? Sapienter *Jueninus* [3] respondet, Ecclesiam formas mutare posse, non quidem quoad substantiam, sed quoad modum, adjiciendo aliquid velut conditionem *sine quâ non:* Sacramentorum administratio enim ab ipso Christo prudentiæ commissa est Ecclesiæ, quæ Latinis præcepit modum indicativum, ad designandum jurisdictionis actum, a Sacerdotibus in administrando hoc Sacramento exercitum.

CAPUT VII.

DE JURISDICTIONE ET CASUUM RESERVATIONE.

Cap. VII. Requiritur jurisdictio.

73. Capite VII hæc traduntur: *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et gravior a crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos traditâ super reliquos inferiores sacerdo-*

Legitima est casuum reservatio.

[1] *Der Kleine Catechismus.* Art. *Confession.*

[2] Instit. theol. De Pœnit., qu. 6, cap. 3. — [3] L. c.

tes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eâdem Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possint; extra quem articulum sacerdotes, quum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

Quid in articulo mortis.

74. Voluit igitur Concilium (idque justo ex fine), ad absolutionem graviorum quorumdam criminum recurri ad præpositos; qui, ut provectiores, meliora possint dare consilia et aptiores magisque salutares imponere pœnitentias. Cujus quidem causæ ratione habitâ, non videtur satis probabilis (ut in Theologiâ Morali jam diximus) sententia eorum, qui pœnitentes, reservationis inscios, eâ teneri negant; dicimus enim, reservationem neque pœnam esse, neque pœnitentibus rationem pœnæ habere, sed esse confessariorum jurisdictionis subtractionem, ut ejusmodi graviora crimina accuratius judicentur vel a Superioribus vel ab iis Confessariis, quibus concessa est facultas ab ipsis reservatis absolvendi.

Num ignorantia liberet a reservatione.

CAPUT VIII.

DE SATISFACTIONE.

Cap. VIII. Post culpam remissam aliqua pœna remanere potest.

75. Capite VIII dicitur: *Demum quoad satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt, sancta Synodus declarat, falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino numquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur: perspicua enim et illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui, semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus-Sancti dono, scienter templum Dei violare et Spiritum-Sanctum contristare non formidaverint: et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur ut, occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui-Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt: neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes,*

Gravius peccant, qui post Baptismum delinquunt.

Pœnæ velut frenum coercent.

Pœnæ reliquias peccati tollunt.

Conformitas cum Christo.

quod, si compatimur et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis, tamquam ex nobis, nihil possumus, Eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri et per illum acceptantur a Patre. Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt Sacramentum Pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum; sicut nemo umquam catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari vel aliqua ex parte imminui; quod dum Novatores intelligere nolunt (a), ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

Pœnæ aliquid valent ex meritis Christi.

Satisfactio juxta culpæ gravitatem.

76. Negant *Lutherus* [1] et *Calvinus* [2], post veniam concessam, ullam a Deo in satisfactionem peccatorum exigi pœnam; Concilium vero docet, ut vidimus, post culpæ remissionem, peccatori sæpe remanere pœnam temporalem, etiam in alterâ vitâ luendam, si in præsenti non plene ei satisfecerit. Pœnæ alterius vitæ *de condigno* satisfaciunt, pœnæ hujus vitæ solum *de congruo*, ut communiter dicunt theologi, hoc Danielis textu innixi: *Peccata tua eleemosynis redime* [3]. Nomine *peccati* intelligitur reatus pœnæ, ut liquet ex traditione Patrum, quos citat Bellarminus [4]. Et re quidem verâ, contra *Lutherum* et *Calvinum* affertur, Davidem, post culpam remissam (asseveraverat enim Nathan Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* [5]), morte filii a Deo fuisse punitum: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur* [6]. Quod autem prædixerat Propheta, id eventu completum est.

Rejicitur hæreticorum error.

77. Ea temporalis pœna, quæ exsolvenda superest, redimi sane potest bonis operibus, ultro susceptis, ut docet Concilium et etiam *Lutherus* [7] fatetur, quum tamen neget *Calvinus* [8]; illudque probatur ex historiâ Ninivitarum, quibus propter pœnitentiam remissa fuit urbis subversio, quam Jonas intentaverat (*Jon.*, cap. 3 et 4). Quocirca recte post absolutionem a sacerdote imponitur jejuniorum, precum vel eleemosynarum satisfactio: et ita intelligitur, quâ ratione confessarius pœnitentem liget; siquidem pœnitentiam imponere, ut docent S. Leo [9] et S. Cyprianus [10], item ad potestatem Clavium pertinet.

Satisfactione imponenda sacerdos pœnitentem ligat.

[1] Sermo de Indulgentiis (a° 1518); Asterisci ad obeliscos *Eckii*, Aster. 2 (Alibi tamen [vide infrà, n. 77], more suo contrarium docuit. Nota edit.). — [2] Instit., lib. III, cap. 4, n. 29 seq. — [3] IV, 24. — [4] De Pœnit., lib. IV, cap. 9. — [5] 2 Reg., XII, 13. — [6] v. 14. — [7] Assertio Articulorum, per Bullam *Leonis X* damn. Art. 5. — [8] L. c., n. 30 et 36. — [9] Ep. 108 (al. 91), ad *Theod. Forojul.*, cap. 2. — [10] De Lapsis, n. 29 seq.

(a) In aliis Concilii Editionibus legitur: *nolunt*, in aliis: *volunt*. Quod quidem nullius momenti discrimen est; quum utraque lectio ad eumdem sensum recidat (Nota edit.).

CAPUT IX.

DE SATISFACTIONIS OPERIBUS.

Cap. IX. Quænam sint pœnæ satisfactoriæ.

78. Capite IX hæc breviter adjungit Concilium: *Docet præterea, tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensurâ delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.*

Quinam olim confessionem exceperint. Episcopi.

79. Plura hic de sacramentali Confessione ex antiquitate commemorantur, quæ collegit *P. Chardon* in libro de Sacramentorum historiâ [1]. Olim soli Episcopi Pœnitentiæ sacramentum conferebant: legitime tamen impediti, ejus rei curam delegabant sacerdotibus quum sæcularibus tum etiam regularibus: ceterum solis Episcopis fieri solebat confessio aut etiam identidem Episcopis, a senatu sive presbyterio circumdatis, ut ait *P. Mabillon*, qui ejus rei plura affert exempla [2]. Post Novatiani schisma creati sunt presbyteri Pœnitentiarii; sed iis a Nectario sublatis, per oppida et pagos audiendis Confessionibus designati sunt Parochi (qui *proprii sacerdotes* vocabantur), præter quos nemini sacerdoti Pœnitentiæ sacramentum conferre licebat. Postea in confessariorum numerum cooptati sunt etiam regulares, quorum causam, parochis reluctantibus, scriptis suis defenderunt Albertus Magnus [3], S. Thomas [4] et S. Bonaventura [5], asserentes, sub nomine *proprii pastoris*, quod adhibuit Concilium Lateranense in Can. *Omnis utriusque sexus, de pœn. et rem.*, comprehendi omnes sacerdotes ab Ordinariis destinatos. Quâ de re plura edita sunt Decreta. Primum interdixit Innocentius IV [6], ne quis apud alium confiteretur nisi apud suum parochum vel saltem apud eum, qui a parocho facultatem accepisset; Alexander IV [7] vero condemnavit eos, qui dicerent, Episcopos, invitis parochis, confessiones audiendi potestatem aliis concedere non posse; illudque confirmavit Clemens IV [8], datâ Franciscanis ejusmodi facultate, licet dissentientibus parochis. Quum deinde Alexander V [9] idem jus ad omnes Religiosos mendicantes speciali Bullâ extendisset, contra eam scripsit *Gerson* [10], Summum Pontificem non potuisse jus confessionum adimere curatis: quam ob causam Parisiensi Universitate expulsi sunt omnes Mendicantes. Demum statuit Concilium Tridentinum [11], nequis sine Episcopi facultate confessiones audiret: et sic omnis sublata est controversia.

Pœnitentiarii.

Parochi.

Monachi.

[1] *Della Penit., lib. I, cap. 8 seq. (Gall. l. 2, sect. 2, ch. 5 seq.).* — [2] Acta Sanctor. Ord. *S. Benedicti*, sæc. III, pars 1, Præf. n. 87 (*a*). — [3] In Sent. lib. IV, dist. 17, art. 40. — [4] Suppl. qu. 8, art. 5 corp. et ad 4^m^. — [5] In Sent. lib. IV, dist. 17, qu. 2; Opusc. « Quare fratres Minores prædicent. Proprius Sacerdos ». — [6] « *Etsi animarum* », 1247 (Apud *Guerra*. Const. Apost. De Parochis, n. 29). — [7] « *Cum olim* ». 13 Mart. 1259 (Apud *Rodericum*. Nova collectio. *Alex. IV*, Bulla 23). — [8] « *Quidam temere* ». 20 Jun. 1265 (Apud *Rod. Clemens IV*, Bulla 9). — [9] « *Regnans in excelsis* ». 12 Oct. 1409 (Apud *Wadding*. Annales 1409. Regest. Pontif. *Alex. V*, n. 9). — [10] Sermo super facto Bullæ Mendicantium (*b*). — [11] Sess. 23, de Reform., cap. 15.

(*a*) Exempla, ab eo allata, demonstrant, nonnumquam plures sacerdotes unius ejusdemque pœnitentis audivisse peccata, eique deinde omnes simul absolutionem dedisse (Nota edit.). — (*b*) Ut pateat, quo sensu dixerit, Summum Pontificem ita agere non potuisse, ipsa ejus verba hic adjicere libet: « *Sequitur, Papam... non debere auferre istam potestatem aut jus ipsis curatis, absque eorum placito et voluntate; saltem expediens non est* » (Nota edit.).

Quid de Diaconis.

80. Antiquitus nonnulli confitebantur diaconis vel aliis etiam clericis, quæ tamen confessio non erat sacramentalis. Ejusmodi abusum, ut diaconi aliique clerici confessiones audirent et absolverent, interdixerant tamen Episcopi pluresque Synodi. S. Basilius [1] diserte vetuit, ne suæ moniales aliis, præterquam sacerdotibus, peccata confiterentur.

De antiquo Confessionis Ritu.

81. Pristinus confitendi ritus hic erat: Quum pœnitens accessisset, sacerdos, recitatis quibusdam precibus, eum, ut hodie etiam facere solent Græci, ad latus suum assidere jussum, ante omnia de fide interrogabat, et deinde excipiebat ejus confessionem. Tum pœnitens genu nixus sacerdotem precabatur, Deo ut se commendaret; inde pronus humi prostratus, aliquantisper in peccatis detestandis persistebat: sacerdos autem, quum eum assurgere jussisset, imponebat pœnitentiam, et super pœnitente iterum prostrato septem recitabat orationes, quæ leguntur in libris pœnitentialibus. Quibus peractis, ambo ad ecclesiam se conferebant; nam confessiones non fiebant in ecclesiâ, sed aliis locis omnium adspectui expositis, præcipue quum pœnitentes essent feminæ, quæ numquam nisi morbo affectæ domi confitebantur, adhibitis præterea testibus. Statuerat S. Basilius [2], ut monialibus adesset quoque abbatissa. Verumtamen, S. Petri Damiani ætate, confessiones omnes in ecclesiâ ante altare peragebantur, ibique pœnitentes flexis genibus multos psalmos ac preces recitabant, et tum abibant, ut ante susceptam absolutionem pœnitentiam implerent: quæ disciplina ineunte sæculo XIII immutata est. Hæc omnia refert *P. Chardon* [3] ex *Alcuino* [4], Caroli Magni præceptore sæculo VIII, et ex *Burchardo* [5] Wormatiensi; idemque legitur in antiquo Ordine Romano [6], in Bibliothecâ Patrum, tomo X.

Pœnitentium Stationes.

82. Pœnitentium stationes, quæ ortum habuerunt exeunte sæculo III, quatuor erant, easque S. Basilius [7] nominatim distinguit in *plangentium, audientium, prostratorum* et *consistentium.* Quæ ut rite intelligantur, scire oportet, ut refert *Fleury* [8], ecclesias olim habuisse porticum, qua aditus patebat ad aream quadratam, columnis circumdatam ut in monasterii claustro fieri solet; in medio fons aquæ exsiliebat: ibique ante templi januam consistebant pauperes. Extremâ areâ duplex erat atrium, ex quo tribus januis in ecclesiam perveniebatur. Intra ecclesiam in primo aditu baptisterium, ultimo recessu sacristia, quæ *secretarium*, vel etiam *thesaurus* seu *sacrarium* vocabatur. A lateribus cellulæ aliquot in eorum commodum, qui seorsum preces fundere vellent; sacella hodie diceres. Binarum columnarum tractu ecclesia erat dispertita: ad ultimam partem, quæ in orientem vergebat, constitutum erat altare, ac retro presbyterium, ubi sacerdotes divinum Officium persolvebant unà cum Episcopo, cujus sedes ultimâ æde erat collocata e regione januæ. Ante altare columellarum series sive cancelli. In mediâ ecclesiâ pulpitum, cui utrimque ascensus, quum etiam ad publicas lectiones peragendas adhiberetur. Præterea aliud positum erat Evangelii pulpitum, aliud ex adverso Epistolæ.

Quomodo olim ecclesiæ essent dispositæ.

Plangentes.

83. De pœnitentium autem stationibus narratur in canone, quem a S. Gregorio Thaumaturgo [9] confectum dicunt, *Plangentium* stationem fuisse extra ecclesiam, ubi ingredientibus supplicabant, ut pro se deprecarentur. *Audientes* intra ecclesiam a januâ ad pulpitum consistebant; a pulpito enim usque ad altaris cancellos stabat populus. Ii, pedibus insistentes, Scripturarum lectioni, concionibus et catechesibus aderant; ubi dicebantur orationes,

Audientes.

[1] Regulæ brevius tractatæ, Interrog. 288. — [2] L. c., Interrog. 110. — [3] L. c. — [4] De divinis Officiis, cap. 13. (Opus supposit. Nota edit.). — [5] Decretor., lib. XIX, de Pœnitentia. — [6] Apud *Migne,* Ordo Romanus X. In Append. oper. *S. Greg. Magni.* — [7] Ep. 217, ad *Amphilochium,* de canonibus, can. 56. — [8] *Les Mœurs des Chrétiens, n. 35.* — [9] Epistola Canonica, can. XI.

unà cum catechumenis dimittebantur; quibus egressis, claudebantur januæ et incipiebat Missa a cantu Symboli vel precum ad donorum oblationem. Eâdem lege tenebantur *prostrati*, qui nec ipsi sacrificio Missæ assistebant: prostratorum nomen habebant, quod iis priusquam ecclesiâ expellerentur, humi procumbentibus imponerentur manus, pluresque interea recitarentur orationes. Diuturna hæc tertia statio erat, utpote per septem saltem annos producta. *Consistentibus* denique licebat Missæ fidelium assistere, sed loco a ceteris seposito; et quum Communionis essent expertes, solas participabant Sacrificii orationes. His consistentibus adjungebantur etiam nonnulli, qui commiserant graves culpas, sed non eas, quæ canonicæ pœnitentiæ essent obnoxiæ; vel etiam ii, qui magno cum dolore ultro sese accusabant.

Prostrati.

Consistentes.

De absolutionis formâ notiones historicæ.

84. De Pœnitentiæ sacramenti formâ agens, *P. Morinus*[1] apud *Tournely*[2], gravibus prolatis auctoribus, idem demonstrat, quod suprà diximus, ad sæculum XII formam fuisse deprecativam: *Dominus te absolvat, cet.* et conjunctam cum aliis orationibus, quas sacerdos, manu super pœnitentis caput extensâ recitabat; quod idem legitur apud S. Ambrosium[3] et S. Leonem[4]. Scribit *P. Chardon*[5], illud constare ex omnibus libris pœnitentialibus Græcis et Latinis. Eamdem quoque formam indicavit Petrus Cantor[6], qui sub finem ejusdem sæculi XII floruit. Utraque tamen forma, et deprecativa et indicativa, in Summâ Alexandri Halensis[7] reperitur. S. Thomas[8] pro formâ indicativâ opusculum conscripsit, et nefas esse ait, contradicere Jesu Christi verbis: *quæcumque solveritis, cet.;* et doctores, Parisiensis Universitatis præpositi, unanimi consensu decreverunt, hac utendum esse formulâ: *ego te absolvo.* Ratio est quod quum sacerdos in tribunali pœnitentiæ judicis munere fungatur, ad eum proprie spectat ferre sententiam. Demum Concilium Tridentinum[9] statuit absolutionis essentiam constituere hæc verba: *ego te absolvo a peccatis tuis;* adjectas autem preces, quantumvis utiles, non esse necessarias. Græci nihilominus, etiam post Decretum illud, retinuerunt formam deprecativam, item ab Ecclesiâ approbatam. Vide quæ diximus *n. 72 ad finem.*

De sigillo.

85. Siquis sacerdos sigillum Sacramenti violet, ex Canonum lege munere exuitur, et ad perpetuo peregrinandum condemnatur. Ita in Canone *Sacerdos II, caus. 33, qu. 2, dist. 6* (Gratianus ait, eum Canonem a Gregorio Magno latum; *Morinus*[10] vero putat, Gregorium VII sive alium ejusdem ætatis Pontificem ejus esse auctorem). Et in Concilio Lateranensi, Innocentio III[11] Summo Pontifice, decernitur eum non solum deponendum, sed etiam in perpetuum claudendum esse in monasterio.

De Confessionis obligatione, ineunte Quadragesimâ.

86. Olim, ut ex antiquis Ritualibus liquet, Quadragesimâ ineunte, Confessionis lege omnes tenebantur; testatur autem *Burchardus*[12], initio in Ecclesiâ Latinâ tres fuisse Quadragesimas. Prima, eaque major, fiebat ante festum Paschatis; alia in Adventu ante Natalem Domini; tertia, quæ item quadraginta erat dierum, ante festum S. Martini. Postea ad duas redactæ sunt, Paschatis nempe et Adventûs; demum ad solam Paschalem, adjecto tamen jejunio Quatuor Temporum.

De casuum reservatione.

87. Sæculo XIII in diœcesibus constituti sunt Pœnitentiarii majores, quibus concessa erat facultas a casibus reservatis absolvendi; sed antea jam erant casus reservati vel Summo Pontifici vel

[1] Comm. hist. de sacr. Pœnit., lib. VIII, cap. 8-11. — [2] Comp. Theol. De sacr. Pœnit., qu. 9, art. 1, concl. 3. — [3] De Spiritu-Sancto, lib. III, cap. 18, n. 137. — [4] Ep. 108, ad *Theodorum Forojul.*, cap. 2 et 3. — [5] *Lib. II, cap. 32. (Gall. Pénit., sect 4, ch. 1).* — [6] In Summa de Sacramentis (non tamen typis excusa), apud *Tournely*, l. c. — [7] Summa theol., pars 4, qu. 14, membr. 2, art. 2. — [8] Opusc. 22, de forma Absolutionis. — [9] Sess. 14, cap. 3. — [10] Comm. historic. de Sacram. Pœnit., lib. II, cap. 19, n. 16. — [11] Decretal. lib. V, tit. 38. Cap. « *Omnes utriusque* » 12. — [12] Decretor. lib. 19, cap. 5.

Episcopis, ut testantur Petrus Cantor [1] et Fleury [2].

De Absolutione eminus datâ.

88. In incerto quondam habebatur, num valeret absolutio eminus collata, quod quidem Suaresio [3] placuit. Sed Clemens VIII, die XX Julii [*alii:* XX Jun.] 1602 interdixit, ne quis aut scripturâ absenti sacerdoti peccata confiteretur, aut eminus absolutionem reciperet.

Canones et Libri pœnitentiales.

89. Pœnitentiæ prius non erant penes Confessarii arbitrium, sed imponebantur juxta Canones pœnitentiales in libris pœnitentialibus descriptos; et ad eamdem normam dirigebantur confessiones publicæ et secretæ, hoc solo discrimine quod pœnitentia publica in publico erat persolvenda. Sæculo VIII autem, pœnitentiâ publicâ penitus sublatâ, plures auctores libros pœnitentiales composuerunt, ubi indicantur et culparum species et respondentes pœnæ secundum Conciliorum canones et præcipuarum Ecclesiarum consuetudines, unà cum absolutionis ceterarumque precum formulis. Quorum præcipui erant Pœnitentiale Romanum [4], Bedæ [5] et Theodori [6].

Pœnitentia publica.

90. Pœnitentia publica publicis peccatoribus erat reservata, idque ob sola peccata primæ classis; a quibus, etiamsi essent secreta, pœnitentes non absolvebantur, ut ait P. Chardon, lib. II, cap. VI (*Gall., sect. 3, p. 1, ch. 6*), nisi prius canonicâ pœnitentiâ peractâ. Quæ quidem pœnitentia publicis peccatoribus etiam sub pœnâ excommunicationis erat subeunda. Refert *P. Chardon* [7], nonnullos, licet secreto peccassent, ex humilitate publicam pœnitentiam suscepisse, culpis tamen non patefactis. Quam quidem pœnitentiam semel tantum fieri licebat; sed illa disciplina ultra septimum sæculum non permansit: et ex eo tempore canonica pœnitentia publicis peccatoribus sæpius concedi cœpta est. Concilium Nicænum [8] statuit, lenius agi posse cum iis pœnitentibus, qui ardentiores se præberent. Commendatio quoque martyrum et confessorum, qui propter fidem patiebantur, hoc efficiebat, ut partim dimitteretur pœnitentia. Quæ quidem commendationes *libelli commendatitii* vocabantur; porrecti nonnumquam a diaconis, ab Episcopis deinde examinabantur. Illud martyrum privilegium, jam ante Tertulliani ætatem institutum et in Marci Aurelii persecutione anno 176 vel 177 recognitum, non cessavit nisi cum ipsis martyribus. Tribus primis sæculis etiam clerici majores, si publici essent peccatores, pœnitentiæ publicæ subjiciebantur: et munere suo dejecti, ad exercenda ordinum suorum officia, licet peractâ pœnitentiâ, redire non poterant; sed eâ disciplinâ post sæculum III soli clerici minores tenebantur; ita P. Chardon [9]. Publici peccatores etiam post impletam publicam pœnitentiam, inhabiles erant ad suscipiendos Ordines majores; cui tamen rei obnoxii non erant ii, qui publicam pœnitentiam suâ sponte subiissent. Præterea in Occidente (non vero in Oriente) publicis pœnitentibus aditus ad militiæ munia, ad magistratum aut negotiationem non patebat, nec matrimonium inire poterant neque eo uti, si illud jam contraxerant. Quæ omnia, desinente ipsâ publicâ pœnitentiâ, sæculo XIV desierunt. Cfr. Chardon [10].

Libelli commendatitii.

Etiam Clerici publicâ pœnitentiâ tenebantur.

Nonnulli effectus publicæ pœnitentiæ.

[1] Summa de Sacr. (Apud *Chardon*, della Penit., lib. I, cap. 10). — [2] *Histoire Eccl., livre 22, n. 44;* Confer, *livre 72, n. 35.* — [3] Hanc quæstionem pertractat: *In III^um D. Thom., De Pœnit., disp. 19, sect. 3.* Vide etiam Disp. 21, sect. 4 (*a*). — [4] Liber Pœnitentialis; apud *Migne,* Patr. Lat., tom. 105. — [5] De Remediis Peccator. (inter dubia. Nota edit.). — [6] *Theod. Cantuar.*, Pœnitentiale; apud *Migne,* Patr. Lat., tom. 99. — [7] *Cap. 5 et 15. (Gall., sect. 3, p. 1, ch. 5 et p. 2, ch. 7).* — [8] Conc. *Nicæn.* I, Can. 11. — [9] Cap. 18 et 19. — [10] *Cap. 16* (Gall., l. c.).

(*a*) Totam rem enucleat et *Suaresii* mentem dilucide exponit *J. B. Malou,* Episc. *Brugensis: Suaresii opuscula sex inedita* (vide Præfat., pag. VII et pag. XIII-XIX). Constat autem, *Suarez* in defendenda sua sententia, loqui voluisse de eo, qui confessionem absens per internuntium vel epistolâ peregisset, præsens vero adesset, ut absolutionem reciperet. Cfr. *S. Alph.*, Theol. Mor., lib. VI, n. 428 (Nota edit.).

DISPUTATIO VIII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

(EADEM SESSIO XIV).

Proœmium.

1. Absolutis iis, quæ ad Pœnitentiam spectant, transit Concilium ad doctrinam de extremâ Unctione, quod Sacramentum áit a Patribus existimatum fuisse *consummativum* totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet. Et adjungit, Divinam Bonitatem, sicut in decursu vitæ variis præsidiis contra omnia hostium tela nos munivit, ita noluisse, ut specialis nobis deesset armatura in extremo illo mortis certamine, in quo infernus omnes nervos contra nos intendit.

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

Cap. I. De Institutione.

2. Caput primum hæc docet: *Instituta est autem sacra hæc Unctio infirmorum tamquam vere et proprie Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum* [1] *quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum.* INFIRMATUR, *inquit,* QUIS IN VOBIS? INDUCAT PRESBYTEROS ECCLESIÆ, ET ORENT SUPER EUM, UNGENTES EUM OLEO IN NOMINE DOMINI: ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM: ET ALLEVIABIT EUM DOMINUS; ET, SI IN PECCATIS SIT, REMITTENTUR EI [2]. *Quibus verbis, ut ex Apostolicâ traditione, per manus acceptâ, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse*

De materiâ.

oleum ab Episcopo benedictum; nam Unctio aptissime Spiritus-Sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat; formam deinde esse illa verba: PER ISTAM UNCTIONEM, *cet.*

De formâ.

3. Huic primo Capiti respondet Canon I: *Siquis dixerit, extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum, anathema sit.*

Can. I huc pertinens.

4. Itaque primo hoc Capite docemur, Sacramentum extremæ Unctionis vere et proprie esse Sacramentum, a Christo institutum, et in S. Marci Evangelio his verbis insinuatum: *Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent; et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros et sanabant* [3]; promulgatum denique a S. Jacobo, qui proinde non institutor, sed solum promulgator fuit, quum hujus Sacramenti, sicut et ceterorum omnium, auctor fuerit Jesus Christus. Quæ-

Explicatur Concilii doctrina. a De Institutione et Promulgatione.

[1] VI, 12 et 13. — [2] V, 14 et 15. [3] L. c.

stio est, utrum Christus Sacramentum illud immediate an mediate per S. Jacobum instituerit; quarum opinionum neutra de fide est, quum nihil aliud dicat Tridentinum nisi a Christo institutum fuisse illud Sacramentum, quod utique est de fide; probabilius autem videtur immediate a Christo fuisse institutum, quum S. Jacobo Concilium solam promulgationem tribuat: *Instituta est... sacra hæc unctio... tamquam... Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino... apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem... fidelibus promulgatum.* Si quæratur, quando promulgata sit extrema Unctio, ait *Tournely* [1], probabilius illam promulgatam esse post institutam Pœnitentiam, cujus, juxta modum loquendi Patrum, *perfectio* est et *consummatio.*

De hæreticorum errore.

5. *Lutherus* [2] et *Calvinus* [3] extremam Unctionem, quam papisticam superstitionem vocant, e medio sustulerunt. Concilium vero, ut jam animadvertimus, eam vere Sacramentum esse declarat, quum adsint tria illa, quæ ad constituendum Sacramentum requiruntur: signum externum unctionis olei; gratiæ promissio: *si in peccatis sit, remittentur ei;* et institutio divina, *ungentes eum oleo in nomine Domini;* et quum S. Jacobus hujus Sacramenti promulgator tantum sit, ejus auctor Christus esse debuit, cujus solius est Sacramenta instituere.

Objicitur 1 locus *Sigeberti.* Respondetur.

6. Opponit *Calvinus* [4], Sigebertum [5] in Chronicis narrare, extremam Unctionem ab Innocentio I fuisse institutam. Sed quomodo Sigeberto credere possumus, quum Innocentius [6] ipse declaret, extremam infirmorum unctionem vere esse Sacramentum, nec verbulo quidem asserat, eam a se esse institutam? Immo ex ipsius Sigeberti testimonio idem patet [7]. — Quæcumque facta proferunt hæretici, fallaciæ suspecta sunt.

Objicitur 2 majorum exemplum. Respondetur.

7. Objicitur, ex auctoribus sex priorum sæculorum, qui de morte sanctorum scripserunt, neminem narrasse, eos in vitæ exitu illud Sacramentum suscepisse. Sed quid refert? Neque narrarunt, sanctis datam fuisse Eucharistiam, quum tamen certum sit, omnes fideles in mortis articulo eam suscepisse. Satis nobis est a Possidio in S. Augustini vitâ audivisse, iis temporibus communem fuisse sanctorum sententiam, nefas esse, quemquam sine pœnitentiæ signis vitâ excedere: *Sacerdotes absque dignâ et competenti pœnitentiâ exire de corpore non debere* [8]. Nomine pœnitentiæ comprehendebatur etiam hujus ultimi Sacramenti susceptio.

Objicitur 3 textus *S. Jacobi.* Respondetur.

8. Objiciunt præterea, extremæ Unctionis effectum fidei orationi a S. Jacobo tribui: *et oratio fidei salvabit infirmum;* si vero Sacramentum esset, inquiunt, tribueretur effectus unctioni tamquam materiæ, et orationi tantum ut formæ. Sed falluntur: effectus siquidem revera unctioni et orationi unice tribuitur: *Ungentes eum oleo in nomine Domini;* et statim sequitur: *et oratio fidei salvabit infirmum;* quæ voces *oratio fidei* non *subjective* de fide ministri, sed *objective* de universâ Ecclesiâ intelligi debent, quum ea oratio contineat objectum fidei, quod est Sacramentum (*a*).

[1] Compend. theol. De Sacr. Extrem. Unct., quæst. 2, art. 3, quær. 2. — [2] De Captiv. *Babylonica.* Cap. De Sacr. Extr. Unct. — [3] Instit., lib. IV, cap. 19, n. 18-21. — [4] L. c., n. 21. — [5] Chronica, a° 404. — [6] Ep. 25, ad *Decentium,* Ep.m *Eugub.,* cap. 8. — [7] L. c. — [8] *Possidius,* Vita *S. Augustini,* cap. 31.

(*a*) Quod quidem *Bellarminus* (de extr. Unct., lib. I, cap. 3) his verbis explanat: « Respondeo,... orationem fidei dici hoc loco, non quia » requirit necessario fidem ministri, sed quia » est oratio dictata a fide, et solâ fide intelligitur; quomodo verbum sacramentale, quod » cum elemento facit Sacramentum, Augustinus » (Tract. 80 in *Joannem*) vocat *verbum fidei,* » et dicit operari, *non quia dicitur, sed quia* » *creditur* ». — Est igitur oratio, quæ continet seu exprimit illud, quod Ecclesia de hoc Sacramento credit (Nota edit.).

b De Materia remotâ.

9. Item docet Concilium Tridentinum, quæ sit extremæ Unctionis materia: materia *remota* est oleum olivæ, ut ex Græcorum Euchologio et Sacramentario S. Gregorii [1] constat: nomen *olei* quippe olivarum oleum proprie designat, quod hisce verbis exponit Catechismus Romanus: *liquor... ex olearum baccis tantummodo expressus* [2]: cetera olea siquidem non simpliciter olea vocantur, sed alia vox addenda est, ut oleum ex lino, ex nuce cet. expressum. — Nec refert, Innocentium I [3] illud vocare chrisma: hoc enim nomine quamlibet unctionem designare voluit. Quodsi tamen accideret, inquit *Tournely* [4], ut ejusmodi oleum balsamo esset admixtum, cujusmodi est oleum catechumenorum, idonea foret Sacramenti materia, si postularet necessitas.

De olei benedictione.

10. Ad hæc scire oportet, quamquam Græci utuntur oleo a sacerdote benedicto, apud Latinos, ut ex omnibus Ritualibus constat, benedictionem fieri debere ab Episcopo. Eam benedictionem tamen Summus Pontifex simplici sacerdoti committere potest (Confer quæ in Theologiâ Morali [5] diximus), ut ex Decreto Clementis VIII [6] liquet. Si quæratur, num illa Episcopi vel sacerdotis benedictio sive consecratio necessaria sit de necessitate Sacramenti, scribit Jueninus [7], Græcis certo de solâ necessitate præcepti esse, et nullibi de necessitate Sacramenti esse sermonem. Ceterum alii iique doctissimi Theologi, ut Bellarminus [8], Estius [9], cet. asserunt, eam necessitate Sacramenti omnino requiri; quod tamen cum aliis negat *Sanbovius* [10], cui assentiri videtur *Tournely* [11], qui Bellarmini argumentis respondet. Sed quum de Sacramenti validitate agitur, materiâ dubiâ, nisi cogente necessitate, uti non licet. Deficiente autem oleo benedicto, nihil impedit, quominus non benedicti paululum admisceatur, dummodo minoris sit quantitatis, ut colligitur ex *Cap.* « *Quod in dubiis* », *de consecrat. Eccl.ae* [12].

De materiâ proximâ.

11. Materia *proxima* est ipsa unctio, quæ in Ecclesiâ Latinâ peragenda est in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, et plantis pedum vel prope eas partes, atque etiam (apud viros saltem, non vero apud mulieres) in renibus, quum ægroti sine periculo moveri possunt: ita in Sacramentario S. Gregorii [13] et Rituali Romano [14]. Græci autem ungere solent frontem, mentum, pectus, genua, manus et pedes. Ceterum, cogente necessitate, quâ tempus non suppeteret, satis est unicum sensum, eumque magis pervium inungi his verbis: *Indulgeat tibi Deus quidquid per sensus peccasti:* siquidem S. Jacobus *unctionis* tantum mentionem facit. Quodsi per tempus liceat, numquam fas est, omitti aliquam ex singulis iis unctionibus, ut recte cum S. Thomâ [15] ait *Tournely* [16]. — Olim omnes infirmi hujus sacramenti suscipiendi causâ ad Ecclesiam se conferre vulgo nitebantur; cujus rei plura exempla affert *P. Chardon* [17]; S. Cæsarius [18] autem eam communem Ecclesiæ consuetudinem fuisse arbitratur: quapropter extremam vitam non exspectabant; et reverâ in suis ecclesiis hodie adhuc illum usum servant Trappistæ.

c De formâ.

12. Docet quoque Concilium, quæ sit hujus Sacramenti forma: *Per istam, cet.*, quam formam in suâ Instructione ad Armenios jam præscripserat Eugenius IV: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum (odoratum, gustum, tactum, auditum, gressus, lumborum delectationem) deliquisti;* quæ ver-

[1] *S. Gr. Magn.*, Liber Sacramentorum, fer. 5 post Palmas. — [2] De Extr. Unct., n. 9. — [3] L. c. — [4] L. c., art. 1, quær. 4. — [5] Lib. VI, n. 709, dub. 3. — [6] Instructio super Ritibus *Italo-Græcorum.* 31 Aug. 1595, § 3. — [7] Inst. theol. De Extr. Unct., quæst. 2, quær. 1. — [8] De Extr. Unct., cap. 7. — [9] In Sent. lib. IV, dist. 23, § 9. — [10] *Sainte-Beuve*, Tract. de Sacr. Extr. Unct., disp. 3, art. 1, quær. 1. — [11] L. c., quær. 2. — [12] Decret. 3, 40, 3 (Reg., lib. 1, Epist. 381, Ep.° *Nedrosiensi*). — [13] Liber Sacramentor., v. fin. — [14] Ordo administrandi Sacr. Extr. Unct. — [15] Suppl., qu. 32, art. 6. — [16] L. c., de materia proxima, quær. 3. — [17] *Storia. Della estr. Unz., lib. III, cap. 3. (Gall., Extr. Unct., ch. 3).* — [18] Inter opera *S. Augustini.* Append. Sermo 279, n. 5.

ba leguntur in Eugenii IV Decreto, cujus mentionem facit Tridentinum, et in Rituali Romano; quamquam refert *P. Chardon*[1], hac in re varium olim fuisse agendi modum; immo pluribus exemplis demonstrat, nonnumquam uni tantum corporis parti adhibitam fuisse unctionem. Ceterum, ad sacramenti validitatem non sunt necessaria verba: *per istam sanctam unctionem, cet.* nec requiritur, ut singuli sensus nominentur; sufficiunt verba: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per sensus deliquisti.* Dixi: ad validitatem; quia cetera verba, nisi illud necessitas postulasset, sine culpâ omitti nequeunt. Apud Græcos alia est forma, quâ Sacramenti effectus singillatim exprimuntur. Scribit *Tournely*[2], nonnullas Ecclesias Latinas olim adhibuisse formam *indicativam*: *Ungo te hoc oleo, cet.;* et (ibid.) referunt S. Thomas[3], S. Bonaventura[4] et alii, eam fuisse formam Ambrosianam, Mediolani receptam: *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, cet.* Ceterum forma hodie communiter in Ecclesiâ Latinâ usurpata, est *deprecatoria*, quam suprà exscripsimus; quâ semper Ecclesiam Græcam usam fuisse, testatur *Tournely*[5].

CAPUT II.

DE HUJUS SACRAMENTI EFFECTU.

Cap. II. De re et effectu.

13. Hoc secundo Capite Concilium distinguit *rem* et *effectum:* res Sacramenti est Spiritus-Sancti gratia, effectus autem, id quod Concilium deinde exponit: *Res porro et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur:* ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM, ET ALLEVIABIT EUM DOMINUS; ET SI IN PECCATIS SIT, DIMITTENTUR EI. *Res etenim hæc gratia est Spiritus-Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.*

Tres sunt præcipui effectus.

14. Tres igitur præcipui sunt hujus Sacramenti effectus: 1[us] peccatorum remissio unà cum peccati reliquiarum abstersione; 2[us] divinum auxilium, cujus ope infirmus et tolerantius morbi incommoda patitur et extremis adversarii impugnationibus fortius resistit; 3[us] corporis sanitas, quam identidem, si saluti animæ expediat, hoc Sacramentum confert. Quem corporis sanationis effectum *ex opere operato* produci existimant Thomistæ; Estius[6] vero asserit, *ex opere operantis* eum effici, id est, propter publicas Ecclesiæ preces, quibus consecratur oleum. Conf. *Tournely*[7].

De primo effectu quæstiones. Prima quæstio.

15. Quæritur autem, sitne peccatorum remissio effectus primarius per se. *Tournely*[8] contra Sotum[9] aliosque nonnullos Thomistas omnino affirmat, suamque sententiam eruit tum ex S. Jacobi verbis: *Si in peccatis sit, dimittentur ei;* tum ex Concilio: *Cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda,... abstergit;* tum etiam ex ipsâ formâ: *Indulgeat tibi Dominus quidquid... deliquisti.*

Altera quæstio.

16. Deinde quæritur, num ea peccatorum remissio sit effectus primarius sim-

[1] L. c., cap. 1 *(Gall., l. c., ch. 1).* — [2] Comp. theol. de Extr. Unct., quæst. 2, art. 2, quær. 2, dico 1°. — [3] Supplem., qu. 29, art. 8, obj. 3. — [4] IV Sent., dist. 23, art. 1, quæst. 4. — [5] L. c., quær. 2, dico 3°. — [6] In Sent. lib. IV, dist. 23, § 5. — [7] Compend. theol. de Extr. Unct., quæst. ultim., art. 1, quær. 7. — [8] L. c., quær. 1. — [9] In Sent. lib. IV, dist. 23, qu. 1, art. 2, concl. 3.

plex. Quin primarius sit effectus, non dubitatur; non est tamen simplex aut solus; eum quippe comitantur duo alii effectus secundarii, *abstersio reliquiarum peccati* et *infirmi allevatio.* Reliquiæ peccati intelliguntur relicta proclivitas ad malum, torpor ad bonum operandum et mentis obscuritas; extrema Unctio enim confertur tamquam sanatio perfecta et pœnitentiæ consummatio.

Tertia quæstio.

17. Quæritur præterea, quænam peccata per se ac primario hoc Sacramentum remittat, num venialia, atque etiam mortalia? Affirmat *Sanbovius* [1], quia licet extrema Unctio sit Sacramentum vivorum, quum tamen sit supplementum Pœnitentiæ, ejus primarius effectus est remissio venialium, et secundarius etiam mortalium. Sed hac in re recte eum impugnat *Tournely* [2]. Est potius probabilis sententia S. Thomæ, Sacramenta vivorum, ut sunt Confirmatio, Eucharistia, Ordo et extrema Unctio, non *per se* sed *per accidens* etiam graves culpas remittere, quum suscipiens attritionem habet, contritionem se habere existimans, neque aliud Sacramentum suscipere potest. En Angelici Doctoris verba, quum de Eucharistiâ scribit: *Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati (mortalis)...; forte enim primo (suscipiens Sacramentum) non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet et remissionem peccati* [3]. Quod idem affirmat S. Doctor de extremæ Unctionis sacramento [4]. S. Thomam hac in re sequuntur *Gonet* [5], Card. *Bellarminus* [6], *Concina* [7], *Suarez* [8] aliique communissime. Rationem merito deducunt ex Tridentini verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis... gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre,... anathema sit* [9]. Qui Sacramentum suscipit ita dispositus, ut contritionem se habere existimet, gratiæ recipiendæ certo nullum ponit obicem.

CAPUT III.

DE MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS ET DE TEMPORE QUO CONFERRI DEBET.

Caput III. De Ministro et subjecto.

18. Hoc tertio et ultimo Capite declarat Concilium, extremæ Unctionis ministrum esse vel Episcopum vel Sacerdotem; et eos quibus administrari debeat, esse infirmos in mortis periculo versantes. Item statuit, extremam Unctionem denuo susQuoties suscipi possit.

cipi posse ab iis infirmis, qui postquam convaluerint, in simile vitæ discrimen veniant. Et condemnantur qui asserunt, in Ecclesiæ origine unà cum curationum gratiâ cessasse extremam Unctionem. Præterea dicitur, sine gravissimâ

[1] *Sainte-Beuve*, Tr. de Extr. Unct., disp. 5, art. 1, prop. 2. — [2] Comp. theol. De Extr. Unct., quæst. ult., art. 1, quær. 4. — [3] 3ª, qu. 79, art. 3. — [4] Suppl., qu. 30, art. 1. — [5] Manuale *Thom.* De Sacr. Pœnit. et Extr. Unct., cap. 8, § 1. — [6] De Extr. Unct., cap. 8 (*a*). — [7] Theol. *Christiana*, de Extr. Unct., cap. 8. n. 4. — [8] De Sacramentis, pars. 2, disp. 41, sect. 1, assert. 2. — [9] Sess. VII, Can. 6.

(*a*) Ad finem capitis hæc tamen adjungit verba: « Dicet aliquis: Id videtur commune omnibus sacramentis, ut peccata mortalia tollant, si quæ inveniant, modo non ponatur obex, quia omnia sacramenta conferunt gratiam, quæ non potest cum peccato mortali consistere: non igitur id est proprium hujus sacramenti. Respondeo: Omnia quidem sacramenta id efficere; sed per accidens, hoc autem sacramentum per se, et proprie hoc facit, quia ad hoc peculiariter est institutum in fine vitæ » (Nota edit.).

culpâ contemni non posse hoc Sacramentum.

Verba Concilii.

Jamvero quod attinet ad præscriptionem eorum, qui et suscipere et ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum; nam et ostenditur illic proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros, quo nomine, eo loco, non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyteri (a). Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur; unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, quum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nullâ ratione audiendi sunt qui, contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam, docent, hanc Unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum,... nec promissionem gratiæ habentem; et qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset; et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse; et denique qui hanc extremam Unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis; nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda Unctione, quantum ad ea, quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat quam quod beatus Jacobus præscripsit. Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus-Sancti injuriâ esse posset.

19. Huic Capiti connectuntur Canones III et IV; Can. III dicitur: *Siquis dixerit, extremæ Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.* Can. III.

20. Can. IV autem: *Siquis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.* Can. IV.

Explicatur Concilii doctrina.

21. Itaque ex Concilio certum est, extremæ Unctionis ministros non esse laicos nec, ut *Calvino* [1] placuit, seniores populi, sed eos tantum, qui sacrâ Ordinatione ad gradum episcopalem vel sacerdotalem evecti sunt, ut demonstrat Estius [2] illudque intelligunt SS. Patres. Presbyterorum nomine in novo Testamento non alii designantur nisi Ecclesiæ ministri; idque eo magis, quod S. Jacobus de iis presbyteris loquitur, qui peccata remittunt, quod numquam concessum fuit laicis. Declarat ceteroquin Concilium, illud haud obscure deduci ex ipsis S. Jacobi verbis. Fuerunt nonnulli sæculo V, qui sacerdotes ut ministros hujus Sacramenti agnoscentes, inepte Episcopos excluderent; quod quidem videntur colligere voluisse ex ipsâ Innocentii I *ad Decentium* epistolâ [3]; at falso; nam ipse Innocentius in eâ epistolâ nominatim commemorat Episcopos; ceterum, ipsum Concilium (cap. III) docet, et Episcopos et sacerdotes extremæ Unctionis esse ministros. De ministro.

De administratione *validâ* et *licitâ*.

22. Quilibet sacerdos extremam Unctionem valide administrat, quia ad eam conferendam non requiritur potestas juris-

[1] Comm. in Epist. *Jacobi*, V, 14. — [2] Comm. in Epist. *Jacobi*, V, 14. — [3] Ep. 25, cap. 8.

(a) In pluribus aliis editionibus legitur: *presbyterii* (Nota edit.).

dictionis, sed satis est potestas ordinis. Dixi: *valide;* sed ut licite conferatur, opus est potestate aut ordinariâ Episcopi vel parochi, aut delegatâ, ab iis acceptâ; ut in Clementinâ I *de privileg.*[1] præscribitur. Si quæratur, possitne quilibet sacerdos, etiam regularis, deficiente sacerdote qui talem habeat jurisdictionem, conferre illud Sacramentum, *Navarrus*[2] negat. Probabilius tamen cum *Tournely*[3] affirmant *Sylvius*[4], *Soto*[5] et alii quamplures. Neque obstat Clementina *Dudum, de sepulturis*[6], ubi sub excommunicationis pœnâ prohibentur regulares parochorum jura lædere; hoc enim intelligendum, inquit *Tournely*[7], de iis regularibus, qui privilegiorum suorum prætextu, parochorum exercere vellent officium; minime vero de casu necessitatis, quum conferenda foret extrema Unctio, neque adesset legitimus sacerdos. Accedit auctoritas S. Caroli Borromæi, in Concilio Mediolanensi V præscribentis: *Si porro is (parochus) impeditus aut alias in morâ est, mortisque periculum instat, tunc sacerdos alius (hoc Sacramentum) ministret licet*[8].

De numero ministrantium.

23. Si quæras, num ad conferendam extremam Unctionem pluribus sacerdotibus opus sit, Græci septem requirunt sacerdotes, ut ex eorum Euchologiis patet, aut etiam quinque vel tres, ut refert *Renaudot*[9]; non exspectant tamen, donec infirmus ad extrema devenit. Scribit *P. Chardon*[10], antiquitus, quum septem sacerdotes inungerent, lucernam septem luminum fuisse præparatam; suum deinde singulos sacerdotes accendisse ellychnium, atque ita signo crucis multisque adhibitis orationibus, unxisse infirmum. Apud Latinos etiam plures olim arcessitos fuisse sacerdotes, ex Sacramentario S. Gregorii[11] colligitur. Sed a pluribus jam sæculis in Ecclesiâ Latina ab uno Sacerdote confertur hoc Sacramentum. Neque obstant S. Jacobi verba: *inducat presbyteros:* in Scripturâ sacrâ enim numerus pluralis haud raro pro singulari ponitur; sic apud S. Matthæum[12] legimus, latrones in Christum blasphemasse, quum tamen S. Lucas dicat: *Unus autem de his, cet.*[13]

Quomodo antiquitus conferri soleret.

24. Narrat *P. Chardon*[14], promiscue olim aut ab uno aut a pluribus sacerdotibus unctionem peractam; antiqua siquidem Ritualia alia aliter loquuntur (apud *Martene*[15]): refert[16] quoque, interdum eos sacerdotes omnes unxisse, singulis proferentibus formam, ægrotantis sensui convenientem; interdum alios aliam unxisse partem, quum singuli formam, illi tantum parti propriam, proferrent. Plura quoque in eodem capite[17] producit exempla hujus Sacramenti ab uno solo sacerdote administrati. Memorat[18] præterea, fuisse consuetudinem, ut infirmo, priusquam unctio fieret, supponerentur cineres et cilicium, aut saltem superponerentur; ipsos quoque cineres ac cilicium fuisse benedicta. Qui quidem mos in Italiâ potissimum invaluerat.

De Subjecto.

25. Quod ad eos attinet, qui extremam Unctionem suscipere possint, in Orientali Ecclesiâ vulgaris est consuetudo, ut asserunt Arcudius[19] et Goarius[20], ungendi etiam vegetos; quod idem scribit Leo Allatius: *Non tantum infirmos, sed sanos quoque homines extremâ Unctione, et sæpius, (Græci) inungunt*[21]. Quam quidem unctionem benevalentibus impertitam Arcudius[22] existimat a Græcis pro vero Sacramento haberi; quod tamen negant Goarius[23] et *Tournely*[24], qui refert, sub Innocentio I Latinos quoque oleo, ab Epi-

Sani.

[1] *Clem.* lib. V, tit. 7, cap. «*Religiosi*» (*Clem. V* in Conc. *Vienn.*). — [2] Enchiridion, cap. 27, n. 102. — [3] Comp. theol. De Extr. Unct. quæst. 2, quær. 2, Resp. 2. — [4] In Suppl., qu. 31, art. 1 et 2. — [5] In Sent. lib. IV, dist. 23, qu. 1, art. 1. — [6] III, 7, 2 (*Clemens V* in Conc. *Vienn.*). — [7] L. c. — [8] Constit., pars 1. — [9] *Perpétuité de la foi sur les Sacrements, liv. V, chap. 2.* — [10] *Lib. III, cap. 1 (Gall., Extr. Unct., chap. 1).* — [11] Liber sacramentor., v. fin. — [12] XXVII, 44. — [13] XXIII, 39. — [14] L. c. — [15] De Antiquis Eccl.ae Ritibus, lib. I, cap. 7, art. 4. — [16] L. c. — [17] L. c. — [18] L. c., cap. 5. — [19] Concordia... circa Sacramentor. Administr., lib. V, cap. 4. — [20] Rituale *Græcor.* In Officio Olei sancti, nota 3. — [21] De Ecclesiæ... Consensione, lib. III, cap. 16, n. 3. — [22] L. c., cap. 5. — [23] L. c. — [24] Comp. theol. De Extr. Unct., quæst. ultim., art. 1, quær. 4.

scopo sanctificato, usos fuisse ad depellendos morbos, quum tamen nemo suspicetur, eam unctionem fuisse Sacramentum. *Infirmi.* Ceterum jam indicavit S. Jacobus, infirmis dandam esse extremam Unctionem: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros, cet.* Quapropter hoc Sacramentum bene valentibus administrari non licet, etiamsi, ut capite damnati, haud procul a morte abessent. A Concilio Tridentino autem distinctius exponitur, quinam infirmi eâ unctione sint liniendi: *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.* Adnotat vero Benedictus XIV (Bullar., tom. 4, Bulla LIV, § 44) Sacramentum illud conferri oportere infirmis, dum *sibi constant et sui compotes sunt* [1]; neque exspectandum ultimum tempus, quo sensibus sunt destituti. Unde Catechismus Romanus: *Gravissime peccant*, inquit, *qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, quum jam omni salutis spe amissâ, vitâ et sensibus carere incipiat* [2]. Quapropter docet *Jueninus*, eos utique infirmos ungi posse, qui in mortis periculo versentur, etiamsi ad vitæ exitum nondum pervenerint: *Numerari... debent ii omnes, qui periculose laborant, sive in exitu constituti videantur sive non* [3]. Quod quidem clare conficitur ex his Concilii verbis: *Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui in exitu vitæ constituti videantur.* Vox *præsertim* indicat, extremam Unctionem recte etiam iis administrari, qui ad vitæ exitum nondum pervenerunt. Quocirca communiter dicunt doctores, ad licitam extremæ Unctionis collationem satis esse, infirmitatem certo afferre periculum mortis, quamvis non proximæ; quare præscribit Benedictus XIV in citatâ Bullâ: *Nec Sacramentum extremæ Unctionis ministrent bene valentibus, sed iis dumtaxat, qui gravi morbo laborant* [4]. Quibus annumerari debent, ita merito S. Carolus Borromæus [5], decrepiti *Senes.* senes, qui licet nullâ aliâ infirmitate affecti, gravem patiuntur languorem.

Non exspectandus vitæ exitus.

26. Hoc Sacramentum denegandum est *Parvulis dari nequit.* et parvulis, ratione nondum præditis, et iis, qui a pueris insaniunt: numquam enim actu peccaverunt; sed dari potest pueris, qui compleverunt septennium et amentibus, qui aliquando lucida intervalla habuerunt.

27. Quod ad dispositionem spectat, quâ *Quænam requiratur dispositio.* recipienda est extrema Unctio, quæ est vivorum Sacramentum, requiritur, ut infirmus sit in statu gratiæ; quodsi in peccato sit, saltem requiritur contritio, cujus quidem moraliter certus esse debet; secus confiteatur necesse est. *Jueninus* [6], *Tournely* [7] et *Concina* [8] confessionem omnino exigunt; alii vero auctores contritionem sufficere existimant. Antiquitus extrema *Olim ante Viaticum.* Unctio conferebatur ante susceptum Viaticum; atque ita eam sæculo XI Leoni Papæ IX collatam refert *P. Chardon* [9], quamquam alia quoque dissimilis agendi rationis exempla ibi tradit: in Latinis ecclesiis vero, inquit *Jueninus* [10], a pluribus jam sæculis post susceptum Viaticum administratur; siquis autem infirmus Viaticum unà cum extrema Unctione suscipere cupiat, juxta Rituale Parisiense [11] (et id quidem rationi consonat) prius Unctio facienda, ac deinde porrigendum est Viaticum, ut prius extrema Unctio suum peccatorum remissionis effectum habeat; præterquam si periculum esset, ne ante susceptam Eucharistiam infirmus moreretur. Vide Juenin [12].

28. Narrat *P. Chardon* [13], olim pluribus *Quoties iterari possit.* locis septem continuis diebus iteratam fuisse unctionem. Concilium vero docet: *Quodsi infirmi post susceptam hanc unctionem con-*

[1] « *Ex quo primum* », 1 Mart. 1756, § 44. — [2] De Extr. Unct., n. 18. — [3] Inst. theol. De Extr. Unct., quæst. 6, concl. 2, quær. . — [4] L. c., § 46. — [5] Acta Eccl.æ *Mediolan.*, pars 4, cap. De Sacr. Extr. Unct. — [6] L. c., quæst. 8, concl. 2. — [7] Comp. theol. De Extr. Unct., quæst. ultim., art. 2, — [8] L. c., cap. 5, n. 1. — [9] L. c., *cap. 2 (Gall., ch. 2).* — [10] L. c., concl. 2, quær. — [11] Rit. *Paris.* auctoritate E. D. Card. *De Noailles*... editum. *Parisiis* 1701. De Extrema Unctione, pag. 189. — [12] L. c. — [13] L. c.

valuerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, quum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Deinde ita pergit: *Quare nullâ ratione audiendi sunt...., qui illam (unctionem) jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitivâ Ecclesiâ referenda esset.*

S. Marcus non de eâdem unctione loquitur ac S. Jacobus.

29. Ut bene intelligantur hæc Concilii verba, ea repetimus, quæ Concilium in Capite primo monuit, quum de hujus Sacramenti institutione ageret: *Vere et proprie Sacramentum... a Christo D. N. apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem... commendatum ac promulgatum.* Itaque (ut jam innuimus, ubi de hoc Sacramento tractare incepimus) Concilium nos docet, extremam Unctionem adumbratam fuisse sive figuratam in morborum curatione, quam Christi discipuli ante hoc Sacramentum institutum, infirmis oleo ungendis operabantur: *Et ungebant oleo multos ægros, et sanabant* [1]. Opinatur *Calvinus* [2], S. Jacobum verbis: *Ungentes eum oleo in nomine Domini* [3], de eâdem illâ unctione loqui quam commemorat S. Marcus [4], de unctione nempe factâ a discipulis, quibus obtigerat donum sanandi infirmos, oleo eos ungendo: ex quo errore hunc alium infert, postea deficiente ejusmodi sanationum dono, ipsam quoque defecisse unctionem, eamque hodie neutiquam esse Sacramentum, sed cæremoniam inutilem et superstitiosam. Sed totâ viâ errat; unctio enim, de quâ S. Jacobus, a sacerdotibus perficitur; ea vero, de quâ S. Marcus, fieri poterat ab omnibus, etiam laicis; ipsum ceteroquin sacerdotium necdum erat institutum. Neque verum est, mirificâ illâ sanatione desinente, desiisse quoque extremam Unctionem; siquidem ex quo institutum est illud Sacramentum, numquam in Ecclesiâ non fuit usitatum, cujus rei fidem faciunt Origenes [5], Chrysostomus [6], Innocentius PP. I [7], S. Gregorius [8]; ejusque explicitam mentionem faciunt quotquot postea prodierunt Ritualia. Refert tamen *P. Chardon* [9], idque admodum verisimile est, hoc Sacramentum tribus prioribus sæculis propter persecutiones raro fuisse administratum.

Errat Calvinus.

30. Denique ait Concilium, nefarium crimen committere eum christianum, qui hoc Sacramentum contemneret: *Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus-Sancti injuriâ esse posset.* Inde oritur dubium num, secluso Sacramenti contemptu, graviter delinquant ii fideles, qui voluntarie extremam Unctionem suscipere renuant. Communior sententia negat, eamque sequuntur S. Thomas [10], Estius [11], Sylvius [12], Sanbovius [13], Navarrus [14] et alii multi; extrema Unctio enim et Confirmatio, inquit S. Thomas, *non sunt de necessitate salutis* [15]. Est tamen non improbabilis sententia aliorum, ut P. Concinæ [16], Haberti [17], Juenini [18] cum S. Bonaventura [19], cet., existere hac de re præceptum positivum divinum, propter hæc S. Jacobi verba: *Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Hæc ratio mihi non omnino persuadet,

De obligatione suscipiendi hoc sacramentum.

Sententia negans.

Sententia affirmans.

Inter se conciliantur sententiæ.

[1] *Marc.*, VI, 13. — [2] Instit., lib. IV, cap. 19, n. 18. — [3] V, 14. — [4] L. c. — [5] In *Levitic.* Homil., 2, n. 4. — [6] De Sacerdotio, lib. III, n. 6. — [7] Ep. 25, ad *Decent. Eugub.*, cap. 8. — [8] Liber Sacramentor. — [9] L. c., *cap. 1.* — [10] In Sent. lib. IV, dist. 23, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3, ad 1^m. — [11] In Sent. lib. IV, dist. 23, § 15. — [12] In Suppl., qu. 32, art. 4, qu. 1. — [13] *Sainte-Beuve*, de Extr. Unct., disp. 7, art. 3, prop. 3. — [14] Enchiridion, cap. 22, n. 16. — [15] L. c. — [16] Theol. Christ. De Extr. Unct., cap. 4, n. 7. — [17] Theol. de Extr. Unct., cap. 7, quær. 2. — [18] Inst. Theol. De Extr. Unct., quæst. 9, concl. — [19] In Sent. lib. IV, dist. 23, Expl. textus, dub. 4 (*a*).

(*a*) *S. Bonaventura* hoc loco non omnino perspicue locutus videtur. Primo enim asserit: « *Unde non intelligitur hoc de qualibet negligentiâ, sed solum de negligentiâ, quæ generat contemptum, sive quæ habet contemptum annexum* ». Deinde vero subjungit: « *Unde ita judicandum est de hoc Sacramento, sicut judicatur de Sacramento Altaris* » (Nota edit.).

quum ea verba non exprimant certum præceptum; sed dico, unumquemque sub vitæ exitu ad suscipiendum illud Sacramentum teneri ratione caritatis, quam quilibet erga semetipsum exercere debet; quandoquidem, licet infirmus aliis quoque modis corroborari possit, tamen in eo statu ex unâ parte valde debiles sunt mentis vires, quibus sibi auxiliari possit bonis actibus eliciendis, ex alterâ vero (ut ait Tridentinum) vehementiores diaboli impetus: *Nullum... tempus est, quo vehementius ille (adversarius) omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus... quam quum impendere nobis exitum vitæ perspicit* [1]. In hoc Sacramento autem Dominum ait firmissimum quoddam nobis paravisse adjumentum: *Tamquam firmissimo quodam præsidio (nos) munivit* [2]. Sed in tanto æternæ salutis discrimine suâ voluntate carere subsidio tantopere efficaci ad debellandum infernum, nescio quomodo illud excusari possit a gravi prætermissæ caritatis peccato, quod infirmus secum ipso committit, exponens se periculo cedendi tentationibus in novissimo illo cum adversario certamine.

DISPUTATIO IX.

SESSIO XXI.

DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE ET DE COMMUNIONE PARVULORUM.

Cap. I. Laicis non est necessaria Communio sub utrâque specie.

1. Hac Sessione sacrosancta Synodus doctrinam de duplici illâ materiâ fidelibus exponit ac simul interdicit, nequis aliter vel credere vel docere audeat. Primo Capite hæc traduntur: *Sancta ipsa Synodus, a Spiritu-Sancto... edocta atque ipsius Ecclesiæ judicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto laicos et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam, etsi Christus... hoc Sacramentum in panis et vini speciebus instituit et Apostolis tradidit, non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse... Namque qui dixit:* NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS ET BIBERITIS EJUS SANGUINEM, NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS [3], dixit quoque: SI QUIS MANDUCAVERIT EX HOC PANE, VIVET IN ÆTERNUM.... [4] QUI MANDUCAT HUNC PANEM, VIVET IN ÆTERNUM [5].

Can. I huc pertinens.

2. Huic Cap. I respondet Can. I, ubi dicitur: *Siquis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere, anathema sit.*

[1] Sess. 14, de Extr. Unct. Initium. — [2] Ibid. — [3] *Joan.*, VI, 54. — [4] v. 52. — [5] v. 59.

Cap. II. Ecclesia legitime approbavit hodiernum usum.

3. Cap. II dicitur: *Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione... ea statueret vel mutaret, quæ... pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, quum ait:* SIC NOS EXISTIMET HOMO UT MINISTROS CHRISTI ET DISPENSATORES MYSTERIORUM DEI....[1] *Quare..., licet ab initio... utriusque speciei usus fuisset, tamen... mutatâ illâ consuetudine,... justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit et pro lege habendam decrevit, cet.*

Can. II huc pertinens.

4. Huic Capiti II respondet Canon II, ubi dicitur: *Siquis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.*

Objicitur.

Objicit Petrus *Suavis*[2], Concilium hoc Canone dogma fidei humano facto stabilire; aliis verbis, Ecclesiam confecisse Decretum, quod humano jure observari debet, quum deinde jure divino credere

Respondetur.

debeamus, illud esse justum. Respondetur, Ecclesiam illud dogma minime stabilire humano facto, sed hoc certo axiomate, Ecclesiam, quemadmodum in rebus fidei et morum errare non possit, ita quoque ad ferendas leges de Sacramentorum administratione, non posse sine justis causis moveri.

Cap. III. Sub unâ specie Christus integer sumitur.

5. Capite III° hæc definiuntur: *Insuper declarat... fatendum esse, etiam sub alterâ tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*

Can. III huc spectans.

6. Huic Capiti III° respondet Canon III: *Siquis negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub unâ panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utrâque specie sumatur, anathema sit.*

Cap. IV. De parvulis.

7. Capite IV° *denique... sancta Synodus docet, parvulos, usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad... Eucharistiæ communionem; siquidem, per Baptismi lavacrum regenerati,... adeptam... gratiam in illâ ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem... aliquando servavit: ut enim SS. illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nullâ salutis necessitate id fecisse... credendum est.*

Can. IV huc pertinens.

8. Huic Capiti IV° respondet Canon IV: *Siquis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.*

Essetne concedendus usus calicis.

9. In fine hujus sessionis Concilium in aliud tempus sibi reservavit[3] disquisitionem et definitionem, datâ occasione faciendam circa duos jam antea propositos articulos: 1. num usus calicis nullo modo esset permittendus fidelibus non celebrantibus; 2. num justis de causis ejusmodi usus aliquibus vel etiam alicui nationi vel regno sub quibusdam conditionibus concedi deberet.

Usus calicis non est præceptum divinum.

10. In hac sessione Alphonsus *Salmeron* demonstravit, usum Calicis certo pro lege divinâ haberi non posse, quum Ecclesia a longo tempore laicos eo uti vetuisset, ut probavit ex Conciliis Constantiensi et Basileensi et ex omnibus superiorum trium sæculorum auctoribus; idque eo magis, quod antiquitus etiam usus calicis non omnibus concederetur, ut ex pluribus historiis Patrumque libris constat. Et respondens ad ea, quæ objiciebantur, dixit, quamvis Dominus in ultimâ Cœnâ Eucharistiam sub utrâque specie discipulis porrexisset, dicens: *Bibite ex eo omnes*, ea tamen verba solis discipulis fuisse dicta. Neque nos teneri omnes Christi actiones secundum omnes circum-

[1] 1 *Cor.*, IV, 1. — [2] *Conc. di Trento, lib. VI « Non furono ».*

[3] Sess. 21, post Canon. IV.

stantias sequi, sed secundum eas, quæ per Scripturam aut Ecclesiæ traditionem nobis imperantur. Sed neque obstare S. Joannis Evangelium (Cap. VI); ibi quippe neutiquam dici, aliquod adesse præceptum ambas sumendi species, quum modo utriusque speciei, modo solius panis Communio illic nominetur.

Historicæ notiones.

11. Scribit *P. Chardon* [1], quum de Eucharistiâ agit, Orientales in præsenti Corpus et Sanguinem cochleari administrare; olim vero, ut ait S. Cyrillus Hierosolymitanus [2], Sanguis ex ipso calice dabatur hauriendus. Postea moris fuit, prout testatur Burchardus [3], ut panis consecrati particula in Sanguine tincta porrigeretur. Quod quidem Urbanus Papa in Concilio Claromontano [4] prohibuit; sed refert *P. Chardon* [5], eum communicandi modum durasse ad sæculum XII, quum ex eo tempore communio sub utraque specie aboleri inceperit. Affirmat S. Thomas [6], eam suâ ætate jam fuisse abolitam; eamque Concilium Constantiense [7] expressis verbis interdixit. Germaniæ Ecclesiis usum calicis concessit Pius Papa IV; sed eam concessionem Cardinalis Bona [8] narrat a S. Pio V fuisse revocatam. Scribit *Bossuet* in Tractatu de Communione [9], etiam antiquitus quibusdam diebus, ut feriâ VI in Parasceve, solum Corpus fuisse datum.

De majori minorive gratiâ.

12. Item dixit *Salmeron*, eum qui sub unâ specie recipiat Sacramentum, non minus sumere, quam qui sub utrâque: sub unâ seorsim specie videlicet integrum Christum contineri, quemadmodum Concilium Constantiense [10] et Florentinum [11] jam definiissent. Si autem rogaretur, num tantum gratiæ recipiat is, qui Eucharistiam sub unâ specie sumat, quantum qui sub utrâque, asseruit, se quidem existimare, gratiam esse æqualem, idque multis rationibus demonstrare conatus est; subjunxit tamen, rem ad præsentem articulum non pertinere, quum ex mero Dei arbitrio pendeat.

Amantis argumentatio.

13. Regularis quidam e familiâ Servorum B. Virginis, nomine *Amans*, Sebenicensis Episcopi theologus, ut tueretur sententiam, plus gratiæ infundi in Communione sub utrâque specie quam sub unâ tantum, eo progressus est, ut diceret, Sanguinem non esse humanæ naturæ partem, sed primum alimentum, eamque ob causam sub specie panis non contineri Christi Sanguinem; quâ in re a ceteris valde reprehensus, suaque dicta retrahere coactus, asseruit, idcirco se attulisse hanc difficultatem, ut eam deinde confutaret.

Lusitani cujusdam assertum.

14. Alius quidam, natione Lusitanus, e contrario illud defendendum suscepit, nullum existere præceptum divinum, quo vel ipsi sacerdotes Sacramentum conficientes, ad utramque speciem sumendam tenerentur: sed ceteri omnes restiterunt, pluribus adductis rationibus, quas quidem *Pallavicinus* non refert; eas vero producit Cardinalis de Lugo [12], quum nominatim refellit Raphaëlem *Volaterranum* [13] asserentem, hac in re Innocentium VIII dispensasse cum Norvegiis.

Conclusio.

15. Denique omnes concluserunt, non minus recipi ab eo, qui unam tantummodo speciem sumat, quam qui utramque. Quod autem ad gratiam seu effectum attinet, alii affirmarunt, plus gratiæ accipere, qui utramque speciem sumit; quia Sacramenta pro ipsis signis id efficiunt,

[1] *Storia, lib. III, cap. 7 (Gall., liv. I, sect. 3, ch. 4, a. 2).* — [2] Catech. 23 (Mystag. 5), n. 22. — [3] Decretor. lib. V, cap. 1. — [4] *Urbanus II*, a° 1095, Can. 28. — [5] L. c. — [6] 3ª, qu. 80, art. 12 (*a*). — [7] Sess. 13. — [8] Rer. Liturgicar., lib. II, cap. 18, § 2. — [9] *Traité de la Communion sous les deux espèces, part. 1, n. 6.* — [10] L. c. — [11] Decr. pro Unione Armenior. — [12] De Eucharistia, disp. 19, sect. 8. — [13] Commentar. *Urban.*, lib. VII, § *Saxones.*

(*a*) Ait enim ad propositionem: « Videtur, quod non liceat sumere Corpus Christi sine sanguine »: « Sed contra est multarum Ecclesiarum usus ». Et in corpore articuli: « Ideo provide in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur » (Nota edit.).

quod significant: multiplicatis signis gratiam multiplicari. Major vero pars asseruit, vi Sacramenti æqualem infundi gratiam in utroque modo.

De Parvulis. **16.** Quod ad parvulos spectat, proposita est quæstio, sitne necesse ex divino præcepto Communionem iis porrigi? Ab omnibus responsum est, non esse necessarium; quum Eucharistia detur per modum cibi, cujus natura est, reficere quod calore amittatur, id est, ut proprie loquamur, quod amittatur deordinatis hominis cupiditatibus; eam autem amissionem non esse in parvulis, libero arbitrio non utentibus. Dixerunt tamen pauci quidam, Communione parvulis aliquatenus gratiam reipsâ augeri; ceteri vero negarunt; quum parvuli materialiter prorsus, sineque ullâ dispositione Communionem recipiant. Adjungebant, non eam ob causam antiquitus Eucharistiam infantibus fuisse porrectam, sed ut maleficiis incursionibusque dæmonum liberarentur.

De concedendo usu calicis. Denique ad quæsitum, num expediret, alicui nationi, v. g. Germanis, usum calicis concedi, responsum est legatis Cæsareis, hanc concessionem valde postulantibus, postea melius rem illam expensum et dijudicatum iri; et postea quidem, Cæsareis id ægre ferentibus, repulsa fuit postulatio.

Nemini privato hanc consuetudinem mutare licet. **17.** Ad extremum caput secundum adjecta sunt hæc ultima verba de posteriori consuetudine conferendi Communionem sub unâ specie: *Quam* (consuetudinem) *reprobare aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.* Idcirco adjecta sunt hæc verba, quod nonnulli objicerent, in pluribus regnis, ut in insulâ Cypro, in insulâ Candiâ et in Græciâ, calicis usum retineri: quibus hæc data est responsio, ita fieri ex speciali ab Ecclesiâ concesso privilegio; quapropter, ne læderentur privilegiati, addita sunt etiam postrema illa verba.

Delirat *Suavis*. **18.** Mirum videbatur, inquit *Suavis* [1], quum per quatuor anathemata quatuor fidei dogmata constituisset Concilium, non potuisse deinde declarare articulum, quod concederetur usus calicis, qui articulus ad jus Ecclesiasticum pertineret; quum tamen aliis videretur, de eo statim esse agendum; siquidem eo concesso, omnes disputationes desiissent. At respondet *Pallavicinus* [2], inanem esse ejusmodi ratiocinationem: ut enim facile erat perspicere, non existere calicis adhibendi præceptum divinum, ita difficillimum erat decernere, utrum concedere calicem an interdicere expediret. Nec verum est, id ubi concessum fuisset, desituras fuisse disputationes; etiamsi Ecclesia usum calicis permisisset, minime finita fuisset cum Novatoribus quæstio, habeatne Ecclesia ejus prohibendi potestatem necne.

Alia *Suavis* cavillatio. **19.** Dicit præterea *Suavis* [3], videri Concilium quum dicit, non defraudari gratiâ necessariâ fideles, qui sub solâ panis specie Christum suscipiant, jam confiteri, gratiam non necessariam eos amittere, et ita Concilium quasi in dubium vocare, num humana auctoritas superfluentem Dei gratiam possit impedire; quæ res caritati videtur esse contraria. Respondet *Pallavicinus* [4], stolide argumentari, qui eo quod fideles, quibus interdicitur calicis usus, nullâ defraudentur gratiâ necessariâ, jam concedi asserat, eos certe aliquâ non necessariâ gratia fraudari. Sæpe inter disputandum accidit, ut affirmetur aut negetur aliquid sub unâ circumstantiâ, juxta quam aut affirmari aut negari possit; quum simul in ancipiti maneat, quidnam eveniret, eâ circumstantiâ sublatâ.

Ecclesia ad Sacramenti venerationem respicere debet. **20.** Ad illud autem, Ecclesiam certo non habere auctoritatem (haud aliud *Suavis* dicere voluit) privandi fideles superfluenti Sacramentorum gratiâ vel, etiamsi id posset, caritati tamen derogare, si illud faciat; respondetur, respicere non debere Ecclesiam ad solum gratiæ incrementum in eo, qui Communionem suscipit, sed magis ad venerationem Sacramenti; secus perperam vetuisset, ne die

[1] L. c.

[2] *Lib. 17, cap. 12, n. 2.* — [3] L. c. — [4] L. c., n. 3.

Parasceves communio aut Missa habeatur, vel nequis pluries in die Missam celebret.

Duplex ejus scrupulus. Primus, de parvulorum communione.

Asserit quoque Petrus *Suavis* [1], duas res multis sermonibus argumentum præbuisse. Una erat imposita obligatio credendi, veteres non existimasse, infantium Communionem esse necessariam; etenim, ubi agitur de facto præterito, nihil valet auctoritas, quæ transacta immutare nequeat. Atque e contrario *Suavis* dicit, S. Augustinum novem locis fuse disserere de necessitate, quâ parvuli Eucharistiæ indigeant; et adjungit, sæpius eam ab ipsâ Ecclesiâ Romanâ definitam fuisse ut parvulorum saluti necessariam; itemque citat epistolam Innocentii Pontificis illud perspicue docentis. Denique addit, miratos fuisse eos, qui in Concilio aderant, quomodo potuissent Patres alios in periculum adducere affirmandi, aut Innocentium aut ipsum Concilium errasse.

Respondetur.

21. *Pallavicinus* [2] vero ita respondet: Si forte Suavis dicere voluit, non posse ab Ecclesiâ tamquam fidei dogma declarari veritatem rei præteritæ, quæ ejus jurisdictioni non subjacet, satis apparet, eum et ignorare et non credere auctoritatem Ecclesiæ; siquidem indubium est, eam *de fide* posse declarare, revera non accidisse illud, quod in Scripturis Deus affirmat, accidere non posse, e. g. aliquem beatum in infernum esse prolapsum. Jamvero, quum a Deo in sacris Litteris reveletur, Ecclesiam esse columnam et fundamentum veritatis, vi illius revelationis potuit Synodus definire, eam non errasse, quum crederet, parvulorum Communionem ad ipsorum salutem non esse necessariam. Ceterum, nequaquam ibi egit Concilium, quid de parvulorum Communione opinati sint antiqui Patres, sed dixit, sicut sancti illi Patres sui facti probabiles rationes pro illius temporis adjunctis habuerint, ita certo credendum esse, eos nullâ salutis necessitate illud fecisse. Quod vero ad S. Augustini auctoritatem et ad Epistolam Innocentii I spectat, fatetur *Pallavicinus* [3], S. Augustinum [4] duobus præsertim locis eamdem statuere Eucharistiæ et Baptismi necessitatem; monet tamen, jampridem in Scholis innotuisse, intellectum fuisse a S. Doctore Caput VI S. Joannis non de solâ Communione sacramentali, sed de mysticâ unione animæ cum Christo per Baptismum et Fidem. Atque ita S. Augustinus confutare voluit Julianum, qui, haud secus ac Pelagiani, Baptismi necessitatem ad ingrediendum regnum cæleste negabat; et ideo probavit Augustinus, existere peccatum originale. Ita S. Thomas [5] doctrinam S. Augustini intellexit. Et sane; quomodo potuisset docere S. Augustinus, parvulos post Baptismum sine ipsorum culpâ in peccatum relabi posse, si in eâ ætate ante susceptam Eucharistiam morerentur? — Porro Innocentii I Epistola, quæ est XXV[a] inter ipsius Decretales, et ad Patres Milevitanos scripta, hæc habet: *Illud vero, quod eos* (Pelagianos) *vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine Baptismatis gratiâ posse donari, perfatuum est: nisi enim manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis* [6]. Patet igitur, dicere voluisse Innocentium, Jesu Christi carnem in Baptismo sumi. Quæ quidem Augustini et Innocentii dicta Tridenti quoque discussa fuerunt, ac reprehensa temeritas Erasmi, qui de Eucharistiâ ea intelligi asserebat.

Alter; de obligatione credendi, Ecclesiam justis de causis egisse.

22. Alterum, quod *Suavis* plures ad loquendum de hoc capite ansas dedisse ait, est anathema, hæreticum declarans, qui dicit, Ecclesiam non fuisse justis causis adductam, ut communionem daret sine calice. Hoc enim, inquit *Suavis*, idem est ac fundare Fidei dogma in humano facto. Asserit præterea, nonnullos in Concilio valde miratos fuisse, et quod audirent, hominem ad observandum Ecclesiæ

[1] L. c. — [2] L. c., n. 6. — [3] L. c., *n. 8* et *9*. — [4] Contra duas Epistolas *Pelagianor.*, lib. I, cap. 22; — De peccator. meritis, lib. III, cap. 4, n. 8. — [5] 3[a], qu. 80, art. 9, ad 3[m]. — [6] Ep. 30 (in Edit. Concil. XXV[a]) ad Conc. *Milevitan.*, n. 5.

decretum non quidem teneri nisi jure humano, sed tamen eum credere debere, illud esse justum jure divino; et quod statuerentur ut Fidei dogmata res, quæ in dies mutantur. At respondet *Pallavicinus* [1]: « Si dogma Fidei est, Ecclesiam in rebus sive fidei sive morum errare non posse, est etiam dogma Fidei, eamdem ad ferendas leges de Sacramentorum administratione non posse sine justis causis moveri ». — Et posito, quamlibet legem humanam, ut docet S. Thomas [2], omnem suam vim trahere ab æternâ Dei lege, quæ nos jubet præpositis obedire, eo ipso humanis legibus adstringimur, prout eas promulgaverint superiores. Ceterum, non tenemur credere cum fidei certitudine cujuslibet legis humanæ justitiam, exceptis iis legibus, ubi Deus se alicui humano legislatori adfuturum promiserit; cujusmodi promissio facta est Ecclesiæ in legibus Religionis, etsi pro temporum adjunctis mutantur.

Respondetur.

23. *Madruccius* Cardinalis suadere studuit, posse Synodum ac debere Calicis usum Cæsari concedere, quemadmodum Bohemis concessus fuisset a Concilio Basileensi. Sed repugnarunt Patriarcha Hierosolymitanus et electus Aquilejæ Patriarcha: hic autem dixit, Cæsaris quidem bonam esse intentionem, sed non item fortasse eorum, quorum importunitate movebatur; apud nonnullos enim serpere Joannis *Wiclefi* et Petri *Dresdensis* errorem, quod ad salutem necessaria sit utriusque speciei Communio; merito igitur esse timendum, ne illi populi ex calicis usu concesso inferrent, aut ejusmodi usum esse necessarium, aut sub panis specie adesse solum Jesu Christi Corpus et sub specie vini solum Sanguinem.

De concedendo usu calicis.

24. Archiepiscopus Hydruntinus, [*Otranto*] hoc negotium ad Summum Pontificem remitti voluit, sed restiterunt Granatensis Archiepiscopus aliique; quum dicerent, rem esse valde periculosam, illis temporibus adeo turbulentis Eucharistiæ ritus mutari; Ecclesiam præterea non sine ratione abstulisse usum calicis, v. g., propter periculum Sanguinis profundendi, vel ne ipse Sanguis stomachi ciendi fieret occasio, aucto videlicet fidelium numero; quo fieret, ut ea concessio alimentum, non medicinam, afferret illarum gentium infidelitati. Præterea non convenire, Concilium proprias uni populo leges edere; a Concilio Constantiensi interdictum fuisse calicem, ad tollendum errorem in Bohemiâ vulgatum, calicem ex præcepto divino esse necessarium; sed neque obstare S. Leonis [3] exemplum, qui per aliquod tempus calicem ideo concessisset, ut evelleretur Manichæorum error, verum Corpus verumque Sanguinem Christo denegantium; neque convenire remedium a quibusdam propositum, dandi Communionem sub specie panis in consecrato vino intincti, juxta usum Græcorum; id enim a Julio Papâ [4] idcirco fuisse prohibitum, quod Christus singulas seorsum species Apostolis præbuisset.

Rationes negandi.

25. Postremo orationem habens *Laynez*, quod ad concedendum calicis usum spectaret et tollendum Constantiense Decretum, Concilium illud certo facere posse asseruit; sed uni nationi hanc legem relaxare, ad Summum Pontificem pertinere. Ceterum, sibi videri neutrum expedire; nec valere hanc rationem, quod subveniretur imbecillitati eorum catholicorum, qui calicem peterent; ejusmodi enim relaxatione admissâ, ad alia proterve postulanda instigarentur; eos quidem nullam in Concilii auctoritatem ostendere fidem, sed calicem ideo solum sibi concessum velle, ut eo uterentur sine periculo pœnæ, ab Imperatore imponendæ. Eâ præterea concessione ceteris quoque nationibus orituram esse ad calicis usum appetentiam.

Alia negandi ratio.

26. Ad summam, calicis denegandi rationes, ut breviter eas complectamur, hæ fuerunt: 1. incommodum inducendi in Ecclesiæ ritus varietatem, veritati semper

Conclusio.

[1] L. c., n. 10. — [2] 1ª 2æ, qu. 93, art. 3. — [3] Sermo 42 (de Quadragesima 4), cap. 5. — [4] Can. « *Quum omne* » 7, dist. 2 de Consecrat.

perniciosam; — 2. experientia, quod minime observarentur conditiones, quas Concilium Basileense et Paulus III dispensationi apposuerant; — 3. persistere in Germaniâ easdem rationes, quæ Synodum Constantiensem ad calicis usum denegandum movissent, præsertim, periculum effundendi sanguinis, difficultatem eum conservandi, incommoda numeroso populo sanguinem ministrandi eumque deferendi ad ægrotos ruri degentes, nauseam quam ejusmodi usus fidelibus sponte affert in turbæ concursu; — 4. periculum confirmandi errorem, in Germaniâ jam diffusum, sub specie panis non esse Sanguinem; — 5. ansam præberi ad audaciores petitiones, et ceteris nationibus occasionem dari ad eumdem calicis usum postulandum.

De antiquis ritibus ad Communionis distributionem.

27. Plura hic ex antiquitate adjicio de Communione aliisque Eucharistiæ usibus. In administrandâ Communione, clarâ voce olim diaconus dicebat: *Sancta sanctis;* sacerdotes autem, particulam porrigentes, dicebant solum: *Corpus Christi;* et qui eam suscipiebat, respondebat *Amen*, ad fidem suam significandam. Qui usus ad sæculum VI duravit, ut constat ex Apostolicarum Constitutionum auctore,[1] et ex iis, quæ circa idem sæculum VI S. Leo[2] refert; quum Joannes Diaconus[3] in vitâ S. Gregorii narret, suâ ætate dictum fuisse: *Corpus D. N. Jesu Christi conservet animam tuam.* In publicâ Missâ primum sacerdotes, tum diaconi, subdiaconi et clerici, denique laici, viri ac mulieres, ad Communionem accedebant; non tamen promiscue omnes, qui aderant, sed notabantur singuli, Communionem recepturi. — Fragmenta remanentia dabantur parvulis innocentibus; qui quidem usus parvulis porrigendi fragmenta permansit usque ad sæculum XII, quo tempore fuit abrogatus. Soli clerici Sacramentum ad altare suscipiebant, ceteri ad cancellos, vel eo quo consistebant, loco.

Quomodo laici communionem susciperent.

28. In Orientalibus Ecclesiis etiam laici stantes Communionem recipiebant; oculis et capite demissis, singuli manum extendebant, quâ panem consecratum reciperent; ut ex Tertulliano[4], S. Cypriano[5], et S. Ambrosio apud Theodoretum[6] liquet. Et ut refert S. Cyrillus Hierosolymitanus[7], extendebatur manus dextra, digitis apertis at inter se conjunctis, et manu sinistrâ dextra sustinebatur. Viri manum nudam dilatabant, mulieres autem obductam linteolo, quod *dominicale* vocabatur. Cujus rei mentionem facit S. Augustinus[8] (quem in Tractatu de Eucharistiâ citat *P. Chardon*[9]); et S. Joannes Damascenus[10] ac Ven. Beda[11] testantur, receptum fuisse hunc usum usque ad sæculum VIII.

De infirmis.

Infirmis solum Corpus deferebatur; et reverâ S. Honoratus solo Corpore refecit S. Ambrosium moribundum[12]. Nonnumquam tamen utriusque speciei Communionem sumebant infirmi, qui Viaticum suscepturi haud raro Ecclesiam adibant; si eo se conferre non poterant, Missa celebrabatur in ipso eorum cubiculo.

Laici Eucharistiam domi asservabant.

29. Notum est, primos Christianos Eucharistiam, sed sub solâ panis specie, suis domibus asservasse, ibique secreto sibimetipsis administrasse Communionem, quod his verbis testatur S. Lucas: *Frangentes circa domos panem*[13]; de quo agendi modo Tertullianus[14] tamquam de re vulgari loquitur. Sævientibus persecutionibus, ad multum tempus sacras particulas sibi providebant, ii præsertim, in quorum urbibus semel tantum celebrabatur Missa. S. Basilius[15] in epistolâ quam ad Cæsariam scripsit, solitarios ait, quamquam sacerdotes non haberent, secum tamen habuisse Eucharistiam. Qui quidem usus, ut narrat Anastasius Bibliothecarius[16], in Oriente viguit usque ad

[1] C. Apost., lib. VIII, cap. 13. — [2] Sermo 91 (de jejunio 7[i] mensis 6), cap. 3. — [3] Vita *S. Greg.* Papæ, lib. 2, n. 41. — [4] De Idololatria, cap. 7. — [5] Ep. 56, ad *Thibaritanos*, n. 9. — [6] Eccl. Hist., lib. 5, cap. 17. — [7] Catech. 23 (Mystag. 5), n. 21. — [8] Sermo 229, n. 5 (int. dub. Nota edit.). — [9] L. c. — [10] De Fide Orthodoxa, lib. IV, cap. 13. — [11] Hist. Eccl. Gent. *Anglor.*, lib. IV, cap. 24. — [12] *Paulinus* Diac. Vita *S. Ambrosii*, n. 47. — [13] Act., II, 46. — [14] Ad uxorem, lib. II, cap. 5. — [15] Ep. 93, ad *Cæsariam* Patriciam. — [16] Hist. Eccl. ex *Theophane* contracta, a° 594. —

sæculum VI. In Occidente ea consuetudo non tamdiu permansit, licet ibi, raro tamen, existere pergeret.

De Communionis frequentiâ.

30. Quod ad Communionis frequentiam attinet, non est dubium, quin tribus prioribus sæculis, juxta Constitutiones Apostolicas [1] et S. Justini [2] testimonium, sacerdos intra Missam omnibus assistentibus Communionem dispensaret. *Eucharistiam*, inquit S. Cyprianus, *quotidie ad cibum salutis accipimus*, (nisi) *intercedente aliquo graviori delicto,... a cælesti pane prohibemur* [3]. Quod adeo verum est, ut tandem ea consuetudo vigorem legis obtinuerit, juxta Canonem Apostolorum, exeunte tertio vel ineunte quarto sæculo conditum: *Quicumque fideles ingrediuntur et Scripturas audiunt, in... sacra Communione (autem) non permanent,... segregari oportet* [4]. Præceptum illud a Concilio Antiocheno [5], Julio Summo Pontifice, renovatum et multis locis servatum fuit usque ad sæculum V. Quin etiam nonnulli opinabantur, ut refert Strabus [6], quum sæpius in die Missæ Sacrificio assisterent, sæpius quoque se teneri ad Communionem sumendam. Postea vero, quum elanguisset pietatis ardor, sub excommunicationis pœnâ statuit Concilium Agathense, anno 507 [7] (quod deinde velut lex ecclesiastica evasit), ut unusquisque ter saltem in anno Communione se reficeret, die Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes. Quod autem ad Græcos attinet, in suo spicilegio Theodorus, Archiepiscopus Cantuariensis refert: *Græci omni Dominica die communicant sive clerici sive laici; et qui tribus dominicis non communicaverint, excommunicentur. Romani similiter communicant, qui volunt; qui autem noluerint, non excommunicentur* [8]. Postmodum, magis magisque defervescente fidelium devotione, necesse fuit a Concilio Lateranensi sanciri, ut singuli fideles, quum ad discretionis annos pervenissent, semel saltem in anno ad Confessionem et Communionem accederent, ut legitur in Capite: *Omnis utriusque sexus, de pœnit. et rem.*

De *Agapis*.

31. Pauca dicamus de *agapis*, quæ primis Ecclesiæ temporibus fieri solebant. Hoc Sacramento a Jesu Christo post cœnam, Hierosolymis peractam, instituto, primi Christiani similiter assueverunt Communionem suscipere post modicam cœnam, cui Episcopus aut aliquis sacerdos intererat. Ejusmodi cœnæ *agapæ* vocabantur, id est cœnæ caritatis; Græce enim illa vox amicitiam significat. In iis divites pauperibus opitulabantur; fiebant autem in ecclesiis; unde Apostolus his verbis eos increpat, qui opem non ferebant indigentibus: *Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent?* [9] Quas quidem agapas commemorant S. Ignatius Martyr [10] et Tertullianus [11]. Postea introductum est jejunium ante Communionem; quo tempore vero hoc factum sit, non constat; S. Isidorus tamen de eo loquitur ut de re, suâ ætate vulgo usurpatâ.

De solemnitate Corporis Domini.

32. Quod ad hujus Sacramenti solemnitates spectat, primo non agebatur alius dies festus nisi feriâ V in Cœnâ Domini, in quâ Eucharistia fuit instituta. Sed anno 1208 S. Julianæ Virgini, in Leodiensi hospitio sanctimoniali mulieri, quum sedecim esset annorum, Deus revelavit se velle, ut in Ecclesiâ peculiari quâdam solemnitate celebraretur eximium illud Altaris Sacramenti donum. Initio diem festum instituit Episcopus Leodiensis; deinde vero, anno 1264, Urbanus IV [12] ad universam Ecclesiam eum extendit, eique assignavit Feriam quintam post Octavam Pentecostes. Quod postmodum,

[1] *C. Ap.*, lib. VIII, cap. 28. — [2] Apologia 1, n. 67. — [3] Liber de Orat. Dominica, n. 18. — [4] Can. 9. — [5] C. *Antiochen.* I, a° 341, Can. 2. — — [6] *Walfrid. Strabus.* De Rebus Ecclesiasticis, cap. 22. — [7] Can. 18. — [8] Capit. 12, inter Capitula collecta ex fragmentis. — [9] 1 *Cor.*, XI, 21 et 22. — [10] Ep. ad *Smyrnæos*, n. 8. — [11] Apologeticus, cap. 39. — [12] Bulla « *Transiturus* ».

anno 1311, confirmavit Clemens V, et curavit, ut a generali Concilio Viennensi acceptaretur [1]. — Principio, ut refert Adrianus *Baillet* [2], eo die recitabatur officium SS. Sacramenti juxta ritum ecclesiæ Gallicanæ, quod composuerat vel ipsa S. Juliana vel (ut alii dicunt) pius quidam et religiosus vir, Joannes nomine, S. Julianæ adjutus orationibus. Postea vero recitari cœptum est officium, quod hodie persolvitur, a S. Thomâ Urbani IV jussu ad usum Romanæ Ecclesiæ compositum.

De solemni Processione.

33. Quo tempore instituta fuerit Processio SS. Sacramenti, non plane liquet; siquidem Urbani IV Breve nullam hujus rei mentionem facit. — Joannes Baptista *Thiers* [3] eam institutam ait a Summo Pontifice Joanne XXII, qui anno 1334 obiit. Certum quidem est, Martini V (anno 1429) [4] ejusque successoris Eugenii IV [5] ætate eam in usu fuisse, quum hi Summi Pontifices concesserint plenariam indulgentiam iis, qui post sacramentalem Confessionem SS. Sacramenti Officio assisterent, iisque omnibus, qui interessent Processioni.

De expositione SS. Sacram.

34. Nec constat, quo tempore introductus fuerit usus SS. Sacramentum in altaribus exponendi. Hoc solum novimus (ut in majori suo Opere ad diem XXV Augusti exponit *P. Croiset* [6]), quum ægrotaret S. Ludovicus, Gallorum rex, per totum regnum Sacramenti expositiones esse factas; quod contigit circa annum 1248, sedecim vel duodeviginti annis ante institutionem festi, de quo suprà diximus. Ostensoria primo diversas habebant formas, ut crucis, solis vel turriculæ; eaque jam inde a trecentis annis fuerunt adhibita. Sed illud de detectis speciebus intelligendum est; nam antea in processionibus opertæ circumferebantur. Hic animadvertendum, vetitum esse, ex decreto S. C. Concilii, SS. Sacramentum solius adorationis causâ ad infirmos deferre [7], aut illud secum habere ad innocentiam suam probandam, vel ad ecclesiæ januam illud deportare ad sedandam tempestatem vel exstinguenda incendia.

Quomodo antiquitus adhiberetur Eucharistia.

35. Veteres Eucharistiam in varios usus adhibebant. Eam inter se mittebant Episcopi in communionis significationem. In præsidium eam secum gerebant peregrinantes. Sacrificii pars in diem proximum servabatur; ita P. *Chardon*, Cap. 11 [8]. Insuper cum Eucharistiâ sepeliri solebant mortui; quo quidem modo S. Basilium sepulchro conditum esse narrat ejus vitæ auctor [9]. Præterea S. Theodorus Papa condemnationem Pyrrhi Monothelitæ super S. Petri sepulchrum exaravit atramento, divino Sanguine admixto, ut refert Paulus Diaconus Aquilejensis [10]. Nicetas [11] (apud *Chardon*, Cap. XII, *Gall., ch. 9*) in vitâ S. Ignatii, Patriarchæ Constantinopolitani, consimilem Photii dannationem enarrat. Refert *P. Martene* [12], in ecclesiarum dedicatione tres consecratas particulas in altari unà cum calce reponi solitas; atque ita egit Urbanus Papa, quum ecclesiam Mauri Monasterii *(Marmoutiers)* consecraret.

De modo asservandi SS. Sacram.

36. In Ecclesiis Orientalibus olim asservabatur Eucharistia in columbis aureis vel argenteis, quæ super altaria suspendebantur; quod idem in Galliâ fieri refert *Le Brun* [13]. Ibi quoque reponi solebat Eucharistia in quibusdam ciboriis turrium figurâ, quibus deinde successerunt pyxides, cuparum opertarum formâ. Quæ quidem ciboria ex auro, argento, lapillis, ebore, crystallo, vitro vel etiam ex ligno

[1] *Clementinar.* lib. III, tit. 16. cap. unic. « *Si Dominum* » (Ex Conc. *Vienn.*). — [2] *Hist. des Fêtes Mobiles, Fête du S. Sacrement, n. 8.* — [3] *De l' Exposition du Saint Sacrem., liv. 2, chap. 1.* — [4] Bulla « *Ineffabile* », 26 Maii 1429. — [5] Bulla « *Excellentissimum* », 26 Maii 1433. — [6] *L' Année chrétienne, 25 Août.* — [7] S. C. C. Apud *Zerolam.* Praxis Episc. v. Eucharistia, § 5. — [8] Lib. III, cap. 11 (Gall, *l. 1, sect. 3, ch. 8*). — [9] Vita *S. Basilii, S. Amphilochio* adscripta, cap. 2, n. 31 (Acta Sanct. 14 Junii). — [10] *Paul. Winfridus.* Historia miscell, lib. XVIII. — [11] Vita *S. Ignatii.* « Deinceps illa Synodus ». — [12] De Antiq. Eccl.æ Rit., lib. I, cap. 5, art. 4, n. 8. — [13] *Explication des Cérémonies de la Messe, diss. 4, art. 4.*

erant confecta; vide *Chardon* [1]. In præsenti Orientales Eucharistiam jam non in altari asservant, sed in sacristiâ vel in quibusdam armariis vel etiam in pariete juxta altaria, idque in bursâ clavo suspensâ, et minus decenter quam nostræ Occidentales ecclesiæ eam asservant.

DISPUTATIO X.

SESSIO XXII.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Plura dubia in Concilio proposita. *a* Quando Apostoli Sacerdotio aucti sint.

1. Canonem secundum, ubi definitur, Apostolis a Jesu Christo sacerdotium his verbis fuisse collatum: *Hoc facite in meam commemorationem*, improbavit Granatensis Archiepiscopus, in medium afferens sententiam Nicolai Cabasilæ [2], qui opinatus est, sacerdotium iis collatum fuisse die Pentecostes. S. Thomas [3] et Scotus [4] docent, illud in Cœnâ iis quidem fuisse collatum, hac tamen conditione, ut illud exercere non possent, nisi postquam Spiritum-Sanctum die Pentecostes accepissent (*a*); refert tamen *Pallavicinus* [5], iis opinionibus paucos acquievisse.

b Quomodo probetur Sacerdotium novæ Legis.

2. Theologus quidam Lusitanus, Franciscus *Forerius*, Ordinis Prædicatorum, loquens de textibus Malachiæ: *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum* [6]; et Evangelii: *Hoc facite in meam commemorationem* [7]; asseruit, hos textus vim probandi sumere non tam ex ipso litteræ sensu, quam ex Patrum interpretatione; quapropter sacrificandi potestatem, sacerdotibus collatam, non ex solâ Scripturâ, sed unà simul ex traditione comprobari ajebat. Quæ tamen Forerii verba, utpote contra communem sententiam, male fuerunt accepta. Præcipue Melchior Cornelius, theologus Sebastiani regis, doctum sermonem habuit, quo demonstravit, testimonium Malachiæ de Missæ sacrificio intellectum fuisse a secundo Concilio Nicæno [8], et Jesum Christum illis verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, diserte Apostolis imposuisse, ut panem ac vinum consecrarent.

c essetne per solos Canones procedendum.

3. Similiter hoc propositum fuit dubium, essetne a Concilio ante Canones præmittenda doctrina, et conclusum, ita esse agendum; Concilium videlicet etiam docendi officium habere, illustrando rationibus ea, quæ definiret; quæ quidem ra-

[1] L. c., cap. 13 (Gall., *ch. 10*). — [2] De divino Altaris Sacrificio, cap. 28. — [3] In Sent. lib. IV, dist. 24, quæst. 2, art. 3, solutio 1 ad 2[m]. — [4] In Sent. lib. IV, dist. 24, quæst. unic., n. 3. — [5] *Lib. XVIII, cap. 5, n. 5.* — [6] *Malach.*, I, 11. — [7] *Luc.*, XXII, 19. — [8] *Nicæn.* II, Sess. 4, Epist. *S. Germani.*

(*a*) De adjectâ illa conditione (vide *Pallav., lib. 18, cap. 5, n. 5*) egit quidem *Granatensis*. Ego vero apud *S. Thom.* et *Scotum* nihil de tali conditione invenire potui (Nota edit.).

tiones non essent fidei nostræ fundamenta, sed præsidium adversus hæreticorum oppositiones.

d Quando Christus Se Patri obtulerit.

Maxima autem fuit quæstio, utrum Christus Seipsum pro nobis Patri obtulerit in Cœnæ sacrificio, ut voluit *Salmeron*, an vero in sacrificio Crucis, ut Sotus asseruit.

Reliquæ de iis dubiis notitiæ.

4. Sacerdotium in ultimâ Cœnâ fuisse institutum, non arrisit *Guerrero*, *Duinio* aliisque: dubium illud esse dicebant, quin et nonnullorum Patrum sententiæ contrarium. *Guerrero* et *Duinio* non placuit assertum, Jesum Christum in Cœnâ Seipsum Patri obtulisse. *Ajalæ* displicuit sententia, in hoc Sacrificio perfici omnia naturæ legisque sacrificia; hoc videlicet neque ex sacris Litteris neque ex traditionibus demonstrari, et etiam derogare videri sacrificio Crucis.

e Num in Cœnæ sacrificio reliqua sacrificia perficerentur.

Suavis assertum.

5. Ait *Suavis* [1], Concilii decreto, quod Christus Seipsum in Cœnâ obtulit, tres et viginti Patres contradixisse; at *Pallavicinus* [2] scribit, solos fuisse duos, quos nominavimus, Guerrerum et Duinium, ut ex Actis constat. — Sed jam ad ea veniamus, quæ Concilium docuit et definivit.

Cap. I.

f In Cœnâ Christus Se obtulit, nobisque reliquit Sacrificium.

Capite primo, loquens de Missæ institutione, dicit, quum imperfectum esset veteris Testamenti sacerdotium, necesse fuisse, alium surgere Sacerdotem juxta ordinem Melchisedech, Dominum nostrum Jesum Christum, qui omnes sanctificandos in sanctitate posset perficere. Quapropter Redemptor, quamquam semel, in cruce moriendo, Deo semetipsum erat oblaturus ad redimendos homines, tamen, quia ejus morte non esset auferendum Sacerdotium, in ultimâ Cœnâ sub panis et vini speciebus Patri Semet obtulit, quo et æternum sacerdotem juxta ordinem Melchisedech Se declaravit, et Ecclesiæ reliquit Sacrificium, quod crucis immolationem repræsentaret, ad memoriam ejus conservandam ac simul nobis applicandam salutarem ejus virtutem in remissionem peccatorum, quæ quotidie committimus: *Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo...* [3], *propter levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit... sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent... ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat, in Cœnâ novissimâ, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile... relinqueret sacrificium, quo cruentum illud... repræsentaretur, ejusque memoria... permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.*

6. Ad hanc priorem primi Capitis partem pertinet Canon I, ubi definitur: *Si quis dixerit, in Missâ non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Can. I.

7. Itaque ex citatis Concilii verbis colligitur, Missam vere ac proprie esse Sacrificium, cujus sacerdos fuit Jesus Christus, secundum ordinem Melchisedech, ut prædixerat David: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* [4]; et Apostolus scriptum reliquit [5]. Dicitur: *secundum ordinem Melchisedech;* quia is pane et vino sacrificavit: *Melchisedech... proferens panem et vinum; erat enim sacerdos Altissimi* [6]. Particula *enim* clare demonstrat, illud fuisse panis et vini sacrificium. Si ergo Redemptor sacerdos fuit secundum ordinem Melchisedech, fatendum est, in ultimâ Cœnâ Eum Explicatur Concilii doctrina.

[1] L. c., *lib. VI « Al decreto recitato ».* — [2] *Lib. XVIII, cap. 9, n. 9.*

[3] *Hebr.*, cap. VII. — [4] Ps. CIX, 4. — [5] *Hebr.*, V, 6. — [6] Gen., XIV, 18.

instituisse illud sacrificium, Patri sub panis et vini speciebus Seipsum offerendo; nullum aliud enim tempus assignari potest, quo tale sacrificium obtulisset.

Cap. I. b In Cœnâ Christus Apostolos constituit sacerdotes.

8. Sequitur primi Capitis altera pars, ubi dicitur, Eum sub panis et vini speciebus Corpus suum manducandum Sanguinemque bibendum Apostolis dedisse, sacerdotes eos constituendo unà cum omnibus eorum in sacerdotio successoribus, ut deinceps tale sacrificium offerre pergerent, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* [1]; postquam enim vetus Pascha celebrasset, quod suum ex Ægypto egressum recolentes Hebræi celebrarent, novum instituit Pascha, id est Seipsum, ab Ecclesiâ per sacerdotes sacrificandum in memoriam sui transitus ex hoc mundo ad Patrem, quum Sanguine suo nos redimeret; et eam esse mundam illam oblationem, quæ offerentium indignitate nequeat contaminari; quam per Malachiam prædixisset Dominus ubique terrarum magno suo nomini esse offerendam; quam Apostolus quoque hisce verbis clare indicasset: *Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum* [2]; eam mensam quippe intelligens aram, ubi sacrificatur. Huc etiam pertinet alius ille textus: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt* [3]. Ubi nominatur altare, ibi victima et sacrificium adsit necesse est. Subjungit igitur Tridentinum in eodem Capite primo:

Ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent (corpus et sanguinem suum) tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, *ut semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit. Nam, celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit.... Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit; et quam non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, quum dicit, non posse eos qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri* [4]: *per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ et legis tempore, similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio, complectitur.*

Huic primi Capitis parti respondet Canon II: *Siquis dixerit, illis verbis:* HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.* Can. II.

Christus in cœnâ verum sacrificium obtulit.

9. Nonnulli in Concilio, ut suprà diximus, objiciebant, hisce verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, non satis probari, Jesum Christum vere sacrificium obtulisse, ita ut Corpus suum non solum Apostolis in alimentum præbuisset, sed etiam Patri immolasset in mundi redemptionem. Quod a ceteris rejectum fuit, quum sit indubium, Jesum Christum Patri Corpus suum in Cœnâ vere sacrificasse; secus enim, ut demonstravimus, nec Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, nec agni Paschalis figura fuisset. Præterea hoc probatur ex verbis S. Lucæ: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur* [5]; et S. Pauli: *quod pro vobis frangitur* [6]. Verba *datur* et *frangitur* non significant dari et frangi in solum cibum, sed dari et frangi in sacrificium; non enim

[1] *Luc.*, XXII, 19. — [2] 1 *Cor.*, X, 21. — [3] *Hebr.*, XIII, 10. — [4] 1 *Cor.*, X, 21. — [5] *Luc.*, XXII, 19. — [6] 1 *Cor.*, XI, 24 (Ita legendum est, si textus *Græcus* ad litteram vertitur. Vulgata autem habet: *quod pro vobis tradetur.* Nota edit.).

dicitur: *vobis datur et frangitur*, sed *pro vobis;* præterquam quod vocabulum *frangitur*, ut animadvertit Chrysostomus [1], non congruit Christi Corpori nisi sub panis specie. Certum est autem, Apostolum, hac voce *frangitur* adhibendâ, respexisse speciem panis, sicut alibi quoque dixit: *Panis, quem frangimus,* [2], *cet.* Similiter in Actibus dicitur: *Frangentes circa domos panem* [3]. Quapropter, si Christus in Cœnâ seipsum sacrificavit, et deinde dixit: *Hoc facite in meam commemorationem,* particula *hoc* demonstrat, Apostolis et sacerdotibus successoribus, idem esse faciendum, quod Dominus fecisset, eos videlicet super altari in sacrificium Eum offerre.

Hæreticorum objectio cum responsione.

Nec valet quod dicunt hæretici, Christum vocari unicum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech; quum sacerdotes non sint proprie in Christi sacerdotio successores, sed vicarii tantum; nam licet Christus sit principalis offerens, nihilominus illi etiam offerunt.

De quânam oblatione loquatur *Malachias.*

10. Nec majoris ponderis est, *oblationem mundam*, de quâ Malachias, intelligi eleemosynas aliaque bona opera, quæ cum rectâ intentione Deo offeruntur: ea enim Deo semper accepta fuerunt neque umquam recusata. Apud Malachiam vero legitur (I, 10): *Et munus non suscipiam de manu vestra;* non loquitur ergo de bonis operibus, sed de sacrificiis antiquis, quæ deinceps jam repudiaret Deus propter sacrificii Altaris oblationem mundam, ubique terrarum offerendam: *Et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda;* quibus verbis excluditur alia quoque falsa hæreticorum interpretatio, crucis sacrificium designari; crucis enim sacrificium non in omni loco offertur, sed oblatum est in solo Calvario monte, idque semel tantum.

Caput II. Missa est Sacrificium propitiatorium.

11. Capite II° docet Concilium, Missam esse sacrificium visibile, propitiatorium vivis atque defunctis; en ejus verba: *Et quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut, si cum vero corde et rectâ fide... pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur... Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ. Cujus quidem oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur; tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur.*

De hæreticorum errore.

12. Dicitur ergo, fructum Crucis per Missam fidelibus applicari. Quocirca errant Novatores, quum asserunt, crucis fructum omnibus applicari, eamque ob causam sacrificium Crucis satis esse non solum ad redemptionem, sed etiam ad fructum ejus applicandum, atque inde supervacaneum sacrificium Altaris. Respondetur enim, Missæ sacrificium, juxta Concilii doctrinam, idem esse ac sacrificium Crucis; solam offerendi rationem in iis esse dissimilem: quapropter Altaris sacrificium nihil detrahit de sacrificio Crucis. Neque institutum est sacrificium Altaris ob Crucis sacrificii defectum, sed tantummodo ut medium, quo Deus Calvarii sacrificii meritum nobis applicat.

Missa non est nuda memoria, sed simul sacrificium.

13. Dicunt Novatores, sacrificium Altaris ideo solum vocari Sacrificium, quia Crucis sacrificii figura est et memoria. Sed falluntur; siquidem, licet ipsum Tridentinum dicat, Missam esse institutam *in memoriam et repræsentationem* Crucis sacrificii, nihilominus de fide est, Missam in seipsâ reverâ esse sacrificium propter præsentem victimam, quæ veram continet oblationem Christi, sub panis vinique spe-

[1] In Ep. 1, ad *Cor.*, Homil. 24, n. 2. — [2] 1 *Cor.*, X, 16. — [3] II, 46.

cibus ibi semetipsum offerentis; ac proinde, non sola exhibetur cruenti sacrificii repræsentatio, sed vere adest oblatio Christi, reipsâ præsentis, sicut præsens adfuit in Calvario. Quocirca Concilium: *Idem ille Christus*, inquit, *continetur et incruente immolatur, qui in arâ Crucis semel Seipsum cruente obtulit.*

Missa est Sacrificium impetratorium.

14. Perspicue tum declarat Concilium, Altaris sacrificium impetratorium esse bonorum et spiritualium et temporalium, quum dicit: *peccata etiam ingentia dimittit;* non quidem directe sed indirecte, ut communiter explicant doctores, quatenus per Altaris sacrificium Deus confert gratiam, quâ homo movetur ad contritionem et ad sordes in Pœnitentiæ sacramento eluendas. Quod vero attinet ad temporalem pœnam, quæ post culpæ veniam persolvenda superest, ea si non ex toto, saltem ex parte vere remittitur per Missam, ut constat ex defunctorum exemplo, quibus Missa proficit, licet ipsi ad merendum non sint idonei.

Can. III.

15. Huic Capiti II° respondet Canon III: *Siquis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Nomine necessitatum intelliguntur etiam cetera temporalia bona, quæ sacrificii virtute a Deo fidelibus tribuuntur, quatenus æternæ eorum saluti expedire noverit.

Explicatur et probatur Concilii doctrina.

16. Missam esse sacrificium vere propitiatorium, i. e. quod Deum nobis propitium reddit ad condonandas non solum pœnas sed etiam culpas (ut in hoc secundo Capite declarat Concilium), probatur ex ipsâ Eucharistiæ institutione, in peccatorum remissionem potissimum factâ: *Hic est enim Sanguis meus..., qui pro multis effundetur* (vel cum textu Græco, *effunditur*) *in remissionem peccatorum* [1]. Dicitur *effundetur* ratione sacrificii cruenti; *effunditur* ratione incruenti, quod nunc in qualibet Missa offertur. Ambo dicuntur fieri in remissionem peccatorum; sed in Crucis sacrificio Christus redemptionis nostræ pretium solvit, in Altari illius pretii nobis applicat fructum.

Quum autem Sacrificium sit propitiatorium, consequens est, ut item sit impetratorium aliarum gratiarum; quod communiter dicunt SS. Patres, S. Cyrillus [2], S. Joannes Chrysostomus [3], S. Ambrosius [4], S. Hieronymus [5] et S. Augustinus [6], apud Bellarminum [7].

Probatur, Missam etiam defunctis prodesse.

17. Illud præterea quod in eodem Capite II° dicitur: *Non solum vivorum, sed pro defunctis, cet.*, et repetitur in Canone III°, probatur ex libro II Machabæorum, ubi legimus: *Factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.... Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* [8]. Item probatur ex perpetuâ Ecclesiæ traditione, ut pluribus locis declarat S. Augustinus, imprimis *in lib. de curâ pro mortuis*, cap. 1, n. 3 [item: *cap. 18*]. S. Joannes Chrysostomus: *Non frustra*, inquit, *ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt* [9]; et re quidem verâ, in liturgiis S. Jacobi, S. Clementis et in reliquis omnibus jam reperitur commemoratio, quæ fit pro mortuis. At, *defunctos neque accipere neque manducare* [10], ait *Calvinus;* sed illud solum probat, mortuos

[1] *Matth.*, XXVI, 28. — [2] *S. Cyr. Hieros.* Cateches. 23 (mystag. 5), n. 8. — [3] In Act. Homil. 18, n. 5 et Homil. 21, n. 4. — [4] De Sacramentis, lib. VI, cap. 5. — [5] Epist 21 et 64 (alias 146 et 128). — [6] De Civ. Dei, lib. XXII, cap. 8, n. 6. — [7] De Euch, lib. VI, cap. 3. — [8] 2 *Mach.*, XII, 43 et 46. — [9] In Epist. ad *Phil.* Homil. 3, n. 4. — [10] Articuli Facultatis *Parisiensis* cum Antidoto, art. 6 (*a*).

(*a*) En ejus verba: «Institutio Christi sic habet: «Accipite et manducate...» quum promissio ad eos solos destinetur, qui Sacramento communicant: quo jure ad mortuos pertinebit?» (Nota edit.).

participes fieri non posse cibi eucharistici; minime vero, eos non posse habere partem in sacrificii fructibus. Tertullianus, de defunctis in Missâ commendandis agens: *Harum... disciplinarum*, inquit, *traditiô tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix* [1]. Et adjungit: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus* [2]. Et S. Athanasius: *Incruentæ hostiæ oblatio propitiatio est* [3]. S. Epiphanius [4], etiam ab antiquâ Ecclesiâ ait ut hæreticam condemnatam esse opinionem Aerii, asserentis, pro mortuis sacrificium offerri non posse. Et S. Cyprianus, *Sacrificium celebrari* ait *pro defunctis in altari* [5]. Quod idem scripsit S. Augustinus [6]. Sed hac de re in Sessione XXV, ubi de Purgatorio dicetur, uberior sermo recurret.

Quinam Missæ Sacrificium offerant.

18. Quod porro ad offerentes sacrificium Missæ pertinet, scribit Bellarminus [7], sacrificium Missæ a tribus offerri, a Jesu Christo, ab Ecclesiâ et a sacerdote; sed non eodem modo: Christus offert ut sacerdos sive offerens primarius per sacerdotem hominem, suum ministrum; Ecclesia non offert ut sacerdos aut minister, sed ut populus per sacerdotem; sacerdos offert ut minister Christi et pro toto populo intercessor. Semper tamen præcipuus in Missâ immolator est Christus, sub panis vinique speciebus perpetuo Se offerens per sacerdotes ministros suos (ut loquitur Concilium), *idem nunc offerens (Christus) sacerdotum ministerio* [8], qui, quum sacris operantur, ejus gerunt personam; quam ob causam Concilium Lateranense IV: *Idem*, inquit, (cap. « *Firmiter* » de Summa Trin.) *ipse Sacerdos et Sacrificium Jesus Christus.* Et hoc quidem hujus Sacrificii dignitati conveniebat, ut præcipue offerretur non ab hominibus peccatoribus, sed ab illo summo Sacerdote, qui peccatis non est obnoxius: *Talis... decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens,*

Christus præcipuus offerens.

impollutus [9]. Alii autem offerunt *habitualiter*, ut ii, qui licet absint, cupiunt tamen sacrificium offerri; alii *actualiter*, ii nempe, qui Missæ intersunt; alii *causaliter*, quia in causâ sunt, cur celebretur Missa.

Missæ fructus ex opere operato.

19. Missa vim suam habet *ex opere operato*, i. e. ex seipsâ, neque ex sacerdotis merito pendet: divina quippe est promissio: *Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* [10]. Merito igitur Concilium: *Cujus quidem oblationis cruentæ... fructus*, inquit, *per hanc incruentam uberrime percipiuntur* [11]. — Nec refert, effectum non illico aut non ab omnibus haberi: satis est eum esse infallibilem ex parte sacrificii: sacrificium enim, ut suum producat effectum, hominis dispositionem requirit, quâ deficiente, fructus non percipitur; id autem hominis, non vero sacrificii defectu accidit.

Explicatur, utrum *immediate* an *mediate* fructum producat.

20. Duobus autem modis Sacrificium *ex opere operato* valere potest: uno, si opus illud sit instrumentum quoddam, producens effectum, et ita operantur Sacramenta, *immediate;* altero, si opus quod peragitur, non sit instrumentum, immediate producens effectum, sed infallibiliter movens Deum ad effectum producendum, ita ut ex ministri bonitate non pendeat. Et sic valet Missa quoque *ex opere operato;* non obtinet e. g. justificationem eo modo quo pœnitentia, quæ, quoties pœnitens contritione est dispositus, immediate justificat; sed eam obtinet *mediate*, ut cum communi sententiâ docet S. Thomas [12]. Quare in II° Capite Concilium dixit, per hoc Sacrificium peccata etiam ingentia dimitti, quia Deus, hoc Sacrificio placatus, gratiam et donum pœnitentiæ concedit [13]. Et adducitur ratio; quia eadem est hostia, et idem offerens, qui fuit in Cruce [14]. Atque ita fit, ut effectus non pendeat ex ministri bonitate.

[1] De Corona Militis, cap. 4. — [2] Ibid., cap. 3. — [3] Oratio de Defunctis (inter fragmenta). — [4] Adv. Hæres; hæres. 75. — [5] Ep. 66, ad Clerum *Furnis* consistentem (alias lib. I, ep. 9). — [6] Enchiridion, cap. 110. — [7] L. c., cap. 4. — [8] Sess. 22, cap. 2. — [9] *Hebr.*, VII, 26. — [10] *Matth.*, XXVI, 28. — [11] L. c. [12] — In Sent. lib. IV, dist. 12, qu. 2, art. 2, solutio 2 ad 4m. — [13] L. c. — [14] Ibid.

Ceterum, Missa hac in re vim habet per modum impetrationis; quum autem a Christo offerantur preces, impetratio est infallibilis, dummodo ne ab iis, pro quibus precatio fiat, obex opponatur.

Objicitur: Sacramenta fiunt inutilia. Respondetur, et magis explicatur doctrina.

21. Nec dici potest cum *Kemnitio* [1], inutilia fieri Sacramenta, si Missæ sacrificium peccata remittat: respondetur enim, ita esse futurum, si peccata remittantur immediate; atvero, ut remissio fiat, semper requiritur Pœnitentiæ sacramentum. Missa porro infallibiliter peccatoribus impetrat speciale auxilium, quod eorum dispositioni respondet; si ergo peccator gratiæ resistat, ejus vitio Sacrificium non operatur. Quoad temporalia vero beneficia Deus semper ea concedit, quando ad salutem sunt utilia. Bonitas autem ministri, ut jam diximus, ad Missæ effectus obtinendos non est necessaria, quia præcipue offertur a Christo, eamque ob causam, etiamsi sacerdos sit peccator, Missa vim habet ex se ipsâ *ex opere operato;* attamen sacerdotis bonitas semper adjuvat ad impetrandum *ex opere operantis.*

Sitne Missæ valor *finitus* an *infinitus.*

22. Juxta communiorem theologorum sententiam Missæ virtus infinita non est, quapropter secundum universalem Ecclesiæ usum plures sæpe Missæ ad idem beneficium impetrandum offerri solent; quâ in re a Crucis sacrificio differt, quod infiniti erat pretii, atque ideo non iteratur. Omnium autem optima ratio, cur finita sit Missæ efficacitas, est ipsa Christi voluntas, qui non vult concedere nisi certam quamdam mensuram, quâ partem applicat passionis suæ fructuum, ut ita homines illud sacrificium sæpe offerant.

Pro quibus offerri possit.

23. Quæritur, pro quibus Missa offerri possit? Certum est, ut vidimus et docet Concilium, Missam offerri posse pro omnibus Catholicis, et viventibus, quantumvis peccatoribus, et defunctis, quemadmodum in Missæ Canone dicitur: *Pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ... fidei cultoribus.* Certum est contrà, non posse offerri pro damnatis, quum eorum culpæ et pœnæ remitti nequeant. Sed neque offerri licet pro hæreticis; prohibuit enim Ecclesia [2], ne directe offeratur Missa pro excommunicatis, cujusmodi sunt omnes hæretici; verumtamen pro iis quoque indirecte offertur Missa, quando in oblatione calicis dicitur: *Offerimus... pro... totius mundi salute.*

Quid de infidelibus.

24. Quod ad infideles attinet, existimat Bellarminus [3], Missam offerri posse pro principibus gentilibus, ut ait S. Chrysostomus [4]; et Tertullianus: *Sacrificamus,* inquit, *pro salute imperatoris* [5]; in lege veteri siquidem facta sunt sacrificia pro Dario [6] et Heliodoro [7]. Neque obstant illa S. Augustini: *Quis enim offerat Corpus Christi, nisi pro iis, qui membra sunt Christi?* [8] Etenim, ut ait Bellarminus [9], S. Augustinus ibi non loquitur de ethnicis viventibus, sed defunctis, pro quibus certo in Missâ orari nequit. Ceterum dicit Bellarminus [10], Missæ sacrificium applicari posse pro conversione et gentilium et hæreticorum.

Cap. III. Cuinam Sacrificium offeratur.

25. Veniamus ad Caput III, ubi agitur de Missâ in honorem Sanctorum, et ita dicitur: *Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet: offero tibi sacrificium, Petre vel Paule; sed, Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.*

Can. V.

Huic Capiti respondet Canon V: *Siquis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinendâ, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

[1] Examen Conc. Trid., pars 2, de Missa Pontificia, cap. 2. — [2] Cap. « *A nobis* » de sent. Excomm. (V, 39, 28). — [3] De Euch., lib. VI, cap. 6. — [4] In Ep. 1, ad *Tim.* Homil. 6, n. 1. — [5] Ad *Scapulam* liber, cap. 2. — [6] 1 *Esdr.*, VI, 10. — [7] 2 *Mach.*, III, 32. — [8] De anima et ejus origine, lib. 1, cap. 9. — [9] L. c. — [10] Ibid.

Explicatur Concilii doctrina.

Missæ sacrificium supremus cultus est, qui exhiberi nequit nisi soli Deo in supremi ejus dominii significationem; si igitur Sancti cujusdam Missa celebratur, offertur illa quidem in honorem Sancti, sed directe soli Deo offertur; ita S. Augustinus [1]. Et hæc est traditio et consuetudo veteris quoque Ecclesiæ, ut in antiquis liturgiis legitur. Merito autem Ecclesia Missam offert in honorem Sanctorum, ut et gratias agat pro beneficiis, a Deo iis collatis, et eorum apud Deum patrocinium imploret ac simul eorum memoriâ nos excitet ad eos imitandos.

Cap. IV. De Canone Missæ.

26. Capite IV agitur de Missæ Canone; et repudiantur calumniæ hæreticorum, qui eum exhibent ut plenum erroribus et ineptiis; et declaratur, nihil in eo contineri, quod sanctitatem et pietatem non redoleat: *Et quum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum Sacrificium, Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat; is enim constat quum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* — Huic Capiti IV respondet Canon VI: *Siquis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit.*

Can. VI.

De hæreticorum errore.

27. Primum ab ipso nomine *Canonis*, quod normam stabilem indicat, abhorrent Novatores; volunt enim, cuilibet liberum esse, in Missâ eas preces adhibere quas maluerit; quare *Kemnitius* [2] Tridentinum arguit, quod declaret missæ Canonem constare partim ex Christi partim ex Apostolorum et Pontificum verbis. Ille quidem supponit Canonis auctorem fuisse Scholasticum quemdam, quum S. Gregorius dicat: *Precem Scholastici recitari super oblationem* [3]. Sed errat *Kemnitius;* nam S. Ambrosius [4], S. Optatus [5] et ipse S. Gregorius [6] cum aliis antiquis auctoribus, Missæ Canonem vocant ordinem, regulam, vel etiam canonem. Verum quidem est, Græcorum Missæ Canonem multis locis a nostro differre, quum Græci utantur liturgiâ S. Basilii vel S. Joannis Chrysostomi; quemadmodum Mediolani in usu est liturgia Ambrosiana, Toleti in Hispaniâ ea, quam Mozarabicam vocant, et Romæ ea, quæ Latinæ Ecclesiæ communis est; sed varii isti Canones a summis Pontificibus concessi fuerunt et approbati, nec quidquam in ipsâ substantiâ inter se differunt, neque ullum continent errorem.

Quid de *Scholastico* illo.

28. Quod autem spectat ad Scholasticum quem Kemnitius ex S. Gregorii verbis, Canonis vult esse auctorem, minime constat, utrum S. Gregorius nomen Scholastici pro nomine proprio habuerit an pro communi nomine auctoritatis, ut magistri sive doctoris, quod quidem probabilius

[1] De Civit. Dei, lib. 8, cap. 27 (*a*). — [2] L. c., cap. 4. — [3] Epist., lib. IX, ep. 12 (al. lib. VII, ep. 63), ad *Joann.* Ep. *Syracusan.* (« Inconveniens visum est », inquit, « ut precem, quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus ». Nota edit.). — [4] Comm. in Ep. 1, ad *Tim.*, cap. 2 (Apocryph. Nota edit.). — [5] De Schismate Donatistar. adv. Parmenianum, lib. II, n. 12. — [6] L. c.

(*a*) « Nec tamen nos », inquit, « eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia » constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus » eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tamquam sanctorum hominum » Dei.... Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam » super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: offero tibi sacrificium, Petre vel Paule » vel Cypriane; quum apud eorum memorias » offeratur Deo, qui eos et homines et martyres » fecit...? ... Nec offerimus sacrificia martyribus nostris, quia incongruum, indebitum, » illicitum est, atque uni Deo tantummodo debitum » (Nota edit.).

videtur; idem quippe S. Gregorius [1] Matthæum quemdam scholasticum vocat. Advertit præterea Bellarminus [2], illa S. Gregorii verba — *precem Scholastici recitari super oblationem* — non de integro Canone, sed facile de tribus dumtaxat intelligi orationibus, quæ ante Communionem recitantur, et juxta *Micrologum* [3] extra Canonem sunt. Ceterum, ut scribit Bellarminus [4], certum est initio Apostolos in Missâ ad verba consecrationis solam *Dominicam Orationem* addidisse; postea vero adjunxisse alia, in quibus et orationem pro defunctis; quandoquidem testatur S. Joannes Chrysostomus [5], orationem pro defunctis in sacrificio Missæ ex Apostolicâ traditione descendere. Refert S. Isidorus [6], primum Ecclesiæ certam Missæ celebrandæ formam dedisse S. Petrum, preces quasdam et ritus adjungendo. Deinde Pontifices diversas preces addiderunt usque ad S. Gregorium Magnum, qui ultimus, ut scriptum reliquit *Walfridus* [7], ad Canonem hæc verba adjunxit: *Diesque nostros in tuâ pace disponas.* Quamquam autem antiquæ Liturgiæ variis auctorum nominibus indicantur, ut S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, S. Ambrosii, S. Gelasii, S. Gregorii (quæ nostra Romana est) et S. Isidori, non tamen isti Sancti novas Liturgias composuerunt, sed solum, quæ suo cujusque tempore usurpabatur, ad meliorem redegerunt formam, ut loco citato demonstrat Bellarminus.

Initio brevior Missa.

Postea aliæ preces adjectæ sunt.

29. Capite V agitur de solemnibus Missæ sacrificii cæremoniis: *Quumque natura hominum* (sunt Concilii verba) *ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissâ voce, alia vero elatiore, in Missâ pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Huic Capiti V respondet Canon IX, ubi anathema indicitur ei, qui assereret, damnandum esse ritum, quo submissâ voce pars Canonis et nominatim Consecrationis verba proferantur.

Cap. V. De Cæremoniarum utilitate.

Can. IX.

30. Fatetur quidem *Calvinus*, antiquissimas esse Missæ cæremonias, neque eas multum distare ab Apostolorum ætate; eas nihilominus appellat *rubiginem Cœnæ Domini, natam ex procacitate humanæ confidentiæ* [8]. *Lutherus* [9] vero et *Lutherani* non omnes cæremonias rejiciunt, nam et in suis missis aliquas servant; *Lutherus*

De hæreticorum errore.

[1] Epist. lib. XII (al. X), ep. 2 ad *Anthemium* Subdiac. (*a*). — [2] De Euch., lib. VI, cap. 19. — [3] Micrologus de Ecclesiasticis observationibus, cap. 18 (*b*). — [4] L. c. — [5] In Ep. ad *Phil.* Homil. 3, n. 4. — [6] De divinis Officiis, lib. I, cap. 15, n. 1. — [7] *Walfrid. Strabus*, De Ecclesiasticar. Rerum Exordiis et Incrementis, cap. 22. — [8] Inst., lib. IV, cap. 17, n. 43 (*c*) — [9] Confer: De Captiv. *Babylonica*, cap. De Sacram. Altaris. — Confer etiam: *Die Weyse der Mess*, a° 1523 (*d*).

(*a*) *Præcipimus*, inquit, *quatenus Matthæo viro clarissimo scholastico duodecim solidos dare non differas.* Quid olim significaret nomen Scholastici, vide: *Du Cange*, Glossarium; *Vossium*, Etymologicon Linguæ Latinæ; *Moreri, Le grand Dictionnaire* (Nota edit.).

(*b*) *Migne*, Patrol. Latin., t. 151, col. 974 et t. 162, col. 610. Adscribitur *S. Ivoni Carnutensi* [*Chartres*]. In quem librum adnotat *Theoph. Raynaud, S. J.* [Erotemata de bonis et malis libris; apud *Migne*, t. 151, col. 977]: *Micrologus est libri titulus, non autem, ut aliqui commenti sunt, cognomentum auctoris, quem fingunt vocatum Joannem Micrologum* (Nota edit.).

(*c*) « Nec ipse ignoro », inquit,... « quam non longe ab ætate Apostolorum Cœna Domini tacta rubigine fuerit; sed isthæc scilicet humanæ confidentiæ procacitas est ». (Nota edit.).

(*d*) Etsi verbis fatetur, nolle se totam vituperare Ecclesiam, seque illa relinquere arbitrio celebrantis; revera tamen ex contextu apparet, flocci eum facere vestes sacras et cæremonias, atque eo magis Christianam censere Missam, quo pauciores adsint cæremoniæ (Nota edit.).

autem vellet Missam eo modo dici, quo eam celebravit Jesus Christus, qui non adhibuit sacras vestes, actiones vel cantum. Non improbat tamen usum luminum, thuris, aliorumque ejusmodi: quâ in re secum ipse pugnat. Parum probabilis est opinio, lumina fuisse adhibita propter obscuritatem locorum, ubi Missæ celebrabantur, et incensa fuisse thura ad tollendum ingratum odorem in illis locis subterraneis; hæ siquidem cæremoniæ aliæque similes potissimum fuerunt institutæ ad fines spirituales, ut lumina in significationem venerationis erga Sacramenti majestatem et ad designandam sub luminis figurâ Evangelii lucem, ut scribit S. Hieronymus: *Per totas Orientis ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria... ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur* [1], id est lux divina. Ita pariter S. Thomas thura adhibita fuisse ait, *ad repræsentandum effectum gratiæ* [2]. *Kemnitius* [3] permittit benedictionem specierum et recitationem Psalmorum, Symboli aliarumque precum (quæ proprie cæremoniæ non sunt); admittit quoque vestes, vasa sacra ceteraque ornamenta; sed ea libera, non necessaria esse ait. Superstitiosum vero atque impium dicit, pro vivis et mortuis oblationem fieri, invocari sanctos, pro animabus purgatorii satisfactionem offerri et aquæ fieri benedictionem.

Quid de usu luminis et thuris.

Quid censeat *Kemnitius*.

Explicatur Concilii doctrina.

31. Nos dicimus, ejusmodi res non esse ex se intrinsece necessarias, sed Ecclesiam eas reverâ præscribere potuisse, et nos ad obedientiam teneri. Tridentinum declarat, earum multas provenire ex traditione Apostolicâ. Neque obstat, earum non meminisse S. Paulum [4]; Apostolus enim non loquitur nisi de iis, quæ fecit Redemptor, hæc autem traditio post Ascensionem tantummodo incepit. Vestes etiam in veteri Lege sacerdotibus sacrificantibus præscriptæ erant; et in novâ Lege certum est, earum usum esse antiquissimum, ut constat ex auctoribus a Bellarmino citatis [5]. S. Gregorius, ut refert Joannes Diaconus [6], in Angliam misit vasa et vestimenta, quæ in Missâ adhiberentur. S. Hieronymus scribit, presbyteros et clerum in sacrificio Missæ candidis vestibus uti [7]; S. Joannes Chrysostomus orationes describit, sacerdotibus sacras vestes induentibus recitandas [8].

32. Templa et altaria admittunt quidem Novatores, sed eorum consecrationes reprobant; quas tamen antiquissimas esse demonstrat Bellarminus [9], ut et antiquissimus est usus sacrorum vasorum. Neque obstant, quæ ex S. Ambrosio opponit *Calvinus* [10]: *Aurum Sacramenta non quærunt* [11]; S. Doctor enim non reprobat vasa aurea, sed declarat, Sacramenta, ut sint valida, auro non indigere; unde, ut pauperibus succurratur, ea vendi posse: ceterum, quum talis necessitas non aderat, ipse ea conservabat.

De Altaris Consecratione, et usu vasorum.

33. Improbant *Lutherus* et *Calvinus* jejunium, quod ante celebrationem servari debet: satis esse ait *Lutherus* [12], siquis edendi vel bibendi modum non excesserit; si enim Sacramenti reverentia illud requireret, inquit, etiam prohibenda esset respiratio, quum ante Jesum Christum aer corpus ingrediatur [13]. Oh ineptam comparationem! Aerem haurire irreverentia non est; est vero, terrenum cibum ante cælestem sumere. Jejunii consuetudo antiquissima est, ut testantur Tertullianus [14], S. Cyprianus [15], S. Joannes Chrysostomus [16] et S. Augustinus [17], qui scribit, ab Apo-

De jejunio ante Commun.

[1] Contra *Vigilantium*, n. 7. — [2] 3ª, qu. 83, art. 5 ad 2m. — [3] Examen Conc. Trid., pars 2, cap. 5. — [4] 1 *Cor.*, XI, 23 seq. — [5] L. c., cap. 14, § de Vestibus sacris. — [6] Vita *S. Greg.* Pap., lib. II, n. 37. — [7] Dial. adversus *Pelagianos*, lib. I, n. 29. — [8] Liturgia, sive Ordo divini sacrificii. — [9] L. c., § De templis et aris et de vasis sacris. — [10] Instit. Præfatio ad Regem *Galliæ*. — [11] De Officiis Ministror., lib. II, cap. 28, n. 138. — [12] De abroganda Missa privata, pars 1. — Item: Contra Regem *Angliæ*. « Quare nos ». — [13] De abroganda Missa privata (Edit. *Wittenberg*, a° 1545, fol. 266 *b*). Cfr. *Die Weyse der Mess*, 1523. — [14] Ad uxorem, lib. II, cap. 5. — [15] Ep. 63, ad *Cæcilium*, n. 16. — [16] In Ep. 1, ad *Cor.*, Homil. 27, n. 5; Ep. 125 ad *Cyriacum*. — [17] Ep. 54, ad *Januarium*, cap. 6.

stolis, a Spiritu-Sancto inspiratis, institutum ejusmodi jejunium, atque inde ab universâ Ecclesiâ in tanti Sacramenti reverentiam servatum. Idem quoque præscripserunt antiquissima Concilia, ut Concilium III Carthaginiense [1], Concilium Matisconense II [2], Concilium Bracarense II [3], Concilium Toletanum VII [4]; ac tandem Concilium generale Constantiense [5] nominatim interdixit, nequis post cibum vel potum sumptum celebraret. At, inquiunt, post Cœnam celebravit Christus. Sed illa Cœna Paschalis fuit, celebrata in memoriam egressus ex Ægypto, hodie vero abrogata. — At S. Paulus, ut cibus ante Communionem sumatur, his verbis permittit: *Si quis esurit, domi manducet* [6]. Sed non significant ea verba, prius manducandum, deinde vero ad Communionem esse accedendum; sed, ut exponunt S. Joannes Chrysostomus [7], Theophylactus [8] et alii, eum qui esuriat nec velit exspectare, domum suam esse amandandum, ut ibi manducet.

De Cæremoniis intra Missam.

34. De cæremoniis autem, quæ in ipsâ Missâ fiunt, cujusmodi sunt manuum vel oculorum elevationes, inclinationes, genuflexiones, cet. plura etiam in divinis Litteris reperiuntur exempla. Elevationem hostiæ et Sanguinis, panis consecrati fractionem ejusque commixtionem cum Sanguine, antiquissimas esse refert Bellarminus [9]; idem de cantu dicendum et de instrumentorum sonitu, qui in veteri Lege jam adhiberentur. *Petrus Martyr* musicam ut judaicam cæremoniam improbat; sed respondet Bellarminus [10], rejectas fuisse eas cæremonias, quæ res in novâ Lege futuras figurarent, minime vero eas, quæ naturali ratione nitantur, ut cantare laudes divinas, thura incendere, flectere genua, pectus tundere, cet.

Cap. VI. De Missâ, sine Communione fidelium.

35. Capite VI agitur de Missa privatâ, in quâ solus sacerdos Communionem suscipit; ibique dicitur: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos SS. hujus Sacrificii fructus uberior proveniret. Nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat: siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.* — Ad hoc Caput VI pertinet Canon VIII: *Siquis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.* Can. VIII.

Omnes Missæ publicæ dici possunt.

Si proprie loqui volumus, omnes Missæ vocari possunt publicæ; tum quia publicum est sacrificium, utpote oblatum pro universâ Ecclesiâ, tum quia publicus est minister, quum ad altare sacerdos non sibi soli, sed cunctis fidelibus celebret, ut loquitur Tridentinum: *Quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus... celebrentur.* Idem probatur ex veteri Ecclesiæ consuetudine, ut constat ex Concilio Agathensi (anno 506 [11]) et ex Toletano XII, cap. V [12], cet. Sed et ipsa ratio illud confirmat; sacrificii natura siquidem non requirit nisi solam offerentis personam, neque opus est eos præsentes adesse, pro quibus offeratur.

De hæreticorum errore.

36. *Lutherus* [13] distinguebat *publicam* Missam, quæ celebratur cum cantu et ministrorum assistentiâ, et in quâ omnes, qui in templo adsunt, Communione reficiuntur; et *privatam*, quæ fit sine cantu, vel in privato oratorio, vel in quâ communicat solus sacerdos; quam quidem ut illicitam rejicit: atque idem dicunt ceteri *Lutherani*. Hæc vero eorum opinio, ut

[1] a° 397, Can. 29. — [2] a° 585, Can. 6. — [3] a° 563, Can. 16. — [4] a° 646, cap. 2. — [5] a° 1415, Sess. 13. — [6] 1 *Cor.*, XI, 34. — [7] In Ep. 1, ad *Cor.*, Homil. 28, n. 2. — [8] In Ep. 1, ad *Cor.*, XI. 34. — [9] L. c., cap. 15. — [10] L. c. — [11] Can. 18 et 47. — [12] a° 681. — [13] De Missa privata, passim.

Canone VIII vidimus, damnata est tamquam hæretica.

Victimæ distributio ad essentiam sacrificii non pertinet.

37. Manifesto errat, qui illicitam vocat Missam, in quâ solus sacerdos communionem suscipit; nequaquam enim ad sacrificii essentiam pertinet victimæ distributio inter assistentes, sicut pertinet ejus consecratio et absumptio. Etiam in veteri Lege [1], quum sacrificium offerebatur *pro peccato*, de victimâ nihil manducabat populus: illud tamen pro vero sacrificio habebatur.

Objicitur. 1

38. Adversarii objiciunt primum, illud esse contra institutionem Christi, qui in Cœnâ dixit: *Quemadmodum Ego feci... ita et vos faciatis* [2]; et quum omnibus, qui adessent, Communionem præbuisset, subjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem* [3]. Respondetur, iis verbis Dominum non voluisse præcipere, ut in celebrandâ Missâ servarentur omnes circumstantiæ, in quibus Ipse celebravit; secus enim omnes Missæ dicendæ forent post cœnam, noctu, exclusis feminis, cet. Præscripsit solum, ut ipse celebrans semper communicaret, nec petentibus negaretur communio.

Respondetur.

Objicitur. 2

39. Opponit *Kemnitius* [4], sicut divini Verbi minister (qui item publicus est) concionari nequeat nisi populo præsente, ita nec sacerdotem sacrificare posse nec sacrificii fieri participem, nisi ceteri participantes adsint. Respondetur, aliud sacrificando, aliud prædicando præstare ministrum: prædicantis actio ad homines refertur, sacrificantis actio ad Deum: eo magis quod sacrificium simile est orationi, quæ absentibus etiam prodest.

Respondetur.

Objicitur. 3 *a*

40. Item opponunt, Missam privatam esse contra antiquam Ecclesiæ praxin; etenim, in Epistolâ primâ ad Corinthios [5] opponuntur inter se Domini Cœna et cœna privata: *Jam non est Dominicam Cœnam manducare.* Præterea, ex nono vel decimo Canone Apostolorum et ex Canone « *Peracta* » *10 Dist. 2 de consecrat.* infertur, eos qui non communicarent, a Missâ fuisse exclusos. Ad primum respondetur, ibi non agi de Communione, sed de *agapis*, in quibus divites ex caritate invitabant pauperes ad cœnam; quare S. Paulus eos reprehendit, qui ejusmodi caritatem non exercebant: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent?* [6] Loquitur ergo de iis cœnis privatis, quæ imitabantur Cœnam Domini: hic enim ad solemnitatem Paschatis unà cum servis cœnavit. Sed etiamsi Apostolus de Eucharistiâ loqueretur, reprehendit ejusmodi cœnas privatas, a quibus nonnulli excludebantur, non eas a quibus, licet non omnes interveniant, nemo tamen excludatur, ut in nostris Missis accidit. Ad alterum respondetur, licet in nono Canone Apostolorum et in Canone *Peracta* omnibus adstantibus impositum esset, ut ad Communionem accederent, sacerdotibus tamen non imponi, ut abstineant sacrificio, si nemo adsit qui Communionem suscipiat. Antiquitus iis tantum sacerdotibus prohibita erat celebratio, qui ipsi non sumebant Communionem, ut colligitur ex Concilio Toletano XII [7], cap. V: *Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse dignoscetur?* Ergo jam agebatur de Missâ, in quâ nemo communicabat; et illud Concilium celebratum est plus nongentis abhinc annis.

Respondetur ad *a*

ad *b*

De Missâ privatâ *a* ratione *loci*.

41. Nec refert, Missam esse privatam ratione *loci* privati: nam primum, Jesus Christus in privatâ domo celebravit, et de Apostolis scriptum est, Act. II, 47: *Frangentes circa domos panes* [8]. Similiter Pontifices tempore persecutionum, etiam in domibus, in cryptis et carceribus sacra faciebant; refert quoque Bellarminus [9], S. Gregorium Nazianzenum [10], S. Ambrosium [11] aliosque in privatis domibus celebrasse.

b

[1] Levit., VI, 1-8; VII, 1-10. — [2] *Joan.*, XIII, 15. — [3] *Luc.*, XXII, 19. — [4] L. c., cap. VI. — [5] 1 *Cor.*, XI, 20. — [6] v. 21 et 22. — [7] a° 681. — [8] Act., II, 46. — [9] L. c., cap. 9. — [10] *Sozomenus*, Hist. Eccl., lib. VII, cap. 5. — [11] *Paulinus*, Vita *S. Ambrosii*, n. 10.

b ratione *temporis.*

42. Neque attinet, Missam esse privatam ratione *temporis*, eo quod præter dies festos celebratur. Solis Dominicis diebus adversarii nostri sacris operari solent; ceterum, quotidianam Missam non improbant, sed et immerito eam improbarent, quum minime dubius sit in Ecclesiâ usus Missæ quotidianæ, ut testantur S. Joannes Chrysostomus [1], S. Hieronymus [2] et alii.

c ratione *finis.*

43. Neque obstat, Missam esse privatam ratione *finis*, quum pro privatâ personâ aut peculiari quadam necessitate applicatur. Sed neque illud dici potest, quum ex Missali constet, omnes Missas offerri pro omnibus fidelibus vivis et defunctis (solis damnatis exceptis). Si autem Missa applicetur uni, is quidem in majorem fructûs partem veniet, ceteri tamen suam quisque partem habebunt. Ejusmodi autem usus antiquissimus est, ut constat ex Levitico [3], ubi mentio fit de sacrificiis pro principe, pro sacerdote, cet. Job [4] pro filiis sacra faciebat. Et in novâ Lege constat, Missam celebrari solitam in natalitiis Sanctorum; S. Augustinus, de sanctâ suâ matre defunctâ loquens: *Quum offerretur*, inquit, *pro eâ Sacrificium* [5], cet.

d ratione *defectûs adstantium.*

44. Neque obstat, Missam esse privatam ratione *defectus adstantium.* Melanchthon [6] Ecclesiam Romanam vituperat, quod Missas sine totius populi conventu sinat celebrari; illud tamen ceteris Lutheranis nullum scrupulum injicit. Ceteroquin novimus, S. Ambrosium in domo Romanæ cujusdam matronæ celebrasse; in cellulâ sancti Maris sacra fecit Theodoretus [7]; immo S. Gregorius [8] prohibuit, in monasteriis cum populi concursu Missam celebrari, ne monachi a mentis recollectione avocarentur.

e ratione *aliarum Missarum.*

45. Nec refert, Missam idcirco esse privatam, quia in eodem templo præter Missam conventualem celebretur. *Lutherani* Missarum multitudinem reprehendunt, sed injuriâ; in Ecclesiâ enim semper multi fuerunt sacerdotes, nec credi potest, ex iis unum vel paucos tantum celebrasse, ceteros vero abstinuisse sacrificio. Idem probat templorum, et in eodem templo altarium multitudo, de quibus mentionem faciunt S. Ambrosius [9], S. Gregorius [10] et S. Leo [11].

f ratione *defectûs Communicantium.*

46. Postremo non obstat, ideo Missam esse privatam, quia solus sacerdos in eâ communicet; siquidem, ut suprà jam vidimus, in privatâ Missâ reperitur tota essentia atque integritas sacrificii, a Christo instituti.

At, inquiunt, *Christus semel oblatus est* [12]. Ibi vero S. Paulus loquitur de Crucis sacrificio, cujus deinde continuam Jesus Christus fieri voluit memoriam per sacrificium Altaris, quo Crucis sacrificii fructus fidelibus applicetur.

Cap. VII. De aquâ admiscendâ.

47. Capite VII agitur de aquâ cum vino miscendâ: *Monet deinde S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesiâ sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et quum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.*

Cap. VIII. De linguâ vulgari.

48. Capite VIII dicitur, non expedire, Missam in vulgari linguâ celebrari; sed ex iis, quæ in Missâ recitantur, pastores aliquid exponere debere: *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim linguâ celebraretur. Quamobrem, retento ubique cujusque ecclesiæ antiquo et a S. Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui*

[1] In Ep. ad *Eph.*, Homil. 3, n. 4. — [2] Comm. in Ep. ad *Titum*, I, 8 et 9. — [3] Levitic., IV et V. — [4] I, 5. — [5] Confess., lib. IX, cap. 12. — [6] Apologia Confessionis, cap. De Missa. — [7] Religiosa historia, cap. 20. — [8] Ep. lib. II, Ep. 41, ad *Castorium* Ep^m. — [9] Ep. 20, ad *Marcellianam* sororem, n. 16 et 26. — [10] Ep. lib. VI, ep. 49, ad *Palladium* Ep^m. — [11] Ep. 9, ad *Dioscor.*, Ep. *Alexandr.*, cap. 2. — [12] *Hebr.*, IX, 28.

frangat eis, mandat S. Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cetera SS. hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festis.

Can. IX. **49.** Huic Capiti VIII ex parte respondet Canon IX, ubi de his tribus agitur: de submissâ voce, de linguâ vulgari et de aquâ in calice: *Siquis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis et verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut linguâ tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.*

De errore hæreticorum. **50.** Contendunt Novatores, in Missâ unice adhibendam esse linguam vulgarem (quod *Lutherus* [1] tamen celebrantis arbitrio reliquit); Ecclesia Catholica vero haud immerito pluribusque de causis contrarium statuit; Missæ oblatio enim (ut recte advertit Bellarminus [2]) in re magis quam in verbis consistit, quum ipsa actio, quâ in altari ponitur victima, Jesus Christus, vera sit oblatio, etiamsi verbis non offeratur. Consecratio quidem verba requirit; ea vero non ad instruendum populum, sed ad sacrificium faciendum proferuntur. Ipsa etiam oblationis verba non diriguntur ad populum, sed ad Deum, qui omnes linguas intelligit. Hebræi quoque in publicis suæ religionis functionibus Hebraicâ linguâ semper utebantur, quamquam hæc lingua post Babylonicam captivitatem vulgaris iis esse desierat. Præterea, is perpetuus fuit usus, ut in Oriente Græce aut Chaldaice, in Occidente vero Latine celebraretur, quod similiter fiebat iis temporibus, quibus lingua jam non esset vulgaris.

Cur adhibeatur lingua Latina. **51.** Quod quidem necessarium fuit (ut de linguâ Latinâ in Occidente adhibitâ loquamur) ad servandam ecclesiarum communicationem; secus enim Germanus in Galliâ sacrificium offerre non posset. Accedit, quod haud raro una lingua vim formularum alterius exprimere non possit; unde, si Missa in aliis regionibus aliâ linguâ dici deberet, difficulter idem sensus servaretur. Item illud necessarium fuit, ut constanter uniusmodi esset Ecclesiæ ritus in Sacramentorum administratione, et sic devitarentur schismata; magna enim fuisset confusio, si quælibet natio Missale Romanum in suam linguam transtulisset. Quapropter Galliæ Episcopi anno 1660 communi consensu Alexandro VII supplicarunt, ut supprimeret Gallicam Missalis Romani versionem, eodem anno a doctore *Voisin* confectam; quam revera anno 1661, die 12ª Januarii, Summus Pontifex damnavit [3].

Explicatur Decretum Conc. Later. IV. **52.** Opponunt, concessum fuisse in Concilio Lateranensi IV, anno 1215, cap. IX, ut quælibet natio vulgari linguâ celebraret officium. Sed hic tollenda est ambiguitas: loquebatur Concilium de iis tantum Græcis et Latinis, qui eamdem urbem incolerent; quibus solis permissum, immo etiam injunctum fuit, ut suâ quisque linguâ, aut Græce aut Latine, celebraret.

Plura *Suavis* deliramenta. **53.** Affirmat Petrus *Suavis* [4], Decreta idcirco nullum obloquendi argumentum dedisse, quod stylo tam obscuro essent conscripta, ut ad ea capienda nemo perveniret. At primum, pura calumnia est; siquidem adeo dilucida sunt Decreta, ut quisquis, quantumvis mediocris ingenii, legendo ea intelligat. — Addit, de solâ prohibitione Missæ in sermone vulgari paucis verbis a Protestantibus esse mussitatum. Si vero ab iis aliqua tantum verba dicta sunt, *Suavis* hac in re rabide in Ecclesiam et Pontifices invehens, eo progreditur ut dicat, *Cœlum ab iis terræ fuisse suppositum.* Tum demonstrare nititur, nullum idioma aliquando non fuisse vulgare, quo demonstret, olim solâ vulgari linguâ Missam fuisse celebratam. Sed neque Catholici illud negant, neque illud damnavit

[1] De Formâ Missæ. — [2] L. c., cap. 11.

[3] Alex. VII. « *Ad aures nostras* », 12 Jan. 1661. — [4] *Lib. VI*, « *Il decreto del Sacrificio* ».

Concilium. Ille tantum condemnatur (nono Canone), qui contenderet, *linguâ tantum vulgari Missam celebrari debere.* Idque rectissime dictum fuit, perspectâ veterrimâ Ecclesiæ consuetudine, ibi etiam Græco Latinoque sermone celebrandi, ubi homines his linguis non utebantur; et perpensis hujus rei rationibus: primum (ut suprà diximus) quia sæpius unum idioma alterius sententiam exprimere nequit; quapropter si variis in regionibus variis quoque linguis celebrandum esset, valde difficulter idem sensus et (quod consequens est) Ecclesiæ unitas servaretur; quâ ex re multæ controversiæ multaque orirentur scandala. Eamdem ob causam non in aliam linguam transferuntur leges civiles, sed in pristinâ suâ relinquuntur. Deinde, si quælibet natio suâ linguâ celebrare deberet, sacerdotes per diversas provincias communicationem habere non possent. Præterea, non convenit, fidei nostræ mysteria quotidie communi sermone ad vulgi aures perferri, nisi quum pro illius captu a sacris concionatoribus explicantur.

Nihil inter se pugnant epistolæ Joannis VIII et Greg. VII.

54. Falso deinde asserit *Suavis* [1], binas litteras Pontificias inter se pugnare. Altera epistola est Joannis VIII [2] (vide Baronium ad annum 880 [3]), in quâ Slavicæ genti (a quâ Bohemi proficiscuntur) concessit Pontifex, ut Missam et canonicas preces linguâ populari Slavicâ recitarent. Quæ ipsa concessio demonstrat, iis temporibus sine speciali privilegio licitum non fuisse vulgari linguâ celebrare: quod privilegium Slavis datum est flagitante S. Methodio, cujus operâ nuper ad fidem erant conversi. Ideo quoque annuere voluit Pontifex, quia tunc non sufficeret numerus sacerdotum, qui illic ad Latine celebrandum idonei fuissent.

55. Altera epistola ad eosdem populos scripta est a S. Gregorio VII [4], sed ducentis post annis, quum ibi jam dilatata esset religio et simul cognitio linguæ Latinæ; seque ait Pontifex minime concedere posse, ut vulgari linguâ Slavicâ divinum Officium celebrarent; hanc afferens rationem, quod Deus idcirco voluisset, *sacram Scripturam quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, forte subjaceret despectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret.* Quibus positis, ubinam reperitur discrepantia? Adjicit autem S. Gregorius, permissionem alias datam neutiquam præbere idoneum fundamentum ad eam prorogandam, *quum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ... postmodum... subtili examinatione correcta sunt.* Hic vero *Suavis*, furiosius in S. Gregorium excandescens, vociferatur: *Ergone probæ institutiones tamquam corruptelæ exhibentur et ab antiquitate tantummodo toleratæ; abusus vero postea inducti, tamquam perfectæ correctiones collaudantur?* [5] En quemadmodum virus, quo tumeret, in Ecclesiam evomat. Sed ubinam S. Gregorius veterem illam consuetudinem *corruptelam* vocavit? *Correctam* quidem eam dixit, sed illud non de licito et illicito, sed de bono et meliore intelligitur; ut haud raro lex Digesti in Codice correcta dicitur, aut canon Decretalium correctus in Sexto, nec tamen priori aut legi aut canoni corruptelæ nota inuritur. Quî vero *Suavis* adeo temerarius esse potuit, ut post multas illas rationes adductas, *abusum introductum* vocaret, quod *vulgari linguâ non celebretur?*

Instat *Suavis.*

Respondetur.

56. Huic Capiti VIII respondet Canon IX: *Siquis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis et verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut linguâ tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.* De Missâ vulgari linguâ celebrandâ hoc loco ad cap. VIII satis egimus. Quod autem ad aquam in calice miscendam spectat, Alexander I, Summus Pontifex, hanc affert hujus rei rationem: *In Sa-*

Can. IX huc etiam pertinens.

De aquâ admiscendâ.

[1] L. c. — [2] Ep. 293 ad *Sfentopulcrum* Comitem (Ap. *Migne*). — [3] Annales, a° 880, n. 16 seq. — [4] Ep. lib. VII, Ep. 11, ad *Wratislaum Bohemor.* Regem. — [5] L. c.

cramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut ejus, cujus Corpus et Sanguis conficitur, passio celebretur: ita ut, repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum et vinum aquâ permixtum in Sacrificium offerantur. Non enim debet (ut a Patribus accepimus, et ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur [1].

De submissâ voce.

57. Demum de parte Canonis, et nominatim de consecrationis verbis, submissâ voce proferendis, mentionem fecimus in Capite V, ubi dicitur, inter Ecclesiæ ritus etiam hunc esse, *ut scilicet quædam submissâ voce, alia vero elatiore in Missâ pronuntiarentur. Kemnitius* [2] ceterique adversarii contendunt, illud esse contra Christi institutionem: a Tridentino vero contrarium docemur juxta documenta, quæ ab antiquitate remanserunt. In Liturgiâ S. Joannis Chrysostomi ad quamdam Missæ partem præscribitur: *Sacerdos oret secreto* [3]; et idem dicitur in Liturgiâ S. Basilii [4]. Et quod ad Latinam Ecclesiam attinet, exstat epistola prima Innocentii I ad Episcopum Eugubinum [5], ubi aperte declarat, præcipuam Missæ partem esse secretam. Frustra autem asserit *Kemnitius* [6], illud Jesu Christi institutioni esse contrarium, quia Ipse clarâ voce pronuntiavit consecrationis verba: *Hoc est Corpus meum; hic est calix, cet.;* nam ita Eum facere oportuit, ut Apostolos ritum consecrandi doceret. Idem hodie Episcopus servat, quando sacerdotibus Ordinem confert; sed ea ratio non valet in Missis, quæ coram populo celebrantur. Fatemur quidem, in Ecclesiâ Græcâ consecrationis verba elatâ voce pronuntiari; sed quid hoc refert? Non enim dicimus, illud esse illicitum, sed affirmamus neque illicitum esse, submissâ voce ea verba proferri; unde hac in re obediendum est Ecclesiæ, prout sive Græcis sive Latinis præscripsit. Præterquam quod in Ecclesiâ Græcâ statutum est, ut in Missâ alia quædam verba suppressâ voce recitentur.

Objectio cum responsione.

De Ecclesiâ Græcâ.

Quando inceperit illa consuetudo.

Cardinalis Bona [7] putat, sæculo X invaluisse consuetudinem secreto proferendi Canonem. Alii vero dicunt, ne uno quidem antiquo testimonio probari posse, cuncta quondam elatâ voce fuisse pronuntiata. Ceterum, etiamsi usus secreto dicendi Canonem a decimo sæculo incepisset, hoc satis nobis sit oportet, ab octo sæculis universam Ecclesiam Occidentalem ita egisse, eamque doctrinam et consuetudinem a Concilio Tridentino justis de causis fuisse approbatam.

De templis et Ritibus Græcorum.

58. Adjicio hic alia ex antiquitate circa Missæ celebrationem et oblationes in ecclesiis Orientalibus. Olim Græcorum ecclesiæ tribus constabant partibus: atrio, navi et sanctuario. In præsenti vero propter eorum inopiam in usu est sola navis et sanctuarium, idque longâ et tripartitâ columellarum serie seclusum; eo solis Episcopis, sacerdotibus, diaconis aditus patet. In medio positum est altare prorsus segregatum. Ad lævam intranti objicitur mensula, quam *prothesin* sive *propositionem* vocant, ibique ad sacrificium parantur panis et vinum. Ad dextram alia reperitur mensula, ad vestes sacras ceteraque quæ in sacrificio adhibentur, reservata. Diaconus, suo indutus ornatu, panem præparat in patenâ, quæ ampla pelvis est. Panis aut rotundus est aut quadratus, aut crucis figurâ, semper tamen signum crucis in eo est impressum. Sacerdos panem cultello sæpius pertundit, diaconus autem ad singulas incisiones dicit: *Deum precemur.* Tum sacerdos, crustæ partem desecat, interim dicens: *quia vita ejus de terrâ sublata est.* Respondet diaconus: *Sacrifica Domine.* Inde sacerdos hostiam in pelvi deponit, ac denuo

[1] Alex. I, Can. « *In Sacramentorum* ». Dist. 2 de Consecr. (Decret. 1, v. med. apud *Isid. Merc.*). — [2] L. c., cap. 7. — [3] Liturgia. — [4] Liturgia. — [5] Epist. 25 (alias 1) ad *Decentium*, Ep. *Eug.*, cap. 1. — [6] L. c., cap. 8. — [7] Rer. Liturgic. lib. II, cap. 13.

insecans, ait: *Unus militum latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.* Ad quæ diaconus: *Benedic Domine;* quibus dictis, vinum et aquam in calicem infundit. Plures deinde panis particulas abscindit sacerdos; et tandem dona ac ipsum velum quo tegantur, thure adolet.

De oblationibus.

59. Nunc de oblationibus loquamur. E templo dimissis catechumenis et publicis pœnitentibus, qui fidelium Missæ interesse non poterant, clausisque deinde januis, Episcopus excipiebat oblata, choro interim Offertorium aliosque versus cantante. Initio alii alia offerebant; postea vero lege statutum est, ut in ejusmodi oblationibus non acciperentur nisi panis et vinum, quæ partim deponebantur ad sacrificium et ad usum communicantium, partim, ea nempe quæ supererant, servabantur. Ita *P. Le Brun* in libro de Liturgiis [1]. Qui usus ad sæculum IX duravit. Olim super oblata distendebatur corporale, eamque ob causam *pallium* vocabatur, unde postea nomen *pallæ* datum est linteo, quo calix hodie tegitur; italice quoque *animetta* dicimus. Carthusiani ad hoc tempus servarunt antiquum usum grandium illorum corporalium, quibus calicem tegunt.

De verbis Consecrationis.

60. Consecrationis verba secreta semper servata fuerunt. Refert præterea *P. Chardon* [2], consecrationis verba non fuisse conscripta in Liturgiis, sed a sacerdotibus vivâ voce inter se tradita; quod ab ætate Apostolorum ad quartum usque sæculum duravit, quo canon, qui cum nostro canone congruit, conscriptus reperitur. Euchologium Missæ [3] Græcorum in hoc solo a nostro Canone differt, quod oratio: *fiat Corpus et Sanguis D. N. Jesu Christi,* dicitur post verba consecrationis: *Hoc est Corpus meum;* quum in Canone nostro recitetur ante consecrationem, statim post verba: *quam oblationem, cet.* — Notetur, quod jam alibi animadvertimus, nonnullos Patres, quum dicerent, transsubstantiationem fieri oratione sacerdotis: *fiat Corpus, cet.*, ita esse locutos, quia Christi verba: *hoc est Corpus meum,* eâdem illâ oratione continerentur et unà cum eâ essent connexa, ut videre licet in omnibus Liturgiis. Item notetur, *Bessarionem* Cardinalem, quum anno 1439 Concilio Florentino interesset, declarasse [4], ipsos Græcos juxta doctrinam S. Joannis Chrysostomi, nobiscum sentire, tunc fieri panis vinique substantiæ in Jesu Christi Corpus et Sanguinem transsubstantiationem, quum proferuntur verba: *hoc est Corpus meum,* et: *hic est calix, cet.* — Coptorum ritus, quem alii quoque Orientales sequuntur, in consecratione aliquantulum a nostro differt: dicit sacerdos: *Benedixit;* respondet populus: *Amen.* — Sacerdos: *Fregit;* et populus: *Amen.* — Sacerdos: *Deditque discipulis suis, dicens: Hoc est Corpus meum, quod... frangitur et... datur in remissionem peccatorum.* Respondet populus: *Amen; nos credimus, illud ita esse* [5].

De oratione: *fiat corpus*

De ritu *Coptorum.*

61. Advertatur quoque, S. Gregorium (epist. lib. 9, ep. 12, ad Joann. Ep^m^ Syracus.) scripsisse: *Mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* Quibus verbis deceptus Strabus [6] asseruit, Apostolos ce-

De oratione *Dominicâ.*

[1] Explication des cérémonies de la Messe, part. 3, art. 3. — [2] Lib. III, cap. 5 (*Gall., liv. I, sect. 3, ch. 3*). — [3] Rituale Græcor. Divina Missa, post Consecrat. — [4] Labbe, sess. 25; ap. *Mabillon,* Mus. Ital., t. I, pars 2, pag. 243. — [5] Cfr. *Euseb. Renaudot.* Liturgiarum *Orientalium* collectio; *Parisiis,* 1716, tom. I, pag. 14-15 et 232-233. — [6] *Walafridus Strabus, Fuldensis.* Vide: De Ecclesiasticar. Rer. Exordiis et Incrementis, cap. 22 (*Migne,* Patr. Lat., t. 114, col. 944) (*a*).

(*a*) Hæc difficultas unà cum responsione desumpta est ex *Chardon* (*Della Eucaristia, lib. III, cap. 5. — Brescia, 1758, pag. 265. — Gall., l. I, sect. 3, chap. 3*). Qui tamen mentem *Strabi* non attigisse videtur. Prorsus evanescit difficultas, si integer locus recte intelligitur. Ait enim (cap. 22): *Relatio majorum est, ita primis temporibus missas fieri solitas, sicut modo in Parasceve Paschæ (in quo die apud Romanos missæ non aguntur) communicationem facere solemus, id est, præmissa Oratione Dominica.* Quibus non asserit, omissa fuisse verba Consecrationis, sed præmissa Orationis Dominicæ verba (Nota edit.).

lebravisse, ut fit in Parasceve, non prolatis Christi verbis: *Hoc est Corpus meum.* — At non dixit S. Gregorius, solâ Dominicâ Oratione consecrasse Apostolos, sed *ad ipsam solummodo Orationem*, i. e. quo tempore recitabatur *Oratio Dominica*, non exclusis verbis, a Christo prolatis. Scribunt Chrysostomus[1] ejusque successor Proclus[2], Apostolos in Missæ celebratione ad *Orationem Dominicam* alios hymnos aliasque preces adjunxisse.

DISPUTATIO XI.

SESSIO XXIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

De erroribus hæreticorum.

1. Recentes hæretici omni studio huc incubuerunt, ut Ordinis sacramentum de Sacramentorum numero tollerent: quapropter voluit Concilium, ut hæc materia pluribus sessionibus, summâ curâ accuratissimaque diligentiâ a minoribus majoribusque theologis examinaretur. Ac primum quidem designati sunt septem articuli, quibus adversariorum de Ordinis sacramento errores continentur.

Recensentur errores.

2. Art. I. Ordinem non esse Sacramentum, sed solummodo ritum quemdam ad eligendos Verbi divini et Sacramentorum ministros. Art. II. Ordinem esse figmentum humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis. Art. III. Ordinem non esse unum solum Sacramentum, neque Ordines inferiores ad Presbyteratum velut gradus quosdam tendere. Art. IV. Nullam esse Hierarchiam ecclesiasticam; sed omnes Christianos esse sacerdotes, ad quorum electionem requiritur, ut magistratus advocet et populus assentiatur; et qui semel sacerdos fuerit, denuo laicum fieri posse. Art. V. In novo Testamento non esse sacerdotium visibile, nec potestatem consecrandi et offerendi Jesu Christi corpus, neque absolvendi a peccatis, sed solum officium prædicandi Evangelium; et qui non prædicent, sacerdotes esse desinere. Art. VI. Unctionem omnesque reliquas cæremonias non requiri ad conferendos Ordines, immo inutiles esse et perniciosas; neque Spiritum-Sanctum per Ordinationem dari. Art. VII. Episcopos non esse presbyteris superiores, nec potestatem ordinandi habere; vel si eam habent, ipsam esse cum presbyteris communem; Ordines vero ab ipsis collatos, sine populi consensu, esse irritos.

Quid disseruerit *Salmeron*. 1. Sacrificium et Sacerdotium.

3. Itaque in primâ congregatione habitâ disseruit *Salmeron*, ac *primum* dixit, sacrificium et sacerdotium non solum inter se connecti, sed non posse separari, atque ideo doctrinæ de sacrificio doctrinam de sacerdotio necessario succedere.

2. Ordo.

Deinde dixit, juxta S. Augustinum[3] distingui ordinem, quo res disponuntur, et ordinem Ecclesiasticum, quo discernitur Diaconatus a Presbyteratu et a Presbyteratu Episcopatus. Adhiberi quoque vocem *ordinis* ad designandam sacram cæ-

[1] In Ep. 1 ad *Cor.*, homil. 27, n. 5. — [2] Tract. de Traditione Divinæ Missæ. — [3] De Civ. Dei, lib. XIX, cap. 13.

remoniam (ut scripsit Magister Sententiarum [1]) per quam in ipsâ Ecclesiâ confertur potestas. Ordinem autem secundum hanc postremam significationem esse verum Sacramentum; quod probavit textibus S. Pauli: *Noli negligere* [2], *cet.*; *Resuscites* [3], *cet.*, et ex Concilio Florentino [4] et Carthaginiensi IV [5]. *Tertio* dixit, illud Sacramentum, juxta doctrinam SS. Patrum et ipsius Concilii (in anteactâ XXII sessione) a Christo esse institutum his verbis a S. Lucâ relatis: *Hoc facite in meam commemorationem* [6]; et his aliis: *Accipite Spiritum-Sanctum: quorum remiseritis peccata, cet.* [7]; quum Dominus, insufflando Spiritum-Sanctum *(insufflavit)* discipulis suis potestatem dedit in corpus mysticum, i. e. remittendi peccata. *Quarto* dixit, Christum, quum foras eduxisset Apostolos iisque benediceret (ut legitur in cap. ultimo S. Lucæ [8]), eos constituisse Episcopos, ut docent S. Augustinus [9] et S. Clemens Romanus in libro VIII Constitutionum Apostolicarum [10]; id autem valde consentaneum fuisse, quia quum eos mitteret ad prædicandum et ad Ecclesiam constituendam, necessaria esset potestas novos creandi sacerdotes et Episcopos. *Quinto* addidit, Diaconatum vere esse Sacramentum, secundum ea, quæ in Actibus narrantur: *Orantes imposuerunt eis manus* [11]; quâ impositione, virtute Sacramenti, iis data est Spiritûs-Sancti gratia; unde postea diceretur de S. Stephano, qui tunc Diaconatûs ordinem suscepisset: Erat *plenus Spiritu-Sancto* [12], et *prædicabat* [13]. Neque verum esse, ordinatos fuisse diaconos, ut ministrarent mensis terrenis, sed sacris mensis Sacramenti Altaris; tunc videlicet eos accepisse facultatem dispensandæ Eucharistiæ, ut declararunt Clemens [14], Evaristus [15], Ignatius Martyr [16], Cyprianus [17], Hieronymus [18], Synodus Neocæsariensis [19] et Beda [20]. Et, quamquam nonnulli canones Sexti Concilii [21] referant eorum institutionem ad ministerium viduarum mensis præstandum, eos canones non esse receptos ab Ecclesiâ; quamvis recte explicari posset, diaconis utrumque tunc officium fuisse impositum, ministrandi mensis et terrenis et spiritualibus.

3. Sacramentum a Christo institutum.

4. Episcopatus.

5. Diaconatus.

4. Idem valere de S. Paulo et de S. Barnabâ, quum iis diceretur: *Ite et prædicate:* peractâ nempe manuum impositione, jussos fuisse ad prædicandum exire [22]; quod profecto intelligi non posset de Sacerdotio, quod jam recepissent; illud igitur de Episcopatu intelligi. Postea vero narrari, per civitates fuisse a Paulo et Barnabâ constitutos presbyteros [23], quod proprium est Episcoporum. *Postremo* dixit, in Ordinis collatione imprimi characterem spiritualem; unde conclusit, Ordinem non esse meram electionem ad prædicandum Dei Verbum, sed vere Sacramentum cum Charactere, ex divinâ potestate Ecclesiæ concessâ. Præterea impugnavit eos, qui dicerent, a laicorum magistratu constitui posse presbyteros et diaconos, quum supernaturalis sit eorum potestas pascendi oves, ut Petro, tamquam primo pastori, dictum fuisset, eamque ob causam illud populo interdictum esse in Concilio œcum. VIII [24], Lateranensi [25] et Florentino [26]. — Quodsi nonnumquam populus eos elegisset, illud factum esse ex concessione Apostolicâ; jus vero eos confirmandi et conferendi potestatem spiritualem penes solam Ecclesiam fuisse.

6. Ite et praedicate.

7. Character.

8. Clericorum electio.

[1] *P. Lombardus*, Sent. lib. IV, dist. 24, n. 10. — [2] 1 *Tim.*, IV, 14. — [3] 2 *Tim.*, I, 6. — [4] Decret. pro Unione *Armen.* — [5] a° 398, Can. 2 et 3. — [6] *Luc.*, XXII, 19. — [7] *Joan.*, XX, 22 et 23. — [8] *Luc.*, XXIV, 50. — [9] Quæst. ex Novo Testam., qu. 97 (*Migne*, tom. XXXV, col. 2296; inter opera, S. Augustino olim falso adscripta). — [10] Ita apud *Pallavic., lib. XVIII, cap. 12, n. 3.* — [11] Act., VI, 6. — [12] Act., VII, 55. — [13] VI, 8 seq. — [14] Const. Apost., lib. VIII, cap. 28 (inter dub.). — [15] Decret. 1, de Ordinatione Diaconor. (ap. *Isid. Merc.*). — [16] Ep. ad *Trallianos*, n. 2. — [17] Ep. 12, ad Clerum, n. 2. — De Lapsis, n. 25. — [18] Dial. contra *Luciferianos*, n. 9; Ep. 147 ad *Sabinianum*, n. 6. — [19] a° 314, Can. 10. — [20] Exposit. super Acta Apost., cap. 6; Liber Retractat. in Act. Apost., cap 6. — [21] Syn. VI (Quinisextum), a° 692, Can. 16. — [22] Act., XIII, 2 et 3. — [23] XIV, 22. — [24] i. e., *Constantin. IV*, a° 870, actio 10, regula 12. — [25] Lat. IV, a° 1215, cap. 25. — [26] Apud *Pallavic.*, l. c., n. 4.

Quid disseruerit *Sotus*.

5. In secundo congressu argumentatus est Petrus *Sotus*, Dominicanus, qui dixit contra quartum Articulum, esse in Ecclesiâ Hierarchiam, idest, Episcoporum supra presbyteros in gubernando præstantiam, juxta illud S. Pauli: *Posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*[1]. Adduxit quoque verba Apostoli: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis, cet.*[2]; in Ecclesiâ igitur esse superiores, quibus debeatur obedientia. Neque obstare illud S. Petri: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, cet.*[3]; ibi enim sermonem esse de sacerdotio mystico ac spiritali, non de proprio et corporali. Tum de quinto Articulo disserens, probavit, in Ecclesiâ verum esse sacerdotium. Inde contra *Salmeronem* asseruit, olim ministrorum electionem populo revera fuisse concessam, quod his verbis probavit: *Tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesiâ eligere viros ex eis et mittere Antiochiam, cet.*[4]; eamque dixit veram fuisse Apostolicam traditionem. Quibus tamen dictis sese opposuit Melchior Cornelius, a Lusitaniæ rege missus, et asseveravit, non adfuisse populum nisi ad debitam testificationem proferendam, minime vero elegisse.

1. Hierarchia.

2. Sacerdotium.

3. Quid de electione disputaverit.

6. In proximâ congregatione idem Cornelius verba faciens dixit, de sacerdotum unctione, quam hæretici contemptui habent, mentionem fieri a Fabiano Pontifice, S. Dionysio et Innocentio III[5]. Demonstravit, Episcopum presbytero esse superiorem, neque obstare S. Hieronymi[6] dictum, quo pares eos judicare videtur; ostendit enim, S. Doctorem pluribus aliis locis de Episcoporum præstantiâ loqui; iis vero verbis, quæ opponuntur, loqui voluisse de eâ solâ potestate, quam Episcopi communem habeant cum sacerdotibus.

Quid disseruerit *Cornelius*.

1. Sacerdotum unctio.

2. Episcopi præstantia.

Denique, quum septem illi Novatorum articuli in his aliisque congressibus rite discussi essent, Concilium quatuor capita et octo canones de Ordinis sacramento condidit.

Concilium condidit IV Capita et VIII Canon.

CAPUT I.

DE NOVÆ LEGIS SACERDOTII INSTITUTIONE.

Cap. I. Christus in Ecclesia instituit Sacerdotium.

7. Hoc I Capite hæc dicuntur: *Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni Lege exstiterit. Quum igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in eâ novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem tradidit consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi, sacræ Litteræ ostendunt et catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.*

8. Ad hoc Caput I refertur Can. I: *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium*

Can. I.

[1] Act., XX, 28. — [2] *Hebr.*, XIII, 17. — [3] 1 *Petr.*, II, 9. — [4] Act. XV, 22. — [5] Cap. « *Cum venisset* » 1 de Sacra Unct. (Decretal., I, 15) (Reg., lib. VII, ep. 3, Episcopo *Trinovitano*). — [6] Comment. in Ep. ad *Titum*, I, 5.

prædicandi Evangelium; vel eos qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit.

Can. VIII. **9.** Ad hoc Caput etiam pertinet Can. VIII: *Siquis dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.*

Explicatur Concilii doctrina. **10.** Itaque, sacramenti Ordinis auctor fuit Jesus Christus; ejusque exercendi potestatem Apostolis eorumque successoribus concessit; potestatem quidem consecrandi offerendique Altaris sacramentum, quum diceret: *Hoc facite in meam commemorationem* [1]; a peccatis autem absolvendi his aliis verbis: *Accipite Spiritum-Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* [2].

CAPUT II.

DE SEPTEM ORDINIBUS.

Cap. II. De variis ministrorum ordinibus. **11.** Capite II° dicitur: *Quum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent; ita distributi, ut qui jam clericali tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt; et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu; nam subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.*

Can. II. **12.** Ad hoc Caput II refertur Canon II, ubi dicitur: *Siquis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, anathema sit.*

Definitio Ordinis. **13.** Ecclesiastici Ordines majores et minores omnes referuntur ad conficiendam, administrandam et colendam SS. Eucharistiam, et ad eum finem, ut docet S. Thomas [3], omnes sunt instituti; unde definitur Ordo: *Ritus sacer, quo spiritualis potestas confertur ad ea, quæ ad Eucharistiæ confectionem et dispensationem pertinent.*

Objicitur. Asserit Petrus *Suavis* [4], mirum fuisse multis, statuisse Concilium, inferiores ordines non esse nisi gradus ad superiores, et omnes esse gradus ad sacerdotium, quum tamen antiquitus multi clerici in illis Ordinibus persistentes, ad sacerdotium numquam progressi sint.

Respondetur. Respondetur, non dixisse Concilium, ordines inferiores esse meros gradus ad sacerdotium, sed in Ecclesiâ esse Ordines majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, ad sacerdotium transeatur. Ex quibus verbis nequaquam efficitur, fieri non posse, ut plures in inferioribus gradibus remaneant.

[1] *Luc.*, XXII, 19. — [2] *Joan.*, XX, 22 et 23. — [3] Suppl., qu. 37, art. 2. — [4] *Lib. VIII*, « *Non fu veduto* ».

CAPUT III.

ORDINEM VERE ESSE SACRAMENTUM.

Cap. III. Ordinem esse Sacramentum.

14. Capite III° dicitur, Ordinem vere esse Sacramentum, idque constare ex Scripturâ, Traditione et communi SS. Patrum consensu. Dicitur præterea, per sacram Ordinationem, ut apparet ex verbis et signis externis, gratiam ordinatis conferri; eamque ob causam dubitari non posse, quin Ordo unum sit ex septem Sacramentis, ut affirmat Apostolus, ad Timotheum scribens: *Admoneo te, cet.* — *Quum Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit,* inquit Concilium, *per sacram Ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis; inquit enim Apostolus:* ADMONEO TE, UT RESUSCITES GRATIAM DEI, QUÆ EST IN TE PER IMPOSITIONEM MANUUM MEARUM: NON ENIM DEDIT NOBIS DEUS SPIRITUM TIMORIS, SED VIRTUTIS ET DILECTIONIS ET SOBRIETATIS [1].

Can. III.

15. Huic Capiti III° respondent Canones III et V. Canone III° dicitur: *Siquis dixerit, Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum, anathema sit.*

Can. V.

16. Canone V°: *Siquis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias Ordinis cæremonias, anathema sit.*

Explicatur Concilii doctrina.

17. Ordinem vere esse Sacramentum, in dubium vocari nequit, quum nihil desit eorum, quæ ad Sacramentum requiruntur. Adest 1^um^ signum sensibile, manuum scilicet impositio (atque etiam instrumentorum traditio, quam alii requirunt), unà cum formâ, quæ est oratio ab Episcopo recitata, ut legitur in Actibus, ubi sermo est de diaconorum ordinatione: *Orantes imposuerunt eis manus* [2]; quod idem dicitur de Ordinatione Pauli et Barnabæ [3]. Adest 2° gratiæ promissio, quod nobis testantur Apostolus, ad Timotheum hæc scribens: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* [4]; et S. Joannes, referens verba Domini: *Accipite Spiritum-Sanctum: quorum remiseritis peccata, cet.* [5] Adest 3° institutio divina, ut in Actibus legitur: *Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus, dixit illis Spiritus-Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes imponentesque eis manus, dimiserunt illos* [6].

De Ordinis Materia.

18. Quod ad hujus Sacramenti materiam spectat, Græcis semper fuit sola manuum impositio; quod ad Latinos pertinet, plures sunt sententiæ: alii opinantur, eam esse in solâ instrumentorum traditione, et verba ab Episcopo huic traditioni adjecta, formam constituere; manuum autem impositionem esse materiam accidentalem. Alii dicunt, essentialem materiam esse solam impositionem unà cum Episcopi oratione, quæ formam constituat; et instrumentorum traditionem cum Episcopi orationibus ibi adnexis, esse materiam et formam adventitias, accidentales seu integrales, quibus significantius exprimantur collatæ potestatis effectus. Tertia senten-

Tres sententiæ.

[1] 2 *Tim.*, I, 6 et 7.

[2] Act., VI, 6. — [3] Act., XIII, 3. — [4] 1 *Tim.*, IV, 14. — [5] *Joan.*, XX, 22 et 23. — [6] Act., XIII, 2 et 3.

tia eorum est, qui ad materiam utrumque requirunt, et impositionem manuum et instrumentorum traditionem, tamquam partes Sacramento æque essentiales, et adjunctas orationes ut formam: quæ quidem sententia in praxi est sequenda. Ceterum, sententia probabilior nobis est secunda, unicam essentialem materiam esse manuum impositionem, ut probatur ex Scripturæ testimoniis, suprà relatis: *Tunc jejunantes et orantes imponentesque eis* (Paulo et Barnabæ) *manus, dimiserunt illos* [1]. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii* [2]. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* [3]. *Homo imponit manum*, inquit S. Ambrosius, *Deus largitur gratiam* [4]. Multas hac de re SS. Patrum sententias collegit Tournely [5], et affirmat, ante sæculum X in Latinâ quoque Ecclesiâ non fuisse adhibitam nisi solam impositionem. Eamdem opinionem sequitur Bellarminus [6]; et Maldonatus [7] etiam eo progreditur, ut hanc sententiam ad fidem pertinere dicat. Errant porro, inquit Estius [8], qui existimant, per ipsam instrumentorum porrectionem intelligi eam impositionem manuum. Itaque, nostrâ quidem sententiâ, sola impositio est Ordinis materia, forma autem Episcopi oratio, in quâ Spiritus-Sanctus invocatur. Ergo, inquiunt adversarii, ea Episcopi verba, quibus traditur potestas sacrificandi: *Accipe potestatem offerre sacrificium, cet.;* et absolvendi a peccatis: *Accipe Spiritum-Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis, cet.*, non sunt forma Sacramenti? — Minime vero, respondemus; non sunt forma, sed declarationes Episcopi, duas illas potestates fuisse collatas in impositione manuum et adnexâ ibi oratione.

Secunda probabilior.

19. Ceterum, utcumque res se habet, sequenda est tertia sententia, in ordinandis sacerdotibus et diaconis necessariam esse et impositionem manuum et instrumentorum traditionem; cui ceteroquin favet Decretum Eugenii IV: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo* [9]. Ecclesia Latina a septingentis saltem annis instrumentorum traditionem adhibet, ut constat ex Ordine Romano et ceteris Ritualibus. *Si... conjecturis locus est*, ita Morinus, *anni sunt septingenti vel circiter, quum initium huic additamento factum est* [10]. Et *Martene: Eam (instrumentorum traditionem)*, inquit, *præscriptam reperimus in Pontificali Radbodi Noviomensis Episcopi, cujus character... accedit ad annos 800* [11]. Ex quibus tamen magis etiam probatur, essentialem non esse instrumentorum traditionem, quum tot antecedentium sæculorum spatio nulla ejus mentio reperiatur, nec memoriæ proditum sit, cujusquam ordinationem propter omissam traditionem irritam fuisse declaratam. Eidem sententiæ certo adhærere videtur Tridentinum; siquidem, sess. XIV, Cap. III exponens, qui sint extremæ Unctionis ministri: *Sacerdotes*, inquit, *ab ipsis* (Episcopis) *rite ordinati per impositionem manuum presbyterii* [12]; quæ est secunda manuum impositio, facta ab Episcopo in Missâ Ordinationis, quando cum tribus

In praxi tertia sequenda.

Confirmatur veritas secundæ sententiæ.

[1] v. 3. — [2] 1 *Tim.*, IV, 14. — [3] 2 *Tim.*, I, 6. — [4] De Dignitate Sacerdotali, cap. 5 (inter dub. Nota edit.). — [5] Comp. theol. De Sacr. Ordin., qu. 3, concl. 1. — [6] Confer: De Sacram. Ord., cap. 9 (*a*). — [7] De Ordine, quæst. 3, prop. 1 (*b*). — [8] In Sent. lib. IV, dist. 24, § 24 (*c*). — [9] Conc. *Flor.* Decret. pro Unione *Armenior.* — [10] De sacris Ordinationib., pars 3ª, exercit. 7, cap. 1, n. 16. — [11] De Antiq. Eccl.ae Rit, lib. I, cap. 8, art. 9, n. 17. — [12] De Extr. Unct.

(*a*) Vide *S. Alph.*, Theol. Mor., lib. VI, n. 749, ubi *Bellarminus* recte citatur inter eos, qui duplicem materiam essentialem statuunt (Nota edit.).

(*b*) *Maldonatus*, licet (prop. 1) revera dicat: *Impositio manuum... est habenda... tamquam pars essentialis sacramenti, idque videtur tenendum fide catholica;* adjungit tamen (prop. 4): *Proxime ad fidem accedit, traditionem calicis et hostiæ esse materiam necessariam* (Nota edit.).

(*c*) Conf. *S. Alph.*, Theol. Mor., l. c., ubi vera *Estii* sententia designatur (Nota edit.).

aliis sacerdotibus manus super presbyterandos extendit.

Sitne Subdiaconatus Sacramentum.

20. In Actibus eodem modo diaconos ab Apostolis ordinatos esse legimus: *Et orantes imposuerunt eis manus* [1]. Quare dicimus, subdiaconatum non esse Sacramentum, quia in subdiaconorum ordinatione nulla fit manuum impositio; quod in Concilio Beneventano Urbanus II his verbis satis declarasse videtur: *Super his (diaconis et presbyteris) solum præceptum habemus Apostoli* [2]. Quocirca refert *Jueninus* [3], in Ecclesiâ Latinâ subdiaconatum per duodecim sæcula non fuisse annumeratum inter Ordines majores, quemadmodum nec hodie a Græcis inter eos numeratur.

Objectio cum responsione.

21. Opponit *Kemnitius* [4], Apostolos ordinandis imposuisse manus, non ut Sacramentum conferrent, sed ad significandum, se Deo eos commendare. At Bellarminus respondet [5], in Actibus Apostolorum cap. VI aperte distingui orationem ab impositione manuum; quod etiam manifestius apparet ex iis, quæ Apostolus ad Timotheum scribit (I Tim., V, 22): *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Dici nequit *communicare peccatis alienis,* qui orat pro altero, etiam indignissimo, sed is tantum, qui indigno Ordinem confert. Dicit præterea *Kemnitius* [6], in sacrâ Scripturâ ordinatis promitti quidem gratiam, sed non gratiam justificantem, quæ tamen ad omne Sacramentum necessaria est. Iterum respondet Bellarminus [7], Jesum Christum, quum Apostolis tribueret potestatem remittendi peccata, quæ est pars sacerdotii, iis dixisse: *Accipite Spiritum-Sanctum.* Certum est autem, in Scripturis non vocari absolute Spiritum-Sanctum illud donum, quod cum gratiâ justificante non est conjunctum, sed simul esse potest cum peccato.

Alia objectio cum responsione.

Sitne Episcopatus Sacramentum.

22. Episcopatum vere esse Sacramentum, cum Bellarmino [8] et Juenino [9] affirmare nihil dubitamus contra eos, qui opinantur, nihil aliud esse Episcopatum nisi extensionem sacerdotii. In Episcopatu enim habentur et divina institutio, ex his verbis: *Posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* [10]; et ritus externus, ex iis, quæ scribit Apostolus ad Timotheum, ab ipso ordinatum Episcopum: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* [11]; et promissio gratiæ ex iisdem verbis.

CAPUT IV.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA ET DE ORDINATIONE.

Caput IV. De Charactere.

23. Hoc Capite IV° dicit Concilium: *Quoniam vero in Sacramento Ordinis, sicut et in Baptismo et Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere; et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes christianos promiscue novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere, per-*

De Hierarchia.

[1] Act., VI, 6. — [2] Conc. *Beneventan.*, a° 1091, cap. 1. — [3] Instit. theol. De Ordine, qu. 1, concl. 3. Resp. ad obj. — [4] Examen Conc. *Trid.*, pars 2, de Sacr. Ord., cap. 3. — [5] De Sacram. Ordinis, cap. 2. — [6] L. c. — [7] L. c. — [8] L. c., cap. 5. — [9] L. c., concl. 6. — [10] Act., XX, 28. — [11] 2 *Tim.*, I, 6.

inde ac si, contra Beati Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter ceteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu-Sancto regere Ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.

De magistratûs auctoritate.

Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum et ceterorum Ordinum, nec populi nec cujusvis sæcularis potestatis et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem, ita requiri, ut sine eâ irrita sit ordinatio; quin potius decernit, eos qui tantummodo a populo aut sæculari potestate ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propriâ temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse.

Can. IV. **24.** Huic Capiti IV respondent Canones IV, VI, VII. Can. IV° dicitur: *Siquis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum-Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere:* ACCIPE SPIRITUM-SANCTUM; *aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.*

Can. VI. **25.** Can. VI° dicitur: *Siquis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit.*

Can. VII. **26.** Can. VII° dicitur: *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione, irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit.*

Quid *Suavis* de voce *Hierarchiae.*

27. Petro *Suavi* [1] non placuit vox *Hierarchiæ*, quâ Synodus complexa est omnes ordines et gradus ecclesiasticos. « Hierarchiæ vox, inquit, est significatio aliena, ne dicam contraria divinis Scripturis et veteris Ecclesiæ consuetudini; vox, ab eo inventa (dicere voluit: a S. Dionysio Areopagitâ), de quo, etsi alicujus antiquitatis, quisnam sit et quando exstiterit, non constat; qui alioqui scriptor est hyperbolicus, et quem in usu illius vocis aliarumque, quas ipse excogitavit, nemo ex antiquis imitatus est: atvero, si sequendus erat modus loquendi Christi Domini, sanctorumque Apostolorum et primævæ Ecclesiæ, statuenda fuisset non Hierarchia, sed *Hierodiaconia* vel *Hierodulia* ». Et subjungit: « Petrus Paulus Vergerius in Valle Tellina, suarum concionum argumentum desumpsit ab his aliisque adversus Concilii doctrinam objectionibus ».

Respondetur.

28. Adducit *Suavis* Vergerium hæreticum, virum litteris quidem vix imbutum, sed audaciæ plenum, ut apparet ex ejus libris, qui nemini nauseam non movent. Ceterum, vocabulum *Hierarchiæ* revera adhibuit S. Dionysius, immo etiam ut titulum præfixit uni ex præcipuis suis operibus; quod quidem opus a doctis communiter est laudatum. Dubitarunt nonnulli, num S. Dionysius Areopagita illius operis auctor fuerit; sed exstant multa neque ea spernenda argumenta, ex SS. Patribus et etiam ex Conciliis desumpta, quæ illud ab eo conscriptum declarant. S. Gregorius in homiliâ trigesimâ quartâ *antiquum ac venerabilem Patrem* [2] eum appellat et adducit hunc ejus librum; idem fecerunt S. Martinus Papa in Concilio Romano [3], S. Agatho Papa in Epistolâ ad Constantinum IV Imperatorem [4],

[1] *Lib. VIII*, « *In Germania* ». — [2] In Evang., homil. 34, n. 12. — [3] Conc. *Lateran.*, a° 649, Actio 5. — [4] Epist. 1, ad Augustos Imperatores.

Nicolaus I in quâdam epistolâ ad Michaelem Imperatorem [1], sextum Concilium œcumenicum in Actione quartâ [2], et septimum in Actione sextâ [3]. Præterea S. Maximus monachus [4] et S. Thomas [5] hunc S. Dionysii librum interpretati sunt. Sed etiamsi hic liber revera non esset S. Dionysii, satis erat veneratio, per tot sæcula ab Ecclesiâ ei habita, ut Concilium non dubitaret inde vocem aliquam desumere, suo proposito adeo propriam et accommodatam. S. Maximus [6] nongentis annis ante Concilium in suis in S. Dionysium Commentariis datâ operâ de eo vocabulo disseruit; S. Bonaventura [7] trecentis ante Concilium annis sub hoc ipso *hierarchiæ* titulo tractatum conscripsit, et Joannes Scotus ab illâ voce deduxit Ordinis definitionem, quum diceret, *esse facultatem specialem ad exsequendum aliquem actum spiritualem in ecclesiastica Hierarchia* [8].

Suavis inepte proponit vocem *hierodiaconiae.*

29. Volebat *Suavis* [9], ut vox *hierodiaconiæ*, quæ significat cœtum diaconorum Ecclesiæ, universo ecclesiasticorum ordini daretur, utpote magis conveniens modo loquendi et humilitati Christi et Ecclesiæ. Sed novimus, in Scripturis Ordinem diaconorum infimum tenere locum post sacerdotes et Episcopos: quomodo ergo Concilium, ad describendum totum Ordinem ecclesiasticum, compositum ex Episcopis, sacerdotibus et diaconis, adhibere poterat vocem *hierodiaconiæ*, quin infimum ordinem cum duobus superioribus confunderet? Immerito autem *Suavis* impugnat Concilium, quod adhibuerit vocem *hierarchiæ* (quæ *principatum* significat), ac si appellatio hæc aliena esset a Christi et Scripturæ sermonibus; condemnans illud principatûs nomen, simul damnare debebat tot SS. Patres, S. Cyrillum Alexandrinum [10], S. Hieronymum [11], S. Hilarium [12], S. Augustinum [13], S. Gregorium [14], Bedam [15] et alios, qui Pontifices et Episcopos vocant Ecclesiæ principes. Reponit Suavis [16], non debuisse Concilium adhibere vocabulum, ad id usque temporis a ceteris Conciliis non usitatum. At, missis aliis responsis, scire debuisset, in octavo Concilio, duobus locis (in sextâ et decimâ actione) hanc vocem reperiri: in actione sextâ Nectarius, Ambrosius et Nycephorus *memorabiles Hierarchæ* vocantur; et in actione decimâ, Can. 11, nomen Hierarchicum, quod Angelis datur, ad Ecclesiæ quoque Episcopos transfertur.

Non omnes Christiani sunt Sacerdotes.

30. Sed, relictis *Suavianis* ineptiis, videamus, quid opponant hæretici ad ea, quæ hoc quarto capite Concilium docuit. Primum ajunt, ut suprà jam innuimus, omnes Christianos esse sacerdotes, juxta hæc S. Petri: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, cet.* [17] At respondetur, laicos hic improprie sacerdotes vocari, quia improprie sacrificare dicuntur, quum Deo laudes suas, precationes aliaque bona opera offerunt. En quam dilucide S. Augustinus illud exponat: *(soli Episcopi et presbyteri) proprie jam vocantur in Ecclesia sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis. De quibus Apostolus Petrus:* PLEBS, *inquit,* SANCTA, REGALE SACERDOTIUM [18]. Idem probatur ex iis, quæ solis Apostolis Dominus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* [19]; ergo non omnes sunt sacerdotes. Præterea constat, S. Paulum et S. Barnabam, quum Antiochiæ ab Apostolis ad Episcopatum essent evecti, multos ordinasse sacerdotes: *Et quum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationi-*

[1] Ep. 86, ad *Mich* Imper. — [2] *Constantinop. III*, a° 680-681, Actio 4. — [3] *Nicæn. II*, a° 787, Actio 6 (Tom. 3). — [4] Scholia in *Dionysium.* — [5] Passim. — [6] Schol. in cap. 1. De Cæl. Hierarch. — [7] De Ecclesiastica Hierarchia. — [8] In Sent. lib. IV, dist 24, quæst. unic., n. 2. — [9] L. c. — [10] In *Joann.* Evang., lib. XII, in cap. XXI, 15-17. — [11] Breviarium in Psalterium, Ps. 67, v. 28 (in Append.). — [12] In *Matth.*, cap. 27, n. 1. — [13] Epist. 43, ad *Glorium, Eleusium*, cet., n. 7. — [14] Epistolar. lib. V, ep. 20, ad *Mauricium* Augustum. — [15] Homiliar. lib. II, hom. 16 in Natal. *SS. Petri* et *Pauli.* — [16] L. c. — [17] 1 *Petr.*, II, 9. — [18] De Civ. Dei, lib. XX, cap. 10. — [19] *Luc.*, XXII, 19.

bus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt [1]. Ergo, non omnes credentes sunt sacerdotes.

Episcopi et Sacerdotes non sunt æquales.

31. Deinde asserunt hæretici, Episcopos et sacerdotes esse omnino æquales. Sed falluntur; nam Episcopi, ut Apostolorum successores, jure divino superiores sunt sacerdotibus et in potestate ordinandi et in jurisdictione, ut constat ex traditione Apostolicâ et ex S. Leone [2] et S. Gregorio [3]. *Quid... facit,* inquit S. Hieronymus, *exceptâ ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* [4] En igitur Episcopus sacerdotibus superior potestate ordinandi. Et quod ad jurisdictionem spectat, habemus illud S. Pauli ad Timotheum: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* [5]. Primus hunc errorem, Episcopis pares esse sacerdotes, disseminavit Aërius: quapropter S. Augustinus [6] eum inter hæreticos numeravit. Accedunt S. Ignatius Martyr [7], S. Cyprianus [8], S. Hieronymus [9]. Et antea item scripserat S. Clemens: *Episcopos... vicem Apostolorum gerere;... discipulorum... presbyteros* [10]. *Episcopum et presbyterum æqualem esse,* inquit S. Epiphanius, *quomodo erit possibile?* [11] Et S. Ambrosius: *Post Episcopum... diaconatûs ordinationem subjecit* (Apostolus); *quare? nisi quia Episcopi et presbyteri una ordinatio est;... sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter Episcopus* [12]. In Concilio Tridentino, ut suprà (Can. VII) notavimus, anathemate condemnatur, qui diceret, *Episcopos non esse presbyteris superiores;... vel eam (potestatem) quam habent, illis esse cum presbyteris communem.* Et in eodem Capite IV, illud *de jure divino* esse, clare definitum videtur.

Objectio cum responsione.

32. Objicitur 1ᵘᵐ, in Scripturis promiscuos haberi Episcopos et presbyteros, quod sane eos æquales esse declarat. — Non negamus, in sacrificio Eucharistico offerendo aliisque nonnullis ministeriis nihil ab Episcopis differre presbyteros; eamque ob causam quoad ea in Scripturis eos Episcopis permisceri; minime vero quoad potestatem Ordinis vel jurisdictionem. — Objicitur 2°, S. Hieronymum expressis verbis asserere, sacerdotem ab Episcopo non differre: *Idem est ergo presbyter qui et Episcopus* [13]. Respondetur 1ᵘᵐ, ea verba non reperiri in S. Hieronymi operibus editis Romæ et Coloniæ (*a*), sed solum in editione Basileensi, quam sæpius corruperat Erasmus Rotterodamensis. Respondetur 2° cum Pichler [14], in primævâ Ecclesiâ Episcoporum jurisdictionem haud raro presbyteris fuisse concessam in actu secundo, i. e. in exsequendo; in actu primo tamen omnino penes Episcopos fuisse. Neque. *Lutherani* omnibus presbyteris, sive ministris, ordinandi facultatem tribuunt, sed iis tantum, quos præpositos vocant: quamquam unus ex iis, *Lomerus* [15], negat, apud eos esse sacerdotes; et merito qui-

Alia objectio cum responsione.

[1] Act., XIV, 22. — [2] Ep. 12, ad Epᵒˢ *Africanos;* ep. 14, ad *Anastas. Thessalon.* Episcopum. — [3] *S. Greg. III,* Ep. 7, ad *Bonifacium* Epᵐ — [4] Ep. 146, ad *Evangelum,* n. 1. — [5] 1 *Tim.,* V, 19. — [6] De Hæresibus, n. 53. — [7] Ep. ad *Philadelphenses,* n. 9 (inter interpolatas). — [8] Ep. 9, ad Clerum; Ep. 28, ad Presbyteros et Diaconos, cet. — [9] Comm. in Ep. ad *Titum,* I, 5. — [10] Ep. 1, ad *Jacobum* fratrem Dni. (inter dubias). — [11] Hæres. 75, n. 4. — [12] Comm. in Ep. 1, ad Timoth., III, 8-10 (Append.). — [13] Comm. in Ep. ad Tit., I, 5. — [14] Theol. polemica, de Ordine, § 1, n. 7. — [15] Apud *Pichler,* l. c., n. 8.

(*a*) Ita quidem *Pichler,* Theol. polemica; de Ordine, § 1. — Hæc verba tamen non desunt in editione *Romanâ,* anno 1571, in editione *Parisiensi,* a° 1609, neque in editione *Veronensi,* tom. 7, a° 1737, quas ipse consului; nec desiderantur apud *Migne,* Patr. Lat., tom. 26 (*Hieronymi* tom. VII, col. 562), qui de suâ editione testatur (ibid., col. 307): *Ex editis rarioribus libris Coloniensem editionem Joannis Gymnici, a° 1531, non frustra contulimus.* — Suspicor, *Pichler* legisse breviorem illum Commentarium, sæpius et variis locis editum, de quo *Marianus Victorius* (in edit. *Antverpiens.* a° 1578): *Ego quid de operis auctore statuam, certi habeo nihil: nisi quod Hieronymi illud non esse, compertissimum est.* Breviorem illum commentarium apud *Migne* reperies, tom. XXX (Hieronymi tom. XI), col. 896, inter suppositia (Nota edit.).

dem : non possunt enim asserere, se habere Episcopos legitime ordinatos.

Quid de ministro ordinis adjiciendum.

33. Quæstio est, num simplices sacerdotes ex dispensatione possint conferre Ordines minores, quo privilegio nonnulli Abbates regulares frui dicuntur. Ceterum indubium est, ut suprà (Cap. IV et Can. VII) vidimus, docere Concilium, solum Episcopum esse Ordinis ministrum; quod ex perpetuâ traditione constat; unde, non sine gravi ratione pro certo habet *Jueninus* [1], non posse simplicem sacerdotem Ordinationis ne extraordinarium quidem esse ministrum.

Objicitur 1.

34. Opponunt primum, dixisse Concilium Nicænum I et nominatim in epistolâ ad Alexandrinam Ecclesiam, iis sacerdotibus, qui Meletiano schismati non adhæsissent, concedi potestatem *ordinandi, et eos, qui digni clero fuerint, nominandi* [2].

Respondetur.

Sed *Tournely* [3] respondet iis verbis non fuisse datam potestatem ordinandi Ecclesiæ ministros, sed tantum suo suffragio approbandi confirmandique electionem, a populo factam, etiam non exspectatâ ceterorum clericorum approbatione. Et adjungit [4], aut falsum aut corruptum esse Canonem XIII Concilii Ancyrani [5], ubi dicebatur: *Non licere... nec presbyteris civitatis ordinare sine... litteris Episcopi in unaquaque parochiâ;* sed ita esse legendum: *sed nec presbyteris civitatis sine litteris Episcopi in unaquaque parochiâ aliquid agere:* quæ quidem interpretatio cum antiquâ disciplinâ congruit, ex quâ interdictum erat sacerdotibus, ne, præsente Episcopo, nisi ipse jussisset, suum etiam ministerium exercerent.

Objicitur 2.

35. Objicitur 2°: Eugenius IV in suo ad Armenios Decreto, Episcopum ait sacramenti Ordinis ordinarium esse ministrum; ergo sacerdotes possunt esse ministri extraordinarii.

Respondetur.

At respondetur, Summum Pontificem illo verbo non voluisse affirmare, posse presbyteros extraordinarios esse Ordinis ministros.

Objicitur 3.

36. Objiciunt 3°, Innocentium VIII, anno 1489 Abbati Cisterciensi concessisse facultatem, suis monachis diaconatum et subdiaconatum conferendi; quam Bullam Vasquez [6] in Complutensium (*Alcala*) suæ Societatis collegio asservatam, se legisse testatur. Sed ipsam Bullam dubiam habent Sylvius in S. Thomam [7], Navarrus [8] et alii; et *Tournely* [9], illius Bullæ non aliud existere ait exemplar, neque eam in Bullario reperiri; præterea in Abbatis supplicatione nihil aliud postulari, nisi ut sibi renovetur privilegium, monachis suis conferendi primam tonsuram et Ordines minores; unde arguitur, reliqua omnia commenticia esse; idque eo magis, quod Tridentinum [10] prohibet, ne Abbates aliis quam suis monachis primam tonsuram et Ordines minores conferant.

Respondetur.

Objicitur 4.

37. Quarto objicitur dictum illud: *Qui potest majus, potest et minus;* sacerdos autem Eucharistiam consecrare et peccata remittere potest, quod sane præstantius est quam Ordines conferre: cur ergo non possit Ordinem ministrare?

Respondetur.

Sed hic distinguendum est: qui potest majus in eodem genere sive ordine, potest utique et minus; v. g. qui a gravioribus peccatis absolvere potest, potest quoque a levioribus; idem vero dici nequit, ubi genus est diversum. Majus est profecto remittere peccata, quam mortuos ad vitam revocare; nec tamen sacerdotibus est concessum suscitare mortuos. Quin etiam in eodem genere, simplex confessarius a peccatis absolvere potest, sed non potest a peccatis reservatis.

De ministrorum vocatione.

38. Præterea in fine hujus Capitis IV dicit Concilium, ad sacros ministros ordinandos *nec populi nec cujusvis sæcularis potestatis et magistratus consensum sive vocationem sive auctoritatem ita requiri,*

[1] Instit. theol., De Ordine, qu. 4, concl. 2. — [2] Ep. ad *Ægyptios* (Apud *Gelasium.* Acta Conc. *Nic.*, lib. II, cap. 33). — [3] Prælect. theol., de Ordine, qu. 4, art. 2; solvuntur object. advers. primam conclus. — [4] Cfr. ibid., qu. 6. De Chorepiscopis, conclus. — [5] a° 314, Can. 13. — [6] In 3^m *D. Th.*, disp. 243, cap. 4, n. 39. — [7] In Suppl., qu. 38, art. 1 ad 3^m. — [8] Consilior. lib. V. De privilegiis, consil. 14. — [9] Præl. theol., de Ordine, qu. 4, art. 2, objicitur 2° advers. secundam conclusionem. — [10] Sess. 23, de Reform., cap. 10.

ut sine eâ irrita sit ordinatio; quin potius decernit, eos qui tantummodo a populo aut sæculari potestate ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propriâ temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. Certum est, sine vocatione divinâ nemini licere, Ecclesiæ ministeriis exercendis semet interponere. Quæ quidem vocatio aut ordinaria esse potest aut extraordinaria. Extraordinaria est, quæ immediate a Deo provenit, cujusmodi fuit S. Pauli vocatio. Ordinaria autem ea, quam moderantur Ecclesiæ regimini præpositi, Summus Pontifex et Episcopi. Ex quo deducitur, religionem a *Luthero* et *Calvino* traditam, certo esse falsam; quum isti promulgatores eam sine vocatione vel ordinariâ vel extraordinariâ tradiderint. Asserunt Lutherani, sacrorum ministrorum vocationem vel a populo vel a magistratu proficisci debere. Sed errant, nam eo modo vocari debent tales ministri, quo Christus suos Apostolos vocavit et ad Ecclesiam condendam misit, nihil exspectato aut populi aut magistratûs consensu. Neque usquam legitur, sacerdotem fuisse ordinatum ab eo, qui non esset Episcopus. *Presbyter*, inquit S. Clemens [1], *ab uno Episcopo ordinetur.* Et S. Ambrosius: *Neque enim fas erat*, inquit,... *ut inferior ordinaret majorem; nemo enim tribuit, quod non accepit* [2]. Quocirca Dominus, Apostolos ad fidem propagandam dimittens, et potestatem iis tribuens Episcopos et sacerdotes consecrandi: *Sicut misit me Pater*, inquit, *et Ego mitto vos* [3].

Vocatio divina esse debet.

39. Populus olim quidem in ministrorum electione aderat; sed fuit concessio mere gratuita, ut nunc etiam laicis conceditur jus nominandi seu proponendi ad nonnulla officia vel beneficia ecclesiastica; numquam vero populus ministros constituere vel Ordinem iis conferre potuit; quin etiam, ideo tantum populus adesse solebat, ut Ordinandorum integritatem testificaretur, juxta illud Apostoli: *Oportet... illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt* [4]. Et re quidem verâ, magna foret ordinis perturbatio, ab ovibus suum sibi constitui pastorem.

De antiqua Ministrorum electione.

APPENDIX.

§ I.

DE CÆLIBATU IN ECCLESIA SERVATO AB IIS QUI MAJORES ORDINES SUSCEPERUNT.

Cælibatus est perfectior Matrimonio.

40. *Lutherus* [5] et omnes Novatores Ecclesiam nostram vituperant, quod eos qui majoribus Ordinibus sint initiati, lege cælibatus adstringi voluit. Asserunt, sine miraculo fieri non posse, ut cælibatum servent ii, qui bonâ valetudine utantur; eamque ob causam matrimonium omnibus esse necessarium, et continentiæ legem, ecclesiasticis impositam, sexcentis flagitiis sceleribusque locum facere. Sed, quidquid dicunt novi isti fidei magistri, certum est, cælibatum esse statum majoris

[1] Canones Apostolor., Can. 2 (inter dub. Nota edit.). — [2] In Ep. 1, ad Tim., III, 8-10 (Append.). — [3] *Joan.*, XX, 21. — [4] 1 *Tim.*, III, 7. — [5] De abroganda Missa privata, pars 3 (*a*).

(*a*) Duos hic adjicere libet articulos, a *Joanne Cochlæo* excerptos ex libro *M. Lutheri* contra Ecclesiasticos: CIX. *Jam videtis, quod omnibus sacerdotibus impossibilis est lex maledicta de prohibito conjugio.* — CXXI. *Deus legem suam, quâ marem et feminam creavit, non ita generaliter vult relaxari, miraculisque continue suspendi* (Nota edit.).

perfectionis. Quærit *Piceninus*[1] Calvinista: *Quomodo probatur, perfectiorem esse cælibem statum?* Probatur primum ex S. Paulo, qui omnibus, castimoniâ præditis, suadet, ut cælibem statum eligant, sicut ipse eum elegisset: *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum.... Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego; quodsi non se continent, nubant*[2]. Et postea repetit: *Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem*[3]. Deinde (vers. 38) declarat, bonum esse quidem statum conjugalem, cælibatum vero meliorem: *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit.*

Probatur 1 ex S. Scriptura.

2 ex ratione.

41. Ratione quoque probatur, hunc statum maritali conjugio esse perfectiorem. Dicit idem Apostolus, eum, qui uxori devinctus est, non posse sæculi negotia non curare, vel non quærere, ut uxori placeat; inde autem ejus animum inter Deum et mundum esse divisum: eum vero, qui uxorem non habet, huc solum incumbere, ut placeat Deo; eamque ob causam non dividi ejus animum, sed totum esse Dei: *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est*[4]. Denique concludit Apostolus, nolle se cogere quemquam ad cælibem vitam, sed eam tantum suadere iis, qui Deo sine impedimento servire cupiant; quibus verbis indicavit, eos qui matrimonium contraxerunt, sexcentis rebus impediri, quominus Deo serviant, ut luberet.

Cælibatus convenit Sacerdotibus.

a In antiqua Lege.

42. Si autem cælibatus convenit iis sæcularibus, qui solius Dei esse Eique sine impedimento servire cupiant, quanto magis convenit sacerdotibus, qui conditionis suæ officio soliis Dei esse debeant et in solis divinæ gloriæ negotiis occupati! Veteris legis sacerdotes et levitæ, quo anno operam dabant templi ministerio, ab uxoribus separati vivere debebant; quod quum negligerent filii Heli, a Deo sunt puniti: quanto magis ergo convenit, ut novæ legis sacerdotes, divini Agni sacrificio addicti, procul sint a mulieribus! Volebat S. Paulus, etiam conjugatos per aliquod tempus usu matrimonii abstinere, ut orationi vacarent: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*[5]. Quanto magis ergo sacerdotem a rebus mundanis alienum esse oportet, quum ministrare debeat divinæ Majestatis altaribus, et communi proximorum bono curam impendere concionando, confessiones excipiendo et assistendo moribundis, quæ officia continuum studium exigunt et assiduam orationem, sine quâ recte peragi difficulter possunt. S. Franciscus Salesius vetulæ cujusdam hæreticæ conversionem susceperat. Quæ quum sexcentis dubiis et quæstionibus eum defatigasset, quodam die rediit, ut omnium difficultatum, quæ sibi remansissent, proponeret maximam; se videlicet intelligere non posse, cur Ecclesia ecclesiasticis interdixisset matrimonium. Cui tum Franciscus: « Sororcula, inquit, si ego matrimonio fuissem junctus, uxore filiisque distentus, num toties in auscultando tibi et in tuis dubiis solvendis potuissem immorari? Non potuissem sane ». Quibus verbis effecit, ut re perspectâ, acquiesceret. Quocirca vult Apostolus, ut Episcopi, sacerdotes et etiam diaconi continentiam servent; unde ad Timotheum scripsit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, cet.*[6]. Et de diaconis item dixit: *Diaconos similiter pudicos, cet.*[7].

b monitum S. Pauli ad conjugatos.

c Munus sacerdotale.

d Responsum S. Franc. Salesii.

Conclusio.

43. Quod ad Græcam Ecclesiam attinet, usus fuit, ut Episcopi prorsus abstinere deberent non solum a matrimonio contrahendo, sed etiam ab usu matrimonii jam contracti; sacerdotibus vero, qui ante sacros Ordines susceptos, uxorem jam duxissent, jure conjugali uti liceret, numquam vero matrimonium contrahere post susceptos Ordines. Ita quidem in Ecclesiâ

Quid apud Graecos.

[1] *Apologia, cap. 16 art. 3, n. 4.* — [2] 1 *Cor.*, VII, 7-9. — [3] v. 27. — [4] L. c, v. 32, 33.

[5] v. 5. — [6] 1 *Tim.*, III, 2. — [7] v. 8.

Quid apud Latinos.

Græcâ; in Latinâ vero ad hæc usque tempora numquam nec sacerdotibus nec diaconis, ne inito quidem matrimonio uti licitum fuit. Audiamus quæ S. Clemens canone Apostolico XXVII scripsit: *Innuptis, qui ad clerum provecti sunt,* inquit, *præcipimus, ut solis lectoribus et cantoribus liceat, si voluerint, uxores ducere* (*a*). Ergo prorsus falsum est quod Disquisitio historica. *Piceninus* [1] assèrit, S. Petrum omnesque Apostolos habuisse et secum retinuisse Apostoli. uxores; solus enim S. Petrus, ut ex socru in Evangelio nominatâ constat, uxorem habuit, quam tamen, Apostolatu suscepto, reliquit: *Petrum solum,* ita Tertullianus, *invenio maritum per socrum.... Ceteros, quum maritos non invenio, aut spadones intelligam, necesse est, aut continentes* [2]. Et S. Hieronymus Joviniano *(ex superfluo)* concedit, ceteros Apostolos, etiamsi habuissent uxores, accepto Evangelio et Apostolatu, eas reliquisse: *Petrus et ceteri Apostoli,* inquit, *ut ei* (Joviniano) *ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem uxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium nesciebant. Qui assumpti postea in Apostolatum, relinS. Hieron. quunt officium conjugale* [3]. Et hæc, inquit S. Hieronymus, perpetua fuit Latinæ Ecclesiæ praxis, ut tam Apostoli quam Episcopi, sacerdotes et diaconi aut virgines electi sint aut, electione factâ, servare debuerint continentiam: *Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes; Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur aut vidui aut certe post sacerdotium in æternum pudici* [4]. Præterea continentiam illam præscriptam quoque fuisse constat a Concilio Carthaginiensi II: *Omnibus placet, ut Episcopi, presbyteri, diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant.* Et præmittitur: *Ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus* [5]. Idem haud obscure statuitur a Concilio Nicæno I, ubi (Can. III) decernitur, ne viri ecclesiastici mulieres in domos suas admittant, *præterquam utique matrem, vel sororem vel amitam* [6]; ergo exclusæ erant uxores. Idem statuerunt Concilium Aquisgranense [7], Moguntinum [8] et Wormatiense [9]: mentiuntur igitur Centuriatores [10], quum asserunt, in Germaniâ quadringentis circiter ante annis (*b*) introductum fuisse cælibatum, idque Clero valde renitente, et multis petulantiâ elatis sacerdotibus non obtemperantibus.

Concil. Carthag.

Concil. Nicaen.

Alia Concilia.

44. Ceterum Ecclesiasticorum cælibatum confirmatum reperimus a Siricio Papa [11], ab Innocentio I [12] et a S. Leone [13]; item a Concilio Taurinensi [14], Carthagi-

Summi Pontifices.

[1] L. c., n. 1. — [2] De Monogamia, cap. 8. — [3] Adv. *Jovinianum,* lib. I, n. 26. — [4] Ep. 48, ad *Pammachium* (Apolog. pro libro contra *Jovinian.*), n. 21. — [5] *Carthag.* II, a° 390, Can. 2 — [6] *Nic.* I, a° 325, Can. 3. — [7] a° 816, cap. 6. — [8] a° 888, cap. 10. — [9] a° 868, Can. 9. — [10] Centur. XI, cap. 7, tit.: Qui se opposuerint dominatui et tyrannidi Romanorum Pontificum. — § Ecclesiastici. — [11] Ep. 1, ad *Himerium,* cap. 7; Ep. 5, ad Episcopos *Africæ,* n. 3. — [12] Ep. 2, ad *Victricium,* cap. 9; Ep. 6, ad *Exsuperium,* cap. 1. — [13] *S. Leo M.* Ep. 14, ad *Anastasium,* cap. 4; Ep. 167, ad *Rusticum,* Inquis., 3. — [14] a° 397; Can. 8.

(*a*) Apud *Labbe-Colet,* tom. I, col. 49 (Venetiis, 1728) hic Canon est XXVII (vers. Dion. Exig.); et pro: *innuptis,* ibi legitur: *In nuptiis.* Ibidem vero, col. 30 (*Gentiano Hervete* interprete) est Can. XXV, et legitur: *ex iis, qui non ductâ uxore.* Tandem in editione operum *S. Clementis* (*Coloniæ Agripp.,* 1570), cum *Theod. Balsamonis* Scholiis (pag. 179) est Can. XXVI. – Illud autem: *in nuptiis,* apud *Migne* (tom. LXVII, col. 144) legitur: *innuptis* (Nota edit.).

(*b*) Intellige: 400 circiter annis, priusquam *Magdeburgenses* historiam scriberent. Ajunt enim: *Adversus Hildebrandi decretum (quo magnâ severitate sacerdotum conjugium damnabat, per universum Christianum orbem) infremuit tota factio Clericorum.* Et infrà *(ibid.): Quod sacerdotibus connubio interdixit Hildebrandus Pontifex, plerisque episcopis... novum dogma, omnium maxime pestifera hæresis, quæ umquam Christianum perturbasset regnum, visa est.* Et *Melanchthon* in Confessione *Augustanâ,* art. 23 expressis verbis asserit (apud *Bellarm.,* de Clericis, lib. I, cap. 19), in Germaniâ ante annos 400 primum esse legem cælibatûs impositam Clericis (Nota edit.).

niensi [1], Turonensi [2], Toletano [3] aliisque multis (apud Cardinalem *Gotti* [4]), quæ continentiam præscripserunt Episcopis, sacerdotibus et diaconis; subdiaconatus enim sæculo duodecimo tantum Ordo sacer et dirimens matrimonii impedimentum declaratus fuit a Conciliis Lateranensi I (anno 1123) can. XXI et Lateranensi II (anno 1139) can. VII. Asserit *Piceninus* [5], referre Polydorum Virgilium [6], uxorum consuetudinem apud sacerdotes perseverasse usque ad Gregorii VII tempora. Sed Polydorus ibi non loquitur nisi de Synagogæ sacerdotibus (*a*); nec Gregorius hac in re novam tulit legem, sed solum antiquam observatam voluit, ut testatur Lambertus in Annalibus, ubi Gregorium commemorans: *Hildebrandus... decreverat*, inquit, *ut, secundum instituta antiquorum Canonum, presbyteri uxores non habeant* [7]. Ecclesiasticorum cælibatus antea consilium, postea vero præceptum fuit.

Quid de *Gregor. VII.*

Quid de exemplis, quæ in contrarium afferuntur.

45. Fidenter asserit *Piceninus*, multos olim Episcopos habuisse uxores easque retinuisse; sed ex iis multis non citat nisi duos tantum, Gregorium Nazianzenum et Demetrianum. Ait Piceninus, Gregorium juniorem natum esse seniore Gregorio, dum esset Episcopus. Sed Cardinalis *Gotti* [8] idoneis documentis demonstrat, fieri non potuisse, ut S. Gregorius junior nasceretur, postquam ejus pater ad Episcopatum esset evectus; Piceninus contrà non probavit, quod tamen facere debuisset, S. Gregorium seniorem in Episcopatu genuisse; quod neque etiam probavit de Demetriano. Accedit quod non sit dubium, iis temporibus, siqui Episcopi matrimonio devincti eligerentur, eos haud aliter electos fuisse nisi adjectâ conditione, ut ad Episcopatum evecti ab uxore discederent; ut affirmat S. Hieronymus adversus Vigilantium: *Orientis Ecclesiæ,... Ægypti aut Sedis Apostolicæ... aut virgines clericos accipiunt aut continentes* [9]. Fatendum quidem, cum suo dolore vidisse Ecclesiam in Angliâ, *Elisabeth* regnante, multos episcopos in ipso episcopatu uxores habere aut sibi in matrimonio conjungere; sed, ut refert Sanderus [10], nemo honestus iis temporibus filiam suam episcopo dedisset, quum ejusmodi nuptiæ concubinatus potius quam conjugia viderentur. Quin et ipsa *Elisabeth*, quamvis suorum antistitum matrimoniis faveret, aulâ suâ istiusmodi uxores recipere noluit.

Objicitur 1 *Genes.* I, 28.

46. Sed jam ad ea veniamus, quæ adversarii objiciunt. Et primum quidem opponunt illud Genesis: *Crescite et multiplicamini* [11]. Omnibus ergo præscribitur matrimonium.

Respondetur.

Respondetur, eam non legem fuisse, sed benedictionem ad propagationem generis humani et animalium, quibus item data fuit similis benedictio; si umquam hominibus præceptum fuerit, ad ea solum tempora spectavit, quibus

[1] *Carth.* II, a° 390, Can. 2; *Carth.* V, a° 398, Can. 3. — [2] *Tur.* I, a° 461, Can. 1 et 2, *Tur.* II, a° 567, Can. 12. — [3] *Tol.* I, a° 400, Can. 1; *Tol.*, III, a° 589, cap. 5. — [4] *La vera Chiesa di Cristo, tom. II, part. 1, art. 5, § 4, n. 14.* — [5] *Apologia, cap. 16, art. 3, n. 2.* — [6] De Rerum Inventoribus, lib. V, cap. 4 (Edit. *Lugdun.*, 1561). — [7] *Lamb. Hersfeldensis*, Annales, a° 1074. — [8] L. c., art. 5, § 3, n. 8. — [9] Contra *Vigilantium*, n. 2. — [10] De Origine et Progressu Schismatis *Anglicani*, lib. III. — [11] Genes., I, 28.

(*a*) Ita Card. *Gotti* (Vera Eccl., art. 5, § 4, n. 14). Sed apprime distinguendæ sunt diversæ illius lucubrationis editiones. *Index Libror. Prohibit.* (*Romæ*, ex typogr. Rev. Cam. Apost., 1667) ita statuit: « *Polyd. Virgil.*, qui ab hæreticis » auctus et depravatus est, prohibetur; expur» gatus vero et excusus *Romæ* jussu *Grego*» *rii XIII*, 1576, permittitur ». — Et re quidem verâ; in illâ editione *Romanâ*, caput 4 (lib. V) inscribitur: *De initio conjugii sacerdotalis apud Hebræos*, nec quidquam de christianis sacerdotibus habet. Atvero in editione *Lugdunensi*, anno 1561, in titulo præterea legitur: *et quando illud occidentalibus sacerdotibus interdictum fuerit.* Et in ipso capite asseritur: *Ita aliis denique super aliis promulgatis legibus, non ante pontificatum Gregorii VII, qui anno salutis 1074 est pontifex creatus, conjugium adimi occidentalibus sacerdotibus potuit* (Nota edit.).

humana generatio initium sumeret: quo initio facto, tale præceptum non singulos homines, sed universum genus humanum adstrinxit; aliter, quod tamen nemo ausus fuerit asserere, et Elias et Jeremias et Baptista et alii tam multi matrimonium abnuentes deliquissent.

Objicitur 2 Patriarcharum et veterum Sacerdotum exemplum. Respondetur.

47. Objicitur 2°. Sed Patriarchæ, viri tantæ sanctimoniæ, et veteris Legis sacerdotes omnes matrimonio jungebantur. Si valeret ejusmodi argumentum, sacerdotes nostri etiam plures uxores ducere possent, quum et Patriarchæ et antiqui sacerdotes plures uxores legitime haberent; et sic reverâ argumentabatur homo impius, Bernardinus Ochinus: sed errorem suum per Genevam civitatem disseminare molientem, ut blasphemum expulerunt Genevenses. Abraham, Isaac, Jacob ceterique Abrahæ stirpe oriundi idcirco a Deo erant electi, ut propagarent eam generationem, ex quâ Verbum divinum humanam carnem assumeret; quocirca Deus Abraham alloquens: *Benedicentur*, inquit, *in semine tuo omnes gentes* [1]. Apostoli contrà a Jesu Christo electi sunt non ad proseminandam stirpem, sed ad fidem apud omnes gentes prædicatione propagandam: *Euntes... docete omnes gentes* [2]. Quare solis Patriarchis, non vero Apostolis, opus fuit uxoribus. Quod autem ad antiquos sacerdotes attinet, ideo Deus uxores concessit Aaroni et Levitis, quia sacerdotium ad solam tribum Levi arctatum voluit; unde, ne deficeret antiquum sacerdotium, sacerdotes uxorem ducere necesse erat; sed novæ Legis sacerdotium non ad unam prosapiam aut unum solum populum constringitur, nec stirpe sed divinâ vocatione donatur.

Objicitur 3 S. Paul. 1 Tim. III. Respondetur.

48. Opponitur 3° quod ad Timotheum de Episcopis et diaconis scripsit S. Paulus: *Oportet... Episcopum... esse unius uxoris virum* [3]. *Diaconi sint unius uxoris viri* [4]. — Sed hi duo textus Episcopis vel diaconis non imponunt obligationem, unam uxorem in matrimonio habendi, sed præceptum continent, nequis eligatur Episcopus aut diaconus, qui plures habuisset uxores et bigamus foret. S. Joannes Chrysostomus ea verba sic explicat: Quum S. Paulus asserit, Episcopum esse debere unius uxoris virum, *non ut legem ponat, ita loquitur, quasi non id* (i. e. Episcopum fieri) *liceat nisi hac conditione* (i. e. ut habeat uxorem) [5]; secus tot antiqui et sancti Episcopi, perpetuo continentes, vel non intellexissent Apostoli sententiam, vel non obedientes peccatum commisissent. Eamdem interpretationem S. Hieronymus fecit adversus Jovinianum, eadem S. Pauli verba opponentem. Advertit S. Hieronymus, non dixisse Apostolum: *Eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, et filios faciat;* sed: *qui unam habuerit uxorem... unius uxoris virum; qui unam uxorem habuerit, non habeat* [6]. Notentur verba: *non habeat.* Item S. Joannes Chrysostomus [7] adnotat, illos Episcopos et diaconos, etsi unam tantum habuissent uxorem, susceptâ tamen ordinatione, ab eâ discedere debuisse.

Objicitur 4 S. Paul. 1 Tim. IV. Respondetur.

49. Objicitur 4° alius S. Pauli textus: *Attendentes... doctrinis dæmoniorum... prohibentium nubere* [8]. Sed ea verba de iis intelliguntur, qui laicos ad cælibatum compellere volunt; non ergo de iis potest intelligi, qui statum ecclesiasticum sponte amplecti voluerunt. At, inquit *Piceninus* [9], si Apostolus affirmat, esse *honorabile connubium in omnibus* [10], cur dedecorum in Episcopo, presbytero et diacono? Respondetur, Episcopum, sacerdotem et diaconum, qui mente et corde prorsus vacare debent Dei Ecclesiæque negotiis, quorum sunt ministri consecrati, non decere matrimonium propter avocamentum, quod secum afferunt uxoris studium, cura filiorum reique familiaris administratio; eamque ob causam sapienter Ecclesiam

Instat Piceninus.

Respondetur.

[1] Gen., XXII, 18. — [2] *Matth.*, XXVIII, 19. — [3] 1 *Tim.*, III, 2. — [4] Ibid., v. 12. — [5] In Ep. 1, ad *Tim.*, Homil. 10, n. 1. — [6] Adv. *Jovinianum*, lib. I, n. 34 et 35. — [7] In Ep. 1, ad *Tim.*, Homil. 10, n. 1 et 2; in Ep. ad *Tit.*, Homil. 2, n. 1. — [8] 1 *Tim.*, IV, 1 et 3. — [9] *Apologia, cap. 16, art. 3, n. 1.* — [10] *Hebr.*, XIII, 4.

prohibuisse, ne matrimonium inirent sui clerici, qui liberâ voluntate ejusmodi statum susceperunt.

Objicitur 5. S. Paul. 1 Cor. IX.

50. Objicitur 5° illud S. Pauli: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli et fratres Domini et Cephas?* [1] Ergo, inquiunt, et Petro et ceteris Apostolis secum ducere uxores licuit. Sed non dixit Apostolus: *Mulierem conjugem vel uxorem* sed *mulierem sororem:* quæ quidem *sorores mulieres* erant piæ quædam feminæ, Apostolos ad victum illis parandum comitantes, ut infertur ex superiori versu: *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?* [2] Ita eum textum exponunt Chrysostomus [3], Theodoretus [4], Theophylactus [5] et S. Augustinus [6] unà cum Tertulliano, qui omnium primus dixerat: *Non uxores demonstrat ab Apostolis circumductas... sed simpliciter mulieres, quæ illo eodem instituto, quo et Dominum comitantes, ministrabant* [7]. Idem scripsit Clemens Alexandrinus: *Non ut uxores*, inquit, *sed ut sorores circumducebant mulieres* [8]. Idem quoque S. Hieronymus: *Perspicuum est, non uxores debere intelligi, sed eas, quæ de suâ substantiâ ministrabant* [9]. Et Joviniano hunc S. Pauli textum opponenti respondet: *Et ostendit eas germanas in spiritu fuisse, non conjuges* [10]. Opponit hic *Piceninus* [11] canonem « *Omnino* » *dist. 31*, ubi Leo IX dixit: *Non licere Episcopo, presbytero, diacono, subdiacono propriam uxorem causâ religionis abjicere a curâ suâ.* Sed non advertit, ea verba ad rem suam nihil facere, quum statim subjungat Pontifex: *scilicet ut ei victum et vestitum largiatur, non ut cum illâ, ex more, carnaliter jaceat;* atque inde concludat, de citato S. Pauli textu agens: *Vide insipiens, quia non dixit: Numquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi? scilicet ut de mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale conjugium.*

Respondetur.

Instat Piceninus.

Respondetur.

51. Opponitur 6°, in Concilio Nicæno I, canone III° statutum fuisse, neminem teneri a conjuge discedere, et permissum esse, ut uxorem duceret Paphnutius, eoque canone hoc tantum prohibitum, nequis extraneis abuteretur mulieribus: *Non Episcopo, non presbytero, non diacono... licere subintroductam habere mulierem.* Cardinalis *Gotti* [12] vero ea refert, quæ hac de re scripserunt Socrates [13] et Sozomenus [14]: Nicænos Patres permisisse Episcopis, sacerdotibus et diaconis, ut iis uterentur uxoribus, quas jam duxissent (quod Græcis licet [a]); minime vero, ut suscepto ordine, eas ducerent, sicut adversarii asserunt ex Paphnutii exemplo. Ceterum Card. Baronius [15] Paphnutii historiam suspectam habet, neque immerito; nihil enim in Concilii Nicæni canone III° reperitur, quod Episcoporum uxoribus faveret; sed viris ecclesiasticis interdicitur, ne præter matrem, sororem et amitam alias mulieres domi habeant: *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem aut sororem aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt* [16].

Objicitur 6. Nicaen. I. Can. III.

Respondetur.

[1] 1 *Cor.*, IX, 5. — [2] v. 4. — [3] In Ep. 1 ad *Cor.*, Homil. 21, n. 2. — [4] In h. l. — [5] In h. l. — [6] De opere Monachorum, cap. 4. — [7] De Monogamia, cap. 8. — [8] Stromat., lib. III, cap. 6. [9] Advers. *Jovinian.*, lib. I, n. 26. — [10] L. c. — [11] *Apologia, cap. 16, art. 3, n. 2.* — — [12] *La vera Chiesa di Cristo, tom. II, part. 1, art. 5, § 4, n. 10.* — [13] Hist. Eccl., lib. I, cap. 11. — [14] Hist. Eccl., lib. I, cap. 23. — [15] Annales, a° 58, n. 21. — [16] Nicæn. I, can. 3.

[a] Recole tamen dicta *n. 43* (Nota edit.).

§ II.

DE ECCLESIASTICORUM CONTINENTIÆ VOTO.

Non est temerarium illud votum nec contra naturam.

52. *Lutherus* [1] hoc votum insectatur velut temerarium, quod homines, ut ait, ad illud servandum impares sint; quibus verbis universam reprehendit Ecclesiam, quæ omnibus sæculis, si non semper præcepit, saltem probavit semper commendavitque in suis ministris continentiam. Qui inter sanctos majori splendore in Ecclesiâ refulgent, vel ex clero vel ex monasterio prodierunt, et servarunt castitatis votum, quod susceperant. Naturam ad matrimonii portum nos vocare ait *Piceninus* [2]: recte dicit, quum de naturâ carnali et animali loquitur, minime vero si agere velit de naturâ rationali et sapientiâ instructâ. Temerarium profecto se præberet, qui suis viribus innixus, hoc votum emittere et servare præsumeret; sed non est temerarius, qui Deo confisus, cum Apostolo dicit: *Omnia possum in eo, qui me confortat* [3].

Deo confisi divinâ gratiâ roborantur.

53. Ecclesiastici nostri et Religiosi votum emittunt, nec tamen præsumunt suis viribus illud servare; sed divinam Bonitatem, quæ ad faciendum tale votum ipsos vocavit, humili fidoque animo assidue precantur, ut sibi præstet auxilium, quo perseverent in ejusmodi continentiâ; nec Deus omittit eos corroborare, ut fidem datam inviolatam servent. Concilium Tridentinum damnavit eum, qui diceret, *posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum...; quum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos, supra id quod possumus, tentari* [4]. Quum ergo paratus sit Dominus ad tribuendam perseverantiam recte eam petentibus, si quis clericus votum emissum violat, penes eum omnis culpa est. De hoc voto Novatores ut de re impossibili loquuntur, illudque contra cæli legem esse dicunt. Ergo tot Sancti, quos nunc altarium honore colimus, tali voto suscipiendo, cæli legem violarunt? Sed, si matrimonio abstinere cæli legi adversetur, quomodo S. Paulus dicere potuit, cælibatum conjugio præcellere? *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit* [5]. Et quî potuit viduis suadere, ne ad alias nuptias transirent, simul affirmans, se ex Dei spiritu loqui? *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium; puto autem, quod et ego spiritum Dei habeam* [6]. Itaque temerarium non est, cum fiduciâ in Deo et juxta consilium Apostoli, continentiæ votum emittere; temerarium vero et valde temerarium, vituperare eum, qui sequitur consilium, laudatum non solum a S. Paulo, sed etiam ab ipso Redemptore, quum diceret: *Et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum* [7].

Sancti illud votum susceperunt.

S. Paulus virginitatem commendat.

Votum illud revera obligat.

54. Sed quomodo Ecclesia prohibere potest matrimonium? Ecclesia illud non prohibet ei, qui adhuc liber est, sed cum Apostolo ei dicit: *Cui vult nubat, tantum in Domino* [8]. Siquis vero, quum liber adhuc esset, ad castitatem servandam ultro se obstrinxit, eam servare merito jubet Ecclesia, et merito, si non servaverit, pœnâ eum afficit. Vota emittere nemo tenetur; sed siquis voto aliquid Deo promiserit, Deus vult, ut promissa servet: *Siquid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim Ei infidelis et stulta promissio: sed quodcumque voveris, redde* [9].

[1] De Votis Monasticis; art. de Virginitate, et passim. — [2] *Trionfo della vera Religione, cap. 21, n. 2.* — [3] *Philippenses*, IV, 13. — [4] Sess. 24, can. 9. — [5] 1 *Cor.*, VII, 38. — [6] v. 40. — [7] *Matth.*, XIX, 12. — [8] 1 *Cor.*, VII, 39. — [9] Eccl., V, 3.

§ III.

NONNULLÆ EX ANTIQUITATE NOTITIÆ CIRCA ORDINIS SACRAMENTUM.

Notiones historicæ *a* de septem ordinibus.

55. Primis Ecclesiæ temporibus non erant nisi Episcopi, sacerdotes et diaconi. Deinde Concilium Romanum [1], Silvestro Summo Pontifice, commemorat etiam subdiaconos, acolythos, exorcistas, lectores, ostiarios et custodes Martyrum. In Africâ pro custodibus habebatur ordo psalmistarum sive cantorum. Qui quidem ordines pro locorum temporumque varietate plures vel pauciores erant numero. Græcis, ut apud S. Dionysium dicitur [2], non habent nisi Episcopatum, sacerdotium, diaconatum, subdiaconatum et lectoratum. Ceterum recte dici potest, divinæ institutionis esse omnes Ordines minores, quia quum Christus Ecclesiæ constituendæ facultatem Apostolis tribueret, simul iis dedit potestatem creandi eos ministros, qui ad sacrorum mysteriorum celebrationem et decorem necessarii viderentur. Subdiaconatus usque ad sæculum XII inter Ordines sacros non fuit: nam in Concilio Beneventano, anno 1091 [3], solum presbyteratum et diaconatum sacros Ordines esse dicitur; et Petrus Cantor [4], qui obiit anno 1197, subdiaconatum ait sacrum Ordinem nuper esse declaratum. Græci subdiaconatum etiam et lectoratum cum impositione manuum conferunt. *Wiclef* [5], *Lutherus* [6] et *Calvinus* [7] nullum Ordinis discrimen inter clericos et laicos admittunt, nisi pro superiorum arbitratu.

b De subjecto ordinum.

56. Antiquitus Ordines iis tantum conferebantur, qui mere necessarii erant ad Ecclesiæ vel Episcopi ministerium; quare ubi quis ordinem susceperat, in suo statim officio constituebatur, et vagæ ordinationes vetitæ erant a Concilio Chalcedonensi [8]; quæ disciplina ad sæculum XI duravit. Tridentinum [9] vero statuit, lapsâ videlicet hac disciplinâ, ut ad Ordines nemo promoveretur sine beneficio, ac tum solum ordinationes titulo patrimonii fierent, quum aut necessitas aut Ecclesiæ utilitas id postulasset. Olim legitima juxta Apostolicas Constitutiones [10] ad sacerdotium ætas tricesimus erat annus, ad diaconatum vicesimus quintus, ad Episcopatum autem quinquagesimus; sed postea ad triginta annos reducta est Episcoporum ætas.

c De interstitiis.

57. Quod ad interstitia attinet, hæc, ut refert *P. Martene* [11], statuit Zosimus [12] Summus Pontifex: « Siquis ab infantiâ » ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, » inter lectores usque ad vigesimum ætatis » annum continuatâ observatione perdu- » ret. Si major jam... accesserit,... sive » inter lectores, sive inter exorcistas quin- » quennio teneatur. Exinde acolythus vel » subdiaconus quatuor annis; et sic ad » benedictionem diaconatus... accedat; » in quo ordine quinque annis... hærere » debebit ». Deinde, si Episcopus eum dignum judicaverit, ad sacerdotium poterit conscendere. Verumtamen necessitas ecclesiastici ministerii etiam antiquis temporibus effecit, ut contraherentur promovendi tempora, maxime, ut scripsit Gelasius Papa [13], siquis post vitam monasticam ad clericale onus accederet. Olim haud ita difficulter sacerdotium iis etiam con-

[1] a° 324, cap. 1 et 3. — [2] De Ecclesiast. Hierarchia, cap. 5 et *S. Maxim.*, Comment. in h. l.; Paraphras. *Pachymeræ* in h. l.; *Martene*, de Antiquis Eccl. Ritibus, lib. I, cap. 8, art. 1. — [3] Cap. 1. — [4] Verbum abbreviatum, cap. 60. — [5] Cfr. *Thom. Waldens.*, Doctrinale; de Sacramentis, cap. 7, cap. 28, cap. 122. — [6] De abroganda Missa privata, pars 1. — [7] Instit. lib. IV, cap. 4, n. 9. — [8] General. IV, a° 451; can. 6. — [9] Sess. 21, de Reform., cap. 2. — [10] Lib. II, cap. 1. — [11] De Antiq. Eccl^æ Rit., lib. I, cap. 8, art. 3, n. 6. — [12] Ep. 9, ad *Hesychium*, cap. 3. — [13] Ep. 9, ad Ep^os *Lucaniæ* cap. 1 et 2.

ferebatur, qui diaconatum necdum suscepissent, dummodo egregiis meritis essent commendabiles: inferiores enim Ordines in superioribus eminenter contineri, existimabatur: tali modo nominatim S. Cyprianus [1] et S. Augustinus [2] sacerdotio initiati sunt. De tempore ordinationum scripsit Gelasius Papa [3], non posse sacerdotes et diaconos ordinari nisi tempore jejuniorum quarti, septimi et decimi mensis, et præterea Quadragesimæ initio et in hebdomade mediæ Quadragesimæ die sabbati circa vesperam. Quod idem statutum est in Concilio Romano [4], Zachariâ summo Pontifice.

d De ordinationum tempore.

58. Instrumentorum traditionem unà cum formulâ: *Accipe potestatem. cct.*, non existere ait *P. Morinus* [5] nisi a septem circiter sæculis; illam autem manuum impositionem, quæ post Missæ Communionem fit cum formulâ: *Accipe Spiritum-Sanctum, cet.*, instrumentorum traditione etiam esse recentiorem [6]; ac demum ante sæculum nonum ne unum quidem Rituale mentionem facere instrumentorum, quibus hodie adhibitis sacerdotes et diaconi ordinantur, sed solius manuum impositionis [7].

e De instrumentorum traditione.

DISPUTATIO XII.

SESSIO XXIV.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Concilii doctrina.

1. Concilium, priusquam ad Canones de hoc Sacramento constitutos accederet, ejus doctrinam breviter ad hunc modum complecti voluit [8]: « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, quum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ.... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne unâ* [9]. Hoc autem vinculo duos... copulari et conjungi, Christus Dominus apertius docuit, quum postrema illa verba tamquam a Deo prolata referens dixit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro* [10]: statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo... ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* [11].

1 Matrimonii indissolubilitas ab Adamo promulgatur, confirmatur a Christo.

2. » Gratiam vero, quæ... indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus,... Sacramentorum institutor... suâ nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit, dicens: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ* [12]; mox subjungens: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ* [13].

2 Christus gratiam necessariam promeruit.

3. » Quum igitur Matrimonium in lege Evangelicâ veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet, merito inter novæ

3 Matrimonium est Novæ Legis Sacramentum.

[1] *Pontius* Diac., De Vita et Passione *S. Cypriani*, cap. 5. — [2] *Possidius*, Vita *S. Aurelii Augustini*, cap. 4. — [3] L. c., cap. 11. — [4] a° 743, can. 11. — [5] De Sacris Ordinationibus, pars 3, Exercit. 7, cap. 1, n. 16. — [6] Cap. 2, n. 8 et 9. — [7] Cap. 1, n. 12. — [8] Sess. 24. Doctrina de Sacr. Matrim. — [9] Gen., II, 23 et 24. — [10] *Matth.*, XIX, 6; *Marc.*, X, 8. — [11] *Matth.*, l. c. — [12] *Eph.*, V, 25. — [13] v. 32.

Legis Sacramenta annumerandum sancti Patres..., Concilia, et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt; adversus quam impii homines hujus sæculi (i. e. Novatores)... non solum perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt; sed de more suo, prætextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ catholicæ sensu, et ab Apostolorum temporibus (i. e. ab Apostolis) probatâ consuetudine aliena,... asseruerunt, non sine magnâ Christifidelium jacturâ: quorum temeritati... Synodus cupiens occurrere,... prædictorum... errores,... exterminandos duxit, hos in ipsos... decernens anathematismos ».

Matrimonium semper bonum fuit.

Can. I. **4.** Canone I dicitur: *Siquis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiâ inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

Hæreticorum errores: *a* nuptias esse malas.

5. Antiqui hæretici nuptias tamquam malas et vituperandas improbarunt; Deus vero ab origine mundi bonas eas et honestas esse declaravit, quum diceret: *Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum, esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi* [1]. Quod confirmavit Apostolus his verbis: *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit* [2]. — *Lutherus* [3], *Calvinus* [4] et qui eos sequuntur, non quidem negant matrimonium a Deo esse institutum, negant tamen, illud esse Sacramentum. *Launoy* [5] vero, in vitium contrarium incidens, demonstrare nititur, etiam ante Christum sub Lege naturæ, matrimonium vere fuisse Sacramentum. Sed fallitur; nam etsi veteres matrimonium Sacramentum vocarunt, improprie tamen ita locuti sunt, quatenus matrimonium vel ex se ipso rem spiritualem significat vel ad spirituale bonum conducit.

b matrimonium non esse Sacramentum.

c illud semper fuisse Sacramentum.

Vera doctrina: Non est dubium, quin matrimonium, indissolubile ut contractus naturalis, ab ipsâ lege naturæ oriatur: quum per matrimonium melius servetur hominum procreatio, et filiorum educationi magis consulatur; eamque ob causam cum ipsâ naturâ pugnat fornicatio: quodcumque autem a naturâ provenit, refertur ad Deum, naturæ et matrimonii auctorem: *Relinquet homo*, inquit Adam, *patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne unâ* [6]. Unde Tridentinum: Quibus verbis, inquit, *matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus... parens, divini spiritus instinctu, pronuntiavit* [7]. Quod idem Christus exprobravit Pharisæis interrogantibus, num homini suam uxorem relinquere liceret: *Non legistis... dimittet homo patrem* [8], *cet.* (vide suprà) *?* et adjecit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* [9]. Sed hæc omnia non efficiunt, ut *Launoy* opinatur, matrimonium ante Evangelium fuisse Sacramentum.

Non semper Sacramentum fuit.

6. Ex alterâ parte errant Novatores, quum (ut suprà diximus) matrimonio Sacramenti rationem denegant. Ad probandum, matrimonium esse Sacramentum, satis est considerare, omnes conditiones, quæ ad Sacramentum requiruntur, in eo reperiri: 1um, illud esse signum sensibile rei sacræ; 2° a Christo esse institutum; 3° secum adnexam habere gratiæ promissionem. Jamvero 1um, in matrimonio exstare signum sensibile, mutuum nempe consensum, quem conjuges exprimunt, illudque esse rei sacræ symbolum, constat ex verbis S. Pauli: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ* [10]. Opponunt *Lutherus* [11] et *Calvinus* [12], verbum *Sacramenti* Græce nihil aliud significare nisi mysterium sive arcanum. Sed sapienter respondet Bellarminus [13], eo loco probari, matrimonium esse Sacramentum, non ex solâ voce *Sa-*

Sacramenti conditiones in Matrimonio adsunt.

1 signum sensibile.

II ex S. Scriptura

[1] Gen., II, 18. — [2] 1 *Cor.*, VII, 38. — [3] De Captiv. *Babylonic.*, cap. De Matrim. — [4] Instit., lib. IV, cap. 19, n. 34. — [5] Regia in Matrim. Potestas, pars 1, art. 2, cap. 11. — [6] Gen., II, 24. — [7] Sess. 24, Doctrina de Sacr. Matrim. — [8] *Matth.*, XIX, 4 et 5. — [9] Ibid., v. 6. — [10] *Eph.*, V, 32. — [11] De Captiv. *Babylon.*, cap. De Matrim. — [12] Inst., lib. IV, cap. 19, n. 36. — [13] De Sacr. Matrim., cap. 2.

cramenti, sed ex toto contextu, ex quo apparet, matrimonium non tantum naturalis cujusdam contractûs, sed rei sacræ esse signum. Nam statim adjungit Apostolus: *Ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ*, quæ verba clare indicant, matrimonium non esse merum arcanum, sed vere symbolum rei sacræ. Scite advertit Bellarminus[1], eam ob causam post verba: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ*[2], illico hæc alia addidisse Apostolum: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ*[3]. Pronomen *hoc* necessario refertur ad ea verba, quæ præcesserunt: *Relinquet homo, cet.* Dicit ergo S. Paulus: *Sacramentum hoc*, homini videlicet relinquendum esse et patrem et matrem, ut uxori adhæreat, *magnum est;* cur vero magnum? Quia hoc Sacramentum repræsentat unionem Christi cum suâ Ecclesiâ. Sed, inquit Erasmus[4], quodnam ita magnum adest mysterium, quum dicitur, virum cum uxore conjungi debere? Respondet Bellarminus[5], illud mysterium non consistere in carnali conjugum conjunctione, sed in eo, quod ejusmodi conjunctio indissolubilis sit eam ipsam ob causam, quia repræsentat perpetuam Christi cum Ecclesiâ conjunctionem.

b ex Traditione. **7.** Hæc omnia tradunt SS. Patres. In commentariis, quæ S. Ambrosio tribuuntur, dicitur: *Mysterii Sacramentum grande in unitate viri ac feminæ esse significat*[6]. S. Hieronymus ad illum textum: *Idipsum*, inquit,... *per allegoriam in Christo interpretatur et in Ecclesiâ, ut Adam Christum et Eva præfiguraret Ecclesiam*[7]. Ibique adducit hæc S. Gregorii Nazianzeni verba: *Scio, quia locus iste ineffabilibus plenus sit sacramentis et divinum cor quærat interpretis; ego autem pro pusillitate sensus mei in Christo interim illud et in Ecclesiâ intelligendum puto*[8].— *Proinde magnum mysterium* (ita pergit Bellarminus), *de quo Paulus loquitur, in ipso conjugio ponit, quatenus Christi et Ecclesiæ conjunctionem repræsentat*[9]. Item S. Joannes Chrysostomus in matrimonio magnum mysterium agnoscit[10]. Præterea Lucius III Summus Pontifex, qui sæculo XII° vixit, ab Ecclesiæ sententiâ eum dissidere ait, qui negat matrimonium esse Sacramentum[11]. Idem dicunt S. Justinus[12], Clemens Alexandrinus[13], S. Ambrosius[14]. Et S. Augustinus: *Sacramentum nuptiarum*, inquit, *commendatur fidelibus conjugatis; unde dicit Apostolus: Viri, diligite uxores vestras*[15]. Et alibi: *In Ecclesiâ... nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum... commendatur*[16].

8. Objicit *Calvinus*[17], ex Patribus neminem antę S. Gregorium; *Kemnitius*[18] autem, neminem ante S. Augustinum matrimonium appellasse Sacramentum. Sed errant; nam S. Leo I, qui annis 150 ante S. Gregorium vixit, matrimonium Sacramentum vocat[19]; et S. Joannes Chrysostomus, qui etiam S. Augustino antiquior est, scripsit: *Mysterium magnum esse in conjugio insolubili viri et feminæ*[20]. S. Ambrosius, qui et S. Augustinum et S. Joan- Objicitur. Respondetur.

[1] L. c. — [2] *Eph.*, V, 31. — [3] v. 32. — [4] In *Ephes.*, V, 32 (*a*) — [5] L. c. — [6] Comm. in Ep. ad *Ephes.*, V, 32 (Append.) — [7] In h. l., v. 31. — [8] Apud *Hieron.* in h. l., v. 32. — [9] L. c. — [10] In Ep. ad *Ephes.*, homil. 20, n. 4. — [11] Epistolæ et Privilegia, n. 171, Decret. contra hæreticos. — [12] Dial. cum *Tryphone*, n. 134. — [13] Pædagogus, lib. III, cap. 11. — [14] De Abraham, lib. I, cap. 7. — [15] De Nuptiis et Concupiscentia, lib. I, cap. 10. — [16] De Fide et Operibus, cap. 7. — [17] Instit., lib. IV, cap. 19, n. 24. — [18] Examen Conc. *Trid.*, pars 2, de Matrim., can. 1. — [19] Ep. 167, ad *Rusticum*, Inquis. 4. — [20] In Ep. ad *Ephes.*, Homil. 20, n. 4.

(*a*) *Neque enim in hoc* MAGNUM EST SACRAMENTUM, inquit, *si vir jungatur uxori; quod et apud ethnicos fieri consuevit.* Adjungit tamen: *non igitur hæc dixerim, quasi in dubium vocans an sacramentum sit matrimonium..., sed quod ex his Apostoli verbis non videatur admodum efficaciter colligi* (Nota edit.).

nem Chrysostomum ætate præcessit: *Qui sic egerit*, inquit, *peccat in Deum, cujus legem violat et gratiam solvit; et ideo, qui in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium* [1]. Idem scribit Siricius Papa, ubi sacrilegas vocat nuptias initas vivente priori conjuge [2]. Idem docent Innocentius I [3] et S. Cyrillus [4]. Deinde matrimonium Sacramentum esse definivit Concilium Constantiense [5], Florentinum in Decreto Eugenii IV ad Armenios [6], et Tridentinum, ubi dicitur: Matrimonium *merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum, SS. Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt* [7]. Quod quidem maximum est argumentum, matrimonium esse revera Sacramentum, universæ tam Græcæ quam Latinæ Ecclesiæ consensus atque auctoritas.

a institutio Christi.

9. Itaque in dubium vocari nequit, 1um in matrimonio adesse signum sensibile, rem sacram significans. Sed neque dubium esse potest 2°, quin matrimonium fuerit a Christo ad Sacramenti dignitatem institutum atque elevatum, vel quum in Canâ adesset et benediceret nuptiis, vel quum ad pristinam Adami conditionem conjugium revocaret his verbis: *Dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne unâ* [8]; iisque hæc alia quoque adjiceret: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* [9].

β promissio gratiæ adnexa.

10. Tertio, non potest dubitari, quin matrimonio adnexa sit gratiæ promissio. Quod quidem colligitur ex verbis Apostoli: *Salvabitur... per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione et sanctificâtione cum sobrietate* [10]; quæ singula sunt dona per Sacramenti gratiam percepta. Gratiæ promissio præterea deducitur ex matrimonii indissolubilitate, quam Christus in eodem S. Matthæi capite his verbis proclamavit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur* [11]. Namque admitti nequit, statuisse Dominum, ut indissolubile esset matrimonium, nec tamen simul suppeditasse gratiam; quum humanæ vires sine Dei auxilio ad eam indissolubilitatem servandam impares fuissent. Præterquam quod sine gratiâ matrimonium non potuisset fomiti concupiscentiæ satis idoneum remedium afferre, quum in conjugio exardescat potius concupiscentia quam restinguatur. Quocirca Tridentinum, Christum, qui Sacramenta instituit, suâ passione nobis meruisse ait gratiam, *quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret* [12], sicut monet Apostolus: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam* [13]. Et subjungit Concilium: *Quum igitur matrimonium in Lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet; merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum, cet.* [14]

11. Canone II° dicitur: *Siquis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit.* Duplex est polygamia: altera successiva, simultanea altera. *Successiva* quidem licita est, quod his verbis declaravit Apostolus: *Dico autem non nuptis et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego; quodsi non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri* [15]. Hic ergo S. Paulus non nuptis suadet, ut conjugio abstineant, sed nuptias inire non prohibet. Polygamia *simultanea* vero, id est duas simul uxores aut duos habere maritos, in novâ Lege prorsus vetita est, utpote legi naturæ contraria. Asserit *Lutherus* in explicatione Genesis (quam *Lutheri* sententiam sequuntur *Anabaptistæ*), posito Patriarcha-

De Polygamia.

a successiva, licita.

b simultanea, in Nova Lege illicita.

[1] De *Abraham*, lib. I, cap. 7. — [2] Ep. 1, ad *Himerium*, cap. 4. — [3] Ep. 36, ad *Probum*. — [4] *S. Cyr. Alex.* In *Joan.* Evangel., lib. II, in II, 1-4. — [5] Sess. 15. Art. Damn. *Joan. Hus.* — [6] Decr. pro Unione *Armen.* — [7] L. c. — [8] *Matth.*, XIX, 5. — [9] v. 6. — [10] 1 *Tim.*, II, 15. — [11] *Matth.*, XIX, 9. — [12] L. c. — [13] *Eph.*, V, 25. — [14] L. c. — [15] 1 *Cor.*, VII, 8 et 9.

rum exemplo, ab Ecclesiâ reprobari non posse uxorum multitudinem (*a*). Sed Christus contrarium docuit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur* [1]. Et antea Pharisæis interrogantibus, *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causâ*, respondit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ?... Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* [2]. Si vir plures uxores sibi conjungeret, *non esset una caro*, ut apud Bellarminum [3] unanimiter docent SS. Patres. Non negamus, Patriarchas et reliquos illos Judæos plures uxores legitime habuisse, quod quidem constat ex *Deuter. XXI, 15;* sed per dispensationem Deus illud concesserat pro conditione, ut ait S. Augustinus [4], primævis iis temporibus congruenti. Legimus enim, ipsum Deum Abrahamo dixisse, ut Saræ uxoris suæ verbis obtemperaret *audi vocem ejus* [5]. Sara autem ei suadebat, ut Agar quoque ancillam in matrimonium duceret. Sed, si naturæ legi adversatur simultanea polygamia, quomodo Patriarchis permitti potuit? Respondetur, obstare polygamiam secundariis conjugii finibus, non autem primario, quæ est procreatio sobolis; quem finem (ut cum S. Augustino diximus) Judæorum tempore potissimum respici congruebat.

In Antiqua Lege licita.

12. Nec verum est, Patriarchas unam solam habuisse uxorem, reliquas vero fuisse concubinas ad augendam prolem; recte enim respondet *Tournely* [6]: si ita esset, sancti Patriarchæ violati tori essent accusandi. Habebant autem uxores primi et secundi ordinis: primi ordinis erat una sola mulier, quæ cum solemnitate ducebatur, ejusque filii in paternam

Uxores secundi ordinis vere uxores fuerunt.

[1] *Matth.*, XIX, 9. — [2] Ibid., v. 3, 4-6. — [3] De Sacram. Matrim., cap. 10. — [4] De Doctrina Christiana, lib. III, cap. 18. — [5] Genes., XVI, 2 et 3; XXI, 12. — [6] Comp. theol. De Matrim., quæst. 5. De Polygam. simult. Dices 3°.

(*a*) En ejus verba: a° 1523-24. Predigten über das 1e Buch Mose, kap. 16 (Edit. Weimar, 1895, Band XIV): *Quæ acta sunt a Patribus*, inquit, *illa sunt libera, i. e. possunt vel non possunt sine peccato agi.... Sed certe ego non possem tueri non esse plures ducendas, licet ego fieri nolim. Non est dicendum, quod non liceat. Certe licet, Scriptura non prohibet.* — Item a° 1527; in Genesin Declamationes, cap. XVI; Predigten über das 1 Buch Mose, kap. 16; Latine et Germanice (Edit. Weimar, 1900, Band 24): *Quædam sic abrogata sunt*, inquit, *ut fieri liceat aut omitti...; igitur tantum divortia Christus vetuisse videtur Christianis.... Defendere non possum, non licere plures habere uxores; exempla libera jam sunt, et tamen ut culpanda non sunt, ita nec præcepta sunt.... Ich künde es noch heute nicht weren, aber raten wolt ichs nicht.* — Præterea a° 1528, in 139 Propositionibus *de Digamia Episcoporum* (Edit. Lat. Jenæ, 1579, tom. 1, fol. 496ᵇ seq.) iterum generale suum statuit principium, quo tota hæc ejus doctrina innititur. Postquam enim (propos. 65) dixit: *Siquidem nota sunt jura Mosaica de fratris defuncti uxore, cet....* statim adjungit (prop. 66): QUÆ NON MAGIS SUNT ABROGATA, QUAM RELIQUA OMNIA, *id est, libera, nec prohibita nec præcepta.* — Sed more hæreticorum parum sibi constans, postea in explicatione, quam incepit a° 1536, absolvit a° 1545, ad idem cap. XVI (Opera Exegetica Latina. Erlangæ, 1829, tom. 4, pag. 8): *Porro*, inquit, *ex hoc facto non est constituendum exemplum, quasi nobis eadem liceat facere. Circumstantiæ enim considerandæ sunt.* Nec tamen erubuit, a° 1539 infami subscribere instrumento, quo Landgravio Hassiæ permittebatur, ut duas simul haberet uxores. Quod quidem instrumentum Bossuet (Hist. des Variations, lib. VI) et Varillas (lib. XII) integrum exscribunt; hic pauca tantum referre expedit: *Deus matrimonium instituit, ut tantum duarum, et non plurium personarum esset societas, si natura non esset corrupta...; hujusmodi lex est laudabilis et ab Ecclesia acceptanda; nec lex huic contraria statuenda.... Certis tamen casibus locus est dispensationi. Siquis, exempli gratia, apud exteras nationes captivus, ad curam corporis et sanitatem inibi alteram uxorem superinduceret, vel siquis haberet leprosam, his casibus alteram ducere cum consilio sui Pastoris, non intentione novam legem inducendi, sed suæ necessitati consulendi, hunc nescimus, qua ratione damnare liceret* (Nota edit.).

hæreditatem succedebant; uxores secundi ordinis privatim assumebantur, et earum filii in hæreditatis partem non veniebant, sed quibusdam solum donis a patre sustinebantur; sic de Abrahamo legimus: *Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera* [1]. Quæ secundi ordinis mulieres modo concubinæ modo uxores vocantur, ut de *Agar* [2], *Cetura* [3], *Balâ* [4] et *Zelphâ* [5], secundariis Abrahæ et Jacob uxoribus legimus. Deus ipse Davidem monuit: *Dedi... uxores domini tui in sinu tuo* [6]. — Ceterum in Lege evangelicâ, ut diximus, semper nefas fuit plures habere uxores. *Lutherus* nihilominus (cui quidem consenserunt *Melanchthon* et *Bucerus*) Philippo *Hassiæ Landgravio* aliam ducendi uxorem, priore adhuc vivente, legitimo instrumento, ad id ipsum confecto (quod quidem rescriptum refert Ill. Dom. *Bossuet* in libro, quem *Hæreseon Variationes* inscripsit [7]), licentiam dare ausus est [8]; quod certo pugnat cum jure divino positivo, et, ut nos quidem existimamus, etiam cum jure naturali, quamquam *Jueninus* [9] in dubio illud ponit.

De infami hac in re *Lutheri* decreto.

Can. III. De Impedimentis.

13. Canone III° dicitur: *Siquis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediant et dirimant, anathema sit.*

Can. IV. De Ecclesiæ auctoritate.

14. Canone IV: *Siquis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.*

Objicitur.

15. Petrus *Suavis*, hos duos canones perpendens, objicit: Si ante Evangelium et ante Ecclesiam institutam contractus matrimonii vere fuit Sacramentum, Ecclesia, sicut Sacramentum mutare nequit, ita nec mutare potest contractum (*a*).

Digressio de *Suavis* indole.

(*b*) Mirabitur quispiam, quod *Suavis*, licet Catholicus, hos aliosque Concilii canones ad fidem pertinentes, ita reprehenderit. Sed quid mirum, Concilii decreta ab eo impugnari, qui, ut apparet ex ejus litteris ad *Castrinum*, ex Gallorum Reformatorum familiâ [10], in Fidem Catholicam invehi non dubitaret. Quæ quidem litteræ a Roberto *Ubaldino*, Summi Pontificis in Galliâ Nuntio, interceptæ ac deinde ad Paulum V transmissæ fuerunt; cujus rei Pontifex suâ manu conscripsit Memoriam, ab ipso *Pallavicino* postea inspectam. In epistolâ, die 13ª Aprilis 1611 datâ: *Scire velim*, inquit, *faveatne Condæo regina; atque etiam, num spes affulgeat, reformatos in religionis causâ nonnihil esse progressuros; illuc enim imprimis specto, quum persuasum habeam, hoc aptissimum fore ad Evangelium in Italiam introducendum.* In aliâ epistolâ (21 Dec. 1610): *De conservato Sullio*, inquit, *summopere gaudeo propter auxilia, quæ reformati ab eo accipere poterunt. Calvinianorum erit ratio habenda; illi autem petitionibus nihil parcant; quidquid enim iis proderit, item Dei causam Regisque bonum juvabit.* Præterea refert Card. *Pallavicinus* [11], sibi a Domino *de Lionne*, præclaro Christianissimi

[1] Genes., XXV, 5 et 6. — [2] Ibid., XVI. — [3] XXV. — [4] XXX. — [5] XXX et XXXV. — [6] 2 Reg., XII, 8. — [7] *Hist. des Variations, liv. VI.* — [8] « Consultatio *Lutheri* et aliorum super Polygamia ». Subscribunt: *Martinus Lutherus, Philippus Melanchthon, Martinus Bucer*, cet. — [9] Inst. theol. De Matrim., quæst. 1, cap. 2, art. 1, concl. 1, quær. — [10] Cfr. *Pallav., Storia del Conc., part. 1, Introd. cap. 2.* — [11] L. c.

(*a*) Quid causæ fuerit, cur *Pallavicinus* (lib. XXIII, cap. 9, n. 14) *Suavem* ita loquentem induxerit, parum liquet. Non enim asserere videtur *Suavis*, matrimonium a mundi primordiis fuisse sacramentum. En ipsa ejus verba (lib. VIII, a° 1563, « Della irritazione »): *Il matrimonio prima fu indissolubile che sacramento, poichè Cristo, nostro Signore, non lo pronunciò insolubile, come istituito da lui, ma come istituito da Dio nel terrestre Paradiso* (Nota edit.).

(*b*) Quæ hic sequuntur usque ad num. 16, annuente ipso S. Auctore (Epist. 15 oct. 1769), a typographo *Veneto* omissa fuerunt, ne totus liber *Venetiis* prohiberetur.

regis Ludovici XIV administro, per litteras significatum fuisse, Petrum *Suavem*, ad cujus patriam missus esset Batavorum orator, Sommerdück, exclamasse: *Mirifice lætor, ad hæc usque me vixisse tempora, quibus in patriâ meâ legatum cernerem illius Reipublicæ, quæ hanc unà mecum agnoscit veritatem, Romanum Pontificem esse Antichristum.*

Solvitur objectio.

16. Ad quæ ita respondemus. Ante omnia non est verum, matrimonium ante Evangelium Sacramenti rationem habuisse: omnia Sacramenta, in quibus est matrimonium, a Christo sunt instituta. Deinde certum est, in matrimonio contractum naturâ suâ a Sacramento esse distinctum; unde *per se* loquendo, contractus sine Sacramento stare potest, quamquam illud non permittit, neque umquam permisit Ecclesia. Ecclesiæ potestas utique mutare nequit Sacramentum; contractum vero immutare potest, constituendo nonnullas conditiones vel quasdam limitationes, et ita impedire, quominus contractus sit Sacramentum, ut antea erat: sed tunc non mutat consensûs materiam, sed conjuges inhabiles reddit ad nuptias ineundas. Itaque Ecclesia leges ferre potest et decernere, qualis contractus ad constituendum matrimonium sit legitimus. Ex quo necessario deducitur, eam sicut (juxta Concilii verba) constituere potest, non quidem *de jure divino* sed *de jure humano*, impedimenta impedientia et etiam dirimentia; ita quoque in iisdem impedimentis dispensandi facultatem habere. Conf. Jueninum [1].

Can. V. De vinculo.

17. Canone V° dicitur: *Siquis dixerit, propter hæresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

Explicatur Concilii doctrina.

18. Vinculum matrimonii sive fidelium sive infidelium jure naturæ est indissolubile, quod his verbis Deus Adamo significavit: *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ* [2]. Suprà diximus, eum, qui duas uxores sibi conjungat, jam non unam carnem efficere, sed eam dividere. Hoc solum differunt matrimonium infidelium et fidelium, quod tunc dissolvi potest matrimonium infidelium, quum alter ad fidem convertitur, alter vero, idest infidelis, aut cum conjuge habitare renuat, aut habitare quidem vellet, sed *non sine blasphemiâ divini nominis* [3], vel etiam conjugem ad peccatum inducere conaretur; his tribus casibus (expressis in *Cap. Quanto 7. de divort.*) fidelis aliud matrimonium cum fideli inire potest; quod vere colligitur ex verbis Apostoli: *Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illâ, non dimittat... Quodsi infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi* [4].

Quid si alteruter ad fidem convertatur

Ceterum conversione utriusque conjugis non dissolvitur matrimonium, ut declaravit Innocentius III in *Cap.* « *Gaudemus* » *8, eodem tit. de divort.: Quum per sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur* [5]. Matrimonium igitur inter fideles numquam dissolvitur, etiamsi alteruter conjux ad hæresim vel infidelitatem transiret, ut in laudato Canone V° dicitur; quum præter legem naturalem, a Deo Adamo significatam, exstet positiva lex divina, quam Christus his verbis exposuit: *Quod... Deus conjunxit, homo non separet* [6]; et S. Paulus repetit in Epistolâ primâ ad Corinthios [7].

Quid si ambo convertantur.

De matrimonio inter fideles.

Nuptiæ cum hæreticis validæ quidem sunt, sed in præsenti illicitæ, nisi Summus Pontifex propter bonum commune dispensaverit; cujus dispensationis plura sunt exempla. Ita Tournely [8]. Possitne dissolvi matrimonium ratum necdum con-

De matrimonio mixto.

[1] L. c. cap. 4, art. 1 et 2. — [2] Gen., II, 24. — [3] *Innoc. III*, cap. « *Quanto* » 7 de Divortiis (Decretal., IV, 19, 7), Reg., lib. II, Ep. 50, *Ferrariensi* Ep.° — [4] 1 *Cor.*, VII, 13 et 15. — [5] Decretal., IV, 19, 8. (Collectio *Raineri*, tit. 40, Epistola *Tiberiadensi* Ep.°). — [6] *Marc.*, X, 9. — [7] 1 *Cor.*, VII, 39: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.* — [8] Comp. theol. De Matrim., quæst. 2, concl. 7.

summatum, ad proximum Canonem videbimus.

De libello repudii.

19. Ex dispensatione divinâ Judæis concessum erat etiam repudium, quod secum trahit dissolutionem vinculi, quâ in re a divortio differt, quod sōlam tori separationem denotat. In Deuteronomio enim legimus, potuisse Judæos *dato libello* aliam uxorem ducere, et priorem e domo dimittere: *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua* [1]. Quo casu liberum erat ejusmodi mulieri, alii viro nubere. Confer *Tournely* [2]. Præterea scribit *Jueninus*, Judæis permissum quidem fuisse, ut alias uxores ducerent, sed eos peccasse, *quod ductas uxores dimitterent a domo et toro* [3]. Ejusmodi autem repudium in novâ Lege a Christo fuit reprobatum. De duabus rebus Pharisæi Eum interrogabant: primum, num vir uxorem e toro expellere posset; deinde, possetne aliam ducere. Ad prius quæsitum respondit Jesus, propter uxoris fornicationem fas esse, ab eâ discedere; ad alterum, numquam licere, priore vivente, aliam ducere uxorem. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur* [4]. Quâ in re notandum est, verba *nisi ob fornicationem* esse conjungenda cum priori membro, *quicumque dimiserit uxorem suam:* eum videlicet peccare, qui ab uxore discedat, *nisi ob fornicationem;* non autem cum membro subsequenti, *et aliam duxerit,* ut liceret, *ob fornicationem* aliam uxorem ducere; qui enim ita agit, *mœchatur.* Sed reponebant Pharisæi: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?* Ad quæ Redemptor: *Quoniam Moyses,* inquit, *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic* [5]. Quocirca in novâ Lege, quæ antiquâ perfectior est, Jesus Christus, prohibito repudio, matrimonium ad pristinum statum reduxit.

In Nova Lege repudium fieri nequit.

20. Canone VI dicitur: *Siquis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Matrimonium ratum infidelium dissolvi quidem potest pro eorum arbitratu, fidelium vero non potest, quum per Baptismum firmum et indissolubile fiat, excepto tamen, si alteruter conjux religiosâ professione se adstringeret; tunc enim dissolvitur matrimonium. Sed quomodo dissolvitur, si inter fideles matrimonium est indissolubile? Respondetur, illud tunc dissolvi non hominum dispositione sed Dei, dispensantis propter status religiosi perfectionem. Ideo Ecclesia conjugibus concessit duos menses ad deliberandum, si forte Religionem ingredi vellent; quo tempore non tenentur consummare matrimonium. Si quæratur, num Summus Pontifex suâ dispensatione dissolvere possit matrimonium ratum, alii negant, plures vero iique graves auctores affirmant, ut *Bellarminus* [6], *Cajetanus* [7], *Navarrus* [8], *Sanchez* [9], *Salmanticenses* [10] et alii; Summum Pontificem nempe, ut Christi vicarium, dummodo accedat gravissima causa, in iis rebus dispensare posse ajunt, quæ, etsi *de jure divino,* originem suam habuerunt ab hominis voluntate. Nam, ut sapienter ait *Pichler,* quamquam in conjugio ineundo jus confertur ad actus matrimoniales, ipsum tamen matrimonium consistit in conjunctione voluntatum et in perpetuo animorum vinculo, non vero in matrimonii usu, qui usus consequitur dumtaxat: *Matrimonium,* inquit,... *consistit in mutuo consensu et dato jure... ad actus conjugales;... unde copula actualis est tantum aliquid consequens et usus dati juris* [11]. Quod his verbis confirmat

Can. VI. De Matrimonio rato.

Explicatur Concilii doctrina.

Possitne Summus Pontifex dispensare.

In quo proprie consistat Matrimonium.

[1] Deut., XXIV, 1. — [2] L. c., quæst. 5. De Vinculo conjugali apud *Judæos.* — [3] L. c., cap. 2, art. 1, ad 1[m] object. — [4] *Matth.,* XIX, 9. — [5] Ibid., v. 7 et 8. — [6] De Monachis, cap. 38. — [7] Opusc. de Matrimonio. — [8] Enchiridion, cap. 22, n. 21. — [9] De Matrim., lib. II, disp. 14, n. 2. — [10] De Matrim., cap. 4, dub. 3. — [11] Theolog. Polem. De Matrim., n. 7.

S. Thomas: *Matrimonium est vinculum, quo (conjuges) ligantur formaliter, non effective* [1]. Hinc est, cur Beatissima Virgo et semper virgo et vere conjux fuerit S. Josephi, quod ipse Dominus significavit: *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam, conjugem tuam* [2]. Quare S. Augustinus in ea verba scripsit: *Conjux vocatur ex primâ fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat nec fuerat cognituras* [3]. Dicit tamen *Jueninus* [4], debere matrimonii contractum, indirecte saltem, pro objecto habere prolis generationem; quum enim contrahens alteri tradat jus in suum corpus, indirecte consentit, ut eo utatur ad generandam prolem; et idcirco Beatissimam Virginem cum S. Josepho nuptias iniisse ait, quia revelatione divinâ jam sciret, numquam eum ejusmodi jure usurum; atque eâ de causâ S. Thomam [5] opinari, Beatam Virginem suum castitatis votum fecisse non ante sed post matrimonium initum.

De voto solemni et simplici.

21. Sed ad Canonem VI redeamus. Affirmat Petrus *Suavis* [6], miratos fuisse multos, quod tamquam articulus Fidei poneretur, matrimonium non consummatum solemni professione dissolvi; quam solemnitatem juxta Bonifacium VIII [7] limites juris ecclesiastici non excedere ait. Sed S. Thomas [8] cum aliis gravissimis theologis ei respondet, voti solemnitatem, quod ad ritus spectat, esse juris ecclesiastici; sed juris divini, quoad voti objectum, quia efficit, ut homo immutabiliter Deo sit consecratus; atque idcirco in matrimonio rato votum a vinculo eum solvere. Cardinalis Bellarminus [9] recte indicat, quid differat votum simplex a solemni voto castitatis, quod matrimonium ratum dissolvit. Simplex promissio conscientiam utique ligat, sed rei promissæ dominium non transfert in eum, cui promittitur: et reverâ, siquis rem amico promissam alii daret eique in manus traderet, peccaret quidem, sed res ipsa ad donatarium pertineret. Et sic refellitur error *Lutheri* [10] asserentis, irritum esse matrimonium talis conjugis, qui sponsalia cum aliâ iniisset: per sponsalia siquidem jus corporis promittitur, non transfertur.

De sponsalibus.

De effectu voti solemnis.

Per votum solemne Religiosus mutat statum: seipsum enim consecrat Deo et Ecclesiæ, quæ etiam viâ judiciariâ ad voti observantiam eum cogere potest, quod in voto simplici non habet locum. Ita in Concilio Lateranensi III ab Alexandro III declaratur: *Post consensum illum legitimum de præsenti, licitum est alteri... monasterium eligere..., dummodo inter eos carnis commixtio non intervenerit. Et alteri,... si... servari noluerit continentiam, licitum esse videtur, ut ad secunda vota transire possit* [11]. Idem dicitur ab Innocentio III [12], Gregorio Magno [13], et fusiori etiam sermone a Bonifacio VIII [14]. Cujus quidem verba: *Quod voti solemnitas ex solâ constitutione Ecclesiæ est inventa* [15], intelligi debent (ut superius cum S. Thomâ aliisque fuit expositum) de solemnitatis ritibus, non vero de essentiâ et effectu voti solemnis, quod efficit, ut homo immutabiliter Deo consecretur: atque illud confirmatur multis Sanctorum exemplis. Confer *Tournely* [16], qui ad quæsitum, *quo jure* hoc fiat, respondet, non fieri jure naturali, sed nec solo jure ecclesiastico, cujus origo assignari non posset, sed ex jure divino positivo, in favorem professionis religiosæ: illud autem traditione constitu-

Quo jure dirimat matrim.

[1] Suppl., qu. 44, art. 1 ad 1m. — [2] *Matth.*, I, 20. — [3] De Nuptiis et Concup., lib. I, cap. 11. — Confer contra *Julian.*, lib. V, cap. 16, n. 62. — [4] Instit. theol. De Matrim., quæst. 1, cap. 1, quær. 3. — [5] 3a, qu. 28, art. 4. — [6] *Lib. S « Nel sesto anatematismo »*. — [7] Cap. unic., De Voto, in sexto. — [8] Quodlib. 3, qu. 7, art. 1; Quodlib. 10, qu. 5, art. 3, ad 1m. — [9] De Matrim., cap. 21. — [10] De Captiv. *Babylon.*, cap. de Matrimonio; de impedim. ligaminis (*Argentorati*, typis *Knobloch*, 1524. — In nonnullis editionibus, *Jenæ* excusis, hæc verba desunt. Nota edit). — [11] Anno 1179, in Append., pars 5, cap. 1. — [12] Cap. « Ex parte tua », de conversione conjugator. (III, 32, 14). — [13] Can. « Decreta » 28, caus. 27, qu. 2 (Ep., lib. VII, Ep. 23, ad *Fortunatum* et *Anthemium*). — [14] Cap. unic. « *de Voto* », in 6° (lib. III, tit. 15). — [15] L. c. — [16] Comp. theol. De Matrim., quæst. 5, An solvi possit per professionem, prob. II et quær. 1.

tum creditur, juxta S. Augustini regulam, communiter receptam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissime creditur* [1].

Can. VII. De adulterii effectu.

22. Canone VII° dicitur: *Siquis dixerit, Ecclesiam errare, quum docuit et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit; et eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.*

Explicatur Concilii doctrina.

23. Falso nonnulli asseruerunt, alterius conjugum adulterio item dissolvi matrimonii vinculum; quod colligebant ex Jesu Christi verbis: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur* [2]. Audacter *Launoy* in Tractatu: *De Regiâ in Matrimonium Potestate* [3], probare nititur, usque ad Concilium Tridentinum auctores tenuisse, ex allatis verbis — *nisi ob fornicationem* — adulterio dissolvi vinculum: sed, inquit *Tournely*, ut in multis aliis propositionibus, *Launoy* in hac etiam *profecto castigandus et censurâ notandus* [4] est. Apud S. Marcum dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit* [5]. Et apud S. Lucam: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur* [6]. Hæ propositiones universales sunt, neque admittunt exceptionem, ut scribit S. Augustinus [7]. Et eadem illa verba clare explicant, quomodo debeat intelligi illud S. Matthæi: *nisi ob fornicationem;* quod nempe (ut superius diximus) referendum est ad priorem vocem *dimiserit*, non ad posteriorem *duxerit:* maritum videlicet ob conjugis adulterium per divortium eam toro expellere posse, non autem, solvendo vinculum, aliam ducere. Quod S. Paulus quoque declarat: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere* [8]. Et deinde: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit* [9]. Quare S. Augustinus: *Nullius*, inquit, *viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit* [10]. Et Concilium Tridentinum (citato Canone VII) condemnat eum, qui dicit, *propter adulterium vinculum posse dissolvi.* Quem canonem ad disciplinam, non ad dogma spectare ait *Launoy* [11]; sed *Tournely* [12] recte illi respondet, canone VII dici: Ecclesia *docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium vinculum non posse dissolvi.* Error dogmati, disciplinæ abusus opponitur; quum ergo dicat Concilium, Ecclesiam ita docentem non errare, manifestum est, ad dogma spectare illam doctrinam.

Can. VIII. De separatione conjugum.

24. Canone VIII° dicitur: *Siquis dixerit, Ecclesiam errare, quum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Explicatur Concilii doctrina.

25. Quatuor sunt justæ divortii causæ. Prima est apostasia a fide, juxta Apostolum: *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita* [13]. Altera habetur, si conjux *nolit cohabitare sine injuriâ Creatoris vel pervertendo ad peccatum*, ut declaratur in Cap. *Quanto, de divort.* [14] Tertia est adulterium alterius conjugum, ut constat ex S. Matthæo: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem,... mœchatur* [15]. Quarta esse potest sævitia cum periculo gravis damni in corpore. Kemnitius [16] divortium ob quamcumque causam quantumvis justam improbat; sed qui hac in re secum sen-

[1] De Bapt. contra *Donatistas*, lib. IV, cap. 24. — [2] *Matth.*, XIX, 9. — [3] Pars 3, art. 1, cap. 5. — [4] L. c., De Vinculo apud *Christianos*. — [5] X, 11. — [6] XVI, 18. — [7] De Conjugiis adulterinis, lib. I, cap. 9. — [8] 1 *Cor.*, VII, 10. — [9] v. 39. — [10] L. c., lib. II, cap. 4. — [11] L. c. — [12] L. c., concl., prob. 2°. — [13] *Tit.*, III, 10. — [14] *Innoc.* III, Decretal., lib. IV, tit. 19, cap. « *Quanto* » 7 (Reg., lib II, Ep. 50 *Ferrariensi* Ep.°). — [15] XIX, 9. — [16] Examen Conc. *Trid.*, pars 2, de Matrim, can. 8.

tiat, nondum reperit, quum ab eo Scriptura, SS. Patres et omnes theologi dissideant.

Can. IX. De voto castitatis.

26. Canone IX dicitur: *Siquis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ vel voto; et oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit: quum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.*

Objicitur.

27. Non arrident *Suavi* [1] hæc ultima verba: *quum Deus id recte petentibus non deneget.* Procaciter objicit, legi in Evangelio, non omnibus concedi castitatem, et S. Paulum cohortari eos, qui eam non haberent, ut per conjugium sibi consulant, sed non ut eam petant; quod tamen facilius fuisset, si rectam petitionem impetratio infallibiliter sequeretur. Quot errores quam paucis verbis! Primum, Synodus non loquitur de sæcularibus, quos, quum vocationem ad cælibatum in se non percipiunt, merito ad conjugium exhortatur Apostolus, ne damnentur: *Quodsi non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri* [2]; sed loquitur de ordinatis *in sacris* vel de regularibus, qui ultro ad continentiam se adstringere voluerunt. Deinde, non agit Concilium de dono castitatis, reapse nonnullis concesso per gratiam efficacem, quæ ceteroquin non confertur omnibus; sed de efficacitate precationis, quâ impetratur voti observatio; idque contra *Lutherum*, eos excusantem, qui votum susceptum violarent, quod in se non sentirent doni castitatis gratiam. Quapropter monet Concilium [3], ut qui contra castitatem tentetur, eam a Deo expostulet: nam Deus supra vires eum tentari non sinet. *Suavis* hic refragatur sententiæ omnium Patrum et sacræ Scripturæ, quæ millies tam in novo quam in veteri Testamento nos hortatur, ut in omnibus angustiis ad Deum confugiamus, adjectâ promissione, humilem constantemque orationem certo et semper a Deo exaudiri. Quæ autem hoc canone dicuntur, plane consonant cum iis, quæ in sessione VI, cap. XI, statuerat Concilium: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.*

Respondetur.

Conclusio.

Cælibatus statui ecclesiastico convenit.

28. Quantopere autem Ecclesiæ ministros status conjugalis dedeceat, et quanto jure Ecclesia *in sacris* constitutos ad servandam continentiam adstringat, ex iis videre licet, quæ in fine superioris sessionis XXIII (de sacramento Ordinis) diximus.

Can. X. De perfectione cælibatûs.

29. Canone X dicitur: *Siquis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus; et non esse melius ac beatius, manere in virginitate aut cælibatu quam jungi matrimonio, anathema sit.*

Probatur Concilii doctrina.

30. Qui asserit ea, quæ hoc canone continentur, directe adversatur his Apostoli verbis: *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit.... Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium* [4]. Et his aliis ipsius Redemptoris: *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat* [5].

Can. XI. De nuptiarum solemnitate.

31. Canone XI dicitur: *Siquis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones et alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.*

Can. XII. De causis matrimonialibus.

32. Et Canone XII: *Siquis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.* Cardinalis Bellarminus [6] omnes eas causas matrimoniales, quæ mere civiles sunt,

Explicatur.

[1] L. c., « *Il nono Canone* ». — [2] 1 *Cor.*, VII, 9. — [3] h. l. et sess. 6, cap. 11. — [4] 1 *Cor.*, VII, 38 et 40. — [5] *Matth.*, XIX, 12. — [6] De Sacram. Matrim., cap. 32.

ubi non agitur nisi de bonorum successione, de dotibus vel hæreditate, ad judicia civilia spectare ait. Causæ vero, quæ matrimonii contractum spectant, ut de ejus validitate, de impedimentis, de consanguinitatis aut affinitatis gradibus, ad ecclesiastica judicia pertinent: quum enim contractus a Sacramento non separetur, immo Sacramenti sit fundamentum, ejusmodi causæ omnes spirituales sunt: nam contractûs validitatem dijudicare idem est ac dijudicare validitatem Sacramenti.

Decretum reformationis.

Summa primi capitis.

33. Inde transit Concilium ad conficiendum de matrimonio decretum reformationis, in decem capita distributum. Primo capite declarat, clandestina matrimonia ante Concilium inita solo contrahentium consensu, nec parocho aliisque testibus adstantibus, rata et vera fuisse matrimonia; et similiter eas nuptias, quas sine parentum consensu filiifamilias confecerunt. Tum præscribit, ut priusquam contrahatur, tres fiant ineundi matrimonii publicæ denuntiationes, ut impedimenta dignoscantur; contrahatur deinde coram parocho et duobus tribusve testibus; parochus autem, expostulato conjugum consensu, dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris et Filii et Spiritus-Sancti*, vel etiam aliis utatur verbis pro recepto in singulis provinciis ritu. Locorum Ordinariis porro conceditur facultas justam ob causam dispensandi in ejusmodi denuntiationibus. Eorum vero contractum, qui ausi fuerint, parocho et duobus tribusve testibus non præsentibus, inire matrimonium, irritum declarat Synodus, eosque ad sic contrahendum inhabiles reddit. In eodem capite alia quoque minoris momenti præscribuntur, ut illud perlegenti patebit.

Cap. I. De matrim. clandestin. vel sine parentum consensu contractis.

34. Caput I [1]. *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse et parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Verum, quum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse; et gravia peccata perpendat, quæ ex iisdem clandestinis conjugiis ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt et cum ea in perpetuo adulterio vivunt, cui malo quum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio III celebrati, vestigiis inhærendo, præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur; ubi parochus, viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat:* EGO VOS IN MATRIMONIUM CONJUNGO, IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS-SANCTI, *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur; nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur; quod illius prudentiæ et judicio*

De denuntiationibus.

Quando omitti possint.

[1] Sess. 24, Decretum de Reformatione Matrimonii, cap. 1.

Clandestin. Matrim. invalida declarantur.

sancta Synodus relinquit. Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat. Insuper parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine parocho vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eâdem domo non cohabitent; statuitque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam nisi ab ipso parocho vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat parochus librum, in quo conjugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat; quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta Synodus conjuges hortatur ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie accedant. Si quæ provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne vero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus praecipit, ut, quum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum diœcesum parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam sæpissime fiat; deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eâdem parochiâ factæ numerandos.

A quo parocho benedictio fiat.

Quomodo se præparent conjuges.

De hoc decreto promulgando.

35. Itaque 1^mum^, quod ad matrimonia clandestina attinet, declarat Concilium, ea, quamvis ab Ecclesiâ detestata et prohibita, antea tamen vera fuisse et rata, id est vere Sacramenta; qui vero hoc negaret, anathemate damnat. Hic mirari se ait Petrus *Suavis* [1], et multos (se solum videlicet) non intellexisse dicit, quomodo definiretur, matrimonia clandestina fuisse Sacramenta, quum tamen detestata essent. Sed respondetur, quemadmodum siquis simplici voto castitatis ligatus vel sponsalibus alteri mulieri adstrictus, matrimonium contraheret, peccatum quidem committeret, matrimonium tamen vere esset Sacramentum; ita quoque ante Concilium, matrimonium clandestinum vere fuisse Sacramentum, sed illicite confectum. Arguit deinde *Suavis:* Posito, ea matrimonia vere fuisse Sacramenta, quomodo potuit Ecclesia mutare Sacramenti substantiam et efficere, ut mutuus consensus, in quo substantia Sacramenti consistit, jam non sit idonea materia? Respondetur, Concilium non mutasse materiam, sed conjuges reddidisse inhabiles ad matrimonium contra Ecclesiæ leges ineundum; siquidem, ut suprà diximus, potest Ecclesia aliquas conditiones non quidem Sacramento sed contractui matrimonii adjicere; quæ si desint, nullus est contractus; tunc autem consensus non est contractûs, nec (quod consequens est) Sacramenti idonea materia. Quapropter definivit Concilium: *Qui aliter quam præ-*

Explicatur Concilii doctrina.

Clandestina matrim. olim valida simul et illicita.

Quomodo Ecclesia ea invalida reddere possit.

[1] L. c., « *Mal nel primo* ».

sente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit. Ea tamen declaratio non valet in iis locis, ubi Tridentinum non fuit receptum.

Matrim. invitis parentibus, valida manent.

36. Secundo, matrimonia filiorum familias sine parentum consensu, quamquam Concilium dicit Ecclesiam semper fuisse detestatam eaque prohibuisse, valida tamen declarat, eumque anathemate damnat, qui ea irrita esse diceret. Antea idem definierant Nicolaus I Summus Pontifex [1] et Innocentius III [2]. Vulgo tamen, ut docuerunt S. Leo [3] et Clemens III [4], ejusmodi matrimonia illicita sunt et ob damnum publicum et ob defectum reverentiæ erga parentes. Diximus *vulgo;* si enim parentes consensum injuste negarent, licita sunt. Asserunt novatores et nominatim Kemnitius [5], illud matrimonium numquam posse valere, quod Deum auctorem non habeat. Respondetur, duobus modis Deum posse matrimonii esse auctorem: quatenus est Sacramentum, et quatenus est contractus honestus. Ad Sacramenti rationem quod attinet, satis est ea adesse requisita, quibus voluit Deus, Sacramentum esse validum. Quod autem ad honestatem spectat, siquod matrimonium a filiis familias invitis parentibus injuste contrahatur, Deus illius peccati auctor non est; matrimonium ergo est validum, sed illicitum. In ipso Concilio jam dixerunt Galli, ejusmodi matrimonia illicita esse juxta disciplinam, non vero (ut asserebant novatores) secundum dogma; eamque ob causam ea irrita declarari volebant: Concilium vero decrevit, ea esse valida; sed neque ex edictis Gallicis filiorum matrimonia, dissentientibus parentibus inita, prorsus nulla esse, testatur Tournely [6]; et clerus Gallicanus exposuit, edicta nihil nisi contractum civilem respicere, nec quidquam decernere de ipsius matrimonii validitate. Refert Cardinalis *Pallavicinus* [7], prius statuisse Concilium, ut filii familias contrahere matrimonium non possent ante duodevicesimum annum, ubi de maribus, sextum decimum, ubi de feminis ageretur; nec sine consensu aut patris aut avi paterni, nisi tamen abessent vel injuste dissentirent: postea tamen Concilium, quæ disposuerat, immutavit et ea decrevit, quæ suprà retulimus.

Kemnitii difficultas solvitur.

De Gallorum hac in re sententiâ.

Quid antea statuere vellet Concilium.

37. Tertio definivit Concilium, matrimonia ut valida essent, deinceps contrahi debere coram parocho sive parochi permissu coram alio sacerdote, qui hæc verba proferat: *Ego vos in matrimonium conjungo, cet.* Simulque eos, qui non adstantibus parocho et duobus tribusve testibus nuptias conficere tentarent, ad contrahendum inter se inhabiles declarat. Ex quo infertur, ejusmodi matrimonia ne sponsalium quidem vim habere. Quâ in re scire expedit, Consilium Gallicum regios Oratores jussisse, in Concilio ipsius nomine flagitare, ut rescinderentur matrimonia, quæ sine sacerdotis aliorumque trium testium præsentiâ fierent; illud deinde, suadente quoque Lotharingiæ Cardinali, in generali congregatione ab Oratoribus fuisse petitum, ac postea, ut suprà diximus, a Concilio reapse definitum, quum matrimonia, non adstantibus parocho testibusque contracta, prorsus nulla declaraverit. Si ergo parochus, quum conjuges inter se consensum præbent, vel dormiat vel quid fiat non intelligat, invalidum est matrimonium. Si quæratur, num valeat, si invitus dumtaxat assisteret parochus; invalidum quoque esset judicio eorum, qui sacerdotem matrimonii ministrum esse sentiunt; sed juxta nostram sententiam, contrahentes nempe esse mi-

De parocho et testibus.

[1] Ep. 79, ad *Bulgaros*, n. 3. — [2] Cap. « *Tuæ fraternitatis* » de sponsalibus (IV, 1, 25). — [3] *S. Leo M.*, Ep. 167, ad *Rusticum*, Inquis. 4. — [4] Apud *Gratian.*, Causa 35, quæst. 6, cap. « *Videtur* », 2. — [5] L. c., cap. « *De clandestinis* ». — [6] Comp. theol. De Matrim., quæst. 6, art. 3. — [7] Lib. XXII, cap. 8, n. 10.

nistros, matrimonium reapse valet; quod præterea constat ex Decreto S. C. Concilii, relato apud *Fagnanum* [1]. Affirmat Petrus *Suavis* [2], derisas fuisse voces illas, parocho a Concilio præscriptas: *Ego vos in matrimonium conjungo, cet.;* quod ita *de fide* decerneretur, eas esse Sacramenti formam. Sed respondetur, numquam voluisse Ecclesiam ut fidei articulum declarare, illas voces esse formam Sacramenti; quum sententia, solos matrimonii ministros esse conjuges, non autem sacerdotem, multo communior sit, et sententia contraria a multis auctoribus censurâ notetur, ut proximo numero videbimus.

Quid *Suavis* somniet.

38. Hic ergo loquamur de commemoratâ illâ quæstione, utrum matrimonii ministri sint contrahentes an vero sacerdos, qui præsens adest. Una est eorum sententia, qui sacerdotem ministrum esse dicunt, formam autem allata verba: *Ego vos in matrimonium conjungo, cet.* Hanc tuentur *Tournely* [3] et *Melchior Canus* [4] cum *Estio* [5], *Petro de Marcâ* [6], *Sylvio* [7], *Maldonato* [8], et alii cum Evaristo Papâ, qui dicit, sine sacerdotis benedictione nuptias non carere suspicione fornicariæ vel adulteræ conjunctionis [9]. Tertullianus quoque benedictionem ait, aut signare aut sanctificare matrimonium [10]. Addit *Tournely* [11], in omnibus Sacramentis ministrum esse sacerdotem: sed si contrahentes essent ministri, mulier Sacramentum conferret, quod prorsus pugnare ait cum Sacramenti naturâ.

Quinam sint ministri.

Prima sententia.

39. Nostra ergo sententia est, ipsos contrahentes matrimonii esse ministros: materiam hujus Sacramenti constituere mutuam corporum traditionem, quam conjuges inter se faciunt, et formam, ipsius traditionis acceptationem. Quæ quidem sententia, quam in Theologiâ morali [12] copiose tractavi, ab ipso Melchiore Cano [13] communis vocatur, quod idem facit Bellarminus [14], qui contrariam novam et falsam appellat. Testatur *Merbesius* [15], sententiam Cani ante eum a nullo umquam theologorum probabilem fuisse habitam, *Vasquezium* [16] autem et *Ledesma* [17] asserere, eam sine notâ non posse defendi; *Sotus* [18] porro et *Wigandt* [19], cum *Vegâ* [20], *Lopez* [21], *Henriquez* [22] et *Manuel* [23] eam temerariam vocant. Nostram quoque sequuntur *Jueninus* [24], quum dicit, formam constituere voces et signa, quibus conjugum consensus exprimitur, *Cabassutius* [25],

Altera sententia.

[1] 2 Mart. 1580. Apud *Fagnan.* In 4 Decret. De clandestinis Desponsat., cap. *Quod nobis,* n. 54. — [2] L. c. — [3] Comp. theol. De Matrim., quæst. 3, concl. 2. — [4] De locis theol., lib. VIII, cap. 5. — [5] In Sent. lib. IV, dist. 26, § 10. — [6] *Du Sacrement de Mariage.* — [7] In Suppl., qu. 42, art. 1, quær. 1. — [8] De Matrim., quæst. 1. — [9] Ap. *Gratian.*, causa 30, q. 5, cap. « *Aliter* ». — [10] Ad uxorem, lib. II, cap. 9. — [11] L. c., prob. 4 et 5. — [12] Lib. VI, n. 897. — [13] L. c., « Ostendam ergo ». — [14] L. c., cap. 6 et 7. — [15] Summa *Christ.* De Sacram. Matrim., dissert. 7, quæst. 5. — [16] De Sacr. Matrim., disp. 3, cap. 4, n. 46. — [17] *Petr. de Ledesma.* Tr. de Magno Matrim. Sacr., quæst. 42, art. 1, diffic. 4, concl. 6 et ult. (*a*). — [18] IV Sent., dist. 26, qu. 2, art. 3. — [19] Tribunal Confessarior., tract. 16, n. 10 (*b*). — [20] Summa silva, lib. VI, cas. 117. — [21] Instr. nov., p. 2, de Matrim., cap. 35 (*c*). — [22] Summa theol. mor., lib. XI, cap. 2, n. 7 (*d*). — [23] *Manuel Rodriguez*, Summa Casuum Consc., pars 1, cap. 214, n. 3. — [24] Inst. theol. De Matrim., quæst 1, cap. 1, concl. 4 (*e*). — [25] Juris Canon. Theor. et Praxis, lib. III, cap. 18.

(*a*) Sententiam *Cani* ait, post Conc. Trid. sibi non videri probabilem, sed pro certo tenendum esse, non requiri, etiam in ratione sacramenti, formam ex parte ministri ecclesiastici (Nota edit.).

(*b*) Sententiam communem ipse quidem sequitur; contrariæ vero sententiæ nullam notam apponit (Nota edit.).

(*c*) *Vega* et *Lopez* negant, parochum esse hujus Sacramenti ministrum; *Lopez* adjungit, contrariam sententiam non videri sustentatione dignam (Nota edit.).

(*d*) Affirmat, a *Soto* contrariam sententiam vocari temerariam, sed ipse nullam ei apponit notam (Nota edit.).

(*e*) Illud hoc loco revera docet, de solo contractu agens; postea vero, *quæst. 2, cap. 2, concl. 3,* loquens de Sacramento: *Minister sacramenti matrimonii,* inquit, *non sunt contrahentes, sed solus sacerdos* (Nota edit.).

Frassen[1], *Gonet*[2], *Suarez*[3], *Holzmann*[4], Cardinalis *Gotti*[5], *Benedictus XIV*[6] et innumeri alii doctores, in quibus præsertim S. Thomas, qui ita loquitur: *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale*[7], id est sacra cæremonia, Ecclesiæ præcepto requisita: atque illud sanctos Patres intelligere dicimus, quum requiri ajunt sacerdotis benedictionem. Ut deinde ad illud Tournelii respondeamus, Deum ministros constituisse dicimus juxta uniuscujusque Sacramenti naturam: quum autem matrimonium consistat in contractu, ad Sacramenti dignitatem evecto, voluit Deus, ut ejus ministri essent ipsi contrahentes, quorum esset pactum conficere.

Probatur 1 ex Jure Canonico.

40. Probatur nostra sententia 1^ma^ ex capite *Quanto, de divort.*, ubi docet Innocentius III: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum* (notetur illud verbum), *ut ipsum in conjugibus illo durante perduret*[8]. Idcirco igitur antiquitus fidelium matrimonium clandestinum verum erat et ratum (id est indissolubile), quia erat Sacramentum: *ratum efficit conjugii Sacramentum.* Quapropter, si ante Concilium nuptiæ sine sacerdote initæ Sacramentum erant, necesse est solos conjuges Sacramenti ministros fuisse. Frustra autem cum adversariis respondetur, illud *Sacramentum fidei* non esse matrimonii sed baptismi Sacramentum, quod matrimonium ratum efficeret: siquidem, verum non est, matrimonia inter infideles contracta, rata fieri et indissolubilia per Baptismum; multa enim sunt plurium Pontificum exempla, a Cardenas[9] aliisque, nominatim autem a Benedicto XIV[10] relata, ut Urbani VIII[11], S. Pii V[12] et Gregorii XIII[13], qui etiam post conjugum ab infidelitate conversionem, eorum matrimonia justas ob causas dissoluta declararunt; quod facere non potuissent, si illa matrimonia per Baptismum indissolubilia essent facta. Ergo solum matrimonii Sacramentum ea reddebat indissolubilia.

2 ex Concil. *Florent.*

41. Probatur 2° ex Concilio Florentino, ubi dicitur: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*[14]. Si contrahentes sunt *causa efficiens* matrimonii, sunt quoque non solius contractûs (ut volunt adversarii) sed etiam Sacramenti ministri; Concilii quippe mens non fuit, explicare contractum, sed Sacramentum, quum dicat: *Septimum est Sacramentum matrimonii, cet.*

3 ex Concil. *Trident.*

42. Probatur 3° ex iis, quæ Tridentinum hoc primo Capite statuit; ita enim loquitur: *Qui aliter quam præsente parocho, cet., matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.* Ut igitur valeat matrimonium, satis est, juxta illa verba, conjuges contrahere *præsente parocho,* etiamsi hic vel nihil diceret, vel etiam assisteret omnino invitus. Et juxta Ecclesiæ praxin ejusmodi matrimonia hodie pro validis verisque Sacramentis habentur.

4 ex alio textu Concil. *Trident.*

43. Probatur 4° ex aliis iis verbis, quæ Concilium parocho proferenda assignat, quum ineuntur nuptiæ: *Ego vos in matrimonium conjungo, cet.* Subjungit autem: *vel aliis utatur verbis, juxta receptum*

[1] *Scot.* Academicus, De Matrim., disp. 2, art. 1, quæst. 3, concl. 2. — [2] Man. *Thomistar.* De Sacram. Matrim., cap. 3. — [3] De Sacramentis, disp. 2, sect. 1. — [4] Theol. mor. Tr. de Matr., disp. 2, cap. 2, art. 2, § 1, n. 320. — [5] Theol. Schol. dogm. Tr. de Matr., quæst. 2, dub. 5, n. 2. — [6] De Syn. Diœc., lib. VIII, cap. 13, n. 14 seq. — [7] In Sent. lib. IV, dist. 26, qu. 2, art. 1 ad 1^m^. — [8] Decretal., lib. IV, tit. 19, cap. « *Quanto* » 7 (Reg., lib. II, Ep. 50 *Ferrariensi* Ep.°). — [9] Crisis theologica, pars 4, diss. 2, n. 550 seq. — [10] De Syn. Diœc., lib. VI, cap. 4, n. 5. — [11] Apud *Carden.*, l. c., n. 552, 553. — [12] Breve 2 Aug. 1571. In Thesaur. Resolut S. C. C., tom. IV, p. 36. — [13] Breve 25 Jan. 1585. « *Populis ac nationibus* ». — [14] Decr. pro Unione *Armen.*

uniuscujusque provinciæ ritum: quod dicere non potuisset, si formam Sacramenti illa verba putasset; nequaquam enim credi potest, Concilium pro veris formis accipere voluisse eas omnes, quæ in singulis provinciis adhiberentur. Quam quidem rationem *Pallavicinus* [1] evidentem existimat ad demonstrandum, contrahentes, non vero sacerdotem, esse matrimonii ministros. Præterea Benedictus XIV [2] ita argumentatur: haud raro accidit, inquit, ut conjuges contrahant, *reluctante parocho, ac testibus fortuito adstantibus:* jamvero, si ita fieret, ejusmodi matrimonia, *Cani* [3] judicio, nihil nisi contractus, non vero Sacramenta essent. Ecclesia autem, inquit Benedictus [4], ea pro veris Sacramentis habet, nec postulat, ut deinde, præsente parocho, iterentur; quocirca sacra Pœnitentiaria, quum dispensationem concedit ad ratum habendum aliquod matrimonium, irritum propter occultum impedimentum dirimens, clausulam adjicit: *Secreto et sine assistentiâ parochi et testium reconvalidetur.* Atque ita agendum est, ut adnotat Benedictus XIV [5] cum *Van-Espen* [6], *Habert* [7], *Pontas* [8], ipso *Tournely* [9] et juxta plures S. C. Concilii declarationes [10]. Fateor equidem, Benedictum XIV, quamquam nostræ sententiæ adhæret, in hoc tractatu *de Synodo* (ubi ceteroquin ut doctor privatus loquitur) contrariam sententiam probabilem habere [11]; sed in suo Bullario, ubi ut Pontifex loquitur, in epistolâ ad *Goanum* Archiepiscopum, quæ incipit « *Paucis abhinc* », hæc diserte affirmantem reperio: *Materia... est... mutua... corporum traditio, verbis ac nutibus... assensum exprimentibus...: et mutua... corporum acceptatio, forma* [12]. Responsa ad argumenta adversariorum siquis cognoscere velit, videat, quæ in Theologiâ morali, loco suprà citato, disserui.

5 ex ratione, a *Benedict.* XIV allatâ.

44. Matrimonio assistere debet parochus sive viri sive mulieris domicilii: solet tamen esse parochus mulieris, sed viri parocho annuente. Confer *Tournely* [13]. Siquis alterius parochiæ pastor matrimonio assisteret sine litteris testimonialibus parochi alterutrius conjugis, grave peccatum committeret, et nullum esset matrimonium. Nuptiæ vero initæ coram proprio parocho, sed in alienâ parochiâ, juxta primi hujus Tridentini capitis doctrinam, validæ sunt, quum celebratio matrimonii sit actus jurisdictionis voluntariæ, quæ ubique exerceri potest.

Quis parochus assistere debeat.

45. Ad cetera Concilii capita veniamus. Capite II° agitur de cognatione spirituali, ac de iis, inter quos contrahitur; en verba Concilii: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit ut unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat,*

Cap. II. De cognatione spirituali.

[1] Lib. XXIII, cap. 9, n. 15. — [2] De Syn. Diœc., lib. VIII, cap. 13, n. 8. — [3] De Locis Theol., lib. VIII, cap. 5. — [4] L. c. — [5] *Raccolta di Notificazioni, tom. IV, notif. 20, n. 62 (Instit. 87, n. 62).* — [6] Jus Eccl. Univ., pars 2, tit. 14, cap. 7, n. 10. — [7] Comp. theol. dogm. et moral. De Matrim., cap. 4. — [8] *Diction. des Cas de Consc. Mariage 4, cas 2, 4 et 5.* — [9] Comp. theol. De Matr., quæst. 8, art. 3, quær. 5. — [10] Apud *Benedict. XIV*, l. c. — [11] De Syn. Diœc., lib. VIII, cap. 13, n. 4. — [12] 19 Mart. 1758 (Vide ejus Bullar. [Edit.: *Prati*, 1847], tom. III, p. 2, altera Append., pag. 495). — [13] L. c., quæst. 6, art. 4. De Necessitate præsentiæ parochi, quær. 2.

doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excusari valeant. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si parochi culpâ vel negligentiâ secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

Cap. III. De publicâ honestate.

46. Capite III° agitur de impedimento publicæ honestatis, quæ intra quosdam limites coarctatur: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

Cap. IV. De affinitate ex delicto.

47. Capite IV dicitur, affinitatem ex fornicatione ortam ad secundum gradum restringi: *Præterea sancta Synodus, eisdem et aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum, inducitur et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu conjunguntur, restringit; in ulterioribus vero gradibus, statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.*

Cap. V. De gradibus prohibitis.

48. Capite V prohibetur contrahere intra gradus prohibitos; et præscribitur, quando in iis dispensandum sit: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur et spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quodsi ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis; non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. Si vero, solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro; idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob publicam causam.*

Cap. VI. De raptu.

49. Capite VI plura statuuntur quoad raptores: *Decernit sancta Synodus inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quodsi rapta, a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilòminus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*

Cap. VII. De vagis.

50. Capite VII dicitur, vagos caute matrimonio jungendos esse: *Multi sunt qui vagantur et incertas habent sedes; et, ut improbi sunt ingenii, primâ uxore relictâ, aliam et plerumque plures, illâ vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant; magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint et, re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Cap. VIII. De concubinatu.

51. Capite VIII gravissimæ in concubinatum statuuntur pœnæ: *Grave peccatum est homines solutos concubinas habere; gravissimum vero et in hujus magni Sa-*

cramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere et retinere. Quare, ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit hujusmodi concubinarios, tam solutos quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis et conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti eâ de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a quâ non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quodsi in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjugatæ sive solutæ, quæ cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, et extra oppidum vel diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur; aliis pœnis contra adulteros et concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.

Cap. IX. De dominis et magistratibus.

52. Capite IX dominis seu magistratibus prohibitio fit, nequid faciant adversus libertatem matrimonii: *Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros et mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis et pœnis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis præscripserint. Quare quum maxime nefarium sit, matrimonii libertatem violare, et ab eis injurias nasci, a quibus jura exspectantur, præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo, directe vel indirecte, subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.*

Cap. X. De nuptiarum solemnitatibus.

53. Capite X prohibentur solemnitates nuptiarum certis anni temporibus: *Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit; quas Episcopi, ut eâ quâ decet modestiâ et honestate fiant, curabunt; sancta enim res est matrimonium et sancte tractandum.*

DISPUTATIO XIII.

SESSIO XXV.

DECRETUM DE PURGATORIO.

Purgatorium existere.

1. Jam docuerat Concilium (sess. VI, can. XXX), existere purgatorium; et decreverat: *Siquis, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit, anathema sit* [1]. Quam ob causam decretum, de quo nunc agimus, hæc docet:

Concilii decretum.

2. *Quum catholica Ecclesia Spiritu-Sancto edocta, ex sacris Litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis et novissime in hac œcumenica Synodo, docuerit purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari* [2]; *præcipit sancta Synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus et sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ aliaque pietatis opera, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ constituta, pie et devote fiant; et quæ pro illis ex testatorum fundationibus vel aliâ ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus et Ecclesiæ ministris, et aliis, qui hoc præstare tenentur, diligenter et accurate persolvantur* [3].

Est fidei dogma.

3. Purgatorium existere Catholici pro certo fidei dogmate habent contra antiquos Albigenses ac Waldenses et contra recentes novatores, qui illud rejiciunt ut commentum quoddam, a sacerdotibus, Missarum et exsequiarum emolumenti causâ, excogitatum. *Lutherus* nihilominus aliquando, id est in disputatione Lipsiæ, die 6ª Julii anno 1519 habitâ [4], illud admisit. Nec verum est, respui purgatorium a Græcis schismaticis; negant solum, ad purgandas animas ignem ibi esse; ceterum existere purgatorium, apud Cardinalem *Gotti* [5], ipsi *Rabbini* fatentur.

Probatur 1 ex S. Script. a *Matth. V.*

4. Probatur 1ᵘᵐ ex S. Matthæi verbis: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo: ne forte... in carcerem mittaris. Amen dico tibi: non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* [6].

[1] Sess. 6, can. 30. — [2] Sess. 22, De Sacrif. Missæ, cap. 2 et can. 3. — [3] Sess. 25, Decret. de Purgatorio. — [4] Disputatio; cap. de Purgatorio. — [5] *La vera Chiesa di Cristo, tom. II, part. 1, art. 10, § 2, n. 5.* — [6] V, 25 et 26.

Est igitur in alterâ vitâ carcer quidam, ex quo tandem egreditur qui pœnas cujuslibet levioris peccati persolverit; certum est enim, existere culpas suâ naturâ venialcs, quarum maculâ siquis coinquinatus e vitâ discedit, ad inferni pœnas, utpote Dei amicus, condemnari nequit, sed nec cælum ingredi potest, quo *non intrabit... aliquod coinquinatum* [1]. Ergo in purgatorium commigrat, ibique omni maculâ eluitur. Atque idem dicendum de gravioribus peccatis, remissis quoad culpam, sed quoad pœnam nondum penitus expiatis. Tertullianus, de citatis S. Matthæi verbis agens: *In summâ*, inquit, *quum carcerem illum, quem Evangelium demonstrat, inferos intelligamus, et novissimum quadrantem modicum quoque delictum morâ resurrectionis illic luendum interpretemur, nemo dubitabit, animam aliquid pensare penes inferos* [2]. Idem confirmatur ex Evangelio S. Lucæ: *Quum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in viâ da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi: non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas* [3].

A *Tertull.* confirmatur.

5. Probatur 2° ex S. Matthæi Evangelio, ubi legitur: *Qui autem dixerit* (verbum) *contra Spiritum-Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro* [4]. Quibus verbis sine ullâ dubitatione purgatorium esse demonstratur, ut ajunt S. Augustinus [5], S. Gregorius [6], Beda [7] et S. Bernardus [8]. Sed impius vir, Petrus Martyr nomine, ea per hyperbolen dici asserit. — Hoc modo item hyperbolen dicere poterimus hæc alia S. Matthæi: *Ibunt hi in supplicium æternum* [9], ut sic jam non existat infernus. Objicitur præterea, citatum Evangelium loqui de peccatis contra Spiritum-Sanctum, quæ quidem gravissima sunt; ergone in purgatorio gravia quoque peccata remittuntur? Respondetur, culpam solummodo in hac vitâ remitti, neque id fieri, nisi eam detestemur; in alterâ vitâ autem remitti solas culpas veniales, idque non per pœnas, sed per primum actum caritatis erga Deum, quem anima vitâ excedens eliciet; qui quidem caritatis actus, quum admodum fervidus sit, ejusmodi quoque culparum detestationem includit. Quod deinde ad culpas mortales spectat, non remittuntur in alterâ vitâ; si vero his in terris remissæ fuerint, pœna temporalis, quæ solvenda remanserit, in purgatorio utique remittetur.

b *Matth XII.*

A Patribus confirmatur.

Solvuntur difficultates.

6. Probatur 3° ex Actibus Apostolorum: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni* [10]. Quæ quidem verba intelligi nequeunt de Patribus, in limbo retentis, quum ibi doloribus non afficerentur: ita igitur sunt intelligenda, ut Redemptor nonnullos ex purgatorio liberaverit, ex iis videlicet doloribus, quibus possent liberari; nemo enim liberari potest damnatorum inferni doloribus.

c *Act. II.*

7. Probatur 4° ex S. Pauli textu: *Siquis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* [11]. S. Augustinus [12] Apostolum hic discernere ait duo genera Christianorum, alios ædificium imponentes solidis fundamentis, ut aureis, argenteis, gemmeis, quibus opera sancta significantur, quæ quidem ædificia igne lædi posse negat; alios vero ædificantes in lignis et fœno, — quibus designantur peccata aut

d *S. Paul. 1 Cor. III.*

A Patribus confirmatur.

[1] Apoc., XXI, 27. — [2] De Anima, cap. 58. — [3] XII, 58 et 59. — [4] XII, 32. — [5] De Civ. Dei, lib. XXI, cap. 24, n. 2. — Contra *Julian. Pelagian.*, lib. VI, cap. 15. — [6] Dialogor. lib. IV, cap. 39. — [7] In *Marci* Ev. Exposit., lib. I, cap. 3. — [8] In Cantica, Sermo 66, n. 11. — [9] XXV, 46. — [10] Act., II, 24. — [11] 1 *Cor.*, III, 12-15. — [12] Cfr. De Fide et operibus, cap. 16, præsertim n. 29; Enchiridion, cap. 68, 69.

venialia aut mortalia quidem, sed quorum pœna temporalis nondum plene soluta est, et in quibus ignis aliquid comburendum reperiet, — eosque asserit, igni purgatum iri, ita tamen, ut peccator aliquando per ignem ad salutem perveniat: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Sed*, inquit S. Ambrosius: *quum (Paulus) dicit:* SIC TAMEN QUASI PER IGNEM, *ostendit salvum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non, sicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur* [1]. Atque idem scribit S. Augustinus: *Ita plane, quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis quam quidquid potest homo pati in hac vitâ* [2]. Similiter ita exponunt S. Hieronymus [3], S. Bonaventura [4], S. Anselmus [5], S. Thomas [6] et alii Patres.

e II *Mach.* XII.

8. Probatur 5° ex secundo libro Machabæorum, ubi dicitur, Judam Machabæum Jerosolymam misisse duodecim millia drachmarum argenti, ut pro militibus in bello occisis sacrificium offerretur: *Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans.... Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* [7]. Notentur verba: *ut a peccatis solvantur.*

Objicitur. 1

9. Objiciunt novatores, hunc librum Machabæorum non esse canonicum, quum in Hebræorum catalogo non reperiatur.

Respondetur.

Respondetur, non fuisse quidem canonicum apud Hebræos, esse tamen apud Ecclesiam catholicam; nam in sacrorum Voluminum numero reponitur a Concilio Carthaginiensi III, cap. 47 [8]; similiter ab Innocentio I [9] et Gelasio Papa in decreto de libris canonicis, quod edidit in Concilio septuaginta Episcoporum [10]; item a S. Augustino [11] et S. Isidoro [12].

Objicitur. 2

10. Objiciunt 2°, Judam non de purgatorio, sed de solâ resurrectione esse locutum, ut ex verbis suprà relatis liquet: *Bene et religiose de resurrectione cogitans.*

Respondetur.

Respondetur, purgatorium, licet ibi non nominetur, ex contextu tamen revera designari: Judas enim expressis verbis jussit orari pro illis mortuorum animis, ut a peccatis solverentur, quemadmodum in fine capitis (XII, 46) legitur: *Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

Objicitur. 3

11. Opponitur 3°, ibi non proferri legem aliquam, sed solius Judæ exemplum, qui pro mortuis orari jussit: nos autem non teneri, unius hominis exemplum idcirco imitari, quod ejus mentio in Scripturis fiat.

Respondetur.

Respondet Cardinalis Bellarminus [13], argumentum non sumi ex solius Judæ exemplo, sed ex antiquo usu et solemni ritu veteris Testamenti; ibi enim legitur: (v. 41, 42) *Omnes* (qui cum Judâ erant)... *ad preces conversi;* deinde autem (v. 43): *et factâ collatione, Judas misit, cet.* Quibus ostenditur, ceteros quoque cum Judâ conspirasse, ut suffragium illud mortuis impertirent. Accedit testimonium ipsius sacræ Scripturæ, quæ sanctam et salubrem vocat orationem, ad defunctos a peccatis suis liberandos, Deo adhibitam.

Probatur 2 ex Conc. *Trid.*

12. Postremo, purgatorium esse probatur ex hoc ipso Concilii decreto, quod docet: *Animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio juvari* [14]. Totum porro confirmatur ex communi sanctorum Patrum traditione et generali Ecclesiæ praxi. S. Augustinus, de subsidio, quod fidelium suffragia mortuis afferunt, disserens, ita

Probatur 3 ex Traditione.

[1] Comm. in Ep. 1, ad *Cor.*, III, 15 (Append. — Viri eruditi hoc opus ei abjudicatum volunt. Nota edit.). — [2] Enarrat in Psalm. 37, n. 3. — [3] Comm. in *Amos*, IV, 11. — [4] In Sent. lib. IV, dist. 21, pars 1, dub. 1-3. — [5] In Ep. 1, ad *Cor.*, III, 15 (inter op. *Hervæi*). — [6] In Ep. 1, ad *Cor.*, III, lect. 2. — [7] 2 *Mach.*, XII, 43-46. — [8] a° 397. — [9] Ep. 6, ad *Exsuperium*, cap. 7. — [10] In Conc. *Romano*, a° 494, Libror. Canon. — [11] De Civit. Dei, lib. XVIII, cap. 36. — [12] Etymologiar. lib. VI, cap. 1. — Vide *Bellarm.*, De Verbo Dei, lib. I, cap. 15. — [13] De Purgatorio, lib. I, cap. 3, Ad septimum dico. — [14] Sess. 25, Decr. de Purgat.

S. Aug. loquitur: *Orationibus... S. Ecclesiæ et sacrificio salutari et eleemosynis, quæ pro eorum* (i. e. defunctorum) *spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari.... Hoc enim a Patribus traditum, universa observat Ecclesia* [1]. Et alibi subjungit: *Etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas; ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam* *Tertull.* *commendatio mortuorum* [2]. Tertullianus, de uxore, cujus maritus obiit: *Enimvero*, inquit, *et pro animâ ejus orat, et refrigerium interim adpostulat ei..., et offert annuis diebus dormitionis ejus* [3]. Et de iis rebus, quas Ecclesia facere consuevit, idem Tertullianus: *Harum*, inquit, *et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies* (et re quidem verâ, lex aut præceptum aliquod de iis rebus in Scripturis forsitan reperiri nequit). *Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides* (*a*) *observatrix* [4]: in quarum consuetudinum numero reponit *oblationes pro defunctis* [5]. Præterea, idem auctor maritum quemdam, cujus una uxor decesserat, altera vivebat, ita alloquitur: *Stabis ergo ad Deum, cum tot uxoribus, quot in oratione commemoras? et offeres pro duabus et commemorabis illas duas per sacerdotem..., et ascendet sacrificium tuum liberâ fronte?* [6]

S. Cyprian. **13.** S. Cyprianus: *Neque enim apud altare Dei*, inquit, *meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes... voluit avocare* [7]. Loquitur autem de defuncto; ejus ergo temporibus ad altare jam fiebat oratio pro defunctis. Scribit S. Joannes Chrysostomus: *Non frustra* *S. Joan. Chrysost.* *ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerabilium mysteriorum memoria fiat eorum qui discesserunt* [8]. Et alio loco: *Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ,... ut nos mutuo juvemus* [9]. Alibi autem: *Non est temere hoc excogitatum, nec frustra in memoriam mortuorum sacra mysteria celebramus.... Nam si Jobi illius liberos patris victima purgavit, quid dubites, e nobis quoque, si pro dormientibus offeramus, solatii quiddam illis accessurum?* [10] S. Hieronymus porro ad illa *S. Hieron.* verba: *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes* [11], scribit: *Notandum autem, quod etsi impiis post mortem spes veniæ non est, sunt tamen, qui de levioribus peccatis... post mortem possunt absolvi, vel pœnis... castigati, vel suorum precibus, eleemosynis, Missarum celebrationibus absoluti* [12]. Quæ quidem commentaria, si non sunt S. Hieronymi, saltem ven. Bedæ tribuuntur.

14. S. Gregorius Nyssenus, homines, qui *S. Greg. Nyssen.* recte vixerint, *vel in præsenti vitâ precibus sapientiæque studio* purgatos ait, *vel post obitum per expurgantis ignis fornacem* expiatos, *ad pristinam... felicitatem redire* [13]. — Audacter ponit *Piceninus* [14], eum *Solvitur Picenini difficultas.* Gregorii locum parum prodesse, quum Nyssenus unà cum ceteris Græcis sentiret, etiam damnatorum animas aliquando ex inferis emersuras. Sed tantum abest, ut sanctus vir tetrâ Origenismi labe sese contaminarit, ut alio loco dicat: *Absurdum enim est... eos, qui animi curam gerunt, incertum mortis diem non antevertere, et ardorem excruciantis illius ignis, qui in æternum comburit* (notentur verba) *et nullum umquam refrigerium*

[1] Sermo 172, cap. 2. — [2] De Cura pro mortuis gerenda, cap. 1, n. 3. — [3] De Monogamia, cap. 10. — [4] De Corona Militis, cap. 4. — [5] Ibid., cap. 3. — [6] De exhortatione Castitatis, cap. 11. — [7] Ep. 66, ad Clerum et Plebem *Furnis* consistentem. — [8] In Ep. ad *Phil.*, Homil. 3, n. 4. — [9] In Act. Apost., Homil. 21, n. 4. — [10] In Ep. 1 ad *Cor.*, Homil. 41, n. 4 et 5. — [11] Prov., XI, 7. — [12] *Hieronym.* vel *Beda*, Super Parabolas *Salomonis* allegorica expositio, XI, 7 (inter opera Bedæ). — [13] Orat. de Mortuis. p. med. « Quare ad propositum ». — [14] *Trionfo, cap. 23, n. 5.*

(*a*) Alii legunt: *fidei* (Nota edit.).

S. Ambros. *admittit* [1]. Insuper S. Ambrosius, quum de Valentiniani morte scriberet: *Date Manibus*, inquit, *sancta mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu,.. animam nepotis nostris oblationibus prosequamur* [2].

Calvini impudentia. *Calvinus* non quidem negat, sanctos Patres docuisse, Apostolicam esse traditionem, existere purgatorium, ubi emundentur animæ; sed procaciter: Patres illos, inquit, *in eo dico aliquid humani passos esse* [3]; eos nempe (id enim dicere voluit) rebus falsis vel superstitiosis fidem adjunxisse. Sed jam ad ea veniamus, quæ objiciunt hæretici, ut purgatorium esse negent.

Contra purgatorii existentiam objicitur 1

15. Objiciunt novatores 1um, in Scripturis non fieri mentionem nisi de duobus alterius vitæ locis, de paradiso et de inferno, non autem de purgatorio: *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit* [4]. Respondetur, Scripturas ibi agere de duobus æternis receptaculis, ubi post judicium, quum purgatorium jam non erit, collocabuntur animæ. Præterquam quod, ita recte Bellarminus [5], dicendum est, eos qui temporalium tantum pœnarum debitores moriuntur, ad æternæ salutis Austrum cadere, minime vero ad Aquilonem mortis sempiternæ, quum sola temporalia debita exsolvenda supersint.

Respondetur.

Objicitur 2

16. Objicitur 2° hic locus Apocalypsis: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur! Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* [6]. Cum S. Anselmo [7] in hunc locum responderi potest, ibi non significari tempus mortis sed extremi judicii, de quo S. Joannes loquitur; et vocem *amodo* eo referri debere. Sed melius respondetur, eo textu non designari omnes, qui in gratiæ statu moriuntur, sed solos perfectos, qui propter patientiam sanctaque opera omni labe purgati ex hac vitâ discedant.

Respondetur.

Objicitur 3

17. Objicitur 3°, in alterâ vitâ nullum peccatum remitti; tum quia ad terminum jam sit perventum, omnesque extra viam sint, tum quod in alterâ vitâ nullus detur pœnitentiæ locus; sine pœnitentiâ autem nullum peccatum remittitur. Respondetur (ut nonnulli existimant), animam post mortem, etiamsi in viâ non sit, propter perfectam erga Deum caritatem et odium, quod unà adversus peccatum suscipiat, ab omni culpâ absolvi. Aut etiam (ut alii theologi opinantur) purgatorii animas quodammodo esse in viâ, quum nondum pervenerint ad terminum, beatificæ gloriæ possessionem; eamque ob causam in iis locum dari posse pœnitentiæ, quâ culpæ remittantur. Sed prior responsio magis congruens videtur.

Respondetur.

Objicitur 4

18. Objicitur 4°, nullam remanere exsolvendam pœnam, quum culpæ remittantur per Jesu Christi merita, quorum pretium est infinitum. Respondetur, quamvis remittantur culpæ per Christi merita, velle tamen justitiam, ut pœna temporalis nondum expensa, exsolvenda maneat. Sed reponunt: si pœnarum remissio per nostras satisfactiones obtinetur, dicendum est, aut pœnam peccatis debitam non per Christi satisfactionem, sed per nostra opera satisfactoria nobis remitti, aut quodlibet peccatum dimitti per duas satisfactiones, unam Christi, nostram alteram. Respondetur: Christi satisfactio sine ullâ dubitatione satis esset, ut nos omnino liberaret a satisfaciendi obligatione; vult tamen Deus, nos quoque satisfactionem nostram afferre, quæ ad solvendas debitas pœnas eatenus valet, quatenus vim suam a Jesu Christi satisfactione mutuatur.

Respondetur.

Objicitur 5

19. Objicitur 5°, pœnam esse propter culpam; remotâ igitur culpâ, nullam exsolvendam pœnam posse remanere. Respondetur, per peccatum duo debita sive duos reatus, et culpæ et pœnæ, contrahi. Deus culpæ reatum peccatori contrito remittit, eique, denuo in amicitiam suam recepto, æternam pœnam condonat; sed merito

Respondetur.

[1] Adhort. ad pœnitent. Homil. 13 *S. Asterii Amaseni*); cfr. Orat. catechet., cap. 40. — [2] De Obitu *Valentiniani* Consolatio, n. 56. — [3] Instit., lib. III, cap. 5, n. 10. - [4] Eccl., XI, 3. - [5] De Purg., lib. I, cap. 12, obj. 3. - [6] Apoc., XIV, 13. - [7] Enarr. in Apocal. in h. l. (inter op. *Anselmi Laudunen.*).

postulat, ut persolvat deinde pœnam temporalem: quemadmodum princeps eum, qui deliquerit, in gratiam quidem admittit, obligat tamen ad aliquam pœnam sustinendam.

Objicitur 6

20. Objicitur 6°, ad merendum idem requiri quod ad satisfaciendum; in purgatorio autem non posse mereri, ergo neque satisfieri. Respondetur, quamvis in purgatorio meritum esse non possit, ad quod et libertas et status viatoris requiratur, posse tamen persolvi pœnam, non eam quidem meritoriam, sed revera satisfactoriam. Verum est, in præsenti vitâ a Deo præmium etiam tribui operibus satisfactoriis, quia utpote libera, meritoria quoque sunt; sed in alterâ vitâ, ubi neque est status viæ, neque animæ suâ electione sed necessitate coactæ satisfaciunt, merito non est locus.

Respondetur.

Objicitur 7

21. Objicitur 7° textus Ezechielis: *Si autem impius egerit pœnitentiam..., omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor* [1]. Si Deus affirmat, peccatoris contriti iniquitates se oblivisci, de pœnâ exigendâ non cogitabit. Respondetur cum Bellarmino [2], non recordari iniquitatum, hoc significare, Deum jam non servare inimicitiam cum peccatore; minime vero, Eum remittere quamlibet pœnam debitam.

Respondetur.

Objicitur 8

22. Objicitur 8° alius S. Pauli textus: *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur,... habemus domum non manufactam, æternam in cælis* [3]. Ergo post mortem non in purgatorium, sed in cælum migramus. Respondetur cum eodem Cardinale Bellarmino [4], Apostolum hic asseverare, patere cælum post mortem, ante mortem non patere. Quod quidem constat ex adjectis verbis: *Si tamen vestiti, non nudi inveniamur* [5]. Ceteri enim, qui post mortem non sunt induti veste nuptiali, idest nondum prorsus purgati, *salvantur per ignem*, ut ipse alio loco [6] jam dixerat. Confer num. 7.

Respondetur.

23. Objiciuntur 9° hæc S. Ambrosii verba: *Qui... hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit* [7]; nimirum in patriâ beatorum. Ergo, inquiunt, in alterâ vitâ numquam remittuntur peccata ei, cui in præsenti remissa non fuere: quocirca, S. Ambrosii judicio, non est purgatorium, quod nos esse credimus. Respondetur, S. Ambrosium loqui velle de iis peccatoribus, qui cum gravibus culpis ex hac vita discedunt, ut liquet ex iis, quæ proxime subjungit: *Non erit autem, qui ad vitam æternam non poterit pervenire, quia vita æterna remissio peccatorum est* [8]. Remissio peccatorum vita æterna *inchoata* vocatur.

Objicitur 9

Respondetur.

24. Quæritur 1^um^, quisnam sit locus, ubi animæ purgentur. Tres sunt opiniones: alii dicunt, quemlibet eo ipso loco, ubi peccaverit, pœnas quoque esse soluturum. Quod quidem, si non omnibus, nonnullis saltem, pro divinis judiciis, fieri valde probabile est; et plura ejus rei exempla ab auctoribus, præcipue a S. Gregorio [9], referuntur. Alii dicunt, purgatorium eodem esse loco atque infernum: quod etiam probabile est. Nec refert, ibi quoque eos detineri peccatores, qui ad æternos cruciatus damnati sint: quandoquidem in eodem carcere custodiri possunt et in perpetua vincula damnati et asservati per aliquod temporis spatium. Alii denique asserunt, et hæc quidem communior est sententia, purgatorium esse locum quemdam distinctum, inferno superiorem, sed etiam intra terræ viscera, quem *lacum profundum* Ecclesia vocat: *Libera animas... defunctorum de pœnis inferni et de profundo lacu.* Alii præterea dicunt, nonnullis animis, quæ levissimis tantum culpis infectæ sint, non aliud esse purgatorium, nisi beatificæ visionis privationem. Refert Venerabilis Beda [10], ostensum fuisse animæ cuidam locum amœnum, sed extra cælum; atque ejusdem rei plura adducit exempla Dionysius Carthusianus [11]; simi-

Quæstiones de purgatorio. M Ubi sit.

De carcere honorato.

[1] XVIII, 21 et 22. — [2] L. c., obj. 4. — [3] 2 *Cor.*, V, 1. — [4] L. c., obj. 8. — [5] 2 *Cor.*, V, 3. — [6] 1 *Cor.*, III, 15. — [7] De Bono Mortis, cap. 2, n. 5. — [8] Ibid. — [9] Dialogor. lib. IV, cap. 40 et 55. — [10] Hist. Eccl. Gentis *Anglor.*, lib. V, cap. 12. — [11] Dialogus de Particulari Judicio, art. 31.

liter ait Bellarminus [1], illud non esse improbabile.

b quamdiu illic remaneant animæ.

25. Quæritur 2°, quamdiu protrahantur purgatorii pœnæ. Ait Origenes [2], post resurrectionis diem animas indigere aliquo sacramento, quod perfecte eas eluat, ut ad gloriam admittantur; sed opinio hæc rite confutata est a S. Augustino [3], qui dicit, nullas exsolvendas esse pœnas, nisi ante extremum judicium. Dominicus *Soto* [4] contrà asserit, purgatorii pœnas, earum gravitatis ratione habitâ, non excedere decem annorum spatium: sed neque ista opinio probabilis videtur; licet enim Deus, pœnarum intensione augendâ, efficere possit, ut anima ab omnibus culpis purgata existat, id quod fortasse pluribus animis fecit; vulgo tamen magni peccatores plus decem aut viginti annos, vel etiam diutius purgatorii dolores sustinere debebunt, ut ostendunt multæ visiones, a Bedâ [5] relatæ, quæ memorant, plures animas condemnatas fuisse ad cruciatus usque ad diem judicii subeundos. Idem confirmatur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ suffragia a defunctis, dum adhuc viverent, determinata, omitti non sinit, etiamsi a centum vel ducentis annis jam obierint.

c de pœnis purgatorii.

26. Quæritur 3°, quibusnam pœnis in purgatorio eluantur animæ. Asseruit *Lutherus* [6], at falso, eas desperatione torqueri. Nonnulli Catholici volunt, quasdam animas nullâ aliâ pœnâ affici nisi salutis suæ dubitatione; sed Bellarminus [7] cum communi theologorum sententiâ recte dicit, de suâ salute singulas in purgatorio animas esse certas. Ratio est, quod omnes animæ in judicio particulari certo comperiunt, sintne in æternum salvæ an perditæ; eamque certam salutis cognitionem sanctis illis animis magno levamento esse ait S. Bonaventura [8]; ipse quoque Dei amor, quo repletæ sunt, de salute suâ certas eas reddit. Præterea certum est, omnium gravissimam pœnam iis esse pœnam damni, idest procrastinatam sibi Dei visionem. Certum est quoque, eas pœnam sensûs perpeti; quum enim in quolibet peccato conversio ad creaturas reperiatur, merito deinde per creaturas puniuntur. Quod ad dubium attinet, utrum purgatorii ignis sit corporeus, an vero, ut nonnulli volunt, per metaphoram dictus pro formidine, angoribus vel conscientiæ stimulis, nihil quidem hac de re definivit Ecclesia; communis tamen theologorum sententia est, ut ait Bellarminus [9], eum esse ignem vere materialem. S. Gregorius [10] diserte asserit, corporeum esse illum ignem; atque idem sentit S. Augustinus [11]. Huc accedit, quod pœnæ, in alterâ vitâ peccatoribus servatæ, ignis vocantur in Scripturâ; est autem regula omnibus nota, verba Scripturæ proprie accipienda esse, quoties proprie explicari possint.

d num dæmones ibi crucient animas.

27. Item quæritur, num animæ in purgatorio revera a dæmonibus torqueantur: negat S. Thomas [12]; quia quum in hac vitâ diabolos superaverint, eas ab ipsis ultra vexari non deceat. Plures nihilominus apud Carthusianum [13], Venerabilem Bedam [14] et S. Bernardum [15] sunt revelationes, quæ referunt, eas animas etiam a dæmonibus cruciari.

e de pœnarum gravitate.

28. Quod ad gravitatem pœnarum in purgatorio spectat, S. Augustinus, de pœnâ ignis disserens: *Gravior tamen erit ille ignis*, inquit, *quam quidquid potest homo pati in hac vitâ* [16]. Idem habet S. Gregorius [17], atque idem confirmant revelationes Bedæ [18] et S. Birgittæ [19]. Et S. Thomas [20] scribit, minimam sensus pœnam in purgatorio majorem esse maximâ pœnâ hujus vitæ, idque præter pœnam damni,

[1] De Purg., lib. II, cap. 7. — [2] In *Lucam*, Homil. 14. — [3] De Civ. Dei, lib. XXI, cap. 16. — [4] In Sent. lib. IV, dist. 19, quæst. 3, art. 2. — [5] L. c. — [6] Disput. habita *Lipsiæ*, a° 1519, cap. de Purgat. — [7] L. c., lib. II, cap. 4. — [8] In Sent. lib. IV, dist. 20, pars 1, art. 1, quæst. 4, ad 3^m. — [9] L. c., cap. 11. — [10] Dialog. lib. IV, cap. 29. — [11] De Civ. Dei, lib. XXI, cap. 10. — [12] In Sent. lib. IV, dist. 21, quæst. 1, art. 1, solutio V. — [13] De quatuor hominis Novissimis, pars 3, art. 13-15. — [14] L. c., lib. III, cap. 19. — [15] Vita *S. Bernardi*, lib. I (auct. *Guillelmo*), cap. 10. — [16] Enarr. in Ps. XXXVII, n. 3. — [17] *S. Greg. M.* In 7 Ps. Pœnit. Expositio, Psalm. III, v. 1. — [18] L. c., lib. III, cap. 19; lib. V, cap. 12. — [19] Revelationes, lib. IV, cap. 7. — [20] In Sent. lib. IV, dist. 21, quæst. 1, art. 1, solutio III.

quæ certo tam in inferno quam in purgatorio omnem sensus pœnam ultra modum superat. Verumtamen S. Bonaventura [1] ait, non omnem purgatorii pœnam hujus vitæ pœnas superare; quæ quidem sententia Bellarmino placet [2]; nam licet privatio Dei visionis magnam molestiam afferat, multum tamen mitigatur certâ notitiâ illius visionis aliquando fruendæ; subjungit autem, quo magis propinquet cuilibet animæ sui purgatorii finis, eo magis semper decrescere molestiam. Huc quoque spectat illud S. Augustini, minimam pœnam damni, si tamen æterna sit, majorem esse omnibus pœnis hujus vitæ. Nota: *si illa sit æterna* [3]; proinde, nec damni pœna in purgatorio semper major est cunctis hujus vitæ molestiis.

DE SUFFRAGIIS, QUÆ A FIDELIBUS PRO ANIMABUS IN PURGATORIO DEFERUNTUR.

Hæreticorum errores confutantur.

29. Superioribus numeris, quum purgatorium esse demonstraremus, hac de re jam plura diximus; hic superest, ut breviter singularia quædam afferamus. Primus Aerius suffragia defunctis prodesse negavit; sed in hæreticorum numero habitus est, ut testatur S. Epiphanius [4]. Idem asserunt Protestantes; Ecclesia vero affirmat, *ex sacris Litteris et antiquâ Patrum traditione, in sacris Conciliis et novissime in hac œcumenicâ Synodo* (doceri), *purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio, juvari* [5]. Superius idem probavimus ex auctoritate libri Machabæorum: *Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* [6] (vide suprà, n. 8); et ex communi auctoritate Patrum, qui testantur eam esse Ecclesiæ traditionem et universalem consuetudinem. S. Augustinus, de levatione agens, quam vivorum suffragia defunctis afferunt: *Orationibus... S. Ecclesiæ*, inquit, *et Sacrificio salutari et eleemosynis, quæ pro eorum* (i. e. defunctorum) *spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari.... Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia* [7]. Et alibi adjungit: *Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas; ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum* [8]. Quæ sola S. Augustini testimonia (ceteroquin superius jam allata) sufficerent ad stabiliendum, quam recte fiant suffragia. Cetera SS. Patrum documenta, suprà (a numero 12 et deinceps) adducta, idem confirmant. Et in omnibus Apostolorum Liturgiis orationes pro defunctis reperiuntur.

Solvitur difficultas.

30. Objiciunt, Ecclesiam ad sacrificium Missæ hanc pro defunctis orationem persolvere: *Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda... dum veneris judicare sæculum per ignem.* Ergone orationibus, inquiunt adversarii, etiam ex inferno liberari possunt animæ? Respondetur, ea verba non esse referenda ad ipsum Missæ tempus, sed aut ad horam mortis, ac si anima vitâ nondum excessisset, aut etiam ad tempus extremi judicii.

Objectio cum responsione.

31. Objicitur quoque, Deum, sicut alterum pro altero non puniat, ita alterius opera pro altero non accipere. Respondetur, fallacem esse eam argumentationem: quandoquidem unum pro alio punire, injustitiæ esset; accipere vero opus, quod pro altero alter offerat, justitiam neutiquam lædit, sed caritatem inter homines fovet, Deique misericordiæ consentaneum est.

Num animæ pro nobis orare possint.

32. Hic postremo quæritur, num animæ in purgatorio pro nobis precari possint. S. Thomas Angelicus [9] ait, purgatorii ani-

[1] In Sent. lib. IV, dist. 20, pars 1, art. 1, quæst. 1. — [2] L. c., lib. II, cap. 14. — [3] Enchiridion, cap. 112. — [4] Adversus hæreses; hæres. 75. — [5] Sess. 25, Decr. de Purgat. — [6] 2 *Mach.*, XII, 46. — [7] Sermo 172, cap. 2. — [8] De Cura pro mortuis gerenda, cap. 1, n. 3. — [9] 2ª 2æ, qu. 83, art. 11 ad 3m.

mas, quum earum conditio sit, sua per pœnas debita persolvere, pro nobis preces adhibere non posse: *Non sunt in statu orandi*, inquit, *sed magis ut oretur pro eis.* Sed multi alii iique graves auctores, ut Bellarminus [1], Sylvius [2], Cardinalis Gotti [3], cet., dicunt, eas animas, licet in illo statu, quo nostris precibus indigeant, nobis sint inferiores, posse tamen, ut Deo dilectas, pro nobis deprecari, et pie credi debere, Deum iis detegere, quid petamus, ut pro nobis orent, atque ita egregium illud caritatis commercium mutuo servetur.

Quænam in eâdem sessione statuta sint.

33. In eodem Decreto hujus vicesimæ quintæ sessionis Concilium, de purgatorio sermone habito, agere instituit de Sanctorum invocatione et de veneratione, quâ eorum Reliquiæ et sacræ Imagines colendæ sunt.

DISPUTATIO XIV.

DE INVOCATIONE, VENERATIONE ET RELIQUIIS SANCTORUM, ET SACRIS IMAGINIBUS.

(EADEM SESSIO XXV).

Concilii Decretum.

1. *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis christianæ religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem et sacrorum Conciliorum decreta, imprimis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore et legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos, unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero, qui negant Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes invocandos esse; aut qui asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei adversarique honori unius Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, vel stultum esse in cælo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire. Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus-Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur; ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causâ Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia. Imagines porro Christi, Deiparæ virginis et aliorum Sanctorum, in templis præsertim*

De Sanctorum invocatione.

De venerandis reliquiis.

[De colendis imaginibus.

[1] De Purg., lib. II, cap. 15. — [2] In Suppl., qu. 71, art. 6, ad 1m. — [3] Theol. Schol.-dogm. Tr. De Statu animarum post hanc vitam, quæst. 4, dub. 2, n. 29.

habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per Imagines, quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ Synodi, decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.

De fructu ex imaginum cultu percipiendo.

2. *Illud vero diligenter doceant episcopi, per historias mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum et ad pietatem colendam. Siquis autem his decretis contraria docuerit aut senserit, anathema sit. In has autem sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nullæ falsi dogmatis Imagines et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Quodsi aliquando historias et narrationes sacræ Scripturæ, quum id indoctæ plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione et Imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quæstus eliminetur; omnis denique lascivia vitetur; ita ut procaci venustate Imagines non pingantur nec ornentur, et Sanctorum celebratione ac Reliquiarum visitatione homines ad commessationes atque ebrietates non abutantur; quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Postremo tanta circa hæc diligentia et cura ab episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum aut præpostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat; quum domum Dei deceat sanctitudo. Hæc ut fidelius observentur, statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati et pietati consentanea judicaverit. Quodsi aliquis dubius aut difficilis abusus sit exstirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, Episcopus, antequam controversiam dirimat, metropolitani et comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam exspectet: ita tamen, ut nihil, inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.*

De tollendo abusu.

De Episcopi vigilantiâ et auctoritate.

3. Hic igitur quatuor paragraphis seorsum agemus: 1ᵘᵐ de cultu Sanctorum; 2° de eorum invocatione; 3° de eorum reliquiis; 4° de sacris imaginibus.

Materiæ divisio.

§ I.

DE CULTU SANCTIS EXHIBENDO.

Explicatur doctrina de cultu sanctorum.

4. Sanctis debitum cultum primus denegavit Simon magus, quum discipulis præciperet, ut non Sanctorum, sed suam suæque uxoris Helenæ imaginem colerent [1]. Calvinus [2] deinde et qui eum sequuntur, quemcumque honorem Sanctis tribuendum esse negant. — Differt honor a laudibus et adoratione. *Honor* exhibetur signis externis; *laudes* tribuuntur verbis; *adoratio* non solum utrumque complectitur, sed addit etiam venerationem internam; hanc autem Sanctis deferri oportet propter eorum excellentiam supranaturalem. Hanc nobis inferunt calumniam hæretici, quod Sanctis eumdem honorem habeamus, quem Deo tribuimus; nos vero dicimus, Sanctis propter eorum virtutes supranaturales cultum deberi, quem *duliam* vocamus; divinæ Matri cultum *hyperduliæ* propter præstantiora ejus dona et virtutes; cultum denique *latriæ* soli Deo propter infinitas ejus perfectiones; item Jesu Christo ob unionem hypostaticam, quâ ejus caro cum Verbi Divinitate est conjuncta. Illi cultus vocantur religiosi, quum differant et a civili cultu, quem hominibus propter virtutes naturales tribuimus, et a cultu politico, quo propter dignitatem principes et magistratus colimus.

Veneratio an adoratio.

5. Si quæratur, utrum Sanctis debeatur tantum veneratio, an etiam possint adorari, de solo nomine quæritur; nam satis est, Deum ut supremum Dominum adorari cultu latriæ, Sanctos autem duliæ cultu tamquam Dei servos et nostros apud divinam ejus Majestatem deprecatores. Ceterum in Synodo VII, sive Nicænâ II, Actione VI dicitur: *Sive igitur placebit, salutationem sive adorationem appellare, idem profecto erit, modo sciamus excludi latriam; hæc enim est alia a simplici adoratione, ut alibi sæpe est ostensum* [3].

Probatur vera doctrina a ex S. Scripturâ.

6. *Lutherus* (in Evangelium Dominicæ XXIII post Trinitatem) [4] omnem cultum Sanctorum rem diabolicam; *Centuriatores* [5] autem idololatriam vocant. Alii *Lutherani* dicunt, speciali quodam cultu dignos esse Sanctos et potissimum beatam Virginem, quæ de seipsâ prædixit: *Beatam me dicent omnes generationes* [6]; concedere tamen nolunt, hunc cultum esse religiosum; quapropter invocationes, peregrinationes ceteraque pia obsequia respuunt. At vero, ex Scripturis constat, Abraham adorasse angelos [7], Saul autem animam Samuelis Prophetæ [8], filios prophetarum denique Eliseum, quum audissent, spiritum S. Eliæ super eum requievisse [9]. Ipse Deus Sanctos honorat, ut apud S. Joannem dicitur: *Siquis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* [10]. Si Deus servos suos honorat, quî fieri potest, ut nos prohibeamur eos honorare? *Quisquis... honorat martyres*, inquit S. Ambrosius, *honorat et Christum* [11]. Et S. Cyprianus: *Sacrificia pro eis semper... offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversariâ commemoratione celebramus* [12]. S. Joannes Damascenus: *Honorandos esse*, ait, *Sanctos, ut Christi amicos et Dei filios ac hæredes* [13]. S. Basilius: *Ecclesia*, inquit, *per hoc quod eos honorat, qui præcesserunt, præsentes*

ex Traditione.

[1] *S. Epiphan.* Adversus Hæreses; hær. 21, n. 3. — [2] Instit., lib. I, cap. 11, n. 11; cap. 12, n. 1 et 2. — [3] a° 787. — [4] Dom. a Trinit. 23 (*Argentorati*, 1527, tom. V). — [5] Hist. Eccl. Centur. I, lib. II, cap. IV, tit. de Oratione. *Hoc unum monendum duximus*, inquiunt; *in scriptis Apostolorum..., ut idololatriam, omnes creaturarum adorationes damnari* (Nota edit.). — [6] *Luc.*, I, 48. — [7] Gen., XVIII, 1; vide etiam XIX, 1. — [8] 1 Reg., XXVIII, 14. — [9] 4 Reg., II, 15. — [10] *Joan.*, XII, 26. — [11] Sermo 54, n. 5 (inter dub. Nota edit.). — [12] Ep. 34, ad Clerum et plebem, n. 3. — [13] De Fide Orthodoxa, lib. IV, cap. 15.

impellit[1]. S. Hieronymus: *Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum*[2]. Theodoretus: *Atqui nos (Græci), homines, nec hostias martyribus nec libamina ulla deferimus, sed ut sanctos homines, Deique amicissimos honoramus*[3]. S. Augustinus: *Populus autem Christianus*, inquit, *memorias martyrum religiosâ solemnitate concelebrat*[4]. Tot sanctorum Patrum testimonia profecto persuadere nobis debent, non solum nefas non esse, sed etiam nos oportere cultu religioso venerari Sanctos tum propter eorum supranaturalem excellentiam et gratiam sanctificantem, quâ in sempiternum decorati erunt; tum propter visionem Dei, quâ fruuntur, et fruituri sunt in æternum.

Objicitur 1 Respondetur.

7. Opponitur 1[um] illud Apostoli: *Soli Deo honor et gloria*[5]. Respondetur, ut suprà, soli Deo omnem honorem deberi propter ejus infinitam et increatam sanctitatem; illud tamen minime impedire, quominus ob sanctitatem, a Deo iis impertitam, Sancti quoque honorentur. Inde liquet, quam inepte asserant hæretici, per cultum Sanctis habitum derogari cultui, quem Deo debemus; honor quippe Sanctis exhibitus, inquit S. Hieronymus (ut suprà vidimus), ad Deum, eorum sanctitatis auctorem, redundat[6]. Ita quoque respondet S. Augustinus ad eos, qui honorando S. Petro imminui ajunt honorem Jesu Christo debitum: *In Petro*, inquit, *quis honoratur, nisi Ille defunctus pro nobis? Sumus enim Christiani, non Petriani*[7].

Objicitur 2 Respondetur.

8. Objicitur 2°, nos, Sanctos honorantes, veram idololatriam admittere, quod et iis Altaris sacrificium offeramus. Sed prorsus falsum hoc est; soli Deo, ut supremo nostro Domino, Missas offerimus; quamquam Deo offeruntur, ut gratias Ei agamus pro beneficiis ac donis, quæ Sanctis suis est elargitus, Eumque precemur, ut per eorum intercessionem gratias exoptatas impertire nobis dignetur. Similiter, licet multa et templa et altaria alicujus Sancti nomen referant, cuncta tamen et templa et altaria Deo eriguntur.

Objicitur 3 Respondetur.

9. Objicitur 3°, nos beatæ Virgini eum honorem tribuere, qui soli Deo et Christo debetur, quum eam corredemptricem, mediatricem et spem nostram dicamus. Respondetur, nos Mariam *corredemptricem* vocare, non quod unà cum Jesu Christo redemerit homines, sed, ut ait S. Augustinus, quia, quum et capitis nostri Jesu Christi sit mater, et caritate suâ unà adjuverit, ut fideles in Ecclesiâ ad gratiam nascerentur, nostra quoque mater facta est, quum illius capitis membra simus: *Plane mater membrorum ejus, quod nos sumus; quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesiâ nascerentur, quæ illius capitis membra sunt*[8]. Quum Redemptoris esset mater carnalis, spiritualis quoque omnium fidelium mater evasit. Quamdiu vixit, excelsa illa Virgo per suam erga homines caritatem ad eorum salutem cooperata est, potissimum vero, quum in Calvariæ monte Filii vitam æterno Patri pro nostrâ salute obtulit. Eam quoque *mediatricem* vocamus, non tamen justitiæ, sed gratiæ: unus quippe justitiæ mediator est Jesus Christus, qui per merita sua reconciliationem cum Deo hominibus impetravit. Maria, sicut et ceteri Sancti omnes, gratiæ mediatrix est apud Deum; at mediatrix, multo antecellens Sanctis, quorum quidem preces sunt servorum, quum preces Mariæ sint matris preces, quæ repulsam numquam referunt, ut ait S. Bernardus: *Quæramus gratiam, et per Mariam quæramus; quia quod quærit, invenit, et frustrari non potest*[9]. Quocirca S. Petrus Damianus ita eam compellat: Domina, *nil tibi impossibile, cui possibile est etiam desperatos in spem beatitudinis relevare.... Nam et Filius nihil negans honorat te*[10]. Atque ita intelligenda sunt verba, quibus idem Sanctus (cum tanto

[1] Homil. 23 in *S. Mamantem*, n. 2. — [2] Ep. 109, ad *Riparium*, n. 1. — [3] *Græcarum* Affectionum Curatio, Sermo 8. — [4] Contra *Faustum Manichæum*, lib. XX, cap. 21. — [5] 1 *Tim.*, I, 17. — [6] Ep. 109 ad *Riparium*, n. 1. — [7] Enarr. in Ps. XLIV, n. 23. — [8] De sancta Virginitate, cap. 6. — [9] Sermo de Aquæductu, in Nativitate *B. M. V.*, n. 8. — [10] Sermo 44, de Nativitate *B. M. V.*

Picenini [1] Calvinistæ horrore) eam alloquitur: *Accedis... ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans, domina, non ancilla* [2].

Objicitur 4

10. Objicitur 4°, Sanctis non competere duliæ cultum, quem iis tribuimus, quum nos non simus Sanctorum servi sed conservi. Respondetur, nos esse solius Dei, supremi nostri Domini, servos; posse tamen, latiori quodam sensu, Sanctorum quoque servos vocari, tum propter eorum excellentiam, omni labe purgatam, tum maxime propter regnum cæleste, quod possident atque in æternum possidebunt, quum nos his in terris nec peccatis immunes, nec certi simus, in numerum beatorum nos esse adscriptos; eamque ob causam Sanctos debito duliæ cultu merito veneramur.

Respondetur.

§ II.

DE SANCTORUM INVOCATIONE.

Explicatur Concilii doctrina.

11. Asseruerunt *Vigilantius* [3] et *Wiclef* [4], Sanctorum invocationem vanam esse atque inutilem; sed Concilium Tridentinum in decreto allato præcipit Episcopis, ut contrarium doceant: *Sanctos* videlicet, *unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare* [5]. Si fructuosum est, vivos fideles alterum alterius precibus se commendare, tanto magis proderit, invocare Sanctos, ut suis precibus, quæ multo magis valent, nobis auxilientur. S. Paulus discipulorum precibus commendatum se voluit: *Orationi instate... orantes simul et pro nobis* [6]. Et alio loco, ad Romanos scribens: *Obsecro... vos, fratres...*, inquit, *ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum* [7]. Ipse Deus amicos Job monuit, ut ad ejus preces recurrerent, propter quas veniam Se iis daturum promittebat: *Ite ad servum meum Job... Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia* [8]. Jamvero, inquit S. Hieronymus, si vivorum orationes valent ad gratias divinas nobis impetrandas, numquid minori efficientiâ præditæ erunt, postquam ipsi ad regnandum cum Christo pervenerunt? *Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam, et Stephanus... pro persecutoribus veniam deprecatur; et postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt?* [9] Arguit *Lomerus*, Lutheranus [10], quod Sanctos non solum ut deprecatores, sed etiam ut adjutores invocemus. Sed quid hoc refert? Sancti nos adjuvant non suâ virtute, sed deprecatione, cujus ope divinas gratias obtinemus.

Probatur 1 ex S. Scriptura.

12. Apud Jeremiam legitur: *Si steterit Moyses et Samuel coram Me, non est anima mea ad populum istum* [11]. Si autem fieri potuit, ut Moyses et Samuel pro populo deprecatores se præberent et a Domino exaudirentur, quid asserunt hæretici, ex Scripturis nullum haberi documentum, quod Sancti jam defuncti orent pro vivis? Judas Machabæus in visione quâdam Oniam pontificem et Jeremiam prophetam, qui jam obierant, pro populo Judæorum deprecantes conspexit, ut narratur in libro II Machabæorum [12]. Ad quem locum nihil habuit, quod responderet *Calvinus* [13], nisi eum Machabæorum librum

[1] *Apologia, cap. XVI, art. XI, n. VIII.* — [2] L. c. — [3] Cfr. *S.t Hieron.* librum contra *Vigilantium.* — [4] Dialogorum libri quatuor, lib. III, cap. 30. Quod nullus Sanctorum est laudandus, nisi quia Christum est imitatus. (Quos libros etiam *Trialogum* nuncupavit, ex tribus inter se colloquentibus, *Aletheiâ*, *Pseudi* et *Phronesi*. Nota edit.). — [5] Sess. 25, De Invocatione, cet. — [6] *Col.*, IV, 2 et 3. — [7] *Rom.*, XV, 30. — [8] *Job*, XLII, 8. — [9] Contra *Vigilantium*, n. 6. — [10] Apud Pichler, theol. polemica. Controvers. particul. II, artic. II, § II, de Invocatione Sanctorum. — [11] XV, 1. — [12] 2 *Mach.*, XV, 12-16. — [13] Vide: Instit., lib. III, cap. 5, n. 8.

non esse canonicum. Dicunt hæretici, Angelos et Sanctos, licet pro nobis orent, id in genere tantum facere. Sed contrarium constat ex Tobiâ [1], Daniele [2], S. Matthæo [3] et Apocalypsi [4], ubi legimus, pro aliis etiam nominatim orasse Angelos et Sanctos.

2 ex Traditione.

13. Sanctorum invocationem traditione approbari, SS. Patrum testimoniis demonstratur: *Ut efficax hæc mea sit deprecatio*, inquit S. Ambrosius, *B. Mariæ Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti...; Apostolorum intercessionem imploro, cet.* [5]. S. Joannes Chrysostomus in suâ Liturgiâ sæpius preces B. Virginis aliorumque Sanctorum invocat [6]. S. Augustinus in Meditationibus ita precatur: *Sancta et immaculata Virgo Dei genitrix Maria, intervenire pro me digneris.... S. Michael, S. Gabriel, SS. chori Angelorum atque Archangelorum, Patriarcharum atque Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, cet. per illum, qui vos elegit... vos rogare præsumo, ut pro me... supplicare dignemini, cet.* [7]. Atque idem dixisse legimus S. Athanasium [8], S. Cyprianum [9], S. Hilarium [10], S. Basilium [11], S. Epiphanium [12], aliosque Patres. Præterea Concilii Chalcedonensis Patres: *Flavianus*, inquiunt, *post mortem vivit; martyr pro nobis oret* [13]. Idem dixerunt Patres sextæ Synodi: Christianus *solo Deo Creatore suo adorato, invocet Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem divinam dignentur* [14]. Præterea in Antiphonario Gregoriano hæc leguntur: *Sancta Dei genitrix, semper virgo Maria, ora pro nobis; precibus quoque Apostolorum, Martyrum, cet. suppliciter petimus* [15]. Hincmarus [16] quoque scriptum reliquit, S. Remigium, quum Clodoveum baptizaret, Sanctorum litanias recitasse. *Piceninus* [17] non approbat litanias, hymnos et orationes nostras, ac si ad Sanctos referrentur, nullâ Jesu Christi mentione factâ; sed hallucinatur, nam omnes nostræ litaniæ, hymni et orationes, quæ in honorem alicujus Sancti recitantur, vel a Deo exordiuntur vel laudibus sanctissimæ Trinitatis desinunt. Displicet quoque *Picenino* [18], nos tam sæpe repetentes *Ave Maria*, velut angelicum munus obire velle, et beatæ Virgini jam peractam Incarnationem annuntiare. Nos vero nequaquam nobis arrogamus, velut angelorum vices gerere, vel Incarnationem ei annuntiare; sed solummodo, tam gratam ei salutationem repetere volumus Mariæ, ut præstantissimam ejus deprecationem impetremus; haud ignari, omnes laudes, quas Mariæ tribuimus, redundare in Filium, qui de frequenti ejus invocatione lætatur, ut ejus intuitu beneficia nobis concedat.

Solvuntur *Picenini* dubia.

3 ex historiâ.

14. S. Augustinus, de S. Felice disserens: *Non enim solis*, inquit, *beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorem apparuisse Felicem,... quum a barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, sed testibus certis* [19]. Atque alia ejusmodi exempla, in quibus Sancti pie se invocantibus apparuerunt, iisque impetrarunt gratias petitas, referuntur a S. Gregorio Nysseno in vitâ S. Gregorii Neocæsariensis [20], a Theodoreto [21], Evodio [22], Luciano [23], et a S. Ambrosio in sermone de SS. Gervasio et Protasio [24].

[1] XII, 12. — [2] X, 12 seq. — [3] XVIII, 10. — [4] VIII, 3 et 4. — [5] Precatio in Præpar. ad Missam, 2, n. 19 (inter dub. Nota edit.). — [6] Liturgia. — [7] Meditationes, cap. 40 (inter dub. — Ex certo genuinis, inter alia, confer: de Civ. Dei, lib. XXI, cap. 27, n. 5; de cura pro mortuis gerenda, cap. 4. Nota edit.). — [8] De SS. nostra Deipara Sermo (Ed. Basil.). — [9] Ep. 57, ad *Cornelium* Pap., n. 5. — [10] Tract. in Psalm. CXXIV, n. 5. — [11] Homil. 19 in Ss. 40 Martyres, n. 8. — [12] Vide: de Laudibus *S. Mariæ* Oratio (*Migne: Jounne Pico* interprete. Patrol. Græce et Lat., tom. XLIII, col. 486 seqq. Inter dub. aut spur. Nota edit.). — [13] Actio XI. — [14] Cap. 7 (Inter Capitula 9, falso huic Synodo adscripta). — [15] Liber Antiphonarius, In Litan. Major., ad Processionem. — [16] Vita S. Remigii, n. 38. — [17] *Apologia, cap. 16, art. 11, n. 22.* — [18] Ibid. — [19] De Cura pro mortuis gerenda, cap. 16. — [20] De Vita *S. Greg. Thaumaturgi.* « Sic igitur jugum ». — [21] Hist. Eccl., lib. V, cap. 24. — [22] De Miraculis *S. Stephani* Protomart., lib. I, cap. 2. — [23] Ep. de Revelatione Corporis *Stephani*, Martyris primi, et aliorum. — [24] Sermo 91, de Inventione Corpor. *SS. Gerv.* et *Prot.* (Ed. *Paris.* 1539).

Quomodo sanctorum præsidium invocetur.

15. Sed, reponit *Piceninus*, vos Catholici preces vestras non ad Deum dirigitis, sed ad Sanctos, eos ita invocantes, ac si pro suo arbitratu gratias et æternam salutem elargiri possent [1]. Nos vero minime ignoramus, Deum solum gratias concedere; ad Sanctos autem confugimus ut ad deprecatores tantum, qui eas, præcipue ob merita Jesu Christi, nobis impetrent. Sancti igitur mediatores nostri sunt apud præcipuum Mediatorem Jesum Christum, qui nobis quidquid boni accipimus, infinitis suis meritis obtinet; quapropter Ecclesia Deum precatur, non per aliquem Sanctum, sed per Christum: *Concede nobis, Deus, intercessione Sancti N. hoc beneficium per Christum Dominum nostrum.* Et quando orat per merita Sanctorum, hoc ita intelligit, quod Sancti propter suam cum Deo amicitiam magis idonei sint ad impetrandas nobis gratias. Et quum dicit: *Sanate mentes languidas, augete nos virtutibus*, quæ verba in hymno Apostolorum leguntur, non intelligit, ipsos Sanctos vel languorem depellere vel virtutes nobis posse adaugere, sed solum eos suis precibus illas gratias nobis obtinere posse. S. Paulus de semetipso professus est: *Et salvos faciam aliquos ex illis* [2]; et alibi similiter: *Ut omnes facerem salvos* [3]. Quomodo eos salvaret? Adjuvando et prædicatione et orationibus.

Sitne non solum utilis, sed etiam necessaria sanctorum invocatio?

16. Utilem esse invocationem Sanctorum, dogma fidei est, ut vidimus: S. Thomas Angelicus autem quærit, num ad Sanctorum intercessionem, utpote ad salutem necessariam, non solum possimus, sed etiam debeamus recurrere: *Utrum debeamus Sanctos orare ad interpellandum pro nobis.* Et sic respondet: *Ordo est divinitus institutus in rebus, secundum Dionysium, ut per media ultima reducantur in Deum. Unde quum Sancti, qui sunt in patriâ, sint Deo propinquissimi, hoc divinæ legis ordo requirit, ut nos, qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in Eum per Sanctos medios reducamur; quod quidem contingit, dum per eos divina Bonitas suum effectum diffundit.* Et subjungit: *Et quia reditus noster in Deum respondere debet processui bonitatum ipsius ad nos, sicut mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus mediantibus Sanctis* [4]. Notentur hæc verba: *Sicut mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus mediantibus Sanctis.* Ergo, juxta S. Doctorem, ordo divinæ legis exigit, ut nos, mortales, per Sanctos in Deum reducamur atque ad salutem perveniamus, recipiendis eorum ope auxiliis ad salutem necessariis. Ad difficultatem porro, quâ sibi ipse Angelicus occurrit, ideo Sanctorum invocationem superfluam videri, quod Deus et misericordiâ et proclivitate ad nos exaudiendos infinite iis antecellat, respondet, Deum ita statuisse, non quod Sibi deesset misericordia, sed ut conservet rectum et universaliter constitutum ordinem operandi per causas secundas: *Non est propter defectum misericordiæ ipsius... sed... ut ordo prædictus conservetur in rebus* [5].

Conclusio.

17. Cum hoc S. Thomæ testimonio consonant, quæ *P. Collet*, Tournelii continuator, scribit; quamquam videlicet solus Deus precibus adiri debeat ut gratiarum auctor, nos tamen teneri ad Sanctorum quoque deprecationem confugere, ut salutis nostræ a Deo conditum servemus ordinem, quo inferiores superiorum auxilio efflagitando, salutem consequantur: *Quia... lege naturali tenemur, cum ordinem observare, quem Deus instituit; atqui constituit Deus, ut inferiores ad salutem*

[1] Cfr. *Apolog., cap. 16, art. 11, n. 8.* — [2] *Rom.*, XI, 14. — [3] 1 *Cor.*, IX, 22.

[4] In Sent. lib. IV, dist. 45, quæst. 3, art. 2. — [5] L. c., ad 1m.

perveniant, implorato superiorum subsidio [1].

De intercessione *B. M. V.*

18. Quæ si de Sanctis dici debent, magis etiam dicenda sunt de intercessione divinæ Matris, cujus preces apud Deum pluris profecto sunt quam omnium Sanctorum: quandoquidem docuit S. Thomas, Sanctos pro meritorum ratione etiam multis aliis salutem posse afferre; Jesum Christum vero et ejus Matrem tantum gratiæ sibi meruisse, ut omnibus hominibus saluti esse possint: *Magnum enim est in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratiâ, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium,... hoc esset maximum; et hoc est in Christo et in Beatâ Virgine* [2]. Et S. Bernardus de Mariâ loquens: *Per Te,* inquit, *accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ,... mater salutis, ut per Te nos suscipiat, qui per Te datus est nobis* [3]; quibus verbis indicat, quemadmodum ad Patrem accedere non possumus nisi per Filium, qui justitiæ Mediator est, ita nos aditum habere ad Filium per ejus matrem, gratiæ mediatricem, eamque suâ intercessione nobis impetrare ea bona, quæ Jesus Christus nobis meruit. Quamobcausam idem S. Bernardus dicit, Mariam duplicem a Deo recepisse gratiarum plenitudinem, quarum altera fuit Incarnatio Verbi æterni, humanâ naturâ in ejus visceribus assumptâ; altera earum plenitudo gratiarum, quas Deus nobis elargitur per divinæ Matris intercessionem. Unde subjungit: *Totius boni plenitudinem (Deus) posuit in Mariâ, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab eâ noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens, hortus plane deliciarum,... ut undique fluant et effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum* [4]. Itaque, quidquid boni a Deo habemus, id omne recipimus per intercessionem Mariæ. Et cur ita fit? Quia, respondet idem S. Bernardus, Deus ita fieri voluit: *Sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam* [5]. Sed magis propria ratio colligitur ex verbis S. Augustini, quod ideo Maria merito mater nostra vocatur, quia suâ caritate cooperata est, ut ad gratiæ vitam nasceremur nos fideles, qui Jesu Christi capitis nostri sumus membra: *Sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesiâ nascerentur, quæ illius Capitis membra sunt* [6]. Quocirca sicut Maria caritate suâ cooperata est ad spiritualem fidelium nativitatem, sic etiam vult Deus, suâ intercessione Eam cooperari, ut gratiæ vitam in hoc mundo, et vitam gloriæ in altero consequantur. Ideo vult Ecclesia, ut eam salutemus: *Vita, dulcedo et spes nostra, salve.* Quare S. Bernardus, de seipso loquens: *Filioli,* inquit, *hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ* [7]. Scalas eam vocat; quia, sicut in scalis ad tertium gradum non conscenditur, nisi pes tetigerit secundum, neque ad secundum pervenitur, nisi quis in primo pedem posuerit, ita neque ad Deum pervenitur nisi per Jesum Christum, neque ad Jesum Christum nisi per Mariam. Eam deinde vocat *maximam suam fiduciam ac totam spei suæ rationem;* quia (ut supponit) voluit Deus, omnes gratias, quas nobis dispensat, per manus Mariæ transire. Denique concludit: *Quæramus gratiam, et*

Maria ceteris potentior.

Omnes gratiæ per Mariam dispensantur.

[1] Tr. de Virtute Religionis, pars 2, cap. 2, art. 4, quær. 1 (Edit. Venet., 1736) (*a*). — [2] Opusc. 8, Exposit. super Salutatione Angelica. — [3] In Adventu Dni, sermo 2, n. 5. — [4] Sermo de Aquæductu, in Nativitate *B. M. V.*, n. 6. — [5] Ibid., n. 7. — [6] De sancta Virginitate, cap. 6. — [7] L. c., n. 7.

(*a*) In Edit. *Paris.*, 1747 (l. c., sed art. 5), postquam docuit, *Sylvium* ita affirmare, adjicit, eam tamen ratiocinationem *non omni exceptione esse majorem;* « quia Deus », inquit, « Sanctorum invocationem constituere potuit ut bonam, non ut absolute necessariam; » quæ tamen verba in editione *Venetâ*, quam *S. Alphonsus* sequitur, non reperiuntur. (Nota edit.).

per Mariam quæramus; quia quod quærit invenit, et frustrari non potest [1].

Objicitur 1

19. Objiciunt hæretici 1um, Sanctos in cælo preces nostras non cognoscere. *Quis tamen eo usque longas illis esse aures revelavit*, inquit *Calvinus, quæ ad voces nostras porrigantur?* [2] Sed ex Scripturis contrarium apparet. *Quando orabas cum lacrimis*, ita S. Raphael angelus ad Tobiam,... *ego obtuli orationem tuam Domino* [3]. Præterea, in Apocalypsi viginti quatuor Seniores tenebant *singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum* [4]. Vasa aurea portabant, aromatum plena; quæ quidem aromata nostræ preces sunt ascendentes sicut fumus turis: *Dirigatur*, inquit David, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* [5]. Sed, inquiunt, solus Deus cogitationes precesque nostras cognoscit: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum* [6]. Respondemus, Deum solum suâ naturâ desideria nostra cognóscere; Sanctos vero per communicationem. Alii dicunt, Sanctos per Dei revelationem preces ad se directas cognoscere; S. Gregorius porro existimat, eos in ipso Deo, quem palam intuentur, orationes nostras perspicere: *Quia quæ* (animæ) *intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Quid enim... nesciunt, qui scientem omnia sciunt?* [7] S. Augustinus vero, Sanctos orationes nostras potius cognoscere ait per Angelorum ministerium: *Deus omnipotens, qui est ubique præsens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens martyrum preces per angelica ministeria usquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in hujus vitæ miseriâ judicat esse præbenda, et suorum merita martyrum, ubi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cujus illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili potestate ac bonitate commendet* [8].

Respondetur.

Instant.

Respondetur.

20. Objicit 2° *Calvinus* [9], in Concilio Carthaginiensi III° [10] prohiberi, ne ad altare aliis quam æterno Patri preces admoveantur; quod confirmat S. Augustinus [11], quum a sacerdote sacrificante Sanctos non invocari ait. Sed in allato Concilio ne mentio quidem incidit de Sanctorum invocatione, sed præcipitur solum, ut sacerdos non ad Filii neque Spiritus-Sancti sed ad Patris personam sacrificium dirigat, quod in præsenti quoque servamus; sacris operantes toti semper Trinitati sacrificamus. In sacrificio autem solum Deum invocari, cui sacrificium offertur, minime impedit, quominus et invocentur Sancti, ut orent pro nobis, ut ajunt S. Augustinus [12] et S. Cyrillus [13]. Idem quoque patet ex Liturgiis S. Joannis Chrysostomi et aliorum veterum, in quibus Sancti invocantur.

Objicitur 2

Respondetur.

21. Objiciunt hæretici 3°, Dominum ad nos audiendos esse paratissimum: *Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis* [14]. Ergo, inquiunt, ad quid valet Sanctorum intercessio nisi ad minuendam nostram erga Deum fiduciam? Quod quidem his verbis S. Joannis Chrysostomi confirmant: Ceterum *non tibi apud Deum patronis est opus... sed etiamsi solus patronisque destitutus sis, tute Deum precatus voti compos eris* [15]. Respondetur, Deum, licet paratus sit nos exaudire, neque Sanctis indigeat ad solatia nobis præbenda, paratiorem tamen esse eorum quam nostras preces exaudire propter majora Sanctorum merita; unde monuit amicos Job: *Et ite ad servum meum Job... Job autem servus meus orabit pro vobis, cet.* [16]. S. Joannes Chrysostomus autem loco citato eos reprehendit divites, qui eleemo-

Objicitur 3

Respondetur.

[1] L. c., n. 8. — [2] Instit., lib. III, cap. 20, n. 24. — [3] *Tob.*, XII, 12. — [4] Apoc., V, 8. — [5] Ps. CXL, 2. — [6] 3 Reg., VIII, 39. — [7] Moral., lib. XII, cap. 21; lib. II, cap. 3. Vide *S. Thom.* 1ª, qu. 89, art. 8. — [8] De Cura pro mortuis gerenda, cap. 16. — [9] Inst., lib. III, cap. 20, n. 22. — [10] aº 397, cap. 23. — [11] De Civit. Dei, lib. XXII, cap. 10. — [12] In *Joann.* Evang., tract. 84, n. 1; Sermo 159, cap. 1. — [13] *S. Cyr. Hieros.* Catechesis 23 (Mystagog. 5), n. 9. — [14] *Luc.*, XI, 9. — [15] Homil. de Profectu Evangelii, n. 11. — [16] *Job*, XLII, 8.

synas largiuntur pauperibus, ut pro ipsis orent; quos quidem monet, magis iis expedire orare per se quam per pauperes.

Objicitur 4

22. Objicitur 4°, docuisse Jesum Christum, soli æterno Patri preces nostras esse admovendas: *Sic... orabitis: Pater noster, qui es in cælis, cet.* [1]. Illud argumentum, quum nimis probet, nihil probat; si enim probaret, item efficeret, in precibus nostris nec Dei Filium nec Spiritum-Sanctum invocari posse, quod neque ipsi Magdeburgenses dicunt, qui illam difficultatem movent [2].

Respondetur.

Objicitur 5

23. Objicitur 5°, non exstare aliquod præceptum ad Sanctos recurrendi, neque ullam promissionem, Deum exauditurum esse preces eorum qui ad Sanctos confugiunt. Respondemus, si nullum exstet præceptum, nec tamen ullam reperiri prohibitionem ad Sanctos recurrendi; quod fieri tamen hæretici prohibent. Et licet non habeatur expressa promissio exauditionis, ipsum Deum tamen homines subinde monuisse novimus, ut ad servorum suorum deprecationem confugerent; unde, ut suprà vidimus, amicis Job: *Ite*, inquit, *ad servum meum Job... Job autem servus meus orabit pro vobis, et Ego faciem ejus suscipiam* [3].

Respondetur.

Objicitur 6

24. Objicitur 6°. Sancti in cælo nihil jam mereri possunt, neque ergo ullam gratiam aut sibi aut aliis impetrare. Fatendum quidem, eos quum sint extra viam, mereri non posse; sed ex meritis præcedentibus nobis impetrare possunt gratias, quas per eos a Deo petimus. Nec refert, Deum eos pro meritis in terrâ acquisitis abunde remuneratum esse; nam inter eas remunerationes hæc quoque est, ut gratias per suam intercessionem petitas, invocantibus impetrent.

Objicitur 7

25. Objicitur 7°, Sanctorum invocationem esse injuriam Deo illatam. Dicit enim Apostolus: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?* [4] Solus ergo invocandus est, in quem credimus; nos autem in Deum solum credimus: ergo, inquiunt, aut solus Deus invocandus est, aut existimandum, Sanctos esse deos. At respondetur, quemadmodum nulla fiat injuria, immo potius honor regibus, quum apud eos expetuntur deprecatores, ita neque Deo fieri injuriam, quod Sancti apud Eum tamquam deprecatores interponantur; alioquin S. Paulus quoque injuriâ Deum læsisset, quum etiam suis discipulis sese commendaret, ut sæpius legitur in ejus epistolis. Textu autem opposito, nihil aliud dicere voluit Apostolus, nisi Deum invocari non posse ab eo, qui in Ipsum non credat.

Respondetur.

Objicitur 8

26. Objicitur 8°: At S. Paulus dicit: *Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* [5]. Quum igitur Sanctis tamquam mediatoribus utimur, saltem injuriam facimus Christo, unico nostro mediatori. Respondetur, nos non ideo invocare Sanctos, ut aut Christi loco pro nobis apud Deum deprecentur, aut Christum adjuvent ad gratias nobis obtinendas, sed solummodo eos invocare tamquam mediatores apud Jesum Christum, qui præcipuus et unicus noster mediator est, per infinita sua merita Dei gratias nobis comparans. Ideo Sanctos invocamus tamquam intercessores apud Christum vel Deum, ut facilius a Deo propter Redemptoris merita exaudiri possimus. Duobus modis aliquis alterius mediator esse potest: aut solvendo debitum, ab altero contractum; aut orando creditorem, ut debitam solutionem debitori remittat. Jesus Christus

Respondetur.

Quomodo aliquis mediator esse possit.

[1] *Matth.*, VI, 9. — [2] Centur. 1, lib. I, cap. 4, tit. De Invocatione Dei (*a*). — [3] *Job*, XLII, 8.

[4] *Rom.*, X, 14. — [5] 1 *Tim.*, II, 5.

(*a*) En eorum verba: *Ad Patrem autem*, inquiunt, *ut plurimum, oratio jubetur fieri.... Non Angelum vel Patriarcham aut Prophetam mortuum; sed Patrem tantum jubet invocari.* Postmodum (*ibidem*) ipsi fatentur: *Quod etiam Filius possit ac debeat invocari, exempla docent.* Et: *Spiritum-Sanctum quoque posse ac debere invocari, vel ex Baptismi verbis colligi potest* (Nota edit.).

mediator noster est priori modo, quod suâ passione nostra debita exsolvit; hoc modo solum mediatorem nostrum esse Christum ait Apostolus, ut colligitur ex verbis adjectis: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [1]. Altero modo etiam Sancti mediatores nobis esse possunt; id vero ex solâ gratiâ, quum Christus ex justitiâ sit mediator: Pater quippe ex pacto cum Filio inito Eum exaudire tenetur in omnibus, quæ per merita sua petiverit. Quare S. Gregorius Nazianzenus [2] non dubitat, sanctos Martyres mediatores inter nos et Deum appellare, sicut nec Moyses dubitavit semet vocare inter Hebræos et Deum mediatorem: *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo* [3]. Verumtamen nullam nobis gratiam obtinent Sancti, quin illam per Jesu Christi mediationem obtineant.

Objicitur 9

27. Objicitur 9°, in Concilio Laodiceno [4] prohiberi, ne Angeli invocentur, ex hac S. Pauli doctrinâ: *Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione Angelorum* [5], *cet.*; præterea S. Joannem Chrysostomum monere: *Deus salutem nostram non tam aliis pro nobis rogantibus vult donare quam nobis* [6]. Respondetur, ibi S. Paulum damnare idololatriam Simonis magi, qui assereret, quosdam angelos, quum fabricassent mundum, velut minores deos esse adorandos; ita eum locum exponunt S. Hieronymus [7] aliique Patres. S. Joannes Chrysostomus autem de iis loquitur, qui pro se ipsis non precantes, aliorum precibus salutem consequi volunt; quare ita pergit: *Hæc dicimus, non ut supplicandum esse Sanctis negemus, sed ne dormientes ipsi aliis tantummodo nostra curanda mandemus* [8].

Respondetur.

Objicitur 10

28. Objiciuntur 10° ea, quæ apud Jeremiam leguntur, nos soli Deo, non vero hominibus confidere oportere, quum Dominus maledicat ei, qui in creatura fiduciam reponat: *Maledictus homo, qui confidit in homine* [9]. Respondemus, nos confidere soli Deo ut omnium gratiarum auctori, et Jesu Christo, ut præcipuo Mediatori nostro; Sanctis confidimus ut deprecatoribus sive secundariis mediatoribus, quorum preces, utpote nostris efficaciores et Deo magis gratæ, ad impetrandas nobis gratias, magis valeant. Maledicetur profecto ei qui, nullâ Dei ratione habitâ, in homine fiduciam collocet; minime vero, siquis haud ignarus, omnes gratias ex Dei arbitrio pendere, ad Sanctos confugiat, ut suâ intercessione bona exoptata impetrent.

Respondetur.

§ III.

DE VENERATIONE SANCTORUM RELIQUIIS DEBITA.

Reliquiis debetur cultus religiosus.

29. Lutherani, Sanctorum ossa cum reverentiâ quidem tractari debere ajunt, non vero cultu religioso; cujusmodi est ea vel deosculari vel in processionibus circumferre, coram illis genua flectere vel candelis accensis ea venerari. Nos vero dicimus, alium esse cultum religiosum *absolutum*, qui alicui rei tribuitur ob propriam ejus excellentiam, alium *relativum*, qui uni rei præstatur intuitu alterius. Et talis est cultus reliquiarum, iis exhibitus ratione Sanctorum, quos in ipsis intuemur. In Actibus Apostolorum legimus, zonas et sudariola S. Pauli circumferri solita, ut infirmi sanarentur: *Ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia* (id est arcta cingula): *et recedebant ab eis languores, et spiritus*

Probatur 1 ex Scriptura.

[1] Ibid., v. 6. — [2] Orat. 11, ad *Gregor. Nyssen.* 1, n. 5. — [3] Deut., V, 5. — [4] Can. XXXV. — [5] *Colos.*, II, 18. — [6] In *Matth.*, Homil. 5, n. 4. — [7] Ep. 121, ad *Algasiam*, cap. 10. — [8] L. c., n. 5. — [9] *Jerem.*, XVII, 5.

nequam egrediebantur [1]. Itaque, inquit Grotius, *hac in re hominibus Deus ipse præivit, reliquias Sanctorum honorando* [2]. Referunt præterea Scripturæ, aquam Jordanis reveritam fuisse pallium Eliæ: *Et pallio Eliæ, quod ecciderat ei, percussit aquas..., et divisæ sunt* [3]. Si voluit Dominus, etiam vestimenta Sanctorum suorum vel miraculis honorari, quanto magis postulabit, ut a nobis in honore habeantur ossa eorum corporum, quæ ad divinam gloriam cooperata sunt! Et hic notetur, juxta exempla superius ex Scripturis allata, merito nos veneratione prosequi non solum ossa Sanctorum, sed etiam eorum vestimenta, baculos et alia, quæ ipsi sanctificarunt vel ea adhibendo vel etiam attingendo, ut instrumenta, quibus Martyres cruciati sunt.

2 ex Traditione. **30.** Veneratio, Sanctorum reliquiis exhibita, Patrum traditione probatur. *Eorum, qui apud Deum vivunt*, inquit S. Clemens, *nec reliquiæ pretio et honore carent* [4]. Et S. Joannes Chrysostomus: *Sæpe*, inquit, *eos invisamus, capsulam attingamus, magnâque fide reliquias eorum complectamur, ut inde benedictionem aliquam assequamur* [5]. S. Augustinus: *Reliquias beatissimi et gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis* [6]. Et alibi Sanctorum reliquias venerationi habendas ait, tamquam instrumenta et vasa, quæ Spiritus-Sanctus in suæ gloriæ operibus adhibuit: *Quibus tamquam organis et vasis ad omnia bona opera sanctus* (*a*) *usus est Spiritus* [7]. S. Hieronymus scribit, Christianos solum Deum quidem colere: *Honoramus autem reliquias martyrum*, inquit, *ut Eum, cujus sunt martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui dixit:* QUI VOS SUSCIPIT, ME SUSCIPIT [8]. Atque idem S. Doctor adversus Vigilantium, qui Catholicos idololatras vocabat, quod Sanctorum reliquias venerarentur sicut Gentiles idola: *Idololatras*, inquit, *appellas hujusmodi homines?... Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est; hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est* [9]. Idem scripserunt S. Athanasius [10], S. Basilius [11], Eusebius [12] et S. Gregorius Nyssenus [13], quorum meminit Bellarminus [14], qui in confirmationem etiam adducit Concilium Nicænum II [15], Carthaginiense V [16] et Bracarense IV [17].

3 ex historiâ. **31.** Primis sæculis Christiani ob gentilium timorem a quibusdam externis religionis significationibus, et inter alias a reliquiarum cultu abstinebant; sed, persecutionibus sæculo IV exstinctis, prima eruta sunt S. Stephani ossa, et magnâ veneratione in plures regiones delata, ubi multa fecisse miracula testatur S. Augustinus [18]. Similiter S. Polycarpi discipuli omnem diligentiam adhibuerunt, ut ejus reliquiæ sibi traderentur; quas deinde recuperatas summâ reverentiâ asservarunt loco distincto, *ubi decebat*, ut ex Smyrnensis Ecclesiæ litteris, ab Eusebio relatis apparet [19].

Objicitur 1 **32.** Opponit *Amesius* [20] hæreticus, Deum abscondisse Moysi corpus, ne Judæi illud venerarentur. Respondetur, idcirco ita egisse Deum, quod Judæi iis temporibus ad idololatriam valde proni essent; eamque ob causam voluisse, ut laterent Moysi

Respondetur.

[1] Act., XIX, 12. — [2] Adnotata ad Consultationem *Cassandri*, art. 20. — [3] 4 Reg., II, 14. — [4] Constit. Apostol., lib. VI, cap. 30 (op. dub. Nota edit.). — [5] Homil. in SS. Mart. *Juventinum* et *Maximum*, n. 3. — [6] Ep. 212, ad *Quintilianum*; cfr. de Civit. Dei, lib. XXII, cap. 8. — [7] De Civ. Dei, lib. I, cap. 13. — [8] Ep. 109, ad *Riparium*, n. 1. — [9] Contra *Vigilantium*, n. 7. — [10] Vita *S. Antonii*, n. 92. — [11] Homil. in 40 Mart., n. 8. — [12] Hist. Eccl., lib. VII, cap. 19. — [13] Oratio de *S. Theodoro* Mart. — [14] De Eccl. Triumphante, lib. II, cap. 3. — [15] a° 787, Actio 3; Actio 7, ante subscriptiones. — [16] a° 398, can. 14. — [17] a° 675, can. 6. — [18] De Civit. Dei, lib. XXII, cap. 8. — [19] Hist. Eccl., lib. IV, cap. 15. — [20] *Bellarminus* enervatus: de Cultu Sanctorum, cap. 4, n. 18.

(*a*) Alii legunt: *sancte usus est spiritus* (Nota edit.).

ossa, ne ab ipsis pro re divinâ adorarentur. Ceterum post captivitatem Babylonicam ipse Deus Isaiæ, Jeremiæ et Ezechielis sepulchra illustravit, gratumque habuit cultum, eorum ossibus exhibitum. Et quum Scriptura dicat, Dominum corpus Moysi sepulchro condidisse: *Et sepelivit eum* [1]; ab ipso Deo docemur, Sanctorum corpora honori esse habenda.

Objicitur 2

33. Objicitur 2°, Jesum Christum reprehendisse pharisæos, quod Sanctorum sepulchra exornassent: *Væ vobis..., qui ædificatis sepulchra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum* [2]. Respondetur, Jesum Christum vituperasse pharisæorum simulationem, quum his externis significationibus contenti, virtutes animæ negligerent, iisque externis ritibus captarent sanctitatis famam.

Respondetur.

Objicitur 3

34. Objicit 3° *Amesius* [3], reliquias maximam partem suppositias esse et falsas, nec raro accidere, ut pro Sanctorum ossibus ossa latronum vel etiam canum veneremur. Respondetur primum, non esse verum, reliquias sæpe esse suppositias, maxime si exponantur auctoritate Episcoporum (qui hac in re oculatissimi sunt): nec sine eâ, ex Concilii Decreto in hac sessione edito, reliquias exponi licet. Respondetur 2°, non ideo quod nonnullæ forsitan reliquiæ vel malitiâ vel ignorantiâ suppositæ sint, ceteris omnibus, quæ nullam suspicionis causam afferunt, honorem esse denegandum. Denique, si quæ reliquiæ forte genuinæ non essent, ad cohonestandam venerationem satis est intentio honorandi Sanctum, cujus esse supponuntur; semper enim reliquias veneramur, adjectâ tacitâ conditione, si veræ sint.

Respondetur.

§ IV.

DE VENERATIONE SACRARUM IMAGINUM.

Quinam huic cultui adversentur.

35. His recentioris memoriæ temporibus sacras imagines primus insectatus est Andreas Carlostadius anno 1522, ut in *Lutheri* vita refert Joannes Cochlæus [4]. Carlostadium secuti sunt Zwingliani, Magdeburgenses [5] et *Calvinus* [6], qui cum suis asseclis imaginum cultum vehementer reprobavit. Antea tamen (circa 720–780) sanctis imaginibus atrox bellum indixerant Imperatores Leo Isauricus et Constantinus Copronymus, contra quos, Adriano summo Pontifice, celebratum fuit Concilium VII sive Nicænum II [7]. Initio quidem in Galliâ, quum male intellecta esset ejus doctrina, illud receptum non fuit; postea vero, doctrinâ rite perspectâ, receptum et pro vere œcumenico habitum est, ut reverâ erat. In Occidente, Gregorio II summo Pontifice, celebratum est Concilium Romanum, cui mille circiter Episcopi interfuerunt, et ibi pariter damnata est Iconomachorum hæresis [8].

Explicatur vera doctrina.

36. Hæretici, quod sacras imagines veneremur, idololatriæ nos damnare volunt, neque agnoscere discrimen, quod est inter idolum et imaginem; *idolum* sive simulacrum (secundum Scripturæ loquendi normam) ea est effigies, in quâ falsus aliquis deus adoratur; *imago sacra* est repræsentatio prototypi, quod directe honoratur: itaque imago est similitudo prototypi, quod revera existit, idolum vero est similitudo ejusmodi prototypi sive numinis, quod non existit. Quocirca cultus imagini exhibitus, semper refertur ad ejus prototypum sive exemplar, quod ado-

[1] Deut., XXXIV, 6. — [2] *Matth.*, XXIII, 29. — [3] L. c., n. 22. — [4] Comm. de Actis et scriptis *M. Lutheri*; a° 1522, a° 1525. — [5] Cfr. Centur. VIII, cap. IX. — [6] Instit., lib. I, cap. 11, n. 9 et 10. — [7] 24 Sept.-23 Oct. 787. — [8] *Gregorii II* Conc. *Rom. III*, a° 726; item *Gregorii III* Conc. *Rom. II*, a° 732.

ratur: perperam igitur asserit Durandus [1], in imagine soli exemplari, non vero ipsi imagini venerationem exhiberi posse; ea quippe opinio communi Catholicorum sententiæ adversatur: licet enim cultus semper præstetur prototypo, ipsam quoque ejus imaginem veneramur.

Cultus imaginum probatur a ex SS. Patribus.

37. Asserit *Calvinus* [2], primis quinque sæculis usum talium imaginum in Ecclesiâ non exstitisse. At redarguitur a Tertulliano [3], qui duobus locis testatur, in sacris ecclesiarum catholicarum calicibus incisam fuisse effigiem Jesu Christi pastoris figurâ, humeris ovem sustinentis. Sacrarum autem imaginum cultus certo demonstratur traditione Apostolicâ et perpetuâ Ecclesiæ praxi, ut testatur Concilium VII, actione II ac III. Et actione VII definivit: *Nos SS. Patrum doctrinæ insistentes, et Catholicæ Ecclesiæ, in quâ Sanctus-Spiritus inhabitat, traditionem observantes, definimus,... venerabiles ac sanctas imagines,... in templis Dei collocandas,... tum parietibus et tabulis, tum in ædibus privatis et in viis publicis cet.; omnes illis... honorariam adorationem exhibeant, non veram latriam;... imaginis enim honor in prototypum redundat...: sic... sanctorum Patrum nostrorum disciplina vel traditio Catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines suscepit Evangelium* [4]. In eâdem Synodo VII, Act. VI, legitur quoque, S. Epiphanium, qui sæculo IV vixit, ita esse locutum: *Usque adeo venerandarum Imaginum demonstratio in Ecclesiâ obtinuit, ut ab eo tempore, quo Evangelium prædicari cœptum est, ad hæc usque tempora receptæ fuerint* [5]. Ex memoratâ autem S. Augustini [6] regulâ eæ consuetudines, quarum auctor reperiri nequeat, pro traditione Apostolicâ haberi debent; illudque recte dicitur de imaginum adoratione. Idem testatur S. Basilius: *Figuras imaginum illorum (Apostolorum et Martyrum)*, inquit, *honoro et palam adoro; hoc enim traditum est a sanctis Apostolis, nec est prohibendum; immo in omnibus ecclesiis nostris eorum figuras depingimus* [7]. Et S. Joannes Chrysostomus: *Sacerdos... conversus ad Christi imaginem inter duo ostia, inflexo capite, cum exclamatione dicit hanc orationem* [8], *cet.* Refert Nicephorus [9], S. Lucam beatæ Virginis imaginem depinxisse; quæ quidem tabula Romæ in ecclesiâ S. Mariæ Majoris commonstrari dicitur. Præterea Anastasius, bibliothecarius Romanus, in septimæ Synodi procœmio, ad Joannem Papam VIII, qui Adriano II successerat, ita scribit: *Quæ super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet, hæc et Apostolica Sedes vestra, sicut nonnulla conscripta innuunt, antiquitus tenuit, et universalis Ecclesia semper venerata est et hactenus veneratur* [10].

b ex historiâ.

38. Confirmatur quoque ex Sozomeno [11] et Nicephoro [12], qui scribunt, Juliani apostatæ temporibus Jesu Christi statuam, quæ Paneade (*a*) fuerat, in templum a

[1] In Sent. lib. III, dist. 9, quæst. 2. — [2] Instit., lib. I, cap. 11, n. 13 (*Templa* ait *fuisse imaginibus vacua*. Nota edit.). — [3] De Pudicitia, cap. 7 et cap. 10. — [4] a° 787, Actio 7 ante subscript. — [5] Ibid., Actio 6 (Verba sunt *Diaconi Epiphanii*, in ipso Concilio pronuntiata. Nota edit.). — [6] De Baptism. contra *Donatistas*, lib. IV, cap. 24. — [7] Epist. 360 (alias 205), ad *Julian.* Apostat. — Et in Conc. VII, Act. 2, Epist. *Adriani* ad Imperat. — [8] Missa, *Erasmo* interprete (*Paris* 1537, p. 22). — [9] Hist. Eccl., lib. VI, cap. 16. — [10] Præfat. in VII Synod. ad *Joann. VIII*. — [11] Hist. Eccl., lib. V, cap. 21. — [12] Hist. Eccl., lib. X, cap. 30.

(*a*) *Sozomenus* (l. c.): « Quum (*Julianus*) imperator didicisset », inquit, « Cæsareæ Philippi (urbs est Phœnices, quam Paneadem nominant) insignem esse statuam Christi, quam mulier sanguinis profluvio, quo jamdudum laborabat, liberata, ibi dedicavit; eâ subversâ, imaginem suam ejus loco posuit... (Christi statuam) Christiani collectam in ecclesia reposuerunt, ubi etiamnum servatur ». — *Nicephorus* (l. c.) adjungit: « Phœniciæ urbs est, quæ antiquissimum nomen habuit Dan, appellatione eâ ab ipso Dan, ex patriarchæ Jacobi filiis uno, acceptâ... Herodis filius Philippus, Cæsari gratificatus, de suo atque illius nomine urbem, magnifice ornatam ædificiis, Philippi Cæsaream cognominavit. Græci autem propterea quod in

Christianis fuisse introductam; quod quidem factum est ante annum 400. Similiter Eusebius [1] in Constantini vitâ dicit, in templis, a Constantino in Palæstinâ exstructis, multas sacras imagines argenteas et aureas fuisse. S. Gregorius Nazianzenus conqueritur, quod jam eversuri essent Diocæsaream civitatem, in cujus templo nonnullas statuas adorasset; et adjungit: *Si statuæ dejiciantur, hoc nos excruciat* [2] (*a*). S. Damasus in vitâ S. Silvestri scribit, Constantinum in basilicâ Lateranensi posuisse argenteas Salvatoris, duodecim Apostolorum et quatuor Angelorum statuas [3]. In VII Synodo, Act. VI, refertur, S. Epiphanii discipulos ejus nomini templum erexisse, atque ejusdem statuam in eo collocasse [4]. Scriptum præterea reliquit Nicephorus [5], Pulcheriam Augustam in templo, quod Constantinopoli exstruxerat, Deiparæ posuisse imaginem, quam Jerosolymis ad eam miserat Eudoxia. Memorant quoque, Redemptorem imaginem suam in linteo quodam expressam ad Abgarum regem misisse. Quod factum plures recentes quidem negant, pro vero tamen affert S. Joannes Damascenus [6]; et, ut scribit Evagrius [7] (qui item pro certo illud ponit), magno miraculo, quod Edessæ accidit, fuit confirmatum. Theodoretus in historiâ religiosâ ac nominatim in vitâ S. Simeonis Stylitæ narrat, illius Sancti imagines Romæ in omnibus officinis fuisse expositas [8].

Possitne Deus corporeâ figurâ effingi.

39. Admodum gravantur hæretici, quod Deum et SS. Trinitatem corporeâ formâ effingimus. Atvero, novimus Jacob tali corporeâ specie vidisse Dominum innixum scalis,quibus ascendebant et descendebant Angeli: *Et Dominum (vidit) innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham, cet.* [9]. Et in libro Exodi dicitur: *Tollamque manum meam, et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris* [10]. Præterea apud S. Matthæum legimus, quum Jesus Christus a S. Joanne baptizaretur, columbæ specie apparuisse Spiritum-Sanctum: *Baptizatus autem Jesus.... Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam* [11]. Quam Spiritus-Sancti in forma columbæ imaginem approbavit Synodus VII [12]. Apud Danielem quoque describitur Deus ut senex canus, in solio sedens: *Antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda* [13]. Præterea in Scripturis Deo humana membra tribuuntur. Quodsi humana membra

[1] De Vita *Constantini*, lib. III, cap. 40 et 43; lib. IV, cap. 46 cet. — [2] Ep. 141, ad *Olympium*. — [3] Liber Pontificalis, *S. Silvester*, n. 10 (falso ei adscribitur. Nota edit.). — [4] a° 787, Actio 6. — [5] Hist. Eccl., lib. XIV, cap. 2. — [6] De Fide Orthodoxa, lib. IV, cap. 16. — [7] Hist. Eccl., lib. IV, cap. 27. — [8] Religiosa historia, cap. 26. — [9] Genes., XXVIII, 13. — [10] Exod., XXXIII, 23. — [11] *Matth.*, III, 16. — [12] a° 787, Act. 5. — [13] *Dan.*, VII, 9.

---

eâ dei Panis statuam collocaverint, Paneadem vocarunt. In hac ipsâ urbe... mulier illa, quæ sanguinis fluxu laboraverat, præclaram ex ære Christo erexit statuam... Ad hujus pedes herba enata est, præsentissimum ægritudinum omnium, potissimum vero tabidi morbi, remedium... Statuam autem Christi Christiani tum (i.e. quum a Juliano dejecta esset) in diaconicum ecclesiæ transtulerunt, et honoratiore loco positam, cultu convenienti prosecuti sunt. Locum namque eum libenter frequentantes, et imaginem ipsam inspectantes, desiderium suum et amorem erga statuæ ipsius archetypum primariumque exemplar declararunt » (Nota edit.).

(*a*) Ex versione *Jacobi Billii* (Parisiis, 1569, ep. 49, pag. 727), ad majorem totius contextûs intelligentiam, hæc adjicere libet: « De » Diocæsarea loquor, quondam civitate, nunc » autem e civitatum albo expunctâ, nisi tu » precibus nostris clementer annueris... Quin » potius te moveat... nostra etiam canities, » cui grave et acerbum fuerit, si magnam » quondam urbem habentes, nunc ne urbem » quidem habeamus, sed post principatum tuum » in ferarum domicilium convertatur templum » illud, quod exstruximus, omneque nostrum » in eo exornando studium. Neque enim, si » statuæ dejiciantur, hoc nos excruciat, etiamsi » alioqui excruciat ». Ex quibus verbis non omnes certo concludi posse existimant, de *sacris* statuis S. Gregorium loqui (Nota edit.).

Deo tribuit Scriptura, cur ea depingi nefas est? In hac XXV[a] Concilii sessione admittitur quidem Dei imago, præcipue in historiis depingendis; præcipitur tamen, ut commoneatur populus, ne credat, idcirco numen divinum posse effingi, ac si sub oculos caderet: *Quodsi aliquando historias et narrationes sacræ Scripturæ, quum id indoctæ plebi expediet, exprimi et figurari contigerit; doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit* [1]. Itaque, quod a nobis depingitur SS. Trinitas, non ideo fit, ut effingatur imago Dei, qualis revera est, sed ut per illas analogicas similitunes in Dei cognitione erudiatur populus.

Quo cultu venerandæ sint imagines.

40. Nonnulli censent, sacras imagines eodem cultu venerandas esse, quo ipsum exemplar; proinde adorandas esse Dei imagines cultu latriæ, B. Virginis cultu hyperduliæ, Sanctorum denique duliæ; rectius tamen cum Bellarmino [2] sentitur, imaginibus, quamquam aliæ aliter honorandæ sunt pro archetypo quod referunt, non proprie tamen sed improprie (ut in Synodo VII [3] advertitur) exhibendum esse debitum cultum (pro exemplaris differentiâ): haud secus ac eodem honore, qui regi debetur, legatus regis honoratur, sed improprie. Sed omnium optime S. Thomas [4] hanc difficultatem resolvit, quum dicit (juxta primam suprà relatam sententiam), posse quidem imagines adorari eodem vel latriæ vel duliæ cultu, quo Deus vel Sancti adorantur; esse tamen adorationem in archetypis absolutam, relativam in imaginibus: atque ita omne dubium est solutum.

De Crucis signo.

41. Nunc singillatim de sanctæ Crucis signo loquamur. Reliquiæ sive particulæ ipsius ligni, in quo Jesus Christus mortuus est, propter sacrosancti Corporis ejus conctactum, majorem utique venerationem merentur quam ceteræ reliquiæ; ita quoque major veneratio debetur Crucis imagini quam ceteris imaginibus Sanctorum. Sed hic hæretici assurgentes: si omnes crucis imagines, inquiunt, idcirco venerandæ sunt, quod Christus in cruce mortuus est, omnes quoque funes, omnia flagella, omnes clavi omniaque sepulchra honorari debent, quia Dominus et funibus et flagellis et clavis cruciatus fuit et in sepulchro reconditus. Respondetur, non, ut crucis imagines, omnes funes, flagella, clavos aut sepulchra ideo confici, ut exprimant illa Christi patientis instrumenta; eamque ob causam solas cruces habere imaginis et venerationis rationem. Ipse Deus vult, ut Crucis signum in honore habeatur, quod constat ex S. Matthæi verbis: *Et tunc parebit signum Filii hominis in cælo* [5]. Illud autem signum Filii hominis esse signum Crucis, omnes veteres contra Calvinum [6] exponunt; quapropter in tribus Synodis VI[a] [7], VII[a] [8] et VIII[a] [9] speciales canones conditi sunt de Crucis veneratione.

Solvuntur dubia; doctrina explicatur.

42. Sed reponunt, detestandam potius quam adorandam esse Christi Crucem, quum tantum doloris et ignominiæ Ei attulerit; filium nempe non obsequiosum sed injuriosum patri futurum, si honoret patibulum, in quo pater supplicio necatus sit. — Respondetur, Crucem, quamvis ex Judæorum mente Christo infamiæ fuerit, propter mundi tamen in Cruce peractam redemptionem gloriæ Illi fuisse: unde merito eam veneramur, non ut ignominiosam, sed ut gloriosam Redemptori nostro. Præterquam quod gloriosa evasit crux ob Christi contactum. Ergone, inquient increduli, asinus quoque, quo Christus Jerosolymis vehebatur, gloriosus evasit? At respondet S. Athanasius: *Non per asinum Christus diabolum devicit et dæmones, neque in eo salutem operatus est,*

[1] Sess. 25. De Invocatione, cet. — [2] De Eccl. Triumphante, lib. II, cap. 23 et 24. — [3] a° 787, Act. 7, ante subscript. — [4] 2[a] 2[æ], qu. 81, art. 3 ad 3[m]. — [5] XXIV, 30. — [6] In Harmoniam Evangelior. in h. l. — [7] Quinisextum (a° 692), can. 73 et 82. — [8] a° 787, Act. 7 ante subscript. — [9] a° 870, can. 3.

sed in cruce [1]. Ad Crucis reliquias autem quod attinet, objiciunt, ejus particulas, passim per orbem terrarum dispersas, si simul conjungerentur, ipsius Crucis dimensionem sæpius esse superaturas. At refert Cardinalis *Gotti* [2], quantumvis multæ particulæ ex Cruce detractæ sint, sacrum lignum tamen nihil inde esse deminutum; quâ in re testimonium S. Cyrilli Hierosolymitani adducit, hæc asserentis: *Sanctum Crucis lignum... ad hodiernum usque diem apud nos conspicitur, ac per eos, qui, fide impellente, ex eo frusta decerpunt, orbem fere totum hisce jam opplevit* [3]; velut panum multiplicationem referens.

Quid prosint imagines.

43. Sed quid prosunt imagines, quum ipsa exemplaria habeamus? Prosunt, ut in nobis, qui sensibus utimur, memoria conservetur Jesu Christi et Sanctorum, qui et virtutes colendas docent, et simul admonent, ut in necessitatibus eos invocemus. In oratione de S. Theodoro S. Gregorius Nyssenus ajebat, vel ipsas picturas parieti suspensas, quamvis silentes, loqui tamen solitas, multumque proficere: *Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui maximeque prodesse* [4]. Optime omnium tamen Concilium Tridentinum, quam utilitatem sacræ imagines afferant, his verbis describit: *Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia Dei per Sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum et ad pietatem colendam. Siquis autem his decretis contraria docuerit aut senserit, anathema sit* [5].

Objicitur 1.

44. Objicitur 1[um], in Scripturis prohiberi omnem imaginis cultum religiosum: *Non adorabis ea, et non coles* [6]. Quum enim dicitur: *non adorabis*, prohibetur cultus externus; internus autem, quum additur: *non coles*. Respondetur, ibi prohiberi cultum idololatriæ, quem gentiles statuis adhiberent, existimantes in iis divinam aliquam virtutem intus residere; minime vero intelligi eum cultum religiosum, qui sacris imaginibus tribuitur propter sacrum exemplar, quod referunt. Idcirco autem, quod Judæi proni essent ad idololatriam, imagines adorare prohibebantur; unde refert Josephus Hebræus [7], eamdem ob causam in templo imagines non fuisse; quamquam ceteroquin expressa erant cherubim, quæ vere angelorum imagines erant. Ceterum hodie quum desierit idololatriæ periculum, unà desiit præceptum illud cæremoniale, Judæis impositum.

Respondetur.

Objicitur 2.

45. Objicitur 2°, imaginem coli, quatenus refertur ad prototypum; ergo ut imaginem coli non posse. Respondetur, imagines sine relatione ad exemplaria quæ referunt, honoris non esse capaces; esse tamen, tali relatione additâ; tunc enim, ut ait S. Thomas [8], vel in imagine honoratur prototypum, vel propter prototypum imago, quod quidem ad ipsum cultum relativum recidit.

Respondetur.

Objicitur 3.

46. Objicitur 3°, in concilio Illiberitano [9] prohiberi, ne in templi parietibus picturæ affigantur. Respondetur, eam prohibitionem factam esse ob multas causas, quæ hodie non existunt: ne videlicet existimarent gentiles, nos adorare tabulas et simulacra; aut etiam ne sacræ illæ imagines a gentilibus contumeliâ afficerentur, quum adhuc durarent persecu-

Respondetur.

[1] De variis Quæst. S. Scripturæ ad *Antiochum*, quæst. 15 (Edit. *Basil.*). — [2] *La vera Chiesa di Cristo, tom. 2, part. 2, art. 16, § 4, n. 20.* — [3] Catech. 10, n. 19. — [4] Oratio de *S. Theodoro Mart.* — [5] Sess. 25, de Invocatione, cet. — [6] Deut., V, 9. — [7] Contra *Appionem*, lib. II. — [8] 3ª, qu. 25, art. 3. — [9] a° 305, can. 36.

tiones, ut ex canone XXXVI ejusdem concilii apparet.

Objicitur 4

47. Objicitur 4°, S. Gregorium [1] in quadam epistolâ vetare, ne adorentur imagines. At respondetur, S. Gregorium loqui, ut ex epistolæ contextu colligitur, de quibusdam imaginibus, quæ cum gravi fidelium scandalo cultu superstitioso adorabantur. Ceterum ipsum S. Gregorium (ut in aliâ ejus epistolâ legitur [2]) Secundino imaginem Salvatoris dono misisse constat, eumque in epistolâ dixisse, se probe cognitum habere, quod eam non quasi Deum coleret; *sed ob recordationem Filii Dei, (ut) in ejus amore recalescas.* Præterea ad eumdem Secundinum misit imaginem crucis unà cum duobus sive vestimentis sive scutis, in quibus Redemptoris, beatissimæ Virginis et apostolorum Petri et Pauli imagines erant depictæ (*a*).

Respondetur.

Objicitur 5

48. Objicitur 5°, neque Judæos vitulum, neque gentiles sua idola (ut ait *Calvinus* [3]) ita adorasse, ut pro diis ea haberent, sed in iis verum Deum coluisse.

Respondetur.

Respondetur, gentiles et Judæos revera in iis imaginibus aut adorasse falsos deos, aut saltem latentem quamdam virtutem divinam in iis agnovisse, quum in ejusmodi lignis ac lapidibus suam fiduciam ponerent, eaque (quod vere idololatria est) constituerent ultimum suæ adorationis terminum. Quare Daniel: *Bibebant vinum*, inquit, *et laudabant deos suos aureos* [4]. De Judæis autem scripsit David: *Et commisti sunt inter gentes... et servierunt sculptilibus eorum* [5]. Ideo rogabant Aaron: *Fac nobis deos, qui nos præcedant* [6]. Et Jeroboam, a vero Deo eos avertens, duobus vitulis aureis confectis: *Nolite*, inquit, *ultra ascendere in Jerusalem; ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* [7]. Et de vitulo aureo dicebant: *Ibi sunt dii tui... qui te eduxerunt de terrâ Ægypti* [8]. Apud catholicos nihil ejusmodi; nec quidquam occultæ virtutis in sacris imaginibus inesse opinantur, sed cultus iis adhibitus ad exemplaria totus refertur; quapropter veneratio, quæ imaginibus tribuitur, non est prohibita, sed Deo accepta; quod apparet ex innumeris miraculis, quæ per ejusmodi imagines effici Domino collibuit. Nec sine magnâ temeritate dici posset, cuncta illa miracula esse falsa.

Objicitur 6

49. Objicit 6° Calvinus [9]: Atvero, quum in ipsis imaginibus non resideat abdita quædam virtus, quid est, quod ad unam potius quam ad aliam imaginem recurratur, ut vel longinquæ peregrinationes suscipiantur? Respondetur, illud non emanare ex peculiari ejusmodi imaginis virtute, sed ex voluntate Dei, qui idcirco, quod pro divinis suis judiciis haud raro plures per unam quam per aliam imaginem gratias elargiri statuerit, animis majorem erga unam quam erga aliam imaginem infundit devotionem.

Respondetur.

[1] *S. Greg. M.* Epistol. lib. XI, ep. 13, ad *Serenum* Ep^m. — [2] Ep. lib. IX, ep. 52, ad *Secundinum.* — [3] Instit., lib. I, cap. 11, n. 9 et 10. — [4] *Dan.*, V, 4. — [5] Ps. CV, 35 et 36. — [6] Exod., XXXII, 23. — [7] 3 Reg., XII, 28. — [8] Exod., XXXII, 4. — [9] L. c., n. 10.

(*a*) *Direximus tibi*, inquit (l. c.), *surtarias duas, imaginem Dei Salvatoris et sanctæ Dei genitricis Mariæ beatorumque apostolorum Petri et Pauli continentes,... et unam crucem.* Nonnulli existimant, *surtariâ* designari vestem quamdam, in quâ depictæ essent imagines; alii putant, *surtariam* esse scutum imaginibus ornatum, et *scutariam* esse legendum (Nota edit.).

DISPUTATIO XV.

(EADEM SESSIO XXV).

DE INDULGENTIIS.

Concilii Decretum.

1. In eâdem quoque vicesimaquintâ sessione conditum est decretum de indulgentiis, ubi hæc dicuntur: *Quum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimiâ facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, quum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima synodo provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententiâ cognitâ, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cujus auctoritate et prudentiâ, quod universali Ecclesiæ expediet, statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.*

Ecclesia indulgentias conferre potest.

Abusus tollendi sunt.

2. En tibi offendiculum, unde *Lutherus* nequitiam suam auspicatus est; ex quo et ipse et quotquot eum sequuntur, implacabile odium in ipsum indulgentiæ nomen susceperunt, quum ceteroquin quid sit, parum intelligant. *Gerhardus*[1] *Lutheranus*, ~~secundus~~ novatorum minister (*a*), nos docere asserit, Jesum Christum pro nostris quidem satisfecisse culpis; pœnæ vero et æternæ et temporalis persolvendæ officium nobis reliquisse (*b*); et ut eas pœnas effugeremus, nos excogitasse in-

Hæreticorum errores.

[1] Loci theologici (*Francofurti* et *Hamburgi*, 1657). Vol. II, tom. III. De Pœnitentia, n. 132.

(*a*) Quid sibi velit hic titulus, decernere non audeo. *Joannes Gerhardus* natus est a° 1582, *Jenæ* longo annorum spatio theologiam docuit, et plurimis post se relictis elucubrationibus, anno 1637 supremum diem obiit (Nota edit.).

(*b*) A quo auctore S. Alphonsus hæc verba mutuatus sit, nescio. Ipsum textum ex *Gerhardo* hic exscribere juvat: *Fabrica indulgentiarum*, inquit (l. c.), *talis est: statuunt Christum satisfecisse quidem pro peccatis nostris ac pœnâ eorum æternâ, interim tamen pro temporali pœnâ nobis ipsis satisfaciendum esse, idque vel operibus sponte susceptis vel a sacerdote injunctis in hac vitâ, vel pœnâ in purgatorio luendâ post hanc vitam. Ne vero residuæ istæ pœnæ partim ob durationem temporis, partim ob cruciatuum atrocitatem intolerabiles fiant, ideo indulgentias excogitarunt, quibus pœnas illas relaxari et redimi posse statuunt, modo certâ pecuniæ summâ indulgentiales litteræ ab officialibus Summi Pontificis redimantur* (Nota edit.).

dulgentias, quarum ope (pecuniâ eas a Româ comparando) confidimus, pœnas illas remitti. Respondetur, Redemptorem nostrum, quamquam proprie pro culpis nostris et pro æternâ pœnâ nobis debitâ satisfecit, nihilominus exsolvisse quoque pœnam temporalem, nobis subeundam; ordinarie tamen Christi satisfactionem ad solvendas pœnas temporales nobis non applicari nisi aut per satisfactionem a nobismetipsis præstitam, aut per indulgentias, a Christi Vicario nobis concessas. Deinde omnino falsum est, indulgentias meram esse catholicorum inventionem: ex Christi enim doctrinâ sunt, et Ecclesia per continuam traditionem eas proposuit. Similiter plane falsum est, eas indulgentias **a nobis emi pecuniâ; nemo enim** ignorat, sine ullâ mercede eas concedi.

Vera Ecclesiæ doctrina.

3. Præterea dicimus, indulgentias, juxta veram doctrinam ab Ecclesiâ nobis traditam, obtinere nobis remissionem pœnæ temporalis, quæ luenda nobis remanserat **ex peccatis quoad culpam remissis; hoc** autem idcirco fieri, quod Ecclesia nobis applicat Jesu Christi merita, quæ in Ecclesiæ thesauro exstant, quum ipse Christus suo Vicario potestatem dederit, fidelibus ejusmodi indulgentiam dispensandi. In eo thesauro sunt etiam merita Sanctorum, qui hac in vitâ pro culpis suis plene satisfecerunt. Et id quidem, non quod Christi satisfactio (quæ infinita fuit) non sufficeret, **sed ne illorum Sanctorum merita** inania forent; eamque ob causam Dominus **ea accipit ad exsolvenda aliorum** debita.

Explicatur doctrina de indulgentiis.

4. Bellarminus [1], in omni bono opere et meritum inesse ait et satisfactionem.

Opus bonum et meritorium

De merito nemo catholicorum dubitat, quum apud S. Matthæum habeamus, Dominum electorum suorum meritis laudes tribuere, eosque propter ea in regni sui partem vocare: *Possidete paratum vobis regnum.... Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, cet.* [2]. Et S. Paulus scribit: *Qui reddet unicuique secundum opera ejus* [3]. Quod autem ad satisfactionem attinet, apud Tobiam legimus: *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat* [4]. Et in Ecclesiastico: *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis* [5]. Unde S. Cyprianus: *Eleemosynis*, inquit, *atque operibus justis delictorum flamma sopitur* [6]. S. Thomas [7], bonis operibus satisfactoriis mercedem suam deberi docet **ex justitiâ commutativâ, meritoriis** ex distributivâ. Opus autem, in quantum meritorium est, alteri applicari non potest: potest tamen, in quantum satisfactorium; quum princeps accipere possit debiti solutionem ab uno pro alio præstitam.

et satisfactorium est. De merito.

De satisfactione.

5. Certum est, ut declaravit Clemens VI (*Constit. Extrav. Unigenitus de pœnit. et remissione* [8]), exstare in Ecclesiâ infinitum Jesu Christi satisfactionum thesaurum; exstant præterea superfluentes satisfactiones beatæ Virginis, quæ immunis ab omni culpâ actuali (ut tenet Ecclesia [9]) non habebat, quod pro seipsâ satisfaceret; satisfactiones quoque Sanctorum, qui (ut suprà diximus) sanctis operibus in vitâ plus exsolverunt quam culpis suis meruerant.

De Ecclesiæ thesauro.

6. Pariter certum est, in Ecclesiâ esse potestatem, hunc thesaurum animis fidelium applicandi. Probatur primum ex

De Ecclesiæ potestate, thesaurum applicandi.

[1] De Indulg., lib. I, cap. 2, prop. 1. — [2] *Matth.*, XXV, 34 et 35. — [3] *Rom.*, II, 6. — [4] *Tob.*, IV, 11. — [5] Eccli., III, 33. — [6] De opere et eleemosynis, n. 2. — [7] 1ª, qu. 21, art. 1; 2ª 2æ, qu. 61 (*a*). — [8] V, 9, 2. — [9] Sess. 6, can. 23.

(*a*) Vide etiam *Bellarminum*, qui (de Indulgentiis, lib. I, cap. 2) rem ex variis *D. Thomæ* locis inter se comparatis (I, qu. 21, art. 1; contra Gentes, lib. I, cap. 93; 2ª 2æ, qu. 61, art. 4 ad 1m) his verbis explicat: *Potest uni atque eidem operi duplex merces deberi, altera ex justitiâ commutativâ, altera ex distributivâ: atqui operi satisfactorio debetur remissio pœnæ ex justitia commutativa, operi meritorio debetur præmium ex justitia distributiva secundum substantiam..., quamvis secundum modum debeatur et reddatur secundum commutativam.... Igitur potest unum atque idem opus bonum simul satisfactorium esse et meritorium; cet.* (Nota edit.).

symboli articulo de Sanctorum communione, quâ unius satisfactoria opera applicari possunt alteri propter mutuam caritatem, quæ inter Sanctos communicatur. Ecclesiæ pastores autem habere hanc facultatem, satisfactiones in thesauro repositas fidelibus applicandi, constat ex potestate clavium S. Petro ejusque successoribus his verbis concessâ: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* [1]. Quæ quidem verba denotant potestatem solvendi animas ab omni vinculo, quod beatorum gloriam ingredi non sinat. S. Petro data fuit potestas, in cœlis quoque solvendi: ea igitur potestas continet remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ, cujus solutio nondum præstita animam a gloriâ consequendâ prohibet. Illud autem efficit indulgentiarum beneficium animis applicatum. Reatus culpæ sine sacramento Pœnitentiæ remitti nequit, quum ad remissionem requiratur infusio gratiæ; reatus vero pœnæ extra Sacramentum remitti potest, quum non requiratur nova gratia.

Ecclesia indulgentias semper concessit. *a* S. Script.

7. In Ecclesiâ indulgentias concedendi usum semper exstitisse, patet ex iis, quæ incestuoso illi peccatori Corinthio acciderunt. Quum enim delicti eum pœnitere amici viderent, et a S. Paulo peterent, ut condonaret pœnam debitam, *ne... tristitiâ absorbeatur* [2]; precibus annuens Apostolus: *Cui autem aliquid donastis*, inquit, *et ego; nam et ego, quod donavi, siquid donavi, propter vos in personâ Christi* [3]. Quam autem Apostolus vocat donationem, eam nos indulgentiam vocamus. Sæculo VII S. Gregorius, cujus S. Thomas meminit [4], stationibus plures indulgentias adnexuit; S. Leonem III circa annum 800 alias concessisse indulgentias refert Surius [5] in vitâ S. Suiberti, et (loco citato) testatur S. Thomas; Urbanus II [6] autem, quem commemorat S. Antoninus [7], plenariam tribuit indulgentiam iis, qui ad sacrum bellum proficiscebantur. Nec mirum videatur, quod Patres expressam de indulgentiis mentionem non fecerint: iis enim temporibus omnis adhibebatur canonum pœnitentialium severitas, quos deinde propter hominum imbecillitatem frequentiores indulgentiæ exceperunt.

b Summi Pontifices.

c Concilia.

8. Præterea concilium Nicænum I: *Licebit Episcopo*, inquit, *humanius etiam circa eos aliquid cogitare* [8]. Statuit igitur concilium, ut vere pœnitentes ab Episcopis impetrare possent pro debitâ satisfactione indulgentiam. Similia habentur in concilio Ancyrano [9] et Laodiceno [10]. Præterea Sergius Papa, qui sedit ab anno 844-47, alias concessit indulgentias (*a*): nec fas est suspicari, Pontifices illos sine aliorum exemplo indulgentias excogitasse. Insuper anno 1095 concilium generale Claromontanum [11] indulgentiam plenariam cuilibet, ad sacrum bellum proficiscenti, concessit. Præterea anno 1116 in concilio generali Lateranensi [12] Paschalis II indulgentiam XL dierum largitus est ei, qui synodo interesset; in proximo concilio Lateranensi [13], anno 1215, Innocentius III plenariam tribuit indulgentiam iis, qui ad auxilium terræ Sanctæ aliquid conferrent; item in concilio Constantiensi [14] plenariam indulgentiam concessit Martinus V. Indulgentiarum his verbis Tertullianus quoque mentionem fecit: *Quam pacem quidam in Ecclesiâ non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt* [15]. Et S. Cyprianus: *Pœnitenti*, inquit,

d Testimonia *Tertulliani* et *S. Cypriani.*

[1] *Matth.*, XVI, 19. — [2] 2 *Cor.*, II, 7. — [3] v. 10. — [4] In Sent. lib. IV, dist. 20, quæst. 1, art. 3, solutio 2. — [5] 1ª Martii, Epist. *S. Ludgeri* de *S. Suiberto*, cap. 9, a° 796. — [6] Synodalis concio in concil. *Claromont.* (Apud *Labbe*). — [7] Chronicor., tit. 16, cap. 1, § 23. — [8] a° 325, can. 11 (alias 12). — [9] a° 314, can. 5. — [10] Sæc. IV, can. 2. — [11] Can. 2. — [12] Versus med. — [13] *Later. IV.* Epist. *Innoc. III* « *Quia major* ». — [14] a° 1418, sess. 45. Ep. *Mart. V* « *Hoc etiam* ». — [15] Ad Martyres, cap. 1.

(*a*) *Bellarm.*, de Indulg., lib. I, cap. 3: *Constat*, inquit, *ex memoriâ hujus rei, quæ exstat in eâdem ecclesiâ* (i. e. *Romæ*, in Eccles. *S. Martini* in montibus), *ut nulla fingi possit suspicio fraudis* (Nota edit.).

operanti, roganti potest clementer ignoscere; potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres, et fecerint sacerdotes [1]. Episcopi igitur martyrum merita applicabant pro satisfactione, a peccatoribus pœnitentibus luendâ.

Objicitur 1

9. Objicitur 1°: Jesu Christi et Sanctorum merita, quæ Ecclesiæ thesaurum constituunt, jam satis a Deo remunerata sunt; ergo nihil superest, quod in indulgentiarum thesauro recondatur. Responsio in iis continetur, quæ suprà diximus: Christi videlicet et Sanctorum opera non solum meritoria fuisse, sed etiam satisfactoria. Unde, licet quoad meritum mercedem acceperint, tamen quoad satisfactionem, nisi in peccatorum beneficium applicarentur, sine fructu manerent tum in Christo tum etiam in multis Sanctis, qui majora exsolverunt quam de temporali pœnâ meruerant; atque ideo ad thesaurum adjunguntur, aliisque applicantur per indulgentias.

Respondetur.

Objicitur 2

10. Objicitur 2°, quodlibet peccatum mortale causam esse infiniti damni animæ illud committenti: ergo ad tollendum ex animâ peccatum, necessaria fuit tota Jesu Christi infinita satisfactio. Si res ita se haberet, passio Redemptoris satisfacere non potuisset nisi pro unâ solâ culpâ mortali, quæ sola videlicet omnia Jesu Christi merita absorbuisset. Itaque respondetur, Christi merita, quum sint infiniti pretii, satis superque esse ad exsolvenda omnia hominum peccata, etiamsi essent infinita; quare S. Joannes: *Et ipse,* inquit, *est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* [2]. Præterquam quod rectius sentitur, peccati mortalis malitiam esse quidem immensam (habet *quamdam infinitatem malitiæ*, inquit S. Thomas [3], ob infinitam Dei offensi majestatem), non autem vere infinitam; secus omnia peccata mortalia æqualis essent malitiæ, quum infinitum nec augeri possit nec imminui.

Respondetur.

11. Objicitur 3°, quum Christi satisfactio sit infinita, nihil in thesauro ad indulgentias prodesse Sanctorum satisfactiones. Respondetur, non ideo ad thesaurum adjungi Sanctorum satisfactiones, quod satisfactiones Christi non sufficiant: sunt enim infiniti pretii; sed, ne Sanctorum satisfactiones inanes remanerent, Deus voluit ad honorandos servos eas quoque aliquo modo ad fidelium subsidium concurrere. Idque eo magis, quod Christi merita, ut ait Dominicus a Soto [4], quamvis infinita, *modo finito* fidelibus applicantur; atque ita Sanctorum merita revera aliquid conferre possunt ad indulgentias, quæ dispensantur.

Objicitur 3

Respondetur.

12. Objicitur 4°, Sanctos bonum operantes id fecisse, quod facere deberent; quare nos admonet Jesus Christus: *Quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus* [5]. Nihil igitur (dicunt) ex iis Sanctorum meritis superest, quod ad thesaurum adjiciatur, et deinde communicetur cum aliis. Data est responsio (sess. VI, n. 94) quum sermo erat de merito bonorum operum; hic ergo repetimus, licet divinis præceptis obedire teneamur, Deum tamen remunerare obedientiam nostram, et eo magis remunerare supererogatoria opera, ad quæ præstanda non tenebamur: ac proinde quando horum operum merita ad exsolvenda nostra debita non requiruntur, Ecclesia in beneficium aliorum ea applicat.

Objicitur 4

Respondetur.

13. Objicitur 5°, si Sanctorum passiones pro nostris culpis possent satisfacere, Sanctos appellari posse nostros redemptores; quod dici nefas est, quum solus Jesus Christus sit Redemptor noster: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio et redemptio* [6]. Respondent nonnulli, indulgentiis nobis non applicari Sanctorum satisfactiones, sed Deum harum intuitu misericordiam nobis impertiri. Sed hæc sententia, a Lovaniensibus

Objicitur 5

Quomodo aliqui respondeant.

[1] De Lapsis, n. 36. — [2] 1 *Joan.*, II, 2. — [3] 3ª, qu. 1, art. 2, ad 2ᵐ. — [4] In Sent. lib. IV, dist. 21, quæst. 1, art. 2, concl. 2. — [5] *Luc.*, XVII, 10. — [6] 1 *Cor.*, I, 30.

proposita, cum multis aliis eorum propositionibus a Pio V condemnata fuit [1]. Quid respondendum sit. Itaque respondemus, dubium non esse, quin absolute loquendo, solus Jesus Christus sit Redemptor noster, qui suis meritis a peccati et diaboli potestate nos liberat, quâ in re vera redemptio consistit; et in hoc (adjungo) non interveniunt Sanctorum satisfactiones. Ceterum nihil obstat, Sanctos quodammodo redemptores nostros vocari, quatenus supereffluentibus suis satisfactionibus nos liberant a pœnis, quas pro culpis nostris nondum exsolvimus. Quo quidem largiori sensu Sanctos redemptores nostros appellare possumus, sicut Daniel Nabuchodonosor monuit, ut suiipsius redemptor fieret, eleemosynis peccata sua exsolvendo: *Peccata tua eleemosynis redime* [2].

Quæstiones. I Sitne solutio an absolutio.

14. Quæritur 1um, utrum indulgentia solutio sit an absolutio debiti. Variæ hac in re sunt sententiæ; Bellarminus [3] vero indulgentiam solutionem simul et absolutionem esse, recte asserit. — Eam esse absolutionem provenit ex potestate subditos absolvendi, Apostolis a Christo his verbis traditâ: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo* [4]. Illud quoque declaravit Alexander III in capite *Quod autem consuluisti* [5], ubi ait, neminem superiorem indulgentias concedere posse nisi suis subditis, quemadmodum nisi proprios subditos absolvere nequeat judex. Sic etiam Martinus V [6] plenariam indulgentiam, quam in concilio Constantiensi concedebat, *absolutionem plenariam* vocabat. Similiter Gregorius VII [7] indulgentias tribuens, ut plurimum *absolutionis* verbo utitur. Affirmat præterea Bellarminus [8], summum Pontificem, licet fidelibus vivis indulgentias dispenset per modum *absolutionis*, posse tamen per solutionem quoque eas concedere, quemadmodum revera eas concedit pro defunctorum animis, in quibus, utpote jam non subditis, absolutio locum non habet; quare per solutionem tantum sive suffragium summus Pontifex iis tot indulgentias ex thesauro applicat, quot ad debita sua exsolvenda indigent. Ita quoque cum viventibus agere posset: vulgo tamen defunctis per solutionem, per absolutionem vivis applicantur.

II Quis Indulgentias concedere possit. Summus Pontifex. Episcopi.

15. Quæritur 2°, quis possit indulgentias concedere. Plenariam indulgentiam solus Papa elargiri potest *ex plenitudine potestatis;* ut constat ex capite *Quum ex eo* [9]. Ad partiales indulgentias quod attinet, ex eodem cap. *Quum ex eo* et ex capite *Nostro* [10] liquet, Episcopos unius anni indulgentiam in dedicatione ecclesiæ, et quadraginta dierum in ejus anniversario die concedere posse; indulgentiam quadraginta dierum aliis quoque occasionibus. Hæc sunt verba capitis *Quum ex eo: Hunc quoque dierum numerum* (id est, quadraginta) *indulgentiarium litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur, quum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.* Et in capite *Nostro*, ubi de archiepiscopis, dicitur: *Nostro postulasti certificari responso, utrum per tuam provinciam possis concedere remissionis litteras generales. Nos igitur F. t. breviter respondemus, quod per provinciam tuam libere potes hujusmodi concedere litteras, ita tamen quod statutum generalis Concilii non excedas.*

Sitne de jure divino.

16. Utrum Episcopi eas indulgentias concedere possint ex seipsis *de jure divino*, an vero ex summi Pontificis concessu, illud pendet (ut ait Bellarminus [11]) ex quæstione, eorumne potestas immediate a Deo emanet an vero mediate per summum Pontificem. Bellarminus tenet, mediate illud fieri, sed contraria sententia

[1] « *Ex omnibus afflictionibus* », 1 Oct. 1567, prop. 60. — [2] *Dan.*, IV, 24. — [3] De Indulg., lib. I, cap. 5, prop. 1. — [4] *Matth.*, XVIII, 18. — [5] De Pœnit. et Remiss., V, 38, 4. — [6] Sess. 45. Ep. « *Hoc etiam* ». — [7] Registrum, lib. VI, ep. 15, ad Monachos *Massilienses;* lib. VII, ep. 10, ad universos *Britannos*, cet. — [8] L. c., prop. 2. — [9] De Pœnit. et Remiss., V, 38, 14. — [10] V, 38, 15. — [11] De Indulg., lib. I, cap. 11.

satis probabilis est et fortasse probabilior. Nonnulli volunt, eamdem potestatem habere abbates regulares, quin et parochos et confessarios; communiter tamen negatur; et in capite *Accedentibus* [1] exponitur, præterquam Episcopis nemini licere indulgentias concedere. Solos Episcopos vere prælatos esse ait S. Thomas [2]. Regulares autem, quamvis exempti, participes fieri possunt indulgentiarum, quas Episcopi in commune concedunt; quodsi opera injuncta ab iis impleri non possent sine regularis observantiæ violatione, præpositi licentiâ opus est, ut item docet S. Thomas [3].

Quid de prælatis et parochis.

3 Num requiratur justa causa.

17. Ad concedendas indulgentias, etiamsi ab ipso summo Pontifice fiat, justa causa requiritur; siquidem ad jus divinum pertinent. Verumtamen opus non est, injuncta indulgentiæ opera adæquare satisfactionem, a singulis debitam, licet quædam proportio semper requiratur. Docent nihilominus S. Thomas [4], S. Antoninus [5], Paludanus [6], Durandus [7] et Joannes de Turrecremata [8], satis esse quodlibet opus pium, quamvis minimum; sed alii cum S. Bonaventurâ [9] majorem proportionem exigunt; quapropter dicunt *Gerson* [10], *Richardus* [11], *Cajetanus* [12], cet. apud Bellarminum [13], maximam indulgentiam per opus leve acquiri non posse. Bellarminus [14] secundæ sententiæ adhæret; dicit tamen, acquiri posse indulgentiam, quoties opus injunctum, quamvis non proportionatum, indulgentiæ finem assequitur; cujusmodi est plenaria indulgentia, iis concessa, qui Sanctorum canonizationi intersunt: quæ quidem præsentia, licet proportionata non sit, indulgentiæ tamen finem attingit, quum concedatur, ut populus assistendo in fide confirmetur. Præterea quum uni soli datur indulgentia, injuncti operis proportio requiritur; quum vero in commune conceditur, necesse non est, singulorum opera indulgentiæ proportionari; sed sufficit, fini proportionata esse omnium simul opera. Subditorum porro non est, judicare de justitiâ causæ, ob quam indulgentia conceditur, sed singuli eam justam habere debent.

4 De proportione inter opus et indulgentiam.

5 De concedendis indulgentiis.

In Concilio Tridentino [15] dicitur, indulgentias concedendas esse juxta antiquitatis consuetudinem; ibi autem paucissimæ erant. In capite *Quum ex eo* [16] testatur Innocentius III, summum Pontificem ordinarie non majorem quam unius anni indulgentiam concedere.

6 De conditionibus.

18. Ad lucrandam indulgentiam requiritur, ut opus injunctum sit satisfactorium, et suscipiens sit in statu gratiæ. Hanc secundam conditionem nonnulli negant, quum indulgentia non innitatur satisfactione propriâ, sed Christi et Sanctorum satisfactione; probabilius tamen Bellarminus [17] eam requirit, quum Deo placere nequeant inimicorum opera. Excipit tamen eam indulgentiam, cujus finis ipso opere attingitur, ut si concedatur iis, qui pecuniam conferant ad templi aliusve pii loci exstructionem: nihilominus semper necesse est ad lucrandam actu indulgentiam, hominem, postmodum saltem, in gratiæ statum redire. Quando dicitur, indulgentiam concedi *pœnitentibus et con-*

[1] De Excessibus Prælatorum, V, 31, 12. — [2] In Sent. lib. IV, dist. 20, qu. 1, art. 4. — [3] L. c., art. 5, solutio 2. — [4] L. c., art. 3, solutio 2. — [5] Summa theol., pars. 1, tit. 10, cap. 3, § 1. — [6] In Sent. lib. IV, dist. 20, quæst. 4. — [7] In Sent. lib. IV, dist. 20, quæst. 4, n. 8. — [8] De Pœnitentia, pars 2, dist. 1, can. « *Quis aliquando* », § « *Item de Levitico* », q. 4, n. 22. — [9] In Sent. lib. IV, dist. 20, pars 2, quæst. 6. — [10] De Absolutione Sacramentali. « Addatur ad præmissa ». — [11] In Sent. lib. IV, dist. 20, art. 5, quæst. 3 (*a*). — [12] Opusc. De Causa Indulgentiarum, qu. 1; — Tract. de Indulg. ad *J. Medicem*, cap. 8. — [13] L. c., cap. 12. — [14] L. c. — [15] Sess. 25, Decr. de Indulg. — [16] Ut suprà. — [17] L. c., cap. 13.

(*a*) *Si sacerdos*, inquit, *injungit pœnam non recompensantem pœnam a Deo taxatam secundum judicium suæ justitiæ, temperatum dulcedine misericordiæ, pœnitens residuum exsolvet post hanc vitam* (Nota edit.).

fessis, multi volunt, contritionem sufficere; Bellarminus [1] vero probabilius esse existimat, requiri confessionem; et idem dicunt Cajetanus [2], Navarrus [3] et alii; et Benedictus XIV [4] monet, in anni sancti jubilæo, verba *vere pœnitentibus et confessis* de actuali confessione intelligi debere.

ACCEDIT
DISPUTATIO XVI ET ULTIMA.

DE OBEDIENTIA PRÆSTANDA DEFINITIONIBUS CONCILII ATQUE ADEO ECCLESIÆ ROMANO-CATHOLICÆ EXTRA QUAM NON EST SALUS.

Ecclesia una esse debet.

1. Numquam fieri potest, ut vera sit Ecclesia, quæ non sit una, unam doctrinam unamque fidem docens: *Una fides* (inquit Apostolus), *unum baptisma, unus Deus* [5]. Quapropter ex omnibus ecclesiis, quæ varias doctrinas tradunt, quum non possit nisi una esse veritas, una sola vera Ecclesia esse potest: et extra eam, ut ipse *Calvinus* [6] scripsit, non est salus. Jamvero, ad demonstrandum, quænam in novâ Evangelii lege una illa et vera sit Ecclesia, indagari oportet, quænam fuerit prima Ecclesia a Jesu Christo fundata; ubi enim prima erit reperta, fateri necesse est, eam unice esse veram: quæ semel vera fuerit, semper vera esse et debuit et debebit; quum primæ illi Ecclesiæ a Redemptore data sit promissio, inferorum portas (id est hæreses) numquam eam esse eversuras, quod his verbis Petro denuntiavit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [7]. Quare S. Paulus ad Timotheum scribens, eam Ecclesiam, a Christo fundatam, veritatis columnam vocat et fundamentum:

Inquirendum, quænam fuerit prima Christi Ecclesia.

[1] L. c., quæst. 3. — [2] Tract. de Indulg. ad *J. Medicem*, cap. 10. — [3] Comment. de Jubilæo et Indulg. Notab. 18, n. 1. — [4] « *Inter præteritos* », 3 Dec. 1749, § 5. — [5] *Ephes.*, IV, 5 et 6. — [6] Instit., lib. IV, cap. 1, n. 1-12 (*a*) — [7] *Matth.*, XVI, 18.

(*a*) Quid ipse *Calvinus* fateatur, audire expedit. Inter alia (l. c.) hæc legimus: *Ideo Catholica dicitur (Ecclesia) seu universalis; quia non duas aut tres invenire liceat, quin discerpatur Christus: quod fieri non potest.... Discamus vel* MATRIS *elogio, quam utilis sit nobis ejus cognitio, immo necessaria; quando non alius est in vitam ingressus nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pariat, nisi nos alat suis uberibus, denique sub custodiâ et gubernatione suâ nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus Angelis. Neque enim patitur nostra infirmitas a scholâ nos dimitti, donec toto vitæ cursu discipuli fuerimus. Adde, quod extra ejus gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus.... Videmus, ut Deus qui posset momento suos perficere, nolit tamen eos adolescere in virilem ætatem nisi educatione Ecclesiæ.... Optimo examine obedientiam nostram probat, ubi ejus ministros, non secus atque Ipsum, loquentes audimus.... Voluit Deus..., se nobis ostendere patremfamilias, dum nos spiritualibus alimentis pascit, et quæcumque ad salutem nostram faciunt, procurat.* Vide etiam quæ notavimus pag. 275 (*a*) (Nota edit.).

Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis [1].

Prima fuit Ecclesia Romana.

2. Inquiramus igitur, quæ fuerit prima illa a Jesu Christo constituta Ecclesia. Nulla alia præter Catholicam Romanam in universâ historiâ sacrâ ut prima Ecclesia deprehenditur: ceteras vero falsas et hæreticas ecclesias postea emersisse legimus, et ab eâ esse digressas. Illam quidem describit S. Paulus, quum Ecclesiam ait ab Apostolis esse propagatam et deinde gubernatam a pastoribus, quos ipsi Apostoli ad eam regendam constituissent: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores... in ædificationem corporis Christi* [2]. Neque enim reperiri potest illa nota nisi in solâ Ecclesiâ Romanâ, cujus pastores sine ullâ dubitatione per continuam legitimamque successionem descendunt ab Apostolis, quibus Christus usque ad finem mundi Se adfuturum esse promisit: *Et ecce Ego vobiscum sum... usque ad consummationem sæculi* [3]. Quare S. Irenæus: *Romæ fundatæ... Ecclesiæ*, inquit, *eam quam habet ab Apostolis traditionem et... fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui,... per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet colligunt* [4]. Propterea quoque S. Augustinus certus erat, Romanam Ecclesiam veram esse ecclesiam Jesu Christi: *Tenet (me in Ecclesiâ) ab ipsâ sede Petri... usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum* [5].

Romani pastores ab Apostolis descendunt.

Ecclesia Romana numquam defecit.

3. Illud quidem, Catholicam Romanam fuisse primam a Jesu Christo conditam Ecclesiam, neque ab ipsis hæreticis negatur. *Gerhardum*, celebrem ministrum Lutheranum, de ipsâ nostrâ Romanâ Ecclesiâ loquentem audiamus: *Certum quidem est*, inquit, *antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse, et Apostolicam doctrinam tenuisse* [6]. Asserunt tamen, id quod S. Augustini ætate Donatus hæresiarcha dicebat, Romanam Ecclesiam veram quidem fuisse ad quintum, vel, ut alii dicunt, ad tertium vel quartum usque sæculum, tum vero defecisse, utpote a Catholicis in veris fidei articulis corruptam. Ergone permittere potuit Deus, ut per novem sæcula homines sine Ecclesiâ viverent, donec prodirent novi isti illuminatique reformatores fidei, quales se jactant *Lutherus*, *Zwinglius*, *Calvinus* aliique ejusmodi novatores? Sed quomodo deficere poterat illa Ecclesia, quam S. Paulus (ut suprà notavimus) columnam vocat et firmamentum veritatis, et adversus quam ex ipsâ Jesu Christi promissione errores et hæreses numquam prævalerent? Nequaquam; non defecit Ecclesia, nec deficere potuit juxta Christi promissionem. Illud verum est, ut ait S. Hieronymus, defecisse atque errasse ceteras falsas ecclesias omnes, quæ a Romanâ discesserunt: *Ex hoc... ipso* (inquit S. Doctor, de hæreticis disserens), *quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit* [7]: pseudoprophetas. Quo argumento, fieri videlicet non posse (ex Salvatoris promissione), ut deficiat prima Ecclesia, ab Eo constituta, S. Augustinus [8] Donatistas confutavit. — Quare sapienter doctus quidam auctor (Pichler [9]) ait, nullam ad coarguendas cunctas hæreticorum sectas nec certiorem nec tutiorem esse viam, quam si iis demonstretur, Ecclesiam nostram Catholicam fuisse primam a Jesu Christo fundatam: quo probato, sine ullâ dubitatione item demonstratum est, eam esse unice veram, et reliquas omnes ab eâ egressas et separatas, certo in errore versari. Carolo II, Angliæ rege, defuncto, in arculâ reperta est scheda, in quâ suâ manu

Nulla tutior via ad demonstrandam Romanæ Ecclesiæ veritatem.

[1] 1 *Tim.*, III, 15. — [2] *Eph.*, IV, 11 et 12. — [3] *Matth.*, XXVIII, 20. — [4] Contra hæres., lib. III, cap. 3, n. 2. — [5] Contra Epistolam *Manichæi*, cap. 4, n. 5. — [6] *Johannis Gerhardi* Loci theologici (*Francofurti* et *Hamburgi*, 1657). De Ecclesia, cap. 11, sect. 6, n. 204. — [7] Dialogus adversus *Luciferianos*, n. 28. — [8] Enarr. in Ps. CI, Serm. 2, n. 9 seq. — [9] Theol. Polem. De Ecclesia, Præfatio.

hæc scripserat: « His in terris Christus non potest nisi unam habere Ecclesiam (quod evidens mihi videtur); et hæc unica Ecclesia alia esse nequit nisi Romana Catholica: unde hoc unum investigandum esse existimo, ubinam sit illa Ecclesia, in quam credere profitemur; tunc enim credere debemus ea omnia, quæ illa nobis proponit ». Quâ ratione coactus, rex Carolus tandem catholicam fidem amplexus est [1].

Inepta est distinctio inter visibilem et invisibilem Ecclesiam.

4. Novatores, hac ratione ad incitas redacti, aliâ nihilominus responsione excogitatâ, visibilem quidem Ecclesiam defecisse ajunt, non vero invisibilem; quæ constat vel solis prædestinatis (ut volunt Calvinistæ) vel justis (ut Lutherani confessionis Augustanæ asserunt). — Sed hæc omnia contraria sunt Evangeliis, ubi declaratur, militantem Ecclesiam ex justis et peccatoribus, ex prædestinatis et non prædestinatis constare; unde depingitur modo ut area, ubi cum frumento paleæ reperiuntur, modo ut sagena, bonos et malos pisces continens, modo ut ager, in quo fruges et zizania adsunt. Anno 1695 Joannes Baptista *Crophius* (apud *Pichler* [2]) in scriptis exposuit, a prædicantibus sæpius se petivisse, ut aliquem sacræ Scripturæ textum afferrent, in quo *invisibilis* illa Ecclesia, ab ipsis Reformatis conficta, designaretur; se tamen nihil impetrasse. Sed quomodo illud impetrare potuisset, quum Jesus Christus dixerit Apostolis, quos Ecclesiæ suæ propagatores mundo relinquebat: *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita* [3]. Urbs monti imposita, hominum oculis occultari nequit; atque ita fieri non posse declaravit, ut Ecclesia non sit visibilis omnibus. Quod item significavit, quum S. Petro ejusque successoribus ministerium clavium traderet: *Et tibi dabo claves regni cælorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis* [4]. Unde narrat Illustr. Dom. *Bossuet* [5] in colloquio cum D. Claudio *Calvinistâ* habito et postmodum typis divulgato, eam inter ipsos declaratam fuisse et statutam veram Christi Ecclesiam, quæ externe clavium ministerium exerceat.

Necessaria est Ecclesia visibilis. *a* ad subditorum doctrinam et regimen.

5. Visibilem autem esse Ecclesiam, omni tempore fuit eritque semper necessarium, ut omnes perpetuo veram circa fidei articulos morumque præcepta doctrinam ab Ecclesiæ pastoribus ediscere possint, ab iis suscipere sacramenta, in viâ salutis dirigi atque illuminari et corrigi, si quando in errorem labantur. Si Ecclesia umquam lateret nec posset dignosci, ad quem recurrerent homines, ut scirent, quid credendum, quid operandum sit? *Quomodo credent ei*, inquit Apostolus, *quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* [6] Si magistri delitescunt nec cognoscuntur, populi unde possunt salutis præceptis imbui? Præterea: *Obedite præpositis vestris*, inquit S. Paulus, *et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* [7]. Jamvero, quomodo fideles obedientiam illam, a S. Paulo injunctam, præpositis suis præstarent, si Ecclesiâ latitante et hominum oculis occultatâ, ipsi quoque pastores laterent? Nequaquam, inquit idem Apostolus; ideo enim Dominus in Ecclesiâ suâ constituit apostolos, pastores et doctores visibiles, ut et veram doctrinam traderent et rectâ salutis viâ suas ducerent oves, ne a fallacibus errorum magistris circumvenirentur: *Et ipse dedit quosdam... apostolos,... alios autem pastores et doctores cet.; ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris* [8].

b ad dubia solvenda.

6. Sed Ecclesiam ejusque pastores notos esse et visibiles, ideo potissimum necesse fuit, ut infallibilis aliquis judex existeret, cui a Deo tradita esset potestas, dubia

[1] *Bernino, secolo XVII, cap. VIII.* — [2] De Eccles., art. 3, n. 4. — [3] *Matth.*, V, 14. — [4] XVI, 19. — [5] *Conférence avec M. Claude, n. 3.* — [6] *Rom.*, X, 14. — [7] *Hebr.*, XIII, 17. — [8] *Ephes.*, IV, 11 et 14.

identidem oritura ita solvendi, ut ejus judicio omnes necessario se submittere deberent: aliter defuisset certa fidei regula ad cognoscendum, quæ sint vera dogmata credenda, et quæ observanda præcepta; neque umquam inter ipsos fideles finem haberent controversiæ. Si enim aut deesset judex aut ipse falli posset, nemo ejus judicio se submitteret, nisi quum sententia judicis propriæ opinioni responderet. Si autem judicia de fidei articulis morumque præceptis conformari deberent ad uniuscujusque sententiam, certo omnes homines in fide dissidentes et discordes semper essent, atque inde ipsa fides ambigua foret atque incerta.

Ipsi hæretici illud agnoverunt.

7. Eam in dubiis fidei infallibilis judicis necessitatem etiam pseudoreformatos agnovisse ait Illustr. Dom. *Bossuet;* refert enim, in libro a *Calvinistis* conscripto: *De reformatæ religiônis Disciplinâ,* duo acta sive statuta ab ipsis confecta. Unum: « Doctrinæ quæstiones per verbum Dei esse dirimendas, idque (si fieri poterit) in consistorio; sin aliter, rem deferendam ad colloquium, inde ad synodum provincialem ac denique ad nationalem, ubi decretoria sententia per verbum Dei feratur; cui siquis omni ex parte atque suis expresse abjuratis erroribus, acquiescere renuerit, ab Ecclesiæ corpore eum esse avellendum [1] ». Altero acto sive statuto condemnantur *Independentes,* qui asserebant, « singulas particulares Ecclesias semetipsas moderari debere, neque ex cujusquam pendere arbitrio ». Quæ quidem propositio ab ipsis *Calvinistis* in synodo Charentonensi expresse damnata fuit, ut *veræ Ecclesiæ perniciosa atque facultatem præbens tot fingendi religiones, quot sunt parochiæ* [2]. Merito igitur vel ipse *Pufendorf,* inter reformatos celeberrimus, confessus est: *Pontificiorum... melior est conditio quam protestantium:... illi Pontificem... antistitem Ecclesiæ et caput esse... omnes agnoscunt;... protestantes contrà,... capite... destituti fluctuant,... fœde lacerati... et discerpti.... Ad suum unaquæque respublica arbitrium... omnia administrat et moderatur* [3].

Præclarum cujusdam hæretici testimonium.

Ineptum est effugium de articulis fundamentalibus.

8. *Jurieu* Calvinista [4], quum perspiceret, admitti debere, veram Jesu Christi Ecclesiam inveniri non posse inter societates, a Romanâ omnium primâ Ecclesiâ separatas, aliud falsum systema excogitavit, quod deinde sectæ Calvinistæ potissimum secutæ sunt. Omnes videlicet aut fere omnes eorum societates in fundamentalibus fidei articulis non dissidere, neque a Romanâ Ecclesiâ egressas vel separatas esse, sed ipsam constituere Ecclesiam. Sicut in Romanâ Ecclesiâ (inquit) pro variis Thomistarum, Scotistarum, Augustinianorum aliorumque scholis, variæ sunt sententiæ, quamquam eamdem profitentur fidem; ita inter nos una est Ecclesia, licet canones et disciplinæ discrepent. — Quum vero ita loquuntur, merito iis dici possunt, quæ S. Augustinus suorum temporum hæreticis dicebat: *Quod vultis, creditis: quod vultis, non creditis: vobis potius quam Evangelio creditis* [5]. Sed novo huic fidei magistro *Jurieu* respondemus, etsi inter Catholicos variæ sint scholæ variæque sententiæ, omnes tamen eorum disputationes pertinere ad nonnullas quæstiones ab Ecclesiâ nondum definitas; eosque omnes consentire in iis fidei articulis, quos Ecclesia jam definivit. Sic v. g. omnes scholæ agnoscunt gratiæ necessitatem ad quemlibet actum bonum, et libertatem arbitrii in homine; quæ sane ut fidei dogmata tenemus; quomodo autem efficax sit gratia, utrum per liberum hominis consensum an vero ex seipsâ; sitne illa efficacitas in prædeterminatione physicâ an in victrici delectatione; denique utrum in

De variis inter Catholicos sententiis.

[1] *Ch. V, Titre des Consistoires, art. 31.* — *Bossuet, Conférence avec M. Claude, n. 1.* — [2] Ibid. — [3] De Monarchia Pontificis Romani, § 41 (*Francofurti,* 1688, pag. 175). — [4] *Le vrai système de l'Eglise;* et paulo post: *Traité de l'unité de l'Eglise et des points fondamentaux contre Monsieur Nicole.* — [5] Contra *Faustum Manichæum,* lib. XVII, cap. 3. *Aperte dicite,* inquit, *non vos credere Christi Evangelio: nam qui in Evangelio, quod vultis, creditis, quod vultis, non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis* (Nota edit.).

delectatione victrici morali an vero in victrici relativâ (quæ cuncta exposuimus in tractatu, ad sextam Concilii sessionem *de Justificatione* adjecto), omne illud controversia est, ab Ecclesiâ nondum decisa, neque in præsenti adversatur fidei.

Articuli ab Ecclesiâ propositi, omnes sunt fundamentales.

9. Sed inquiramus, quosnam articulos *Jurieu* pro fundamentalibus, quos vero pro non fundamentalibus habeat. Quinam sint fundamentales, vel non declarat vel nimis confuse his verbis indicat: *Articulus fundamentalis is est, ex quo pendet divinæ gloriæ ruina, hominisque ultimi finis pernicies* [1]. Sed quantum ex ejus scriptis inferri licet, quatuor sunt articuli fundamentales: Trinitatis mysterium, mysterium Incarnationis, æternum præmium justorum et peccatorum post hanc vitam pœna æterna [2]. Nos vero dicimus, præter eos articulos ceteros omnes, ab Ecclesiâ tamquam fidei dogmata propositos, firmiter et æquali assensu fidelibus esse credendos, eosque omnes esse fundamentales: eamque ob causam sectas, in iis articulis dissidentes, pro hæreticis et a Catholicâ Ecclesiâ disjunctis fuisse habitas et a sanctis Patribus, et a Conciliis, nominatim a Concilio Nicæno I [3], a Constantinopolitano I [4] et II [5]. Idcirco sæculo II, S. Victore summo Pontifice [6], a Romanæ Ecclesiæ communione rejecti sunt Asiatici, qui *Quartodecimani* vocantur, quum Pascha celebrare vellent quartodecimo die lunæ Martii, non vero die Dominicâ sequenti, ut facit Catholica Ecclesia, ne Judæorum paschati conformetur: in Concilio Carthaginiensi III [7] condemnati sunt Novatiani, qui in persecutione lapsis veniam negabant: in Constantinopolitano II [8] ab Ecclesiâ separati sunt ii, qui animas ante corporum formationem productas esse asserebant; ac similiter ii, qui dicebant, cælos et sidera esse animata. Præterea in S. Matthæi Evangelio legimus: *Si... Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus* [9]. Itaque siquis Ecclesiæ definitionibus dogmaticis assentiri nolit, hoc satis est, ut sit extra Ecclesiam, quæ (ut ait S. Paulus [10]), quum unum sit corpus, non potest nisi unum spiritum habere.

Hæretici statuere nequeunt, quinam sint fundamentales.

10. At, inquit *Jurieu*, articulos fundamentales a non fundamentalibus distinguere, lubrica est quæstio, quæ haud facile solvatur [11]. Addit præterea, non esse Ecclesiæ statuere, quinam sint articuli fundamentales; eos nimirum suâ naturâ tales esse [12]. Sed quis definiet, quæso, quinam articuli sint fundamentales, qui vero non sint? An forte privatum uniuscujusque judicium? At, si res ita se haberet, nonne sexcentæ forent definitiones, singulæ singulis contrariæ? Et en tibi tot ecclesiæ et religiones, quot sunt diversæ definitiones articulorum. Minime vero (reponit *Jurieu*); nullius est statuere, quinam fidei articuli sint fundamentales: sunt enim ejusmodi suâpte naturâ. Sed si tales sunt ex ipsâ suâ naturâ, cur ergo fundamentales a non fundamentalibus distinguere lubricam quæstionem vocat, quæ haud facile solvatur? Et quis statuet, quinam sint articuli illi, suâpte naturâ fundamentales? Aut enim ex se perspicui sunt aut obscuri: si perspicui, constituere nequeunt lubricam quæstionem et ad solvendum difficilem; sin autem obscuri, definitione indigent. Ex his omnibus patet, quam confusum et imbecillum sit novum istud systema, a *Jurieu* confictum; novum, inquam, vel ipsis Reformatis omnibus, qui ante eum, nequaquam cum Romanâ Ecclesiâ conjunctos se vocarent, sed gloriabantur, ab eâ idcirco se digressos esse, quod post tertium, quartum vel quintum

[1] L. c. passim, et *Vrai Système, livre III, chap. IX.* — [2] L. c., *livre I, chap. XIX.* — [3] Can. 8. — [4] Can. 6. — [5] Collatio 3. — [6] Ep. ad *Theophilum.* Inter Decretales *Isidori Mercatoris.* — [7] Ep. *S. Cypriani.* — [8] Can. 1, can. 3 adv. *Origenem.* — [9] *Matth.*, XVIII, 17. — [10] *Eph.*, IV, 4. — [11] *Vrai Système; livre second, chap. I: question si épineuse et si difficile à décider.* — [12] Cfr. præsertim, *livre II, chap. I, II, XIX*, et *livre III, chap. IX* et *X*; item *Traité de l'unité*, in quo (*Traité VI*) monstrare conatur, articulos fundamentales haud difficulter dignosci (Nota edit.).

sæculum Ecclesia (ut ajunt) adultera evasisset, antichristi sedes, et erroribus idolorumque cultu vitiata.

Hæretici fatentur, in fundamentalibus se dissentire.

11. Præterea, quomodo dicere potest *Jurieu*, omnes ecclesias reformatas unam esse eamdemque ecclesiam, quæ eamdem profiteatur fidem, quum in proœmio apologetico ad reformatas ecclesias, anno 1578, theologi Tigurini [1] affirment, plures inter eas existere controversias de materiis fundamentalibus, ut, circa personam Jesu Christi, de unione et distinctione utriusque naturæ, divinæ et humanæ, et alia similia? Et subjungunt, contentiones eo esse progressas, ut inter Reformatos renatæ essent plures hæreses, jam olim condemnatæ. En eorum verba: *Tanto furore contenditur, ut non paucæ veterum hæreses, quæ olim damnatæ fuerunt, quasi ab inferis revocatæ, caput attollant* [2]. Joannes *Sturmius* autem, item reformatus, quum de altercationibus loquitur, inter reformatorum ecclesias existentibus: *Præcipui articuli in dubium vocantur*, inquit; *multæ hæreses in Ecclesiam Christi invehuntur; plana ad atheismum paratur via* [3]. Qui quidem auctor vates dici potest; quia reverâ hodie, ut ex libris, quos proferre non cessant, apparet, multi ex reformatis in atheismum prolapsi sunt. Tandem enim progressu temporis tota res enodata est, ita ut ipsi reformati suæ pseudo-evangelicæ religionis imbecillitatem agnoverint; atque inde ad imum atheismum sive materialismum ruerunt, omnia fidei dogmata respuunt, asseruntque, omnia esse materiam, nec proinde Deum existere vel animam, neque aliam vitam nobis esse nisi præsentem; atque ita, quum pecudum vitam degerent, ab omni conscientiæ stimulo se liberare voluerunt. Sed quidquid cogitant aut laborant ad illum conscientiæ angorem repellendum, numquam illud assequi poterunt. Ad summum eo pervenient, ut pro malitiâ suâ dubitationem sibi injiciant, num revera Deus et æterna vita existant: fieri tamen nec potest neque umquam poterit, ut ita sibi plene persuadeant: ipsa enim naturalis ratio dictat, Deum existere, omnium rerum creatorem, et justum remuneratorem boni malique ultorem, itemque animas nostras esse æternas atque immortales. In summâ, sibi fingendo, Deum non esse, ne quem suarum iniquitatum censorem aut vindicem habeant, pacem reperire nituntur miseri: numquam tamen eam consequentur, quia vel solum dubium an Deus sit, divinæ ultionis formidine eos vexare non desistet.

Quorum jam ceciderint hæretici.

De dissensione inter hæreticos.

12. Sed ad argumentum redeamus. Ipsi novatores ergo fatentur, etiam præcipuos fidei articulos in dubium a se vocari: et sane; *Lutherani* (ut refert Cardinalis *Gotti* in docto suo opere *de Vera Ecclesia* [4]) unam in Christo personam agnoscunt; *Calvinus* vero et *Beza*, impio Nestorio hac in re consentientes, duas admittunt (*a*). *Lutherus* [5] aliique ejus fautores ajunt, in Christo ipsam divinam naturam passam esse et mortuam; sed *Beza* [6] hanc exsecrandam blasphemiam merito reprobat. *Calvinus* [7] Deum peccati auctorem facit; quod contrà *Lutherani* [8] blasphemiam vocant. Adstruit *Lutherus* [9], Christum etiam secundum humanitatem ubique adesse; at *Zwinglius* [10] hoc condemnat. *Lutherus* tria tantum admittit Sacramenta: Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam; *Calvinus*, rejectâ Pœnitentiâ, Baptismum et

[1] *Prefazione Apologetica dei Teologi di Zurigo* (apud *Gotti: della Chiesa*, cap. 8, § 1, n. 8). — [2] Ibid. — [3] De Ratione ineundæ Concordiæ, fol. 2 (apud *Gotti*, l. c.). — [4] *La vera Chiesa di Cristo, parte I, cap. 8, § 1, n. 9.* — [5] Cfr. Libr. de Conciliis et Confessionem majorem de Cœna Domini. — Cfr. etiam *Sylvest. Gzecanovium*, Dialog. de corruptis moribus utriusque partis, fol. 5. — [6] Epist. 61. — [7] Instit., lib. III, cap. 23, n. 4, 7, 8. — [8] Colloquium *Montis Belligardensis (Montbeliard)*. — [9] *Von dem Sacramente... wider die Schwarmgeyster* (i. e. contra fanaticos); et alibi passim. — [10] Contra confessionem Lutheri. — Responsio de Sacramentis.

(*a*) Vide: Tract. II, cap. 4, n. 17, in hoc vol. pag. 64, not. *a*.

Eucharistiam admittit, sed iis adjungit Ordinem, quem *Lutherus* negat. Præterea *Lutherus* fatetur, in Eucharistiâ adorandam esse realem Jesu Christi præsentiam, quod a *Calvino* idololatria vocatur. *Melanchthon* [1] (ad quem postea *Lutherus* quoque accessit), bona opera ad salutem necessaria esse ait; *Calvinistæ* docent, convenientia, non necessaria esse bona opera. Concludendum est igitur, novas illas ecclesias reformatas, quum in ejusmodi articulis aliæ aliis contradicant, omnes errare circa præcipuos fidei articulos. Et re quidem verâ; *Calvinus* falsarios et etiam idololatras vocat *Lutheranos*, quod in Eucharistiâ Jesum Christum adorent; *Lutherus* vero *Zwinglianos* ceterosque sacramentarios vocat sectas damnatas, blasphemas et hæreticas: *Hæreticos... censemus... omnes sacramentarios, qui negant, Corpus... Christi ore carnali sumi in venerabili Sacramento* [2].

De unitate inter Catholicos.

13. E contrario, Catholicæ Ecclesiæ veritatem utique demonstrat constans ejus doctrinæ uniformitas in articulis fidei, a principio servatis, ex quo Jesus Christus eam condidit. Quovis tempore eadem fuit; quas veritates hodie credimus, eas primis sæculis christiani crediderunt; ut sunt arbitrii libertas, virtus Sacramentorum, Jesu Christi in Eucharistiâ præsentia realis, invocatio Sanctorum, eorumque reliquiarum et imaginum veneratio, purgatorium et similia. Quæ quidem fidei veritates a novatoribus errores vocantur: sed tales in fidei materiâ errores quomodo primis illis sæculis locum habere poterant in nostrâ Ecclesiâ, quam ipsi adversarii tunc quidem veram Jesu Christi Ecclesiam fuisse non negant? Eos errores (ut refert Bellarminus [3]) dicunt *nævos* quosdam fuisse, id est exiguos defectus in nascentis Ecclesiæ vultu. Ergo Jesum Christum in Eucharistiâ præsentem adorare, crucem et imagines venerari, primis sæculis *nævi* tantum fuerunt? Sed quomodo tales *nævi* postea impiæ idololatriæ evaserunt, ut hodie ab adversariis vocantur? Quomodo idololatriæ *nævi* tantum appellari possunt? Et quomodo Deus permittere potuit, ut immanes illi errores inde a principio in suâ Ecclesiâ vigerent, donec tandem novi isti magistri, *Lutherus*, *Zwinglius* et *Calvinus* ad eos dispellendos assurgerent? Minime vero; ea Ecclesia, quæ ab initio fuit vera, semper vera erit.

Inane hæreticorum effugium.

Quænam sit in statuendis fidei articulis Ecclesiæ auctoritas.

14. Sed, inquiunt adversarii, vestra Catholica Ecclesia auctoritatem sibi assumpsit nova condendi fidei dogmata, et asserit, sacris Scripturis auctoritatem se tribuere. Non ita: nova fidei dogmata Ecclesia nec condit nec condere potest; solum declarat, quænam dogmata Deus nobis tradiderit per Scripturam et Traditionem, quæ utraque est Verbum Dei, scriptum et non scriptum. Neque umquam Ecclesia nostra Verbo Dei auctoritatem se tribuere contendit, sed traditione et assistentiâ Spiritus-Sancti innixa, solum definire voluit, quænam dogmata fide sint tenenda. Atque illud quidem in suis Annalibus ipse *Basnagius*, famosus Calvinista, fatetur: *Partes Ecclesiæ sunt in eâ re*, inquit, *non auctoritatis quidem, quam canon ex se habet, adjunctio, sed declaratio* [4]. Itaque Ecclesia Catholica docens, quis verus sit Scripturarum sensus, neque Scripturæ semet anteponit, neque auctoritatem illi affert, sed se anteponit judicio privatorum hominum, qui propter auctoritatem a Deo illi concessam, Ecclesiæ debent obedire.

Solvitur dubium de circulo vitioso.

15. Atvero, dicunt novatores, circulus vitiosus hic habetur: Scripturam ideo infallibilem esse creditis, quod ita doceat Ecclesia; atque ideo infallibilem Ecclesiam, quod Scriptura illud affirmet. Sed errant: illud enim recte opponeretur, si agendum esset cum incredulo, qui tum Ecclesiæ tum Scripturæ infallibilitatem rejiciat; sed non habetur circulus vitiosus, quum

[1] Confessio Augustana (*Augsburg*). — [2] Apud *Hospinianum*, Historia Sacramentaria, pars II, anno 1545. — [3] De Conciliis et Ecclesia, lib. IV, cap. 5. — [4] *Sam. Basnage*, Annales. Post sæc. III, dissert. 9, de Traditionibus, n. 16.

disputatur cum homine Christiano, qui Scripturæ infallibilitatem admittit; nam ipsa Scriptura declarat, veram Ecclesiam errare non posse; unde talis homo credere tenetur quidquid declarat Ecclesia, et illud credendo errare non potest. Quare S. Augustinus: *Ego vero Evangelio non crederem*, inquit, *nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas* [1]. Vere circulum vitiosum contrà proponunt novatores, quum sensum privatum probant ex Scripturâ, Scripturam vero ex sensu privato: utraque siquidem propositio falsa est. Falsum, ex Scripturâ probari sensum privatum; falsissimum, ex sensu privato probari Scripturam. Novatoribus igitur nihil prosunt sacræ Scripturæ; quia non ex Ecclesiæ judicio, sed pro uniuscujusque sensu privato explicatæ, tot gignunt fides diversas, quot sunt singuli homines. Unde, quomodo ipsi Socinianos, Arianos et alios similes vocare possint hæreticos, quod Trinitatem et divinitatem Jesu Christi rejiciant, nescimus. Dicent, circa ambas illas veritates Scripturam esse perspicuam: sed respondebunt Sociniani, in utroque hoc articulo Scripturam non prorsus litterali, sed allegorico tantum sensu intelligi debere. Quum ergo hæretici veræ Ecclesiæ, quæ sola hanc litem dirimere potest, se subjicere nolint, quis tandem eam dirimet? Ah! sublatâ Ecclesiæ obedientiâ, in quocumque fidei articulo ne unus quidem error superest, qui ut error coargui possit.

Hæretici in circulum vitiosum incidunt.

Reformati *Socinianos* redarguere nequeunt.

16. At, reponunt, Romana Ecclesia identidem fidei articulos definivit, qui antea fide non erant tenendi: ergo, nec ipsa semper uniusmodi fuit in fidei articulis. Respondetur; quod Ecclesia decursu temporis definivit plura dogmata, antea nondum definita, nequaquam demonstrat, eam in rebus fidei sibi non constitisse; inde enim non probatur, Ecclesiam dogmata mutasse, sed solum eam innixam Scripturarum et Traditionis fundamento, et a Spiritu-Sancto illuminatam, plures subinde declarasse articulos fidei, antea nondum ut tales declaratos, qui ceteroquin de fide essent, priusquam Ecclesia eos definiret.

Objicitur.

Respondetur.

17. Sed, eheu! quî fit, ut novi isti fidei magistri non animadvertant, quum ab Ecclesiâ Catholicâ desciverint et obedientiam erga eam abjecerint, simul fidei regulam se adeo perdidisse, ut certam jam non habeant discernendi normam, quis fidei sit articulus, quis non sit; et articulos fidei de die in diem mutantes, in tenebris ambulent. Hæreticorum unica fidei regula est sacra Scriptura: sed hoc ipso decipiuntur; quum sola Scriptura non semper eos certos reddere possit, quænam tenenda sint dogmata.

Reformati nullam habent fidei regulam.

18. Dicunt igitur, unicam fidei regulam esse sacram Scripturam. At *primum* ab iis quærimus, unde sciant, aliquam existere divinam Scripturam, libros dico, a viris divinitus inspiratis conscriptos? Quî umquam demonstrare possunt, reverâ divinam esse Scripturam? Ex prophetiis forsitan et miraculis, quæ in eâ referuntur? Sed quis demonstrabit, ejusmodi vaticinationes non fuisse conscriptas, postquam ipsa facta evenerunt? Et unde scimus, genuina fuisse miracula? Quomodo tandem probatur, eos Scripturarum libros, qui hodie passim reperiuntur, esse libros a Deo vere inspiratos? Num ex ipsius Scripturæ textu? Minime vero; Scripturæ textus demonstrare nequit, eam esse divinam Scripturam, quum hoc ipsum in dubio ponatur, sitne ille revera sacræ Scripturæ textus necne.

Scripturæ veritatem demonstrare nequeunt.

19. *Secundo*, etiamsi constaret, aliquam existere divinam Scripturam, unde sciam, qui sint genuini Scripturæ libri? Fieri enim potuit, ut ab hæreticis interpositus fuerit liber aut non canonicus aut saltem nondum pro canonico agnitus. Canon catholicus septuaginta duos libros continet, quadraginta quinque in veteri, viginti septem in novo Testamento; cujus rei certiores nos reddidit Concilium Tridentinum (sess. IV). Ad Tridentinum autem ita delatus erat canon a Concilio Florenti-

Quinam genuini sint Scripturæ libri, non possunt cognoscere.

[1] Contra Epist. *Manichæi*, cap. 5.

no [1], ad Florentinum a Concilio Romano sub Gelasio summo Pontifice [2]; quibus Conciliis accedit Carthaginiense III [3] (aliorum sententiâ V vel VI), approbatum deinde a VI[a] Synodo œcumenicâ [4], ubi declarant Patres, eumdem canonem sibi traditum fuisse ab Innocentio I, qui vixit anno 402, et testatus est [5], ab Apostolis eum sibi transmissum per continuam traditionem, licet propter persecutiones superiorum trium sæculorum non ubique cognitam.

a non ex ipsis Scripturis.

20. Ex eo canone *Lutherus* pro suo arbitratu plures libros sustulit; ex veteri Testamento librum Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch et Machabæorum; ex novo autem, S. Pauli ad Hebræos, S. Jacobi et S. Judæ epistolas et etiam Apocalypsin S. Joannis. Nunc a *Lutheranis* quærimus: Quomodo demonstrant, hæc volumina non esse sacra, sacra vero ea, quæ ipsi admittunt? Certo illud probare nequeunt ex ceteris Scripturis, quum in iis non declaretur, quænam sint genuina, quæ vero adulterina volumina.

b non ex spiritu privato.

21. Respondent, spiritum privatum, quo Spiritus-Sanctus intus illuminat, sibi indicare, quinam vere canonici sint libri. Sed, si cuilibet christiano, ut ipsi ajunt, internum illud lumen adest, cur non adest in Ariano, Nestoriano vel Calvinistâ, qui tamen eamdem amplexus est religionem, quam reformatam dicunt? *Calvinistæ* siquidem, a *Lutheranis* dissidentes, pro divinis habent S. Pauli ad Hebræos, S. Jacobi et S. Judæ epistolas, et Apocalypsin S. Joannis. Valde obscurus ergo et fallax est vester privatus iste spiritus, qui aliis aliter innotescat. Si ergo per solum spiritum privatum cognosci posset, quænam genuinæ sint Scripturæ, res incerta per aliam magis incertam dignosci deberet.

Iis constare nequit, quænam sit legitima versio.

22. *Tertio*, etiamsi constaret, quinam sint libri vere canonici, quomodo probant hæretici, versionem eorum librorum quos recipiunt, legitimam esse et incorruptam? Biblia in origine tribus linguis conscripta fuerunt, Hebraicâ, Græcâ et Latinâ: Hebraice libri veteris Testamenti, novi Testamenti Græce, præter Evangelium S. Matthæi, S. Pauli epistolam ad Hebræos, Syriacâ linguâ scriptam (*a*), et S. Marci Evangelium, quod probabiliter Romæ Latine exaratum est. Plures præterea Scripturarum versiones confectæ sunt; sed sola vulgata a Concilio Tridentino (sess. IV) authentica est declarata: nam textus Hebraicus et Græcus, ut eruditi observarunt, in iis saltem exemplaribus, quæ hodie adhibentur, mendis haud carent. Fatendum quidem, ut ait Clemens Papa VIII, nec vulgatam hodie immunem esse ab omni errore [6]; sed definitum est, illos errores non esse substantiales, sed accidentales dumtaxat; quod firmiter credere debemus ob Jesu Christi promissionem, Ecclesiam, quæ per Concilium loquitur, in substantialibus fidei rebus non posse errare. Hæretici quoque plures Latinas versiones ediderunt, sed omnes corruptas et discrepantes non solum a nostrâ vulgatâ, sed ab ipsis eorum versionibus Latinis aut vulgaribus, quæ etiam magis corruptæ sunt quam versiones Latinæ; adeo ut aliæ in aliis eorum Bibliis vel adjunctæ sententiæ vel voces sublatæ sint, prout ad peculiares suas doctrinas comprobandas magis expedire videbatur. Quibus positis, quomodo Scripturas suas legitimas et genuinas vocare possunt?

Statuere nequeunt verum Scripturæ sensum.

23. *Quarto*, etiamsi constaret, in nonnullis exemplaribus veram et incorruptam versionem reperiri, quomodo probant, quis verus sit Scripturæ sensus? Docet S. Hieronymus, Evangelii legem non Scripturarum verbis, sed genuino verborum sensu contineri: *Nec putemus*, inquit, *in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu.... Grande periculum est in Eccle-*

[1] 4 Febr. 1442, Decretum pro *Jacobitis*. — [2] a° 494. — [3] a° 397, cap. 47. — [4] a° 680, can. 2 (Conc. *Quinisext.*, 692, seu *in Trullo*, quod in appendice ad Conc. gen. VI habetur). — [5] Ep. ad *Exuperium*, cap. 7. — [6] Confer Clementinæ editionis præfationem.

(*a*) Conf. suprà, Sess. IV, § 7, n. 50.

siâ loqui, ne forte interpretatione perversâ, de Evangelio Christi hominis fiat Evangelium: aut, quod pejus est, diaboli [1]. Sic v. g. hæc verba: *Pater major Me est* [2], prout a Catholico intelliguntur, Dei verba sunt; prout ab Ariano, hæresin continent. Similiter hæc alia: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit* [3], a Lutherano interpretata, hæresis sunt; a Catholico, veritas fidei.

Duplex sensus: *litteralis* et *mysticus.*

24. Itaque, ut ab initio diximus (sess. IV, n. 45) distingui debent varii Scripturæ sensus; alius enim est sensus litteralis, alius mysticus; quem utrumque Deus intendere potuit. Vulgo verus sensus esse solet litteralis; in quibusdam tamen textibus solus mysticus est verus sensus; quod accidit, quum sensu litterali sententia Scripturæ intelligi nequit; in nonnullis denique textibus et litteralis et mysticus est verus sensus, ut hoc S. Pauli loco: *Abraham duos filios habuit: unum de ancilla et unum de libera...; quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, cet.* [4].

Hæretici litem dirimere non possunt. Exempla discordiæ.

25. In tantâ autem sensuum varietate, quænam ad verum sensum dignoscendum est regula? In his S. Matthæi verbis: *Accipite et comedite: hoc est Corpus meum* [5], nos Catholici verbum *est* pro tempore præsenti habemus, ita ut, pronuntiatis omnibus iis verbis, panis esse desierit, et factus sit Jesu Christi Corpus, idque verum, reale atque permanens; et sic ab auctoritate Ecclesiæ certiores facti de illo sensu, firmam Eucharistiæ sacramenti fidem habemus. *Zwinglius* [6] vero verbum *est* per verbum *significandi* interpretans, rem ita intelligit, ac si diceretur: *hoc significat corpus meum;* in cujus exemplum adducit illud Exodi: *Est enim Phase, (idest transitus)* [7]. — *Est phase, i. e. significat transitum. Lutherus* contrà litterali quidem sensu intelligit verbum *est,* non tamen nobiscum accipit pro tempore præsenti, seu quo ipsa verba proferuntur, sed pro futuro, quando nempe administrabitur Sacramentum, ut sensum ita interpretetur: *Hoc erit corpus meum,* tum videlicet, quum fideles illud suscepturi sunt [8]. Calvinus [9] verbum *est* pro *figurâ* intelligens, rem ita accipit, ac si haberetur: *hæc est figura Corporis mei.* Jamvero, inter tot diversas interpretationes quomodo verum illius textus sensum cognoscere poterimus sine Ecclesiæ auctoritate, quæ illum declaret? Forsitan per spiritum privatum, ut asserunt novatores? Sed illa verba: *Hoc est Corpus meum,* a *Luthero* de reali Jesu Christi Corpore, a *Calvino* sensu translato intelliguntur: atqui, illi duces, ut fautores eorum dicunt, internam Spiritus-Sancti lucem ambo habuerunt, ambo quoque a Deo erant missi ad veram fidem docendam; unus vero dicit, in illo pane Jesum Christum ut Deum adorari debere, alter, ibi Eum adorare, revera esse idololatriam. Utri eorum fidem habebimus, *Luthero* an *Calvino,* hoc posito, (quod ipsi asseverant) non aliam esse fidei regulam nisi Scripturam et sensum privatum? Sed unde verum dignosci poterit, si Scriptura varios habere potest sensus, spiritus privatus autem fallax est et ambiguus inter eos, quum contrarium opinentur?

Reformatorum discipuli a magistris dissident.

26. Sed quam fidem ediscere possumus ab iis pseudomagistris, qui ipsi, ab Ecclesiâ discedendo, omnem fidei regulam amiserunt? Et recte secum considerat Illustr. Dom. Bossuet [10], quemadmodum ipsi magistri auctoritatem Catholicæ Ecclesiæ contempserint, ita quoque discipulos pro nihilo duxisse eorum auctoritatem, et variis fidei religionisque formulis conditis, in tot tamque diversas sectas abiisse. *Lutherani* quinquaginta annorum spatio in tres sectas divisi sunt: *Lutheranorum, semilutheranorum* et *antilutheranorum. Lutherani* deinde subdivisi in undecim

[1] Comm. in Ep. ad *Galat.*, cap. 1, v. 11 et 12. — [2] *Joan.*, XIV, 28. — [3] *Marc.*, XVI, 16. — [4] *Gal.*, IV, 22 et 24. — [5] *Matth.*, XXVI, 26. — [6] Subsidium de Eucharistia. — [7] Exod., XII, 11. — [8] Cfr. epist. ad *M. Simonem Wolferinum,* 20 Jul. 1543. — [9] Dilucida Explicatio... ad discutiendas *Heshusii* nebulas. — [10] *Histoire des Variations,* passim.

alias sectas, item in undecim *semilutherani*, et *antilutherani* in sexaginta quinque, ut refert *Lindanus* [1]. *Calvinistica* quoque schola mox scissa est in plures sectas, quæ plus centum numerabantur. Nominatim apud Natalem Alexandrum [2] videre licet, in quot sectas in Angliâ abierint Calvinistæ: sunt nempe *Puritani*, qui puram *Calvini* doctrinam sequuntur; *Piscatoriani*, quos *Calvinistæ* Galli hæreticos declararunt; *Anglo-Calvinistæ*, qui consecrant Episcopos et presbyteratus Ordinem conferunt, quod ceteri *Calvinistæ* facere renuunt; *Independentes*, qui neque ecclesiasticos neque politicos superiores agnoscunt; *Antiscripturiani*, qui omnes Scripturas rejiciunt; *Quakeri*, qui continuas revelationes et ecstases se habere gloriantur; *Rantheri*, quibus nihil nefas videtur eorum, ad quæ corrupta natura incitat. Hollandia progressu temporis in duas factiones divisa est, *Arminianorum* et *Gomaristarum:* quamquam postea in quodam eorum conciliabulo anni 1618, *Arminius*, alterius sectæ caput, ut schismaticus condemnatus fuit; et quum *Grotius* et *Barnefeldius* [*Oldenbarneveld*] cancellarius obedire renuerent, ille in carcerem conjectus, hic capite plexus est. Hæc scilicet perbella est fidei uniformitas, quâ novatorum cœtus inter se consentiunt! Illud efficit spiritus superbiæ, ut quemadmodum duces ab Ecclesiæ obedientiâ deficiant, ita quoque ipsis magistris subjecti esse desinant discipuli, et novas sectas constituant novaque systemata.

Frustra huic malo occurrere voluerunt.

27. Frustra porro eorum ministri monitis, decretis, minis, depositionibus et excommunicationibus huic rerum confusioni occurrere voluerunt, ut in *Wallonicâ* synodo, anno 1690 *Amstelodami* habitâ; ceteri enim Reformati omnia deridentes, decreta, depositiones et censuras ad Papismum spectare dixerunt, non vero ad Reformationem, conscientiæ libertatis privilegio munitam. Sed nonne vident, ex nefastâ illâ et exitiali conscientiæ libertate emanasse tot innumeras hæreticorum atque etiam Deistarum et atheorum sectas, quæ Angliam, Hollandiam et Germaniam impleverunt? *Papinus* Minister (qui operâ Illustriss. Dom. *Bossuet* ad fidem se convertit), quum perciperet, quantam perniciem necessario sibi afferret illa conscientiæ libertas, adeo perterritus est, ut cum Dei auxilio pedem referens, ad gremium pristinæ matris redierit, ad Catholicam nempe Ecclesiam. Hæc quippe pro deridendis habet omnes illas novas religiones, quæ a seipsis quoque dissentientes, nihil aliud sunt nisi cumulus errorum, a quolibet incredulo accommodatus ad suam animi levitatem, et ad arbitrium immutatus. Sic autem miseri eo perveniunt, ut ad cuncta vitia delabantur, nec quidquam ultra credant. Sapienter Edmundus *Gibson*, Londinensis Episcopus in quadam pastorali epistolâ scripsit: « Inter morum licentiam et impietatem quam arctissima est propinquitas » [3]. Et *Fénelon*, Cameracensis archiepiscopus: « Inter Catholicismum et atheismum, inquit, nihil est medium » [4].

Ipsi magistri sibi non constabant.

28. Sed quid miramur, *Lutheri* et *Calvini* discipulos in fidei articulis inter se tantopere dissidere, quum (ut suprà vidimus) et ipsi magistri tam parum sibi constent? Evolvatur historia mutationum ecclesiarum protestantium, a *Bossuet* Meldensi episcopo conscripta [5]; ibi videre licet, quot inter se contraria locuti sint et scripserint *Lutherus* et *Calvinus*. Vel solæ contradictiones, quas identidem de fidei articulis vel dixit vel litteris consignavit *Lutherus* (quem reformati *primum puræ fidei fontem* dicunt, et apostolum vocat *Calvinus*, qui etiam hæc scribere non dubitavit: *Res ipsa clamat, non Lutherum initio locutum, sed Deum per os*

[1] Dubitantius... instructus, dial. 2, cap. 2. — [2] Hist. Eccl. sæcul. XV et XVI, cap. 2, art. 12, § 3. — [3] *Lettre pastorale sur la cause morale des tremblements de terre* (Ex Anglico translata). — [4] Apud *Valsecchi. Dei fondamenti della religione, lib. III, parte 1, cap. 1.* Item: *La verità della Chiesa. A chi legge.* - Cfr. *Fénelon, Lettres sur l'Eglise, lettre 5me.* — [5] *Histoire des Variations des Eglises Protestantes.*

ejus [1]), satis commonstrant, quam falsa sit ejus fides. Dum vixit, nihil aliud fecit nisi sibimetipsi contradixit, semper a se ipso dissidens et suas ipse doctrinas impugnans, eas potissimum, quæ ad justificationem, ad fidei efficientiam et numerum Sacramentorum spectant. In solo articulo de Eucharistiâ ad triginta ejus contradictiones numerantur; unde Georgius, Saxoniæ catholicus princeps, *Lutheri* temporibus sapienter dicere solebat, *Lutheranos nescire hodie, quid sibi crastino die credendum esset. Calvinus* autem, quoties de Eucharistiâ sententiam mutavit! – Confer opus citatum Illustr. *Bossuet* [2]. Sed perperam dixi, tot contradictiones satis esse ad coarguendam recentium illorum reformatorum fallaciam; quum vel una sola contradictio satis demonstraret, eos Dei spiritu non fuisse imbutos; nam ipse *Lutherus* confessus est: *Qui semel mentitur, ex Deo non est* [3]. Unus est Spiritus-Sanctus, qui *negare Seipsum non potest* [4]. Falsissime ergo gloriabatur *Lutherus* Jesu Christi spiritum se habere, quum diceret: *Certissimus sum, quod doctrina mea non sit mea, sed Christi* [5]: rectius dixisset: *sed diaboli.* Sed quomodo poterat Jesu Christi spiritum habere, qui (ut refert *Sanderus* [6]) dicere non dubitaret: *Ego non amabam, immo odiebam* [sic] *justum et punientem peccatores Deum; tacitâque, si non blasphemiâ, certe ingenti murmuratione indignabar Deo... Furebam ita sævâ et perturbatâ conscientiâ* [7].

Conclusio. De necessitate auctoritatis Ecclesiæ.

29. In summâ, sublatâ Ecclesiæ auctoritate, jam nihil prodest nec divina Revelatio neque ipsa ratio naturalis; utramque enim pro suo quisque arbitratu interpretari potest, et unicuique liberum erit pro falso habere divinarum personarum Trinitatem, Verbi Incarnationem, immortalitatem animæ, infernum, paradisum et quidquid libuerit. Philosophus, inquit *Ramsay* [8], de *Locke* disserens, nisi Ecclesiæ auctoritatem ducem adhibeat, non potest non errare. Joannes *Uytenbogaert*, *Arminianus* quidam, de synodo *Dordracensi* loquens, ita contra Reformatos disputat: « Doctores reformati, inter quos Calvinus et Beza præcipui numerantur, uno ore omnes hoc generale affirmant principium, synodos et concilia, quantumvis sancta, in iis, quæ ad fidem spectant, errori esse obnoxia ». Deinde ita loqui pergit: « Veræ Reformationis fundamentum... hoc exigit, ut nemo possit vel debeat alicui synodo se submittere vel ei subscribere, nisi hac adjectâ conditione, ut quum rite examinaverit ejus decreta ad normam Verbi Dei (quo solo velut lege in materiâ fidei utimur), ea huic Verbo conformia esse repererit ». Volunt autem reformati, suis synodis unumquemque omnino se subjicere: sed quis umquam *omnino* se subjiciat, si tunc solum se subjicere tenetur, quum synodi decreta cum Dei Verbo convenire perspexerit? Unde Arminianus concludit: « Si vero, mutatâ sibi lege, postulent ut synodis unusquisque omnino se subjiciat, nihil ultra habent, quod Papistis respondeant, iisque victam relinquere debent causam [9] ». Iterum dico: sublatâ Ecclesiæ obedientiâ, non erit error, quem quis non amplectatur, aut saltem in aliis non toleret. Ob eam firmissimam rationem (ut refert *P. Valsecchi* [10]) minister quidam Gallus ad fidem se convertit; quum enim videret, Calvinistico systemate eo se perduci, ut quemlibet hæresis et infidelitatis errorem toleraret, fidem Catholicam am-

[1] De libero Arbitrio contra *Pighium*, lib. I. — [2] *Livre IX, ch. 23 et suiv.* — [3] Apud *Segneri, Incred. senza scusa, part. 2, cap. 21, n. 5.* — Cfr. *Luth.*, Assertio omnium Articulorum, assertio 25. — [4] 2 *Tim.*, II, 13. — [5] Apud *Segn.*, l. c. (*Lutherus; Contra Regem Angliæ:* « Certus enim sum », inquit, « dogmata mea habere me de cælo ». Nota edit.). — [6] De Visibili Monarchia Ecclesiæ, lib. VII, a° 1514, fin. — [7] *Luth.* opera. Præfatio. — [8] *Lettre à L. Racine* (En ejus verba: « *Quand l'autorité ne guide plus un philosophe, et que les décisions de l'Eglise ne lui servent plus de boussole, il s'égare toujours* ». Nota edit.). — [9] Epist. ad *Ludovicam Moliniam, 14 Févr. 1619* (Epistolæ præstantissimorum ac eruditorum virorum; ep. 325). — [10] *Dei Fondamenti della Religione, lib. III, pars 3, cap. 1, n. 9.*

plexus, librum valde utilem edidit: *De duabus contrariis in religionis materiâ viis*[1]. Ex illo tolerandi Reformatorum systemate, et singulis permittendi ut examinent, num sacris Scripturis conformia sint Ecclesiæ judicia, illa orta est multitudo impiorum, qui et superiore et præsenti sæculo in Reformatorum regionibus tot pestiferos libros ediderunt.

Impii a fide desciscunt, quod Ecclesiæ obedire renuant.

30. Reponit quidam Reformatus: Sed apud vos quoque, catholicos, quamquam Ecclesiam infallibilem declaratis, multi reperiuntur et Deistæ et materialistæ, idque in ipsâ Italiâ. Respondemus: ita vero est; atque utinam non esset verum! Apud nos quoque nonnulli libidinosi, ut vitiis indulgeant sine conscientiæ angore (quâ pœnâ nimio emitur peccati oblectamentum), ad infaustum incredulorum numerum se adjunxerunt. Sed progressus iste undenam ortus, nisi ex transalpinis illis libris, ad depravandam plebem quocumque locorum transportatis? Illi vero increduli, quum deteguntur, non tolerantur a nobis, quemadmodum eos tolerant hæretici. Ceterum nostræ Ecclesiæ infallibilitas certo idonea est, quæ omnes errores contra fidem radicitus evellat; neque impii tales sunt, nisi quod Ecclesiæ non obediunt. Et hoc differt a pseudoreformatâ religione, quæ apta non est ad refrenandam conscientiæ libertatem, quâ singuli credunt, quod credere volunt. Unà cum falso principio examinis, quod in fidei rebus sibi quisque vindicat, cunctis aperitur via ad quemlibet errorem amplectendum, penitusque amittendum lumen fidei.

[1] *Papin. Les deux voies opposées en matière de religion, l'examen particulier et l'autorité* (*a*).

(*a*) *Isaac Papin,* Blesis *(Blois)* anno 1657 hæreticis parentibus natus, postea (die 15 Nov. 1690) coram *Bossuet,* Meldensi Episcopo, errorem deposuit, et ab eo in Ecclesiæ Catholicæ gremium susceptus est. Anno 1692 librum edidit: *La tolérance des Protestants et l'autorité de l'Eglise.* Quum autem Parisiis (19 Jun. 1709) mortem obiret, absolutam quidem et accuratius elaboratam, sed nondum publicatam reliquit novam ejusdem operis editionem, titulo ad hunc modum immutato: *Les deux voies, etc.;* quæ editio postmodum (1713) Leodii *(Liège)* prodiit. — De præclaro illo viro *Bossuet (Extraits de quelques lettres de M. Burnet): Après avoir été fait prêtre de l'église anglicane protestante,* inquit, ... *il exerça son ministère avec beaucoup de réputation dans quelques villes des plus célèbres du Nord. Le caractère de son esprit est d'être suivi, et de pousser un principe dans toutes ses conséquences. Celui de ne reconnaître aucune autorité sur la terre, lui tenait autant au cœur que la religion qu'il professait, parce que c'en est le fondement, et à vrai dire, ce qui la distingue de la foi romaine... Ayant aperçu que le principe de la réforme, qui le forçait à tolérer les sociniens, ennemis de la divinité de Jésus-Christ, le poussait encore plus loin, et qu'il fallait nécessairement étendre la tolérance au delà des bornes du Christianisme, c'est-à-dire, mettre le salut hors de Jésus-Christ, et tolérer toute religion, ce qui était, à dire le vrai, n'en avoir aucune, à la vue de cet abîme, saisi de frayeur, il fit un pas en arrière. Il se mit à envisager la sainte et inévitable autorité de l'Eglise catholique, il crut, il se convertit.* — Porro ipse *Papin (Les deux voies, seconde partie, sect. 1, n. 13)* ita mentem suam aperit: *Je me trouvai ainsi convaincu, que si les Protestants quittaient le moins du monde le parti de la tolérance, ils étaient pris par les Catholiques; et que s'ils ne le quittaient point, ils étaient pris par les hérétiques et par les infidèles, a qui ils fournissent des armes défensives. ... Les raisons par lesquelles les tolérants veulent prouver, que l'on doit supporter tous ceux, qui prennent la sainte Ecriture pour règle, quelque explication qu'on lui donne, ne sont pas moins fortes pour obliger à supporter tous les infidèles et généralement tous ceux, qui pourront se vanter d'être de bonne foi, fissent-ils profession d'athéisme* (Nota edit.).

ORATIO

AD GRATIAS DEO AGENDAS PRO SANCTÆ FIDEI DONO NOBIS PRÆSTITO, ET AD EJUSDEM S. FIDEI DILATATIONEM AB EO PETENDAM.

Salvator mundi, gratias Tibi ago pro me et pro cunctis fidelibus meis fratribus, quod nos vocasti et admittere dignatus es, ut in verâ fide viveremus, a sanctâ Romano-Catholicâ Ecclesiâ nobis propositâ. « Bone Deus (ita cum *S. Francisco Salesio* Tibi dicam), multis iisque eximiis beneficiis me supra modum adstrinxisti, pro quibus toto corde gratias ago; sed quî umquam potero satis magnas Tibi persolvere gratias, quod sanctâ fide me illuminasti? Contremisco, Domine, quum ingratum meum animum cum tam eximio beneficio confero [1] ». Itaque quantas maximas ego miser possum, gratias Tibi ago; Teque obsecro, ut sanctæ Tuæ fidei pulchritudinem omnibus hominibus patefacias. Idem ille: « Tuæ, o Deus, sanctæ fidei pulchritudo (exclamabat) mihi tam venustam se exhibet, ut ejus amore consumar. Pretiosum illud donum, quod Deus mihi elargitus est, in corde, devotionis suavitate prorsus delibuto, recondere debere mihi videor [2] ». Sed eheu! Jesu mi Redemptor, quam pauci in hac verâ fide vivunt! O Deus! maxima hominum pars tenebris infidelitatis vel hæresis abdita jacet. Tu propter hominum salutem ad mortem usque, mortem autem crucis Te humiliasti; isti vero ingrati Te nec cognoscere volunt. Ah, Te Deus omnipotens, summum et infinitum bonum deprecor, fac, ut omnes Te cognoscant, fac, Te diligant!

O Maria, excelsa Dei Mater, Tu universorum es Patrona; adspice, quantam animarum stragem his temporibus infernus edat et magis semper magisque adaugeat! Tot enim venenatis libris, qui ad nostram perniciem in catholicis etiam regionibus circumferuntur, innumeros contra fidem errores dispergit! Ah! precare, quæso, Deum tuum, qui tantopere Te diligit; precare, et tam ingenti ruinæ occurre: precare, precare; tuæ preces omnia possunt apud Jesum, Filium tuum, qui Te, quidquid petieris, exaudire delectatur.

[1] *Gallizia, Vita di S. Franc. di Sales (Venezia, 1743), lib. VI, cap. 2, § 8.* — [2] *S. Franc. de Sales. Œuvres complètes (Paris, 1839), tome 3, lettre 253, à Madame de Chantal.*

CORRIGENDA.

QUÆ ALICUJUS MOMENTI SUNT, HIC NOTANDA ESSE CENSUI;
RELIQUA TU, BENEVOLE LECTOR, IPSE CORRIGAS VELIM.

Pag. 155, col. 1, lin. 28, lege:
merum fuisse oculorum ludibrium,

» 247, col. 1, lin. 31, lege:
morti vicinum,

» 265, col. 2, lin. 4, lege:
illum vero et Jovem

Pag. 285, not. 3, lege: Decret. pro *Jacobitis.*

» 393, col. 2, lin. 16, lege:
hoc est, qui Christi non est, antichristi est.

» 614, col. 1, lin. 30, lege:
anno 506.